Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L
E
10 41
NAPOLI



MEDIATRIX.

CÆLI ET TERRÆ. Epiph. de laud. B. V.

Melchior Haffner Aug. sculpsit.

ATLAS MARIANVS

QUO

SANCTÆ DEI GENITRICIS

MARIÆ IMAGINVM MIRACVLOSARVM

ORIGINES

Duodecim Hiſtoriarum Centurijs explicantur.

AUCTORE

GUILIELMO GUMPPENBERG, E SOCIETATE JESV.

Cum facultate Superiorum, & Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & Sereniſſimi Electoris Bavariæ.

MONACHII,

Typis & impenſis, IOANNIS JÆCKLINI, Typographi ELECTORALIS & Bibliopolæ.

ANNO M. DC. LXXII.

NAPOLI

DEDICATIO

D. VIRGINI LAVRETANÆ

FILIÆ PATRIS.

Quam Europæ Imperia colunt

MATRI FILII.

Quam Aſiæ regna venerantur

SPONSÆ S. SPIRITUS.

Quam Africæ gentes honorant

TRICLINIO SSS. TRINITATIS.

Quam Americæ populi reverentur

REGINÆ COELI, DOMINÆ MUNDI.

MARIÆ.

DOMINA. Tibi debetur quem fabuloſa antiquitas neſcio cui Atlanti tribuit honor. Saxeus hic nempe Deaſter è monte fictus factúsque ſit ille, qui cœlũ undique hians quaſſatúmque ſuſtineat? qui humeros habeat quibus tanti nitantur fornices? qui ſtellas errantes corrigat, fixas, ceſſantésque ad curſum ſtimulet. Ut officium quod nobis debent ritè præſtent? Laudatur ſanè miſer, hîc, ubi non eſt, ut cum S. Auguſtino loquar, & ardet ubi eſt, nullo inanis gloriæ fructu. Tibi inquam O Virgo hic honor debetur, quæ DOMINA MUNDI es & REGINA CŒLI. Tu tu non rarò ruptum in fulmina cœlum ſuſtinuiſti. Tuus labor fuit, ne cœlum feriret, ne terra periret. Tibi omnes ſtellarum populi famulantur: nam via lactea tibi, non Dea-

ſtris illis ſtrata eſt; quia Virgo es. Zona, quæ cœlum ſtringit,& duodecim velut tribuum regna circumſcribit, duodecim mittit ſtellas in coronam,in debitæ ſubjectionis ſignum; ut ſignum ſit, & nominetur. Sunt ſeptem cœli principes, quibus deberi creditur, quidquid è cœlo præcipitatur in terram, frugibus & animantibus,aut utile,aut noxium: quin & ſortem ſuam fortunæ ſervi ab illis expectant, ideóque dominos vocant. Sed,ô Domina, ſortes noſtræ in manibus tuis deſcriptæ ſunt: illi quiquid poſſunt, per te poſſunt, quæ ab initio & ante ſæcula creata es: Et quæ Deus fecit,duo luminaria magna,tibi jam olim hi principes ſubmisêre,ut ſubeſſent,ſervirétque,quod præeſt nocti, in ſcabellum pedum tuorum; & quod diei præeſt, in amictum. Tui nempe ſunt cœli. Cùm deſideraret Saxeus hic Deaſter aucupium, credebatur habere corvos,vultures,& acutùm videntes aquilas:quin & Dracones, & Pegaſos volantes. Si placuiſſet piſcatio;præſtò erat fluvius Eridanus,aut etiã Nilus. habet enim hic interpiſces Auſtrinos & Boreales etiam Delphinos; etiam Cete grandia;quin etiam ſerpentes & cancros. Imò & navis adeſt, quã etiam per campos exſpaciari liceat, quando auget Aquarius undas,& exundat Nilus. Sed nec venatio Atlanti fabuloſô deerat; dabant namque cœli nemora diverſæ & inuſitatæ magnitudinis leones, tauros,capricornos,lupos,& noſtris diſſimiles caudatos urſos: his venabulũ deſtinabatur,quod Arctophylax venator geſtat,& canes majores. Placidioribus animantibus,hædis,arietibus,leporibus ſuffeceraut canes minores. Centauris,Hydris,Draconibus,clypeatus Orion, gladiatus Perſeus,demum ipſe Hercules debebatur; quibus Sagittarius cum telo venire poterat in ſubſidium. Sed tui ſunt cœli O Maria. Tiaram defert tibi Cepheus,tres Gratiæ,nec Parcis,nec Furijs cognatæ, tres coronas: etenim coronas duas,Borealem unam, Auſtralem alteram porrigunt Caſſiopæa,& Andromeda:tertiam, quam duodena cœli ſigna dono dant,Virgo. Ut omnia numero,pondere,& menſurâ fiant, adeſt Libra. Ut torrente voluptatis potentur feſſi; eſt in cœlo crater,& patera. Fratrum gratia aliàs rara; hîc ſumma eſt; nam Gemini ſunt: Quin quò cum Elia in altum evehatur quis, adeſt currus Iſraël & auriga ejus, ſive agitator. Molem hanc,quam Atlas nunquam ſuſtinuit, tu ſuſtines, ô Virgo: tui nempe ſunt cœli, & tua eſt terra, & tuum eſt gynecæum, in quo tibi Europa, Aſia, Africa, & nuper in chorum recepta America famulantur. Tibi fluunt fontes,& ſcaturiunt flumina, quæ es fons ſignatus,& puteus aquarum viventium. Tibi montes ſurgunt,& valles deprimuntur;quæ es lilium convallium, & deſiderium collium æternorũ.

Tibi

Tibi omnia virent, florent, frondent, quæ es arbor Paradiſi, & gentis Domina arboreæ. Tibi denique, ô Regina, cœli & terræ Dominæ flectitur omne genu, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum.

Fuit, cùm Hieronymi ſæculis mundus ſe miraretur Arrianum: faxim ego, ô Domina, ut te calamum dirigente efficiam, ut mundus miretur ſe MARIANUM. Numeravit olim Deùs in theſauris ſuis ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ſua coram Baal; & Ninive ſtare permiſſa eſt, quia centum millia hominum peccare vetabat felix ignorantia, neſciens, quid dextram intereſſet, & ſiniſtram. Stetiſſet quoque Sodoma, & fortè ſtaret adhuc, ſi vel decem habuiſſet, quos ſuos Deus dicere potuiſſet. Quod plures terra non abſorpſerit cum domibus urbes, nec plures cœlum Regiones fulminârit, tuus labor eſt. Tu ſive fulmina, ſive lanceas, jam jam à Filio devibrandas, non ſemel ſuſpendiſti: quanquam maneat adhuc extenta Domini manus. Tu inferni flammas, ubi ubi (quod Magno Gregorio credimus) erumpentes, ſæpiùs repreſſiſti lacrymarum imbribus; quin & Nive; nam, ut alia templa quandoque imperaveris; illam tamen, quæ in monte Eſquilino eſt, Baſilicam etiam deſignaſti; &, quod mirum eſt, non carbone, ſed nive, & quidem menſe Auguſto, ut nempe Auguſtior fieret, & vocaretur, eſſétque cæteris MAIOR. Sed quis det, ut in hac & ager Picenus ſuam, & ſuam quæque gens ſtatuam Virginis Miraculoſam videat, veneretur, prædicet! Ut mundus malus ſit, & in Mali ligno poſitus, faxim tamen, ut lector intelligat, non jam ſeptem millia hominum, ſed ſeptuagies ſepties plures fuiſſe myriades hominum, qui te, ô Virgo, in ſtatuis atque imaginibus tuis miraculoſis impensè colerent; ita, ut ab ortu ſolis uſque ad occaſum ſit laudabile nomen tuum: his nempe ſtatuis ceu fulcris nititur, ne fractus illabatur orbis. Itaque dignare me laudare te Virgo ſacrata, mediocritatem meam adjuva, & calamum dirige, ut labor hic meus, gloriam tuam, cujus deſiderio ſuſceptus eſt, inter mortales promoveat, ut vel ſic partem aliquam debiti exolvam, quod ob acceptas à te gratias in tribus Lauretanis templis contraxi. Primùm Anno 1632. & 1665. Laureti in Italia, deinde Anno 1643. Ratisbonæ in Bavaria, demum Anno 1647. Friburgi in Helvetia, quæ duo ſacella Lauretana ad Domûs ſanctæ proportiones & menſuras non ſine magna ſollicitudine fabricata eſſe ſcio.

LECTORI BENEVOLO.

SI operis bujus, Benigne Lector, commendationem aliquam petis, eam à celeritate tibi dare non poſſum, ut, quod Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, Feſto Immaculatæ Conceptionis tuæ inceptum vix Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo finivi, propter varias & quamplurimas occupationes, quæ quandoque per plures annos id ſeponere omnino coegerunt. Certè quadriennio illo quod interea Romam vocatus in Pœnitentiarij Pontifici munere ad S. Petrum in Vaticano exegi, nec lineam ſcripſi. Inde tamen operi nonnullam commendationem dare poſſum, quod ingenuè & ſine fuco aſſerere poſſim, opus hoc magno meo labore & plurimorum conſilio fuiſſe conſcriptum.

Quando mihi prima de miraculoſis Imaginibus colligendis & conſcribendis originibus injecta cœlitus cogitatio eſt, non ego tantæ temeritatis fui, ut vel ſomniarem me Auctore unquam proditurum tale opus. Optavi tamen, ac omnibus modis deſideravi hunc Virginis honorem, hanc Eccleſiæ utilitatem. Quapropter Plurium Provinciarum Societatis noſtræ Patribus Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ad Electionem A. R. P. N. Generalis Romam euntibus, Tridenti hanc meam cogitationem aperui, rogavique, ut eam futuro A. R. P. N. Generali proponerent, efficeréntque, ut quiſpiam è Patribus ad hoc munus deputaretur. Sed illi Romana ex Vrbe reduces aliud mihi reſponſum non tulêre, quàm videri ſibi à me hoc opus ſuſcipiendum. Deiparam à me hunc poſtulare honorem, neque obſcurè voluntatem ſuam indicâſſe, quod primo mihi hanc mentem injecerit. Acuerunt, fateor, hiſce dictis graviſſimi Patres deſiderium meum per ſe ſatis accenſum videndi operis, nondum tamen ad ſcriptionem pruriebat calamus, conſcius occupationum præſentium & difficultatum futurarum. Poſtquam verò aliarum Provinciarum Patres alij alijs supervenêre, atque operis utilitatem approbatione ſuâ extulêre, inſuper etiam ſpoponderunt ſe cum imaginibus deſcriptas origines quamprimum in Provincias rediiſſent, miſſuros, cùmque etiam R. P. Rector meus P. Sebaſtianus Weker quo cum hæc omnia contuli, eadem ſuaderet, firmavi Virginis ope animum.

Itaque Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo Feſto Immaculatæ Conceptionis die primas litteras dedi ad omnes Soc. IESV

in

in Europa Provinciales, quibus explicatâ operis cogitatione petij unum à Patribus, qui per totius Provinciæ ambitum conquiſitas imagines & earum origines conſcriptas ad me mitteret. Non multæ abierunt hebdomades, cùm ex univerſæ Europæ Provincijs, per litteras intellexi ſummam in Deiparam pietatem. Etenim tanta rerum copia paucis menſibus ad me miſſa eſt, quantam, qui non vident, concipere non poſſunt. Quia tamen & Provinciarum ſpacia, & Deiparæ amplitudo unius hominis quantumvis magnam induſtriam ſuperabant, in plures laborem hunc Marianum partiri libuit. Itaque omnibus omnium Europæ Provinciarum, duabus exceptis, RR. Patribus Rectoribus, eadem quæ nuper Provincialibus, ſcripſi. Hîc enimuerò magnis incrementis Marianarum imaginum pulcherrimæ hiſtoriæ ſeſe mihi accumulârunt, certantibus inter ſe Provinciis de gloria Virginis promovenda. Interea ne feriarer, præter Theologiæ moralis lectiones binas in die, & Conciones tam feſtis quam dominicis diebus, concinnavi libellum, qui nunc cum Atlante hoc Mariano prodit, cui Titulus eſt JESVS VIR DOLORVM Doloroſæ Matris Filius, quem unà cum hoc legi deſidero, quo ſine nec hunc in lucem dediſſem.

Acceſſerunt poſtea A. R. P. N. Generalis Goswini Nikel frequentes epiſtolæ, quibus me ad ſcriptionem animavit, hortatúsque eſt per R. P. Chriſtophorum Schorrer tunc Aſſiſtentem Germaniæ, ut quamprimum aliquid ederem, accìendis Mariophylorum animis aptum. Itaque ideam Atlantis Mariani ſummâ celeritate conſcriptam, miſi Romam, Patrúmque Reviſorum cenſuræ ſubieci, quam ubi laudatam, & ab A. R. P. N. Generali approbatam recepi, typis Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto ſubieci, & in omnes Provincias quamplurima exemplaria miſi. Hoc libello, benevole lector, Conſilium operis & ideam explicavi, & à nemine non conſilium poſtulavi, & verò etiam ex omnibus Europæ partibus conſilia liberaliter accepi. Hinc eſt, quod me non pœniteat publici reverentem fuiſſe, & non deproperâſſe ipſum opus. Scire quoque te volo, nihil te in hujus operis decurſu reperturum, quod quemquã offendere poſſit, omnibus gratificari conatus ſum, ut apparet ex libri totius peritia, ſperóque obſequia mea omnibus placitura, niſi obſint errata Typographi, quæ tamen in fine libri cum correctione juſſi apprimi.

De fide ſi quæras, ſcio me cautiſſimè ſcribere. Nihil hîc leges, cujus Auctorem fide dignum non habeam. Sic ubi habeo Auctores impreſſos, eos cito, quæ verò impreſſa non ſunt, ex tabulariis templorum deſcripta accepi. Demum ubi ſolâ antiquitatis fide res conſtat; tum verò & vetuſta-

tuſtatem traditionis examinavi non perfunctoriè, quæ tamen niſi etiam eorum fide nitatur, qui cum Præſulis poteſtate ſacris præſunt (quantumvis fidem omnem ſimilibus narrationibus non abrogem) ſcriptioni tamen meæ, & operi huic non convenire judicavi. R.R.P.P. Provincialium & Rectorum Societatis noſtræ fides ſuſpecta eſſe non meretur, quando mihi fidem habere Notario cuicunque imperant jura, etiam in rebus privatis, cùm tamen illi tales ſint, ut eorũ virtuti & prudentiæ, graviſſima Religionis noſtræ negotia concredantur, atque alia ad me non perſcripſerint, quàm quæ ab omni hominum memoria conſenſu communi certa ſunt & indubitata, & tunc ſolùm quando ex impreſſis Auctoribus & templorum Tabulariis haberi narratio non poteſt. Hi, inquam, viri omni exceptione majores, ſuſpecti eſſe non merentur.

Non hîc recoctam crambem expecta eorum omnium, quæ ab aliis de imaginibus ſcripta ſunt. Si ſcire cupis originem honoris, quem exhibemus imaginibus, Card. Baronium evolve. Si juvat intelligere cauſas, ob quas Eccleſia hos imaginibus honores decrevit, quidque oggannientibus Acatholicis reponere debeas, Robertũ Card. Bellarminum lege. Si placet videre ſillabum templorum, quæ Virgini per orbem univerſum ædificata ſunt, Ferreolum Locrium habes, qui non inutilem operam hac in re poſuit. Quodſi omnium omnino imaginum, quas unquam Mariophyli Deiparæ poſuerunt, cognitionem deſideras, Angelos accede, quibus ſolis has ſcire & numerare datum eſt. Mihi ut conficiam, quantum mundus Mariæ debeat, & quantum ab ea expectare poſſit, eæ ſolùm imagines præ manibus ſunt, quæ per miracula inclaruerunt: Cæteras omnes miſſas facio; ſed & de his ipſis eam ſolùm narrationem proſequor, quæ ad originem inchoatæ vel certè reductæ pietatis facit.

Acatholici quidam ſæculo noſtro eò devenerunt, ut quæcunque miracula quibuscunque teſtibus probata, negent & pernegent. Antiqua ſi tuleris, ſua dicent, remota explodent ut ficta, vicina ſi narres, vel naturæ vel ineptæ credulitati, & ut illi loquuntur, ſuperſtitioni adſcribent. Supereſt ut teſtibus agatur omni exceptione majoribus, non tantùm duobus aut tribus, ſed populus unus erit mihi pro teſte uno, etſi populi numerum non faciant, dabo Nationes. Plebeios ſi ſpernant, adducam Principes, Reges Imperatores, ijs qui fidei ſuæ Imperatorem habuère nullum. Si velint Eccleſiaſticos, dabo Religioſorum cujuscunque inſtituti, & ut illi ajunt, cujuscunque coloris, quot voluerint centurias & millia. Si petant Clerum, producam, tot animarum paſtores, quot ipſi in fide ſuâ non habuère oves. Si hos quoque ſpernant, non deerunt mihi Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardi-

nales,

nales, Pontifices ſummi: addam verba Chriſti. Ite renunciate, quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, &c. Quiſquis contra hos omnes ſapere voluerit, ſapiat ſanè, ſed ſibi.

Certè Laureti facta eſſe miracula teſtabuntur vel deviſu vel de auditu omnes Itali, atque eorum parentes, avi, abavi, &c. & quotquot aliarum Nationum peregrini locum ſacrum viſitârunt, & alij, quoq; qui ab his audierunt. Idem facient Hiſpani de templo ſuo Cæſarauguſtano, aliæque Nationes de ſuis quæque Marianis templis, quod ſi vel unicum aliquando factum eſſe miraculum concedant in fidei Catholicæ confirmationem, jam hanc veram eſſe concedere cogentur, eò quòd Deus ſigillum ſuum (id eſt miraculum) in falſitatis confirmationem apprimere non poſſit. Iterum dico, quiſquis contra hos omnes ſapere voluerit, ſapiat ſanè ſed ſibi, idque unum cavendum nobis eſt, ne cum tali homine moriatur ſapientia.

Fuère quoque, qui ſperarent illos etiam non parùm lectione harum hiſtoriarum profecturos, quos ſublimior aſceſis cœlo admovet, & de ijs ſententiam pronunciare coguntur, qui patiuntur divina, vel certè pati ſe putant, qui viſionibus ſeu veris ſeu falſis acti, dicunt & prædicunt multis ſupra captum alta, pleriſque incredibilia. Lucem dabunt diverſiſſimi hominum, quos ætas, mores, peritia non parùm diſtinguunt, quóſque B.V. alloquio ſuo dignata eſt, qui tamen fidem exiguam raro, ſæpius nullam reperère.

Denique addidi hiſtoriis anagrammata de Immaculata Conceptione, non illa mea quidem, ſed magni amici mei in cauſa Mariana; Eſt is Reverendus & Illuſtris Dominus Ioannes Baptiſta Agnenſis, cujus prima quædam anagrammata inſeruit ſuis operibus Doctiſſimus P. Theophylus Reinaudus. Is Sardiniâ oriundus, ad ſacerdotiū Genuæ poſt Studia evectus, virtute ſuâ aulam Emminentiſſimi Principis S.R.E. Cardinalis Iulij Roſpiglioſi poſtea Clementis IX. ſummi Pontificis, multis annis decoravit. Demum oculorum uſu privatus, ad anagrammata reſpexit, quibus Immaculatam Deiparæ Conceptionem honoravit & orbitatem ſuam ſolatus eſt, nunquam antè in hac litteratura verſatus. Hæc, inquam, anagrammata appoſui hiſtoriis ut amici laboribus rependerem gratias, quando propter meam adhortationem quāplurimùm fecit, ut teſtatur R.P. Hyppolitus Maraccius (libris de B.V. ſcriptis clarius) Lucenſis è Congregatione Cler. Reg. Matris Dei in opuſculo ſuo Romæ edito Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto.

Denique ſi hæ hiſtoriæ Marianæ (quæ placuère R.P. Theophilo

Rei-

Reinaudo in Indice Bibliographico, R. P. Petro Courcier in Negotio ſæculorum, & R. P. Euſebio Nierembergio in Trophæis Marianis) boni aliquid porrigunt, non mihi non mihi, ô lector, ſed Dominæ tuæ ac meæ da gloriam, quæ vice Atlantis nobis eſt, & Cœlum in promeritam vindictam præceps & ruens ſtatuis ſuis & imaginibus miraculoſis velut columnis ſuſtinet, ne FERIAT, néve terra PEREAT. Neque jam aliud ſupereſt, quod à te petam, quàm ut Matrem nobis communem pro me preceris, ut poſthac vivam ego, jam non ego, vivat verò in me MARIA.

FACULTAS R.P. PROVINCIALIS.

Cùm liber, cui titulus eſt, Atlas Marianus, quo S. Dei Genitricis MARIÆ Imaginum Miraculoſarum origines duodecim hiſtoriarum Centurijs explicantur, à P. Guilielmo Gumppenberg Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptus, à deputatis Patribus lectus, probatusque ſit, Ego Georgius Muglinus Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ab A.R.P.N. Joanne Paulo Oliva ejusdem Societatis Præpoſito Generali, ad id mihi conceſsâ, eum typis in lucem vulgari permitto. In cujus rei fidem teſtimonium hoc, manu meâ & Officij Sigillo munitum dedi. Monachij 7. Aprilis. 1672.

(L.S.)

GEORGIUS MUGLINUS.

PER-

PERITIA
ATLANTIS MARIANI HISTORIARVM
Duodecim Centurijs abſoluti.

Caput I. Inventio.

Index I. *Inventores.*
- Catal. 1. Inventores veri.
- Catal. 2. Quaſi inventores.
- Catal. 3. Indicatores.
- Catal. 4. Acquiſitores.

Index II. *Locus inventionis.*
- Catal. 1. Inventio ſuper terram.
- Catal. 2. Inventio in terra.
- Catal. 3. Inventio infra terram.

Index III. *Inventionis modus.*
- Catal. 1. Inventio naturalis.
- Catal. 2. Inventio ſupernaturalis.

Index IV. *Tempus inventionis.*
- Catal. 1. Inventio ante Chriſtum.
- Catal. 2. Inventio poſt Chriſtum.

Caput II. Materia.

Index I. *Materia pretioſa.*
- Catal. 1. Ex metallis.
- Catal. 2. Ex lapidibus.

Index II. *Materia vilis.*
- Catal. 1. Materia naturalis.
- Catal. 2. Materia artificiata.

Caput III. Forma.

Index I. *Artificium.*
- Catal. 1. Pictura.
- Catal. 2. Sculptura.
- Catal. 3. Plaſtica.

Index II. *Artifices.*
- Catal. 1. Artifex peritus.
- Catal. 2. Artifex imperitus.
- Catal. 3. Renovatores.

Index III. *Geſtus.*
- Catal. 1. Geſtus Chriſti.
- Catal. 2. Geſtus Mariæ.
- Catal. 3. Geſtus utriuſque
- Catal. 4. Myſteria.

Index IV. *Honor.*
- Catal. 1. Honor terrenus.
- Catal. 2. Honor cæleſtis.

Index V. *Oppugnatio.*
- Catal. 1. Arma.
- Catal. 2. Vulneratores.
- Catal. 3. Malè tractatæ imagines.
- Catal. 4. Partes vulneratæ.
- Catal. 5. Vulnerum ſenſus.

Index VI. *Victoria.*
- Catal. 1. Vindicta.
- Catal. 2. Pugnandi modus.
- Catal. 3. Defenſores.
- Catal. 4. Hoſtes victi.

Caput IV. Cultus.

Index I. *Cultus è cælo primo.*
- Catal. 1. Cultus amœnus.
- Catal. 2. Cultus ſeverus.

Index II. *Cultus è cælo ſecundo.*
- Catal. 1. Cultus à ſtellis.
- Catal. 2. Cultus à luminibus.

Index III. *Cultus è cælo tertio.*
- Catal. 1. Cultus à Chriſto.
- Catal. 2. Cultus à B. Virgine.
- Catal. 3. Cultus à SS. Cælitibus.

Index IV. *Cultus ab aqua.*
- Catal. 1. Cultus ab aquis per ſe.
- Catal. 2. Cultus ab aquis per accidens.

Index V. *Cultus à terra.*
- Catal. 1. Cultus à creaturis inanimatis.
- Catal. 2. Cultus à creaturis vegetabilibus.
- Catal. 3. Cultus ab animatis irrationabilibus.
- Catal. 4. Cultus ab hominibus non Chriſtianis.
- Catal. 5. Cultus à Schiſmaticis & hæreticis.
- Catal. 6. Cultus à Catholicis Laic.
- Catal. 7. Cultus à Clero.
- Catal. 8. Cultus à Religioſis.

Index VI. *Cultus ab Inferis.*
- Catal. 1. Cultus ab inferis bonis.
- Catal. 2. Cultus ab inferis malis.

Index VII. *Cultus à Feſtis.*
- Catal. 1. Feſta immobilia.
- Catal. 2. Feſta mobilia.

Caput V. Natura.

Index I. *Mores.*
- Catal. 1. Mores triſtes.
- Catal. 2. Mores ſeveri.
- Catal. 3. Mores amœni.
- Catal. 4. Mores novi.
- Catal. 5. Mores Lauretani.

Index II. *Virtutes.*
- Catal. 1. Humilitas.
- Catal. 2. Patientia.
- Catal. 3. Fortitudo.
- Catal. 4. Prudentia.
- Catal. 5. Iuſtitia.
- Catal. 6. Miſericordia.
- Catal. 7. Placabilitas.

Caput VI. Translatio.

Index I. *Translatio naturalis.*
- Catal. 1. Translatio impia.
- Catal. 2. Translatio pia.

Index II. *Translatio ſupernaturalis*
- Catal. 1. Quid translatum ſit.
- Catal. 2. Translationis terminus.
- Catal. 3. A quibus translatæ.
- Catal. 4. Itinera.

Index III. *Apparitiones.*
- Catal. 1. Locus apparitionis.
- Catal. 2. Apparitiones quib. factæ.
- Catal. 3. Apparitionum modus.
- Catal. 4. Apparitionũ tempora.

Caput VII. Tituli.

Index I. *Tituli Magni.*
- Catal. 1. Tituli glorioſi.
- Catal. 2. Tituli nobis ſalutares.

Index II. *Tituli non glorioſi.*
- Catal. 1. Tituli de loco.
- Catal. 2. Tituli de planctis.
- Catal. 3. Tituli promiſcui.

Caput VIII. De cerimonijs.

Index I. *Cerimoniæ Eccleſiaſticæ.*
- Catal. 1. Cęrimonię intra templum.
- Catal. 2. Cerimonię extra templũ.

Index II. *Cerimoniæ ſeculares.*
- Catal. 1. Cerimoniæ intra templũ
- Catal. 2. Cerimoniæ extra templũ
- Catal. 3. Actiones Theatrales.

Caput IX. Templa.

Index I. *Templorum Fabrica.*
- Catal. 1. Templorũ deſignatores.
- Catal. 2. Templorum translatio.
- Catal. 3. Templorum operarij.
- Catal. 4. Templorum dedicatio.
- Catal. 5. Templorum locus.

Catal. 6. Templa à B.V. imperata.
Index II. *Templorum cultus.*
Catal. 1. Memoriæ in templis.
Catal. 2. Templorum donatia.
Catal. 3. Templorū anathemata.

Caput X. Miracula.
Index I. *Miracula in perſonis.*
Catal. 1. Ratione ſtatus.
Catal. 2. Ratione miſeriæ.
Index II. *Miracula in rebus.*
Catal. 1. In morbis.
Catal. 2. In miſerijs promiſcuis.
Catal. 3. In rebus varijs.
Catal. 4. In loco.

Caput XI. B. Virgo agens.
Index I. *B. V. agens per ſe.*
Catal. 1. B. V. agens verbo.
Catal. 2. B. V. quæ imperaverit.
Catal. 3. B. V. opera.
Index II. *B. V. agens per ſtatuas.*
Catal. 1. Verbo.
Catal. 2. opere.

Cap. XII. Refugiū peccator.
Index I. *B. V. peccatores convertit.*
Catal. 1. Quos converterit.
Catal. 2. Quibus modis converterit.
Index II. *B. V. peccatores convincit.*
Catal. 1. Quibus teſtibus.
Catal. 2. Quibus argumentis.

Caput XIII. Adjumenta hujus operis.
Index I. *Adjumenta præterita.*
Catal. 1. Nomina RR. PP. Societatis Ieſu.
Index II. *Adujmenta futura.*
Catal. 1. Nomina imaginum nondum ſcriptarum.

CAPVT I.

Imaginum B. V. miraculoſarū. *Inventio.*

QVi eas inveniunt, inveniunt vitam & hauriunt ſalutem à Domino, ut ex ordine progrediamur, hoc caput, diſtinguam in quatuor indices.

1. De inventoribus.
2. De loco inventionis.
3. De modo inventionis.
4. De tempore inventionis.

INDEX I. *Inventores.*

Non erit ingratum Virgini Deiparæ ante inventas Imagines ipſos prius quærere & invenire inventores. Hunc indicem diſtinguam in quatuor Catalogos.

1. De inventoribus veris.
2. De quaſi inventoribus.
3. De indicantibus.
4. De aquiſitoribus.

CATALOGVS I. Imaginum B. V. miraculoſarum. *Inventores veri.*

Per hos intelligo omnes eos homines qui ſive de induſtria ſive caſu Imaginem Deiparæ miraculoſam invenerunt.

Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quas invenerunt.

Viri ſacri.

Summi Pontifices. 23,370
SS. Patres. 26
Cardinales. 113
Epiſcopi. 4,5,21,239
Canonici. 52,252,295,395
Parochi. 18
Religioſi. 22,24,52,1002
Eremitæ. 612,212

Viri profani.

Imperatores. 490
Reges. 836,9
Principes. 105
Nobiles. 17,78,212
Milites. 20,34,412
Cives. 37
Opifices. 47,513
Architecti. 61
Venatores. 212,226
Vinitores. 68
Paſtores. 4, 18, 51, 80, 181, 160, 383, 401, 537, 572, 615, 645, 782, 778, 843, 806, 905, 1183.
Aurigæ. 25
Ethnici. 6,10
Ruſtici. 11,18,878,73
Carbonarij. 391
Captivi. 215,53,215,1181
Cæci. 120,286,17
Muliones. 787
Bubulci. 13
Subulci. 87
Latrones. 511
Piratæ. 212
Pueri. 4,17,18,80,659
Infantes. 7
Energumeni. 77

Feminæ.

Virgines nobiles. 156
Matronæ nobiles. 647
Fœminæ plebeiæ. 206,647,856,901
Virgines ruſticæ. 103,80,78
Feminæ ruſticæ. 651,653,33
Puellæ paſtoritiæ. 390,399,653,877

CATALOGVS II. Imaginum B. V. miraculoſarum. *Quaſi inventores.*

Per hos intelligo Animalia. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quas invenere.

Animalia Aërea.

Alaudæ. 901
Columbæ. 498
Apes. 50

Animalia Terrea.

Serpentes. 207
Boves. 809,853,1183,73,422

Animalia Aquatica.

Crocodilus 801,81
Monſtra Marina. 8022

CATALOGVS III. Imaginum B. V. miraculoſarum. *Indicatores.*

Inter indicatores numero tum ſanctos qui apparentes indicarunt locum, ubi Statuæ latebant tum alia quæque ratione carentia. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ ſunt indicatæ.

à B. V. 51,407,52,1077,34,395,663,5
Ab Angelis canentibus. 905,98,511, 537.
à voce cæleſti. 89
à duobus cæleſtibus. 181
à ſplendore. 144,886,877,813,905, 612,115,651,156,129,377,226, 180,181,467,514,390,419,1180
à ſeptem luminibus cæleſtibus. 488
à ſtella fulgente. 84,662
à muro rupto. 619,664,665
à ſomnio. 1107
à dæmone. 52

CATALOGVS IV. Imaginum B. V. miraculoſarum. *Acquiſitores.*

Per emptionem. 868,301,156,1066
Per prædam. 50
Per donationem. 75
Per hæreditatem 136
Per furtum. 111,1011
Per pignus. 868

INDEX II. Imaginum B. V. miraculoſarum. *Locus inventionis.*

Juvat quoque indagare locum quem Virgo quandoque dignata eſt inhabitare, etiamnum non exoſa ſtabulum, ut tandem & nos palatia faſtidiamus. Hunc indicem diſtinguam in tres Catalogos earum quæ inventæ ſunt.

1. ſupra terram.
2. in terra.
3. infra terram.

CATA-

CATALOGVS I.

Imaginum B. V. miraculoſarũ,

Inventio ſupra terram.

Ex quo filius ab arbore pependit, odiſſe mater arbores non poteſt, à quibus tot titulos habet. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ ſunt inventæ.

In campo. 901
In horto. 17,875,176
In nemore. 71
In ſilva. 47,53,858,1181,458,212, 215,226,680.
In ſpineto. 7,80,572,419
In Oliva. 34,857
In Oleaſtro. 822
In Quercu. 18,61,253,276,655,222 511,736,229,748,325.
In Pinu. 377,818
In Tilia. 108,1023,691,155
In Ficu. 5
In Ulmo. 653,297,28,82
In Cupreſſu. 813
In Corilo. 47
In Larice. 170
In Pito. 171
In Amigdala. 905
In Sambuco. 203
In Fago. 251
In Roſmarino. 645
In Junipero. 778
In Vite. 252
In Vepribus. 172,401,383,1010
In arboribus promiſcuis non nominatis. 514, 858, 28, 144, 268, 1096, 1031.

CATALOGVS II.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Inventio in terra.

Ad radicem montis. 572
In colle. 905
In rupe. 379,367,6,18,25,71,87
In Iugo montis. 662,537,4,84
In ſtipite ſepis. 979
Sub cruſta muri. 1155, 142
Inter rudera. 1017,413,841
In ſtabulo. 787,391
Inter ſpolia. 412
Inter quiſquilias. 129, 430, 117
Sub nive æſtiva. 420
Sub ſcalis. 364
in inſula ſtagni. 809
in inſula deſerta. 801.
in vallo. 20
in littore. 20
in agro. 901, 11,73,878,541
in campo. 3, 5, 83, 422
ſub tela arenearum. 108

CATALOGVS III.

Imaginum B. V. miraculoſarũ,

Inventio infra terram

Sub aqua. 34,5
in puteo. 350
inter piſces in reti. 863
in mari. 1, 157, 57
in flumine. 78
in rivulo. 34
ſub ceſpite. 52
in ſpecu. 6,4,51, 84, 103,622, 284,696,877
in carcere ſubterraneo. 54
ſub campana defoſſa. 395
ſub pila. 609
ſub ſilice. 651
inter radices ficus. 5
ſub terra. 856,1077,20, 239,167, 290, 62, 1102, 206

INDEX III.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Inventionis modus.

Quæ mundum ſine modo peccantem, ſine modo diligit etiam in modo inveniendi imagines ſuas myſteria quandoque abſcondit. Hunc indicem diſtinguam in duos Catalogos.

1. De modo naturali.
2. De modo ſupernaturali.

CATALOGVS I.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Inventio naturalis.

Ludit in orbe terrarum cum filijs hominum Deus, miratúrque infantiam nonnullorum, qui caſui & fortunæ adſcribunt, quod ipſe æterni deſtinatione conſilij diſpoſuit. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum, quæ inventæ ſunt.

Inter ambulandum. 34
in foſſione terræ. 3,11,10,318
in bello. 9
Pio furto. 44
in itinere. 47
ſecando arbores. 61
paſcendo pecora. 13, 85
arando. 73
venando feras. 205

CATALOGVS II.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Inventio ſupernaturalis.

Latere non poteſt, quæ in ſplendoribus Sanctorum ab æterno ordinata eſt. Tecta olim tenebris trihorio integro unà cum filio nunc lucẽ ambit, quia bona nobis ſunt opera eius. Tenebras odit, quia filium genuit, qui eſt lux mundi. Hunc Catalogum, diſtinguã in ſeries earum, quæ ſunt inventæ.

Per apparitionem. 34
per juſſionem. 47, 50, 51, 52
per revelationem. 37, 50, 53, 52, 51
per ſplendorem. 3, 4, 17, 51, 78, 84, 98
per concentum cæleſtem. 17
per clamores & eiulatus. 47
per odores cæleſtes. 3, 17
per columbas. 71

INDEX IV.

Imaginum B. V, miraculoſarũ,

Tempus inventionis.

Ab initio & ante ſæcula creata eſt & uſque ad futurum ſæculum non deſinet Virgo Deipara. Omnium horarum eſt, & ad adjuvandum nos ſemper feſtinat. Hunc indicem diſtinguam in duos Catalogos.

1. Ante Chriſtum.
2. Poſt Chriſtum.

CATALOGVS I.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Inventio ante Chriſtum.

Figuras Virginis in ſcriptura propoſitas, non appello imagines, ſed eas hic congero, quæ vel ſculptæ, vel pictæ ante Chriſtum ſunt. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum, quæ inventæ ſunt.

à Sanctis, 9
ab Etnicis. 10

CATALOGVS II.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Inventio poſt Chriſtum.

Huc pertinent illæ B. V. imagines miraculoſæ, quæ poſt Chriſtum ſculptæ aut pictæ ſunt. Conſtabit ſingulis ſæculis Deiparam nobis fuiſſe beneficam. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum, quæ inventæ ſunt aut cæperunt florere.

1. ſæculo. 1
2. ſæculo. 9
3. ſæculo. 27
4. ſæculo. 29, 447
5. ſeculo. 30
6. ſæculo. 482
7. ſæculo. 511
8. ſæculo. 515
9. ſæculo. 9
10. ſæculo. 388
11. ſæculo. 22
12. ſæculo. 70
13. ſæculo, 199
14. ſæculo. 11, 34
15. ſæculo. 58, 79
16. ſæculo. 59
17. ſæculo. 304, 335

CAPVT II.

Imaginũ B. V. miraculoſarum.

Materia.

Non ex quovis ligno olim fiebat Mercurius vetante ſuperbia. Maria inſuper habet, quo ex ligno quave ex materia ejus Imago fiat. Dummodo recta ſit artificis intentio, ut ex ordine progrediamur hoc caput diſtinguam in duos indices.

1. de materia pretioſa.
2. de materia vili.

INDEX I.
ImaginũB.V.miraculoſarum.
Materia pretioſa.

Non ſic vilem ambit materiam Deipara ut reſpuat pretioſam. Hunc indicem diſtinguam in Catalogos duos.

1. de metallis.
2. de lapidibus.

CATALOGVS I.
ImaginũB.V.miraculoſarum.
Ex Metallis.

Signa Deorum ut plurimum fuere ærea, quandoque etiam argentea imo nonnunquam & aurea. Auream integram Imaginem Virginis miraculoſam adhuc habeo nullam. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ ſunt.

Ex auro.	397,379
Ex argento.	241
Ex ferro.	573,860
Ex plumbo.	844
Ex ære.	522,1027,1069
Ex metallo incognito.	73

CATALOGVS II.
ImaginũB.V.miraculoſarum.
Ex lapidibus.

Gemma cæleſtis pluviæ gutta eſt, & cælo debetur. Hæc materia præ cæteris Imaginem B. V. decet. Gemmeum mihi tibique optarem cor ſi hoc ſigillo ſignaretur. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ factæ ſunt.

Ex gemma.	156,694
Ex jaſpide vario.	7,171
Ex marmore.	11,45,84,413,348,781,843,1102.
Ex alabaſtro.	68,81,388,521,822,81,192,290.

INDEX II.
ImaginũB.V.miraculoſarum.
Materia vilis.

Potior tamen Virgini eſt materia vilis quia humilitati vicinior. Hanc diſcere nos vult quam ipſa ſic docet, honoratque virtutem. Hunc indicem diſtinguam in Catalogos duos.

1. de materia naturali.
2. de materia artificiata.

CATALOGVS I.
ImaginumB.V.miraculoſarũ.
Materia naturalis.

Quandoque præ arte natura placet ut Atheus diſcat caſu non fieri, quod tam provida deſtinatione divinitatis fit. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ factæ ſunt.

è rupe.	6
è ſaxo.	7,6,2463,1012,948
è ligno.	846,719,345
è ligno nigro.	420
è cedro.	410
è ligno incognito.	379,1028
è materia incognita.	698,134,215,181,375,511.
ex ebore.	853,751
ex oſſe.	751
è gypſo.	17,280,306,1004
ex argilla.	350,446,19,714

CATALOGVS II.
Imaginum B.V.miraculoſarũ.
Materia artificiata.

Quandoq; placet ars quæ naturam imitatur etiamſi non æquet, hæc varias materias confundit. Hunc Catalogũ diſtinguam in ſeries earum quæ factæ ſunt.

in charta.	78
in vitro.	434
in tela.	272,27
in muro.	39,76,79,85,86,309,334,532,793,131.

CAPVT III.
Imaginum B.V. miraculoſarũ.
Forma.

Explicatâ materia reſtat ejus forma quæ inter omnes unica formoſa eſt. Prô quam diverſam diverſæ nationes formam dant imaginibus B. Virginis, ut ex ordine progrediamur hoc caput diſtinguam in Indices ſex.

1. de artificio.
2. de artifice.
3. de geſtu.
4. de honore.
5. de oppugnatione.
6. de victoria.

INDEX I.
Imaginum B. V. miraculoſarũ.
Artificium.

Hoc triplex eſt. Pictura. ſculptura. Plaſtica. nullam harum artium Virgo ſpernit, nullam non ſpernit, quia caræ ſunt Virginis Statuæ & Imagines, à peritis mundi artificibus multum æſtimatæ. Hunc indicem diſtinguam in Catalogos tres.

1. de pictura.
2. de ſculptura.
3. de plaſtica.

CATALOGVS I.
Imaginum B. V. miraculoſarũ.
Pictura.

Cum D. Petri umbra (primi operis pictura) tanta fuerit virtutis, ut ægrorum conſolidaret oſſa & plantas, quid de ſtatuis cogitem è ligno lapide, metallo factis, & ſtatuis MARIÆ? Incipiam à pictura. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ ſunt.

Pictura nova.	57
Pictura antiqua.	33
Operis Moſaici.	93
Operis Typographici.	78
Operis vulgaris.	76
Primum artificis opus.	28

CATALOGVS II.
Imaginum B. V. miraculoſarũ.
Sculptura.

Solidior effectus credi mundus potuit, cum picturæ ſuppeditavit ſculpturam, velut è plano in ſolidum migraſſet. Hanc quoque artem Maria non dedignatur. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ ſunt.

Operis relevati.	446
Operis parvi.	3,11,18,19
Operis grandis.	23,25
Juſtæ ſtaturæ.	6,70,81
Mediocris ſtaturæ.	102,172
Operis ſigillarij.	19,82

CATALOGVS III.
Imaginum B. V. miraculoſarũ.
Plaſtica.

Ita eſt. Compendia rerum poſtrema ſunt: ſic quod pictura ſolicitis penicilli ductibus, ſculptores laborioſis percuſſionibus, vix tandem cum faſtidio elaborant Plaſtici & fuſores una liquefacti metalli fuſione feliciter perficiunt. Et hos quoque ſordidæ artis operarios non dedignatur Virgo hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ fuſæ ſunt.

ex auro.	397,379
ex argento.	241
ex plumbo.	844
ex ære.	522,1027,1069
ex metallo incognito.	73

INDEX II.
Imaginum B. V. miraculoſarũ.
Artifex.

Et artifex quoque quivis bonus erit faciendis MARIÆ imaginibus cui bona non defuerit voluntas. Hunc indicem diſtinguam in Catalogos tres.

1. de perito artifice.
2. de imperito artifice.
3. de renovatore.

CATALOGVS I.
Imaginum B.V. miraculoſarũ.
Artifex peritus.

Peritiam ab artifice Maria non exigit ut Alexander. Recto qui corde manum ducit & lineas format rectæ

menti

menti paralelas, bene operatur, cæterum peritos artifices ſi ex arte operentur & mente bona charos Virgini eſſe nemo ambigit. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum, quæ factæ ſunt.

à Chriſto ipſo. 27
ab ipſa B. Virgine. 54,285,236
ab Angelis. 31,874
à S. Lucâ. 1,2,36,48,97,94,29,410
à natura. 7,82
à S. Materno. 875

CATALOGVS II.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Artifex imperitus.

Accipe & imperitorum artificum ſpecimen ſed breve ne faſtidias, animant ipſi cælites imperitos artifices, hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quas fecerunt.

Cives imperiti. 28
Ruſtici imperiti. 31

CATALOGVS III.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Renovatores.

Veterem & attritam Imaginum formam delere & novam inducere, opus artificum eſt, quandoque hanc honorem admittunt quandoque reſpuit Virgo. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ.

Calcem reſpuunt. 287
Colores novos reſpuunt. 205,1017,209,545,226,72.
depingi reſpuunt. 609
inaurari reſpuunt. 558.979
renovantur cæleſti luce. 837
renovantur per ſe. 394,132.111
renovantur imperante B. V. 725
renovantur præmiante B. V. 133

INDEX III.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Geſtus.

Hic ſapientia eſt. Et Beatus qui intelligit quo quandoque ſitu geſtuve à IESU & MARIA aſpiciatur. Hunc indicem diſtinguam in quatuor Catalogos.

1. de geſtu Chriſti.
2. de geſtu MARIÆ.
3. de geſtu utriuſque.
4. de myſterijs.

CATALOGVS I.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Geſtus Chriſti.

Hic varius pingitur, & plerumque vel infans vel mortuus ipſomet dirigente penicillum ne peccatoribus timorem incutiat virilis præſentiæ majeſtate verè mitis & humilis corde. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ repreſentant IESUM.

Jacentem. 11,28,32,41,45,26
Stantem. 47
Sedentem. 22
In brachio matris. 5,80,90,91
Amplectentem matrem. 95
Coronatum. 98
Cum corona in manu. 86
Veſtitum. 98,100
Nudum. 14,73
Cum cingulo. 1
Sine cingulo. 47,78
In faſcijs. 82
Benedicentem. 1,10,19,37,39
Cum libro. 2,46,48
Cum roſis. 8
Cum palma. 57

Cum mundi globo. 1,10,18,21,94
In cruce. 86
Mortuum. 84

CATALOGVS II.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Geſtus Mariæ.

Hic qualiſcunque ſit ſemper gratia plenus eſt, quia & fructum ventris ſui nobis etiam in hoc exilio inter brachia oſtendit, & eum ſi fortè peccatis noſtris iraſcitur, poteſtate plus quam maternâ (nam & paterna pollet) compeſcit volentem, cum enim rogat imperat. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ Mariam repreſentant.

Stantem. 1,21,25,26
Stantem in aëre ſine fulcro. 171
Intra cancellos. 15
Intra Angelos. 92
In nubibus. 92
In ſaxo. 76
Flentem. 86
Supra lunam. 88
Supra Draconem. 88
Sedentem in nubibus. 90
Sedentem in throno. 91
Sine filio. 27
Erectis manibus. 81
Coronatam. 98
Adorantem. 28
Sedentem. 10,17,36
Cum ſagittis. 83
Cum cruce in manibus. 3
Cum pomo. 37

CATALOGVS III.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Geſtus utriuſque.

Potius Mariam ſine Maria pinge quam ſine JESU, non valde multas Imagines miraculoſas reperies quæ Mariam habeant ſine filio. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum in quibus.

Mater lactat Filium. 81
Mater adorat Filium. 79,80
Mater amplectitur Filium. 59
Filius oſculatur matrem. 90
Mater habet filium in pectore. 17
Mater habet filium ante pectus. 28,29.
Mater habet filium in ſinu. 19,31
Mater habet filium in gremio. 9.10
Mater habet filium in genibus. 11,39.
Mater habet filium in brachio. 31

CATALOGVS IV.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Myſteria.

Si hoc in libro poſuiſſem Imagines æri inciſas potuiſſem dare omnem vitam Beatæ Virginis quam apud omnes omninò orbis nationes paſſim Imagines miraculoſæ proponunt & ſi Deus vitam dederit dabo ſeries earum quæ repreſentant.

Adorationem Magorum. 19
Adorationem JESULI in cunis. 28
JESUM mortuum in genibus. 66.69

INDEX IV.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Honor.

Quam cælites tantis auxere honoribus terra ſine honoribus nec pingere nec fingere auſa eſt. Hinc quem ferramenta ſculptorum & pictorum penicilli dederint Virgini honorem videamus. Hunc indicem diſtinguam in duos Catalogos.

1. de honore terreno.
2. de honore cæleſti.

CATALOGVS I.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Honor terrenus.

Hic honor in arbitrio pictorum & ſculptorum eſt, quia tamen Virgini placet, nobis diſplicere non debet. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ B. V. repreſentant.

Cum corona. 1,13
Cum corona imperiali. 8.52
Cum corona regia. 10,15,23
Cum pileo ducali. 21
Cum ſceptro. 25,57,78
Cum ſceptro liliato. 21
Cum pomo aureo. 56
Cum torque aureo. 36
Calcantem arma. 82

CATALOGVS II.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Honor cæleſtis.

Quidam altius volant & Virginem pingunt prout in cælis honoratur. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum, quæ B. V. pingunt.

Inter Angelos. 91
Inter Sanctos. 86
Coronaram ab Angelis. 92
Cinctam nubibus. 76
Cum luna erecta. 96
Cinctam radijs. 82
Cum columba ſupra caput. 80
Confringentem ſagittas. 83

INDEX V.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Oppugnatio.

Sibi crediderunt infligi Imperatores vulnera, quibus ſtatuæ ipſorum ſauciabantur. Quid ni & MARIA? Virginis amicus non es, qui hæc legis, ſi non compatiaris. Hunc indicem diſtinguam in quinque Catalogos.

1. De armis.
2. De vulneratoribus.
3. De malè tractatis.
4. De partibus vulneratis.
5. De vulnerum ſenſu.

CATALOGVS I.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Arma.

Quibus armis ſævitum ab impijs ſit in imagines B. V. miraculoſas accipe. Ita nempe in Superos pugnatur, & quandoque vindicta extorquetur repugnantibus. Atque hæc impiorum victoria eſt, quam de ſuperis referunt. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum, quæ ſauciatæ ſunt.

Bombarda. 83, 327
Igne. 33, 65
Acinace. 48
Haſtâ 19
Macherâ 86
Gladio. 359
Pugione. 85, 86, 756, 767, 312
Cultro. 352
Decempeda. 108
Sagitta. 559, 48, 1066
Lapide. 814, 278, 359
Stimulo boum. 794
Iaculo. 600
Manu. 336
Malleo. 573
Saxo. 124, 756
Pugno. 336
Teſſeris. 408
Silice. 747
Serrâ. 1032
Lanceâ. 710

CATALOGVS II.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Vulneratores.

Nec obeſt ſcire à quibus Deiparæ ſtatuæ ſint vulneratæ, quanquam unius hominis flagitium ſuæ conditionis ſtatúſque homines infamare nequeat. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum, quæ vulnus accepêre

à Luſoribus. 767, 336, 124, 744, 756, 654.
à Turcis. 796
a Mendicis. 1103
àb aurigis. 794
à Mauris. 409
à Mulieribus. 707
à Iudæis. 1003, 251, 312
ab Hæreticis. 169, 108, 832
à perjuris. 1072

CATALOGVS III.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Malè tractata.

Sunt & alij impijs modi, quibus B. V. imagines tractarunt nempe impietas minor majorem docet. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum, quæ ſunt.

Blaſphemijs affectæ. 721
In foſſam abjectæ. 454
Contritæ. 725, 227, 567
Calcatæ. 599
In puteos abjectæ. 359, 590. 113
In flumina abjectæ. 1103, 304 404, 304, 409.
In ignem abjectæ. 70, 74, 98, 1013, 1009, 1017, 549, 46.
Fruſtillatim in mare abjectæ. 409, 486.
Diffractæ. 1003
Neglectæ. 904, 207, 395
Excavatæ in uſus matulæ. 567
Abjectæ in ſilvis. 849
Derelictæ. 848
In ſpinas abjectæ. 172
In ſordes abjectæ. 395

CATALOGVS IV.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Partes vulneratæ.

Ergóne & ligna ſentiunt & lapides, & ſolus qui vulnerat peccator, ſine ſenſu lapideſcat? illámque quæ oculus eſt cæco; & pes claudo non offenſos offendat! Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum, quæ vulnus accepêre

In oculis. 86, 125, 352, 794
In genis. 48, 236
In tota facie. 19
In pectore. 86
In collo. 531

CATALOGVS V.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Vulnerum ſenſus.

Viciſti Iuliane, viciſti, quo enim te alio nomine compellem, neſcio, quiſquis ita in ligna ſævis & lapides. Viciſti, inquam, quia non jam è pumice aquam eliciuſti, ſed è robore & ſaxo ſanguinem extraxiſti inferni ſanguiſuga. Vivere credas & ſentire imagines B. V. vel certè illam in iſtis. Cùm ululatus, gemitus, fletus audis, ne mireris, etenim quando hi, qui debent loqui, tacent, loquuntur lapides, qui non poſſunt Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum, quæ ſic vulneratæ ſunt, ut

Sanguinem darent. 19, 85, 86, 327, 216, 336, 124, 744, 756, 1189, 1048, 1050, 559, 1089, 546, 19, 539, 1003: 767, 278, 359.
ut frangerentur. 19, 48, 65
ut flerent. 76. 80, 696, 793, 1313 1064, 803, 1015, 1019, 992, 726, 334, 36, 507, 298, 29.
ut ſudarent. 471, 761, 992, 1180, 272
ut palleſcerent. 408, 654
ut veſtes diſcerperent. 814
ut ejularent. 251, 19. . 0
ut mutarent geſtum. 86
ut Cicatrices manerent. 124
ut lachrimarentur ſanguinem. 485, 716, 1019.

INDEX VI.

Imaginum B.M. miraculoſarũ.

Victoria.

Semper illa audit tantum & nunquam reponat? Injuria præſertim repetita, tam gravis quandoque eſt, ut vel ipſi patientiæ vindictam extorqueat. Hunc indicem diſtinguam in Catalogos

1. De vindicta,
2. De modo pugnandi.
3. De defenſoribus.
4. Hoſtes victi.

CATALOGVS I.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Vindicta.

Credebatur Dæmon filium Virginis in ligno viciſſe, cum tamen illè nemine advertente in ligno vinceretur. Vincere MARIAM in imagine toties exiſtima quoties eam hoſtis à ſe victam putat. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ vindicarunt ſe de hoſtibus.

Miraculosè

Cæcitate. 2, 215, 323, 48
Torpore brachiôrum. 91, 103, 489
Inſania. 65
Immobilitate. 19, 725, 359
Peſte. 48
Morte repentina. 65, 749, 796, 48
Terrore. 52
Incendio. 156, 1096
Afflictione in terram. 1003
Averſione vultus perpetua. 370
Terrore mortis. 155, 125
Morte pecudum. 1076

Per violatores ipſos.

Suſpendio. 221
Læſione propria. 325

A judice.

Suſpendio. 654,216
Carcere. 65
Fuſtuario. 211

A terra.

Lapideſcendo. 710
Abſorbendo. 409,278

A feris.

Lupis cedendo in cibum. 592

A cælo.

Fulmine. 1048,573
Grandine. 249

Ab avibus.

Corvis cedendo in cibum. 24

Ab aquis.

Submerſione ſpontanea. 724

A dæmonibus.

Rapti repente in infernum. 751,58

CATALOGVS II.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Pugnandi modus.

Paribus armis Virgo utitur quamtumvis vincere poſſit ſine armis ſi velit. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ.

Clauſerunt hoſti portam. 36
Saltarunt è flammis. 33,65
Stiterunt naves. 44
Innatarunt aquis. 78
Retorſerunt tela. 37
Moverunt manus. 480
Defenderunt ſacros theſauros. 37
Proceſſerunt in hoſtes. 561
Diſcerpſerunt donaria. 1189
Verterunt dorſum. 751
Mutando vultum. 539,546,171,1019, 314,132,308,312,725.
Movendo oculos. 1063
Mutando digito. 62,136
Fugiendo. 549,181,227,839
Steterunt immobiles. 172,719,130, 151,47,635,50

CATALOGVS III.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Defenſores.

Habent & Imagines B V. defenſores ſuos, quos illa ſibi elegit, ut & ipſi ab ea defendantur. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ defenſæ ſunt.

Ab Angelis.

Fugando ignem. 875
Reintegrando fractas. 1003

Ab hominibus.

Loricam formando. 140
Ab aquis extrahendo. 144
Exportando ex incendio. 781,102, 103,279.
In aquas proijciendo. 863
Sepeliendo. 874,1176
Transferendo. 272

A terra.

Motu proprio. 1004

CATALOGVS IV.

Imaginum B.V. miraculoſarũ.

Hoſtes victi.

Non refert quot eam hoſtes impugnent, populus ei pro uno eſt, nec novum illi eſt fundere acies hoſtium integras, quæ terribilis eſt ut caſtrorum acies ordinata, verè audax eſt qui cum ea congredi audet. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum per quas vicit.

Impios. 13
Hoſtes. 37
Hæreticos. 20,33,46,48,57
Iconoclaſtas. 33
Fures. 51
Ethnicos. 9
Judæos. 19
Turcas. 1,65,97
Machometanos. 9,50
Scytas. 29
Barbaros. 1236
Tartaros. 46
Mauros. 5153
Saracenos. 9,54
Dæmones. 13,15,42

CAPVT IV.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Cultus.

Certius eſt Imagines Virginis cultu dignas eſſe quam ut ſuperflua diſceptatione hoc loco hæreticorum diſceptationes ſint refutandæ. Coli illas debere ſentiunt ſuperi, inferi, medioxumi, ijs omne genu cæleſtium, terreſtrium & infernorum flectitur. Ut ex ordine progrediamur hoc caput diſtinguam in indices ſeptem.

1. Cultus è cælo primo.
2. Cultus è cælo ſecundo.
3. Cultus è cælo tertio.
4. Cultus ab aqua.
5. Cultus à terra.
6. Cultus ab inferis.
7. Cultus in feſtis.

INDEX I.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Cultus à cælo primo.

Cælum primum voco quidquid terram inter & lunam eſt, id eſt tres regiones aëris, colunt hæ Reginam ſuam ut poſſunt. Hunc indicem diſtinguam in Catalogos duos.

1. Cultus amœnus.
2. Cultus ſeverus.

CATALOGVS I.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Cultus amœnus.

Ridere cœlum docuit & flere, rerum Magiſter Deus. Et vero uti cauſam habet cur rutilet quandoque triſte cælum, cur tenebris ſe operiat, ita non minores cauſas habet, cum reducto nubium ſipario iterum ſereno vultu nobis arrideat, videt nempe, quæ facimus, atque etiam per amica ſilentia noctis non deeſt teſtis in cælo fidelis luna. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quas cælum honoravit.

Serenitate. 91
Pluvijs utilibus. 3,8
Odoribus miraculoſis. 17
Concentu muſico. 17
Sono æris Campani. 66
Columba devolante. 91
Siſtendo tempeſtatem. 51
Siſtendo grandinem. 12
Siſtendo peſtem. 2,12,34,44

CATALOGVS II.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Cultus ſeverus.

Cum verò riſus ſerenitatis temperatur lachrimis, cumque rutilat triſte cælum, in rugitus paulò pòſt & lachrimas ſolvendum, tum enimvero timendum eſt, & dolendum quandò cælum in Virginis ſeverum cultum proſilit. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quas honoravit cælum.

Frigore. 20
Ventis. 44,89
Tempeſtatibus. 36,89
Pluvia picea. 36
Fulminibus defendentibus. 125
Fulminibus vindicantibus. 173
Fulminibus reverentibus. 960,1066
Fulminibus convertentibus. 124

INDEX II.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Cultus à cælo ſecundo.

Nomine cæli ſecundi comprehendo, quidquid lunam inter & cælum Empyreum continetur. Virgini omnes ſtellarum populi famulantur. Hunc indicem diſtinguam in Catalogos duos.

1. Cultus à ſtellis.
2. Cultus à luminibus.

CATALOGVS I.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Cultus à ſtellis.

Serviunt tibi O cælorum Regina duodecim ſtellæ velut Zodiaci legati pro corona ſol Planetarum Princeps in amictum accommodat ſeſe, Luna

cum

cum cæteris quinque pedibus tuis ſe ſubijcit & calcari geſtit. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quæ honorarunt ſtellæ.

Firmamenti. 1
Planetariæ. 488

CATALOGVS II.

Imaginum B. V. miraculoſarũ,

Cultus à luminibus.

Liceat jungere ſtellis lumina quandoque in aëre ad Gloriam Virginis apparentia etiamſi originem ſuam miraculoſam in aëre habeant. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quas honorarunt lumina cæleſtia.

Monſtrando. 156,111,115,514,180, 234,837.144,95,989.
Renovando. 837
Deferendo. 238
In forma proceſsionis. 325
Septem lumina. 488
Duo lumina. 181
Unum lumen. 258
Lumine perforante arborem. 666
Luminibus ambulantibus. 318
Lumine Sabbatino. 274

INDEX III.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Cultus à cælo tertio.

Empyreum cælum quod S. Paulo tertium eſt, altius quia eſt, etiam plus Virginem colit, facit ſuum officium ut dixi cœlum ſecundum ſeu ſtellatum, ſi enim planetæ Principes ſunt & ſigna Zodiaci reſpublicæ, habet omnium legatos in aula ſua Virgo, & Principum & rerum publicarum cæleſtium, hunc inquam honorem accipit Virgo à cælo ſecundo. Jam cultum quem accipit à cælo Empyreo dicam. Hunc indicem diſtinguam in Catalogos tres.

1. Cultus à Chriſto.
2. Cultus à B. V.
3. A SS. cælitibus.

CATALOGVS I.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Cultus à Chriſto.

Honorat filius Matrem in imaginibus ſuis, ut quarti præcepti obſervantiam ingerat ingratis. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quas Chriſtus Jeſus filius Mariæ honoravit.

Dedicando templum. 24
Defendendo Statuam. 324

CATALOGVS II.

Imaginum B. V. miraculoſarũ.

Cultus à B. Virgine.

Ut ſibi placere oſtendat cultum Imaginum ſuarum, ipſa exemplo ſuo nos provocat. Felices qui tanto exemplo moti faciunt quod ipſa docet, & alios docent quod ipſi faciunt. Hunc Catalogum diſtinguam in ſeries earum quas ipſa honorare Statuas dignata eſt.

Iubendo quæri.

Infra terram. 52
Infra aquas. 34
In mari. 37
In ſpecubus. 53

Promittendo.

Fontes. 35
Libertatem. 285
Victorias. 223

Nec conſilium hoc latuit alios, quibus terrarum aliqua commiſſa portio. Hinc pugna, ſed amica. Nulla è quatuor orbis partibus deſtituebatur argumentis, quibus Litigatio ſibi quæque Depoſitum hoc credi vellet, crederetque deberi. Ceſſere tandem omnes ob Fidei conſtantiam Europæ. Sed inter ipſos Europæ Angelos lis priore major. Gallus primogenitum regnum Ec- Gallia. cleſiæ obtendit. Hiſpanus, ſemper Hiſpania; Catholicus, non jam ſperavit, ſed ſibi credidit deberi: nam nec ignoto Virgini, nec ineloquente patronorem agebat, Iacobo Apoſtolo, & quidem Majore, qui jam olim vivæ adhuc Virgini ſtatuam Cæſaraugustæ poſuerat, hodieque & Virgini acceptam, & Iberiæ toti glorioſam. Imperium Romanum opes objecit Germaniæ & Princi- Germania. pum honores, ijs ab antiquo præ-

ter aliarum gentium morem conceſſos, qui cum Epiſcopi munere ſacris præſint. Pietatem quoque non ſiluit, quâ Virginem univerſa Germania proſequitur. Italia, quia ſummi Capitis Sedes eſt, obtinuir. Itaque Angelorum manibus à fundamentis avulſa (ita Angelis ſuis, O ſacra Domus! mandavit de te Deus, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, ut non offendatur vel unus lapis) nocte non ampliùs unâ per duo ferme milliariorum millia, per mare, per terras, per inhoſpitas regiones ſiſtitur in Croatia, Dalmatiæ Provincia, anno 1291. ſeptimâ die Maij, Terſactum inter & Flumen ad Mare Adriaticum.

Italia.

Navis.

Ecce navem! quæ & Argonautarum felicitatem, & quorumcunque inſtitorum gazas ſuperat: nam & Vellus vehit Gedeonis, aureo illo opulentius; & Inſtitoris eſt de longè portantis Panem Angelorum & Cibum Viatorum. Perijt *(Act. 27.)* navis, ut ſervarentur homines. Perire voluit *(Ionæ 3.)* homo, ut ſervaretur navis: hæc navis ſervatur, ut homines non pereant, longè illâ rate Noëticâ felicior, quæ non tam hominibus, quàm pecudibus ſervandis fabricata videri potuit. Nec malo caret, nec velis: nam pro malo Crucem habet, è vitæ, non ſcientiæ ligno, &, quod tegit omnia, pallium MATRIS FAMILIAS, pro mille velis eſt. Remis non indiget, quia volat: plus dico, nec vento pulſa eſt, quo aliæ naves ſolent; nam factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam advenientis Spiritûs vehementis, & replevit totam Domum Spiritus ille, qui more ſuo fertur ſuper aquas, ſemper publico ut bene ſit. Sed nec anchoram habuit aliam, quàm ipſam domûs Dominam, quæ omnis ſpei, ſalutiſque anchora eſt. Prima, ni fallor, navis, quæ ex lapide cùm ſit, nec jactetur, nec mergatur; &, ut navem eſſe ſciremus, à littore Nazarethavo ſolvens, appulſa eſt ad littus Terſactenſe, nunquam mari inimica, nunquam à mari nimis remota. Hæc claſſis Eccleſiæ eſt, cui uti duo gladij ſufficiunt pro acie, ita & duæ naves pro claſſe, Petri de Bethſaida, & MARIÆ de Nazaretho. Hæc Matrem, illa Filium vehit; utraque in altum ducitur; utraque piſcatores hominum habet: hæc Angelos; illa Angelis ſimiles Apoſtolos; utraque retis jactum facit ad dexteram, & piſcium capturam, quæ omnium admirationem provocare poſſit, hoc ſolo diſcrimine, quòd illa piſces, magnos quidem, ſed tantùm centum quinquaginta tres; hæc Cete grandia, & innumerabilia retibus ſuis cõcludat; illa vivos capiat, ut occidat; hæc mortuos, ut ijs vitam, quam perdidêre, reddat.

Portus.

Non poterat hæc Domus unquam ſtationem mari non vicinam eligere, quia navis eſt; quatuor omnino elegit, omnes ad mare, & quidem Adriaticum, poſthabito mari Mediterraneo, & ipſo etiam Oceano. Erat tunc Terſacti Comes Nicolaus Frangipani: is, miſſis Nazarethum ſpeculatoribus, tam Domûs, quàm veri-

rita-

ritatis fundamenta ſcrutaturis, meritus eſt haberi primus in EuropaS. Domûs Mæcenas, & commodè tunc honoribus auctus eſt; nam à Rudolpho Habſpurgico duodecim Imperatorum progenitore, & tunc jam cum Imperatoria poteſtate rerum Domino, Dalmatiæ prætor eſt datus. Dederat Rudolphus nuper Virginis Filio equum, pro quo Virgo Domum, Virginis Filius (ut ſperamus) Imperium ſine fine dedit, juſſitque Auſtriā poſthac eſſe pro nido Aquilæ; & jam tribus ſæculis cum dimidio fuit, cuiuſvis anni moram ſæculo Imperij remuneratus; nam ſexto menſe poſt exactum Terſacti triennium, jam circumjacentibus terris propter importatam loco ſanctitatem celeberrima, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto, decimâ die Decembris infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. V. migravit (à nullo, quòd ſciam, malo hoſpite expulſa) è Dalmatia in Italiæ ſilvam (Recinetenſis ditionis) aſperam ſanè & inhoſpitam, quantumvis Domina loci nomen haberet à Laureto. Vidiſſes hîc lilium inter ſpinas, & cedrum Libani loquentem cum Rhamno Italiæ; imò Paradiſum, in quo non jam Angelus malus cum Virgine non meliore, ſed bonus cum optima, non de orbis interitu, ſed reſtitutione ſermones miſceret. Vtrobique Adam & Eva PRIMI hominum, utrobique DEVS & Angelus, utrobique Spiritus Domini ferebatur, ſed prô! ritu omnia quàm diverſo! Stetiſſet loco eodem, puto,

Auſtriacus.

Conſilium.

diutiùs, & ſtaret adhuc; niſi Gabriel deprehendiſſet, ſtationem ſe Nazarethanā pejorem elegiſſe; ibi namque trucidabantur Chriſtiani à Turcis; hîc Chriſtianus ſanguis tetigit ſanguinem Chriſtianum; & latrocinia facta ſunt Mahometanis funeſtiora. Indignatus itaque Angelus, peregrinos reperire mortem, ubi vitam quærebant, damnato conſilio priore, è ſilva in collem apertum tranſitionem fecit. Sed ut in ſilva non erat hoſpes ab hoſpite tutus; ita hoc in colle fratrum quoque gratia (rara aliàs) nunc omnino nulla fuit; Iámque nocens ferrum, ferróque nocentius aurum penè tempora Caini reduxerant; quærebant enim inter ſe fratres, loci Domini, antiquum illud. *In Templo quid facit Aurum?* cùm Gabriel, faſtidito etiam colle, cui vel Olympus invidere poterat, iterum Depoſitum abſtulit, & in publica via depoſuit; ut omnibus ſufficeret theſaurus, qui duobus non poterat. Hic hodieque ſtat; miraculis quàm lapidibus nobilior; ita Deus necdum hoſpitium ſuum deſeruit.

Latrones.

Divitiæ.

Architectura.

SAcelli ſæpius & jam olim à pluribus eſt in chartā projecta, & typis edita; Tres antiquas diverſas penes me habeo: Vltimam, quæ facta eſt anno 1625. quæque per omnem Germaniam circumfertur, & ſecundùm quam omnes ferè Capellæ Lauretanæ figurantur, optimam iudico, cuius auctor eſt R. P. Chriſtophorus Bachamer Soc. IESV, Bavarus, Provinciæ

Architectus.

 ſupe-

ſuperioris Germaniæ, qui duabus omnino vicibus per plures annos Pœnitentiarij Apoſtolici officio cum laude functus eſt Laureti. Is ipſus eſt, qui perdius & pernox S. Ædis incola & curioſus peritúſque ſcrutator, plurimas noctes inſomnes duxit, & hanc Ichnographiam confecit totius Chriſtianitatis bono, præſertim Germanorum ingenti emolumento, quós ſciuit, quàm plurimas ejuſmodi Lauretanas ædes excitaturos; Ut Virginis Annunciatæ honor & pietas per omnem longè latéque patriam excitetur.

Hic, inquam, Auctor eſt & origo plurium templorum Lauretanorum, vt vocamus, quotquot per omnem Germaniam, & alias nationes vltra montanas extructa ſunt, omnia ſemper & ſine omni dubio beneficijs Deiparæ grandibus inſignia: Siquidem oblationes factæ ad honorem Deiparæ piè in eodem loco impendantur. Noui dictum Patrem, & cum eo Anno 1632. Laureti multa contuli; is pro ſua modeſtia maluit nomen ſuum eſſe ſcriptum in Cœlo, quàm in Charta: quæ ideo, nullo nomine adſcripto, edita eſt.

Pietas.

Huius ego nomen, ne injurius ſim, nunc lectori ſcriptum Conſigno: vt mundus ſciat, quis tantorum bonorum ſit auctor & origo. Hæc quia clarior quamprimùm innotuit, ſtatim architectorum manus fatigauit. Videbit lector longam ſeriem earum, quas adduco, Capellarum Lauretanarum, præter eas, quas ignoro; quarum vtique plures ſunt. Hinc diſcas in ijs, quæ ad Deiparæ cultum fiunt, non minùs curandum eſſe, quâ intentione, quàm quâ arte fiunt, ſiquidem fructum in terra velimus, quem Cælum præmiare debeat. Ex hac quædam delibo.

Lauretum.

S. Statua.

Tota ſimul, cum corona lignea, eſt alta palmos quatuor; lata circa pectus, vbi complectitur JESVLVM, palm. 1. vnc. 2. JESVLVS altus palm. 1. vnc. 8. facies B. V. longa vnc. 8. Corona B. V. lignea alta vnc. 4. Collum longum vnc. 4. humerus inter collum & brachium vnc. 4. Collum diſtat à cingulo vnc. 9. Cingulum latū vnc. 1½. Pedes JESVLI diſtant à planta B. V. palm. 1. vnc. 9. Corpus B. V. infra pedes IESVLI latum palm. 1. vnc. 1. Loculamentum exterius S. Statuæ diſtat à ſubjecta porta S. Camini palm. 5. vnc. 8. à muro ſeptenrrionali palm. 7. vnc. 6. à meridionali palm. 5. vnc. 6. eſt latum palm. 4. vnc 10. altum palm. 8. vnc. 10. latera vſque ad interius loculamentum lata palm. 1. vnc. 10. planities vſq; ad baſin interioris loculameti lata palm. 2. vnc. 4. Loculamentum minus, in quo eſt S. Statua, altum palm. 5. vnc. 5. profundum palm. 1. vnc. 2. latum palm. 1. vnc. 10. Baſis loculamenti interioris alta palm. 2. latera plana, quæ coronant hoc loculamentum, ſunt lata palm. 1. vnc. 5.

Caminus.

Caminus ſimul cum fornice altus palm. 6. vnc. 3. latus palm. 3.

vnc. 5.

vnc. 5. profundus introrſũ palm. 2. Focus camini altus vnc. 3. Columnæ, quibus nititur fornix camini, altæ palm. 5 vnc. 4. ½.

Sacra Scutella.

Foramen in Muro, in quo aſſervantur ſacræ ſcutellæ, ex quibus dicitur comediſſe Chriſtus, ſeu Repoſitorium hoc eſt altum palm. 3. vnc. 9. Profundum palm. 1. vnc. 10. Altare argenteum, quod claudit ſanctas ſcutellas, altum palm. 12. vnc. 6. latum palm. 5.

S. Capella.

INterius à muro occidentali vſq; ad orientalem longa palm. 12. vnc. 10. latitudo diuerſa eſt, juxta murum occidentalem palm. 18. vnc. 4. altitudo ſanctorum murorum vſque ad trabem ligneam, quæ terminat ſanctos muros, palm. 19. vnc. 4. Craſsities ſanctorum murorum inæqualis circiter palm. 2. vnc. 7. longitudo S. Capellæ exterior, id eſt, cum vtroq; muro orientali & occidentali pal. 43.

Theſaurus.

INgens eſt, ſola S. Statua, ſi in Coronis & veſtibus aurum & gemas ſpectemus, centum quinquaginta millia Ducatorum habet, & amplius: adſunt in ipſa S. Capella Regum & Principum ingentis pretij munera, quæ paſſim per ipſam S. Capellam videntur. Ille porrò Theſaurus, qui in Sacriſtia aſſervatur, & peregrinis monſtratur, fidem ſuperat. Gemmæ. Vident ibi peregrini Roſas ducentas adamantibus & rubinis graues, Coronas plures aureas & gemmatas, Catenas quoque magno numero, Margaritas, quas ob copiam arenã vocant: Eæ, quæ magnitudinis plus quàm ordinariæ ſunt, & rotundæ, plures ſunt duodecim millibus: quas inter nonnullæ ſunt ceraſi & amygdalæ magnitudine. Rubinorum, ſi nimis parvos excipias, adſunt quinque millia, aliquot etiam millia Saphirorum: Inter quos vnus ovi magnitudine. Atque hæc habui, quæ huc referenda exiſtimavi, de domo Sancta, vt hodie eſt.

Ita Petra ſancta. Helena anno trecenteſimo octogeſimo Domum ſanctam incluſit templo magnifico, & regiis ſumptibus ædificato, vt ait Nicephor. lib. 9. cap. 8. Acceſſit Domum ſanctam ſancta Paula, teſte S. Heronym. Circa annum 1100. Tancredus Princeps Normannorum, cùm adhuc Galilææ præeſſet, regijs donis auxit, vt ait Guilielmus Tyrius lib. 5. Jacobus de Vitriaco Cardinalis & Patriarcha Ieroſol. in deſcriptione Terræ ſanctæ memorat, ſe aliquoties feſto Annuntiationis die in ſancta Domo Miſſam celebrâſſe. Anno 1245. Miſſa. ſanctus Ludouicus Rex Galliæ, ubi in conſpectum vrbis Nazarethanæ, & templi venit, pedes vrbem venerationis gratiâ ingreſſus eſt: ipſo Annuntiatæ Virginis die ſolenni, tolerato pridie pane & aquâ jejunio, cilicio indutus, in Æde ſancta, Officio, ritu ſolenni cantato, interfuit, ibidémque ſacrâ Synaxi refectus eſt, ut tradit Clitovæus, apud Silvium Serraglium.

Cum Domo S. venêre ſtatua B. Virginis lignea, effigies Chriſti Crucifixus. Cruci affixi, in tabula lignea picta, operâ ſancti Lucæ, & vaſa teſtacea,

cea, quibus vſa B. V. creditur. Tectum aſſeribus ligneis, & cæruleo colore imbutis conſtabat, ſtellis inauratis diſtinctum: portam vnam habuit, cuius etiamnum veſtigia videntur, quam obſtruxit Julius II. lapidibus, quibus exemptis aperuit novas. Altare, quod nunc in medio ſtat, olim è regione portæ intrantibus obijciebatur cum tabula Crucifixi. Vide Turſellinum in hiſtor. Lauretana.

R. P. Franciſcus Quareſmius, Ordin. S. Franciſci l. 7. c. 3. elucid. terræ ſanctæ, Peregr. 3. fusè memorat, quam ob cauſam ſub annum 1268. & quomodo Nazarethum deveneritin Mahometanorum poteſtatem, deſtructo templo, quod Domui ſanctæ tegendæ & ornandæ, ſi non ipſa ſancta Helena, certè Chriſtiani antiquiores exſtruxerant, quódque in illud uſque tempus templum Annuntiationis vocatum eſt. Neque tacet cauſam, ob quam inrer templi rudera integra perſtiterit ſancta Domus. Vnde hallucinari ij videntur, qui putant, templum corruiſſe poſt abitum Domûs ſanctæ, cùm tamen ea poſt dirutum templum viginti tribus annis permanſerit Nazarethi; nempe in annum uſque 1291. quo anno, ut ſuprà dixi, nonâ die Maij in noſtras partes migravit. Atque rudera iſta legati Prætoris Dalmatiæ teſtati ſunt, ut ait Petraſancta f. 11.

Mahometus.

S. Domus.

Quòd poſt abitum Domûs ſanctæ, relictis fundamentis, ſit ſuperſtructum ſacellum aliud, labor Chriſtianorũ fuit, non ferentium, interire tantæ rei memoriã: quòd verò Capella Annuntiationis, quæ nunc viſitur Nazarethi, differat ab ea, quæ eſt Laureti, architectorum culpa eſt, quoniam (ut inquit R. P. Quareſmius) non adæquatè ſupra vetera fundamenta fuit ſuperædificata. Porrò ipſa vera fundamenta Domûs ſanctæ noſtro tempore à R. P. F. Thoma à Novaria ſummâ diligentiâ quæſita, & inventa eſſe, fusè memorat cap. 4. Qui anno *1620. 19.* Decemb. cùm Regimen locorum ſanctorum teneret, ſanctam Capellam iterum à Principe Sidonis obtinuit.

Fundamenta.

Quinto anno poſt diſceſſum Nazarethanum, id eſt, primo poſt adventum in Italiam, Vrbes nonnullæ agri Piceni ſuis ſumptibus ſedecim viros virtute & prudentiâ conſpicuos miſerunt in Iſtriam primùm, deinde in Soriam, exploraturos tanti miraculi veritatem, Vtrobique repererunt Ichnographiæ, quam ſecum tulerant, reſpondere fundamenta: imò tam Terſacti, quàm Nazarethi repererunt lapidem, velut Domûs ſanctæ epitaphium, qui abitum ſanctæ Domûs inopinatum poſteris prodebat. Neque Majorum à nobis negligentia hic accuſanda eſt: etenim ritu, quem jura poſcunt, hæc omnia tabulis ſunt commendata, ac in tabulario vrbis Recinetenſis quàm diligentiſſimè aſſervata uſque ad annum milleſimum trecenteſimum trigeſimum ſecundum, qui fuit vigeſimus octavus poſt adventum ſanctæ Domûs in Italiam. Quis enim ultra hunc annum poſcat à

Majores.

Re-

Recinetenſibus ſuperſtites chartas? quando nec vrbi ſtare licuit, vix poſt multos annos ab excidio, quod hoc anno paſſa eſt, reſtitutæ: quin & ij quoque, quos priori ſæculo Clemens VII. veritatem antiquam novis induſtrijs inveſtigaturos miſit, reduces demum omnia ad amuſſim à ſe reperta juramenta confirmârunt.

Legati.

Præterire non poſſum Illuſtriſſimæ vrbis Recinetenſis in B. V. M. velut civem ſuam prorſus ſingularem pietatem. Primi etenim fuêre Recinetenſes, qui de ſanctâ Domo ſoliciti, eam muro contra ruinam, quam minari videbatur, cinxerunt, qui templo inſigni ſuperſtructo ab injurijs cæli defenderunt, qui bonam terræ ſuæ partem, & aquas dederunt, qui particularibus decretis ſtatuerũt, ut & juventus à ludimagiſtris ante omnia inſtruatur ijs, quæ ad B. Virginis cultum ſpectant, & morituri, vel aliâs vltimam ſuam voluntatem teſtaturi, ſub pœna execrationis paternæ commendent hæredi conſtantiam in fide, & reverentiam erga Sedem Apoſtolicam, qui denique celeberrimam ſedecim virorum legationem Nazarethum tranſmiſerunt.

Cultus.

Primis annis poſt ſanctæ Domûs adventum tanta fuit Recinetenſium pietas, ut pauci incolarum eſſent, qui non quotidie Domum ſanctam accederent, tribus paſſuum millibus diſtantem: Indulgentijs pietatem remuneratus eſt Benedictus XII.

Proceſſio.

Omnia ſuperat ſplendidiſſima vrbis ſupplicatio, quæ feſto Virginis Annunciatæ die ad Domum ſanctam inſtituitur. Ornat pompam Epiſcopus cum Clero, Magiſtratus cum nobilitate: augent numerum, præter viginti duos, eóſque numeroſos diverſi inſtituti, Sodalium cœtus, cum reliqua incolarum multitudine; ita ut vix alius præter infantes, ſenes, & ægros, in vrbe relinquatur. Offerunt magno numero candelas, & ſumptuoſi operis ex argento ſuæ ſimulacrum civitatis.

Decimum Menſis Decembris diem feſtem agunt: pars cultûs eſt ſupplicatio, quâ Deiparæ ducentas ex vrbe Virgines producũt: ita cordi habent ſuarum innocentiam. Sub veſperum aliam ſupplicationem in vrbe præclaram ſequuntur ignes feſtivi, & alia, quibus ſibi adventum Domûs ſanctæ gratulantur. Feſtum.

Viſitur quoque in Palatij propylæo ſumptuoſa moles ærea, marmore Illyrico cincta, refértque Domûs ſanctæ in eas oras adventum. Hic Sabbatinis diebus, cantatis Litanijs Lauretanis, ſub noctem laudatur Virgo. Incrementum pietas accepit ab Vrbano VIII. qui præſentibus largitus eſt Indulgentias, uti ad me ſcripſit admodum Rerverend. Dominus Petrus Bongiovanni. Curia. Litaniæ.

Illud demum ego addo, Recinetenſem vrbem ad quævis conſilia accipienda eſſe promptiſſimam. Litteras ego ad Magiſtratum dedi; quibus oſtendi, fore utile vrbi, ſi ſanctam Domum ſibi æterno quodam nexu conjun- Pietas.

geret: nimirum ſi ſuam inter vrbem ac Lauretum viam omnem juſtis intervallis (quæ Chriſtianus Adrichomius docet) diſtinguerent, ſtatuiſque è lapide poſitis, revocarent peregrinis in mentem totum illud, quod montem Oliveti inter & Calvarium eſt ſpa ium, quæque MARIÆ Filius in ea ambulatione perpeſſus eſt. Addidi, quanta inde peregrinis, quanta vrbi eſſent exſpectanda è cælo lucra. Mirum, quàm prono animo conſilium meum ſint amplexi! Etenim, in frequenti ſenatu re propoſitâ, ſine mora decretus eſt Virgini hic honor, delectíque ſunt, qui ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Epiſcopo, Magiſtratûs nomine, faciundi operis peterent licentiam; quam mox obtinuerunt. Deſignati etiam à Senatu, qui fabricæ præeſſent, D. Hieronymus Angelita, & D. Thomas de Alex. Maſſucci. Sed ingruens peſtis hæc bona propoſita impedivit.

I I.

Imago B. V. Miraculoſa
S. MARIA MAIOR
Romæ in Jtalia.

Prog: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. *Reginam videtis à nota maculæ puram.*

1. *Maiora dantur quàm petuntur.*
2. *Architectura cæleſtis.*
3. *Opus S. Lucæ Evangeliſtæ.*

JOANNES Patricius Romanus, ſenatorij ordinis, ſolâ conjugis ſterilitate infelix, diu neſcivit, quàm propè abeſſet ab ingenti apud poſteros gloria. Multùm commendabat hominem Romanis deductum longâ ſerie in ſua uſque tempora majorum ſtemma, Romanæ vrbi nunquam non glorioſum. Partæ juſtis lucris Divitiæ. divitiæ, cenſus equeſtris, ſenatorius honor, & ſalutatorum nullo non die palatij fores obſidentium numeroſa turba, non parùm cumularunt avitæ domûs decus: infelicem tamen ſe cum conjuge credidit Joannes, quòd hæres deeſſet, quem tanta felicitas maneret. Dudum à Superis efflictim poſtulatus nunquam comparuit: ſurdi nempe ſunt Superi, ſi minora petamus beneficia, quàm ipſi nobis deſignârunt. Jam ingruens ſenectus, juncta annoſæ ſterilitati, prohibebat etiam ſperare, quod deſiderabant, nedum petere. Quapropter pij conjuges, ſolo â ſe invicem thoro diſiuncti, id unum à Deipara junctis precibus iden-

identidem flagitârunt; ut, quando ipſi ſine hærede eſſent, ipſa deſignare dignaretur, quem demum tantarum opum hæredem ſcriberent. Placuit Virgini tam Officioſa adoptatio, digna, quam præ alijs ipſa ſibi aſciſceret, ex qua Romana in vrbe domum ſibi exſtrueret: etſi enim non paucas Virgo Eccleſias in vrbe tum haberet, ut credimus, anguſtas tamen fuiſſe, credibile eſt, quia Virgo MAIOREM poſtulabat, & Romanæ pietatis capacem. Nec dedignata eſt fabricæ totius ambitum ipſa in cælo deſignare; quod ut rite perficeret, non carbone uſa, non cretâ, ne quid aut ex Orco cæleſtes manus macularet, aut è terra; ſed nivibus uſa eſt, quæ vel ad caniculæ æſtum non liqueſcerent. Hæ poſtquam à Virgine figuram accepêre, quæ templi fundamenta referret, & ambitum juſſæ ſunt, ſervatis accuratè legibus, in lanæ morem decidere in terram, & figuram, quam in cælo acceperant, tantiſper retinere, dum unà cum Pontifice tota in rem præſentem Roma veniret, & fundamenta futuri templi ad architecturæ cæleſtis leges deſignaret.

Jacuêre itaque nives, quo dixi, ordine, quinto Auguſti. Et ne vrbs tanti miraculi cauſam ignoraret, ipſa & Liberium Pontificem, & Joannem Patritium per ſomnum monuit, quid eo in loco fieri vellet, ubi nives ipſa alieno anni tempore collocâſſet. Quapropter Joannes, deprehenſis manè in Eſquilino colle nivibus, Pontificem propere accedit, deſideria ſua, & Virginis non obſcurum conſenſum refert. Eadem ſibi quoque in ſomnis viſa, cùm Joanni retuliſſet Pontifex, de nivibus iterum iterúmque ſcitatus eſt: quas ubi in Eſquilino colle inventas intellexiſſet; campano ære vrbem totam in ordines coëgit, & inſtitutâ rite ſupplicatione, nives ipſe inſpecturus locum acceſſit. Quis memoret S. P. Q. R. ſenſum? quorum corda præ nivibus in lachrymas ſoluta Deiparam ſuſpirabant, & jam poſterorum in Virginem affectum prælibabant in ſuo. S.P.Q.R. Quid plura? Liberius arrepto ſarculo terram eruit, quæ primo lapidi locum daret: Joannes Patritius opes dedit in fabricam cæteris MAIOREM ſuffecturas. Ita brevi Baſilica ſtetit, in qua Deiparam Roman MAIORE, quàm antè, cultu venerarentur. At verò, ubi coronidem operi impoſuêre architecti, Liberius, plaudente Româ, dedicationem fecit. Nec quidquam defuit præter Virginis iconem, quam ex Altari Roma veneraretur. Fuit una inter primas vrbi chara, quam olim cum Servatoris Præſepio attuliſſe Helena creditur; quámque in hæc uſque tempora Pontifices in ſacrario ſuo cuſtodiebant. Hanc Liberius exemptâ novæ Baſilicæ intulit, atque aræ impoſuit; quam deinde Pontifices, non niſi arctiſſimis in rebus, & raró, nec niſi ad breve tempus extulerunt.

Memorabile eſt, quod anno ſexcēteſimo quadrageſimo tertio in hac Virginis Baſilica contigit,

Quando impius Conſtans Orientis Imperator, cùm Pōtificem ſublatum è medio vellet, tanti parricidij facinus ſicariorum uni in paucis apto commiſit. Is Pontificem aggredi, & funus facere ſtatuit hoc ipſo in templo, dum ſacram hoſtiam ex eius manibus acciperet. Vetuit Virgo in domo ſua malè eſſe Filij ſui Vicario; ſed & ipſi parricidæ: etenim aliâ pœnâ Virgo hominem non mulctavit, quàm quòd quæſitum diu Pontificem invenire non potuerit: quin ab ipſo etiam Pontifice, ubi ſe ſponte reum egit, gratiam pro vindictâ retulit.

Sicarius.

Hæc ipſiſſima eſt Imago, quam Magnus Gregorius publicâ ſupplicatione, peſtiferam luem averſurus, feſtis Paſchalibus ad S. Petri templum deportavit, quámque è mole Adriani, cùm pontem tranſiret pompa, SS. Angeli, cantu, quem nemo non audiret, venerati ſunt, ſolenne illud concinentes: *Regina cæli lætare; Alleluia: Quia, quem meruiſti portare, Alleluia: Reſurrexit, ſicut dixit, Alleluia:* Namque quod ſequitur, *Ora pro nobis DEVM, Alleluia*, indubitata fides habet, adjunxiſſe Gregorium. Quin ipſo in cacumine Adrianæ molis viſus à Pontifice eſt, qui repoſito in vaginam gladio peſtiferæ lui finem faceret Angelus. Structum in loco eſt Angelorum Principi Sacellum, quod pluribus ſæculis ſtetit, vocatúmque eſt templum S. Michaëlis in Nubibus; dum Alexander VI. molem bellicis uſibus adaptavit. Stat tamen hodieque in rei memoriam ſuperiùs in cacumine ex albo marmore Angelus, noménque & caſtello dat, & ponti Tiberino. S. Franciſcus Borgia, Gandiæ Dux olim, poſtea tertius Societatis IESV Generalis, primus omnium fuit, qui à ſupremo Eccleſiæ Capite impetravit huius Imaginis ectypon: quod deinde per omnem orbem ab ipſo inter Chriſtianos vulgatum eſt.

Litaniæ.

Bellum.

Nec paucæ ſunt, per quas Virgo miracula patrat: illam certè, quæ ſub titulo Matris ter Admirabilis in Convictu S. Ignatij M. Ingolſtadij in Bavaria colitur, ſæpius locutam, certa fama dubitare non ſinit. Hoc inſuper multis perſuaſum eſt, de vitæ ſtatu eligendo deliberantes, vix uſpiam certiùs de Numinis voluntate, quàm illic, fieri certiores. Reliqua, quæ huius rei exempla habentur, quia fide digna ſunt, credo; unum ſcio.

Non eſt hîc audiendus Petrus de Natalibus, quando ait, nullum adhuc in Vrbe fuiſſe templum Deiparæ dedicatum, præſertim cùm Volaterranus lib. 2. cap. 19. mentionem faciat templi cuiuſdam dedicati à S. Petro Deiparæ extra vrbem, nec multùm ab eo loco, quem hodie tres fontes S. Pauli nobilem faciunt, diſſiti: quis enim credat, tamdiu Romam ſine templo Virginis fuiſſe, in qua jam ante plura ſæcula uno eodémque tempore plura vel templa, vel ſacella Virgo numeravit, quàm annus dies habeat?

Templum.

Idem Petrus de Natalibus lib. 7.

c.21. ait, nives eâ figurâ jacuiſſe, ut ſciri poſſet, quâ amplitudine fieri Deipara fabricam vellet. Prioribus ſæculis, die Aſſumptæ Virginis, Servatoris Imago è Pontificum ſacrario (vbi hodieque ſervatur) exempta, ſupplicatione publicâ per varias vrbis vias in hanc Baſilicam illata eſt, obviam prodeunte non minùs frequenti ſupplicatione cum hac Virginis Icone. Populus noctè totâ ſupplicabundus coram his duabus Imaginibus vigilias egit, feſtóque die ſummâ pompâ celebrato, illa ad ſuum ſacrarium; hæc ad ſuum altare reportata eſt; duravítque hæc Romæ pietas Aſſumptæ Virgini honorandæ uſque ad tempora Pij V.

Cerimonia.

Petrus Abbas Cluniacenſis, qui vixit circa annum 1200, ſcribit, candelas pridie Aſſumptæ Virginis accenſas à primis veſperis uſque ad horam nonam feſti hoc in templo non defeciſſe: &, ne opinioni daretur locus, fuiſſe, qui eodem pondere eadémque magnitudine pares candelas accéderent, domi ſuæ unam, alteram hac in Baſilica; atque iſtam, non perinde, ut illam, defeciſſe, experimento cognitum, ut refert Octav. Pancirola in S. M. Majore. His temporibus neutra ſuo loco movetur, niſi Iubilæi anno, quando illa Servatoris in templo S. Ioannis Lateranenſis; hæc in ſuo; utraque medio in templo venerationi populorum decorè exponitur.

Candela.

Iubilæum.

Nec prætereundum eſt, quod idem Pancirola tradit, Magno Gregorio in hac Baſilica eveniſſe: etenim, ut ille refert, cùm Gregorius feſto Reſurrectionis Chriſti die Sacrificium hîc feſtivo cantu celebraret, atque illud: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, caneret, choro vocem è cælo auditam, quæ reſponderet Eccleſiæ ritu: *Et cum Spiritu tuo.* Hinc ad plura ſæcula ritum à Pontificibus decretum perveniſſe, ut hac in Baſilica hoc feſto, Pontificibus celebrantibus, dicta verba non redderentur à choro, ne tanti miraculi memoria periret.

Miſſa.

Cæterùm ſunt quoque non pauca hujus Baſilicæ, & notatu digna Privilegia. Nam 1, tres hodieque habemus homilias, quas D. Gregorius M. ad populum Romanum dixit, nimirum octavam, feſto Nativitatis Chriſti die; vigeſimamprimam in Reſurrectione; vigeſimam ſecundam Dominicâ, quam vocant in Albis. 2. Habet Archipresbyterum Cardinalem. 3. Eſt ex ijs, quæ anno Iubilæo viſitantur. 4. Eſt una ex ſeptem Eccleſijs. 5. Eſt una ex quinque Patriarchalibus. 6. Eſt una ex tribus Pœnitentiarijs. 7. Vndecies in anno Stationem celebrat. 8. In Altari Pontificio nemo celebrat. Pontifice in Gallia commorante, Cardinalibus per expreſſum Breve, quoties oportebat, celebrandi poteſtas eſt facta.

Privilegia.

Demum ipſa templi fabrica non eandem tot ſæculis vel formam, vel figuram habuit. Etenim Sixtus III. anno 432, ruinæ proximam quaſi à fundamentis refecit, atque in ampliorem

Architectura.

formam redegit, ut ait Anaſtaſ. in Sixto III. contra Neſtorium, & eius hæreſin. Hinc poſtea Baſilica Sixti aliquamdiu dicta eſt. Anno 772. Adrianus I. renovavit tectum. Anno 817. S. Paſchalis chorum marmore ſtravit. Anno 1150. Eugen. III. propylæi teſſelatum opus addidit, quod hodieque videtur. Anno 1274. Gregor. III. propylæum jam jam ruinæ proximum refecit. Anno 1288. Nicolaus IV. quem in vicino Patri- *Palatium.* archali palatio habitâſſe tradunt, iterum undique fatiſcentem fabricam reſtauravit, ſibíque ſepulchrum poſuit tam modeſtum, ut hodie inter tot miranda non compareret, niſi Sixtus V. viri oſſa decentiùs collocâſſet. Anno 1450. Cardinalis Guilielmus Rotomagenſis templo duas naves adjunxit, Altari Pontificio quatuor è porphyretico lapide columnas addidit, & templi tholum. Anno 1500. Alexander VI. laquecare templi è ligno fecit, & inauravit: picturas inſuper à Sixto III. factas reſtauravit. Anno 1585. Sixtus V. S. Servatoris Præſepe regij operis *Præſepe.* ſacello texit. Anno 1606. Paulus V. templū ingentibus redditibus auxit, ſacrum veſtiarium è fundamentis ſtruxit, foris columnam Deiparæ erexit, intus ſacellum Sixtino æmulum cuſtodiendæ Virginis Imagini ædificavit. Octav. Pancirola in ſua Roma.

III.

Imago B. V. Miraculoſa DE VILLA VITIOSA *Cordubæ in Hiſpania.*

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr: *Do Reginam puram & ſine macula auita.*

1. Deſunt miracula hominibus.
2. Deſunt homines miraculis.
3. Captivatio mirabilis.

VILLA VITIOSA theſaurum habuit in agro reconditum, quem qui primus invénit, fulgore *Odores.* nimio proſtratus, & fragrantiâ plùs quàm Sabæâ tantùm non exanimatus, à ſocijs foſſoribus domum relatus eſt, monito Epiſcopo, ſacrum quiddam ſanctúmque ſub terra latêre, quod profanæ manus tangere porro non auderent. Accurrunt itaque ſummi infimíque: nemo non inſolito fulgore perculſus, & odore cæleſti delibutus eſt. Itaque inter preces, majore quàm antè veneratione, urgetur foſſio: nec multis opus fuit: etenim ubi ablato ſtrictim ceſpite nonnihil glebæ fulgentis erutum eſt; ecce tibi capſam plumbeam pervetu-

ſto

ſto ceromate incruſtatam, quæ, ubi non ſine ſolita pietate recluſa eſt, raræ ſpeciei ſtatuam Deiparæ dedit; ligneam tamen, & quæ vndecim omnino digitos non excedebat. Hodie magnam partem carie confecta eſt, ſed undique aurificis arte argento munita, ſi naſum excipias, cuius defectum valde notabilem nulla unquam materia, nulla artificis induſtria valuit reſtituere. Nec mora: brevi ex congeſtis undique pecunijs ſacellum ſtetit, operis non ſpernendi, quod nunquam non refertum eſſet ærumnoſis, ſive corpore, ſive animo.

Tepor. Sed ut grandia nonnunquam videmus palatiorum propylæa, quæ mole ſuâ æs omne in reliquã fabricam ſuffecturum abſumpſerunt; ita pietas, initio fortiſſima, ubi longiùs progreſſa eſt, nonnunquam deficit, & tantùm non nulla eſt, quæ initio fuit maxima. Atque hoc credo inter maxima Villæ Vitioſæ vitia unum fuiſſe. Certè ſive hominibus miracula defuerint, ſive miraculis homines, non ita multò pòſt cum fragrantia fulgoréque cæleſti evanuit quoque hominum pietas; nec tamen uſque eò, quin ſaltem à paſtoribus, & bubulcis propter vicina armenta identidem viſeretur. Ita nempe via omnis homini longa eſt, quæ ad cælum ducit: & beneficia à Superis non dari modò, ſed apportari quoque volumus. Vnus paſtorum, Paſtor. Ferdinandus nomine, gente Caſtellanus, auſu, quo pauperes non ſolent, longo tempore Imaginem honoravit: etenim ex eo oleo, quod ad menſuram accipere ſolitus erat in mercedem, & alimentum, lampadem ardere fecit. Tum cordatior factus, ipſam auferre decrevit ſtatuam: itáque reverenter acceptam, decentérque peræ incluſam, Cordubam verſus deportat, atque in tractu Gamunerano, ubi neſcio cuius divitis armentum paſcebat, in cavo ſuberis trunco collocat. Hoc jam illi templum, hoc ſanctuarium, hoc cælum fuit bubulco: &, ne Muſica deeſſet, ipſe nunc ſtans, nunc flexo genu, aut etiam ſedens, quas callebat, cantilenas admodulabatur. Quin & inſtrumenta Muſica deeſſe paſſus non eſt: nam fidicen licèt eſſet non bonus, factus tamen Virgini Muſicus eſt non malus. Fides. Etenim certum eſt, gratiorem Virginis auribus fuiſſe chelyn bubulci, quàm quidquid aulæ fidium habent. Nec ita multò pòſt paſtores alios, & bubulcos Arion iſte traxit in chorum, ne ſolus cælo placeret pro omnibus unus. Ita feſtivâ ſymphoniâ nullo non die colebatur Virgo, ruſtico quidem, ſed recto animo. Jámque res hæc ita in plures abierat, ut Luſitani incuria ſuæ irati ablatam cum Ferdinando ſtatuam quærerent, & non difficulter reperirent. Etenim armati complures equis militaribus vecti ad locum properant, Ferdinandum chely ludentem ad Imaginem deprehenſum inter acria verba primùm liberali fuſtuario excipiunt; deinde furem cum S. Imagine jumentorum ſarcinis inijciunt, timidíque

re-

reproperant ad ſuos: demum etiam, Imagine ſedi ſuæ reſtitutâ, furem in vincula conijciunt, & deproperatâ pro tribunali ſententiâ furcæ deſtinant. Sed non eſt conſilium contra Dominam: nocte ſupplicium jam imminens præcedente, Cælitum virtute, Ferdinandus, è tetro carcere, & vinculis ad locum, unde abſtractus fuerat, reductum ſe videt. Quin ipſa quoque ſtatua non diu eſſe ſine Ferdinando ſuo ſuſtinuit: nam & ipſa quoque vnà cum fure ſuo tantùm non eodem temporis momento ad ſuber ſuum, quod utrique pro temp'o fuit, reverſa eſt. Cauſam non habeo, cur ulteriùs vrbis huius (cætera virtutibus claræ) tam infamem nomenclaturam inquirere pergam, quando hi non plurimi armati iterato flagitiò infamandæ poſteritati ſufficiunt: nam Ferdinandum iteratò reum iterum inventuri, iterum in agrum Cordubenſem armati properant, iterúmque cantu ſimul & fidibus laudes Deiparæ parantem eo, quo nuper, ritu exceptum, unà cum ſtatua abducunt. Complurium dierum itinere tandem ad Villam Vitioſam perventum eſt, ut illi quidem exiſtimabant: jámque ingreſſuri vrbem, non vanâ conjecturâ deprehendunt, ſe eodem conſiſtere loco, atque ad eundem ſuberis truncum, unde iter exorſi erant. Jlli mirari primùm, deinde etiam horrore ſacro corripi; & licèt naturæ ſuæ vitio faciles eſſent in vitium flecti, tantis tamen è cælo monitoribus aſperi eſſe non ſuſtinuerunt. Itaque ante omnia cum fure in gratiam redierunt: útque etiam cum Virgine poſſent, unà cum armis etiam pecunias Ferdinando, in templo ſuffecturas, donârunt. Ferdinandus quamprimùm manibus operi admotis ſacellum, quo poteſt, opere exſtruxit, poſitæque ibidem reverenter Imagini pluribus annis inter accurrentium, & miracula celebrantium plauſus devotus, denique diem claudit extremum, & ibidem ſepulturæ perhonorificè mandatur.

Patibulum. Iter. Cerimonia.

Inter miracula hoc celeberrimum eſt: Cordubenſes, cùm imbrem deſiderant, ſtatuam hanc ad ſolis occaſum in ſuburbium deportant: die poſterâ, pompâ ſolenni, in templum Cathedrale deferunt, manſuram inter preces populi, dum ſe Corduba ſentiat exauditam. Quod ut primò factum eſt, cùm die ſequente reclusum, in quo pernoctaverat Imago, tabernaculum theſauro ſuo vacuum reperiretur, nec furti ullius ſuſpicio ſubeſſet, jámque Clerus cum populo proceſſionem adornaret; reditum eſt ad ſacellum Ferdinandi, repertáque ibidem ſtatua eſt. Vbi communi conſilio Cathedralis Templi Canonici primùm, deinde Cordubæ Magiſtratus ſolenni ſe juramento obſtrinxère, reportaturos ſe ſtatuam poſt pluvias. Inde in hodiernum uſque diem præſtito priùs à Magiſtratibus juramento deportari in vrbem ſtatua non difficulter ſe ſinit. Ita ad me P. Chriſtoph. Fernandez de Aceved. ex

tractu

Tractatu impreſſo 1621. à Licentiato Jo: Paëz de valenzula Sacerd. Cordub.

Hæc eadem ſtatua aliquot pôſt annis evanuit: credebatur furto ſublata, ſed ſuâ virtute delata eſt Antiquariam; & culta à pio Sacerdote Ioanne de las Cruces. Reſcivit Decanus Cordubenſis, eámque repetijt. Fratres III. Ordinis S. Franciſci Antiquarienſes referunt ex ſuis Annalibus, dictum Sacerdotem fuiſſe ſui Ordinis, & ſtatuam ſponte abijſſe, & redijſſe ad ſacellum Ferdinandæum; & pro ea fuiſſe eam ſubſtitutam, quæ hodie in eodem templo colitur B. V. M. de los remedios; de qua ſuo loco.

IV.

Imago B. V. Miraculoſa IN MONTE SERRATO

In Serrato in Hiſpania.

Progr: Ave Maria, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr: *En adamante purior Immaculata Viges.*

1. Aſtutia eſt præ prudentia.
2. Conſilium bonum, via ad malum.
3. Sympathia piorum in miſeros.

LVdentem cum hominibus in orbe terrarum DEVM æmulatur Orcina ſimia, cui vafrities præ prudentia eſt, dolus præ virtute, quando cum Sanctis negotium ei eſt. Intellige, Lector, quem ex Hiſpania affero, non ſimplicem cacodæmonis ludum.

Pyramides.

Eſt in Catalauniæ parte mons præruptus atque incultus, quem ideo jam à pluribus ſæculis incolæ Serratum dixêre, quòd ſcopuli nonnulli in pyramidum formam emineant, fidémque faciant ignaris, ab arte, non à natura, eam in formam ſectos, niſi molis vaſtitas naturæ potiùs opus, quàm artis argueret. Olim idolis dedicatum tradunt Scriptores: quibus ejectis, incultum, ac ſine habitatore permanſiſſe.

Eremita.

Locus ab incolis deſertus, & tantùm non inacceſſus, placuit Joanni Guarino eremi jam dudum ſancto cultori. Cælitibus notior, quàm hominibus, vivebat in ſpelunca homo, quo dignus non erat mundus. Antonios, & Macarios redijſſe in vitam credere vel ipſe Dæmon poterat, toties à viro triumphatus. Non defuêre tamen, unde prælia redintegraret, plus quàm Punicæ fraudes. Nam qui quandoque in angelum lucis ſe transfigurat, nunc eremitæ paulò minùs ab angelis minorati formam induit, poſitâ eodem in monte caſâ. Acta ſunt à Joanne Numini gratiæ; quan-

quando contubernalem reperit. Multa de cælo, de Angelis, de DEO inter eos colloquia ex contubernali fecêre jam patrem: nam & ſenior erat, & peritior in his novus eremita. Nunquam dediſſe conſilium malum, conſultori erat optimum, peſſimum conſulenti Guarino, qui velut veritatis oraculum poſt DEVM in terris venerabatur jam non fratrem, ſed Abbatem ſuum, & patrem.

Conſilium.

Guifrapelus (ſeu Gofredus piloſus) Barcinonæ Comes filiam habuit, quæ dæmoni præ tugurio ſuo placuit, dignáque viſa eſt, quæ habitaretur ab angelo. Hanc itaque (ô abyſſus judiciorum DEI!) ingreſſus brevi docuit, quàm inhoſpitalem puella haberet Poſſeſſorem. Jam & flagitioſiſſimos quoſq; inferni vel faſtidium, vel horror inceſſit, quando videbant tormenta in innocente exerceri in patria domo, quæ vix deberi credebant reis in inferno. Durum erat in domo nobili inferni hoſpitis contubernium: quapropter nihil deeſſe eorum paſſus eſt Comes, quæ juvare filiam poſſent. Sed aliud nunquam â maligno dæmone expreſſum eſt, quàm ſe tunc exiturum, cùm Joannes Guarinus, ſanctus Serrati montis incola eſſet percepturus, huius meritis puellæ liberationem deberi. Quæſitum quamprimùm ſervorum induſtriâ, & denique inter præciſas rupes inventum Guarinum Comes cum filia, ſervíſque accedit: filiam vnà ſecum ad pedes Sancti abijcit, opémque inter lachrymas poſcit; quibus etiam Guarino ipſi lachrymas excivit. Hæc nempe piorum eſt in miſeros ſympathia. Deprehenſum eſt, à patre mendacij veritatem exijſſe contra morem, & Guarinum ſanctum eſſe. Nam poſtquam dixit, quæ Sancti ſolent, ad alios tantis in rebus eundum, Sanctos, & peritos quærendos, non peccatores & ſimplices; ſuis tamen, & poſtulantium lachrymis fatigatus, in genua prolapſus, brevi peroravit: nam malus hoſpes, quamprimùm ſigna edidit, quæ liberatam puellam demonſtrarent. Actis itaque DEO & Joanni Guarino gratijs, jámque redeunti cum filia patri fuêrô ex ſervis, qui in memoriam revocarent minas dæmonis certò certiùs redituri, ſi puella è tugurio Guarini intra novem omnino dies dimoveretur. Itaque Comes Guarinum rogat, miſeræ ut bene ſit, ægrè ſibi eſſe per paucos dies ſuſtineat, filiámque, dum plenam à dæmone manumisſionem obtineat, eodem ſecum tugurio hoſpitari permittat. Abnuit ſenex, hominem ſe eſſe opportunè tunc recordatus, filios DEI olim à filiabus hominum deceptos; quid ſibi, tantus cùm non ſit, promittere poſſet cum filia diaboli? Vrget Comes; reponit eadem Guarinus: dum denique fortior petendo Comes, quàm Guarinus negando, amore filiæ, filiam deſerit volentem, atque in ſubjectum monti oppidum tantiſper cum ſervulis deſcendit.

Energumena.

Compaſſio.

Securitas.

Re-

Solitarius. Relictà patre filia, non tamen à Guarino derelicta fuit, in quo plùs, quàm oporteret, humanitas eluxit: jámque primis diebus eò in ſacris colloquijs proceſſum erat, ut & puellæ inciperet ſapere ſolitudo, & Guarinus diſcipulæ miraretur profectum, & virtutem ultrà, quàm merebatur, æſtimaret. Nempe gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus, ea præſertim, quæ eſt oculis ſubjecta fidelibus. Nec illa minùs virtutem intuebatur in ſene, ſuo bono, ſenis periculo: nam quid intereſt, ſive videas, ſive videaris à Baſiliſco, Fœmina. quando moriendum tibi eſt. Sed quis venena metuat à tam innocente columba? quis flagitium ſuſpicetur in eremita, in ſene, in ſancto, &, quod caput eſt, non minùs ſui, quàm dæmonum triumphatore? Senis virtus ferrea ut ſit, & virginis lapidea, utraque dura, utraque frigida, tantò aptior dæmoni materia, unde ignem vel infernalem prolicere queat, ut qui ſcit vel homines è ſilice, & ferro ignem excutere, quando poterat vel ſine dæmone ignis accendi in homine, crinibus puellæ velut funibus ligato, verbis incantato, oculis velut ſtellis è cælo cadentibus, ſi non fulminato, certè ſiderato. An neſcis? Oculi ſunt Contemplatio. in amore duces. Fuit, cùm ſenex ab accenſo de Cælitibus colloquio rediret, quorum corpora glorioſa contemplatus eſt in puella, non ſine raptu atque extaſi, recolénſque ſecum pauliſper, quæ viderat, ſentiret aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & ſe tangi. Dæmon ignis fovendi non minor artifex, quàm accendendi, feſtucas primum ſuperinjicit, & leni flatu fovet: tum adjungit ramenta, quæ ſimul ac flammam concepére truncis parem, truncos ſupperaddit, & denique in multos pedes porrectas trabes, eâ amen ſolertiâ, ut vel in oculis proprijs ne ſentias quidem. Senſit itaque amoris ſcintillam ſenex, ſed quia ſcintilla tantùm fuit, ſprevit:, ignarus, parvam ſæpe ſcintillam contemptam magnum excitâſſe incendium. Quid deinde? inquit: (nam ſecum ipſo loqui docuit amor) Nemo, quod pulchrum eſt, odit, ac, proximum non amare, quaſi ſcelus ariolandi; quòd verò tota, quanta eſt, in puellam vergat charitas; hinc eſt, quòd in plures dividi nequit, nec ferri in abſentes. Adhæc amatur virtus, quæ nullius odio digna eſt.

Virtus. Animata ſic in ſene virtus, jámque ſeipsâ ſive fortior, ſive debilior, contrà audentior ibat, & nullo metu, nullâ periculi ſuſpicione, non minùs ſuſpiciebat fortitudinem ſuam, quàm formam puellæ; donec tandem ſibi ampliùs negare non poſſet, eſſe aliud in puella præter virtutem, quod veneraretur, & amaret. Sic ubi lapillum piſo parem in lacum malaciâ tranquillum injeciſti, venuſtiſſimæ rotunditatis circulum excitabit in aqua; hic ſecundum, ac tertium non paulò majorem, è tertio jam in deci-

mum uſque propagabitur unda, denique unda undam trudet, & ampliſſimæ vaſtitatis portentoſum dabit circulum, quovis amphitheatro capaciorem: quis tanta expectet à lapillo? Ita ſenex trudentibus ſe invicem cogitationibus jam ſe peti à Dæmone, non obſcurè dolebat. Itaque, quia nemo repentè fit peſſimus, nec virtus omnis ex rudi ſe momento finit, ad eremi ſocium properat, periculum detegit, auxilium rogat, prudenti conſilio, niſi in conſultorem perverſum impegiſſet. Subridens ille: Non hæc nobis, frater, inquit, nova ſunt: noviſti hoſtem, noviſti hoſtis arma: ligatus eſt, mordere non poteſt, niſi volentem. Alexios, & Agnetes cogita: potuerunt iſti, & iſtæ in puellari ætate, nobis ſera ſenectus, &, quæ cum barba venit, crevitque matura prudentia, nihil timendum portendunt. Ad hæc puella deſerenda non eſt, ne pereat: unicuique enim DEVS mandavit de Proximo ſuo. Vt prælio vno cæſus fugatuſque ſit dæmon, debellatus tamen nondum eſt. Novem intra dies vincere dæmon non poterit, quem novem jam & pluribus luſtris victorem timet. Pone metum, & redi, ne victus à dæmone audias: provocantem ad juſtam pugnam non fuge: cordatos præter fortunam etiam DEVS juvat: plus triduo non ſupereſt. Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis. Quòd ſi teipſo infirmior puellam deſeras, eremum inficies, & canos

Dæmon.

noſtros. Scis, quid mundus cogitet, dicat, agat. Paria de nobis ſentiet, ſi, ablegatâ puellâ, ſuſpicioni facias locum: intereſt illum noſtras pugnas neſcire. Noli, & viciſti. Dixit, & ſine cruce hoſpiti bene precatus poſt carecta fugit. Joannes ex timido fortis, quin & audax, & demum etiam impudens factus, victoriam præſumens, non ſperans, domum properat, non ſolus: nam comitem in via habuit, quem priùs audierat conſultorem: is longè jam alijs conſilijs Joannem diſtinebat. Mirum! quantùm extolleret ſolitudinem, & ſolitudinis impenetrabile ſecretum: DEI juſtitiam, ut ſciebat, eſſe infinitam; jam tamen novâ Philoſophiâ unum jnfinitum erat Majus altero, & miſericordia ſuperexaltabat judicium; poſſe DEVM connivere ſemel in amici errore, qui tam prodigè hoſtibus veniam largitur. Plura ſuaſit: cùm Joannes caſam ingreſſus in conſpectum hoſtis venit, quando vel ipſe hoſtis (innocens puella) inaffabilem ſe non præbuit: dum tandem victus Guarinus faceret, quod antè horrebat, quódque vix, dum faceret, volebat. Et jam ſubitò alia rerum apparuit facies: nam extrema gaudij occupabat luctus; vix non cingulo finiendus. Itaque inter lamenta & lachrymas ad ſenem currit, factum cum gemitu fatetur, poſcit in arena conſilium. Ille, confirmato pœnitente, ſolitudinis honorem, decúſque extollit; tantillæ ætati credi non poſſe tantum

Tentatio.

Luctus.

ſecre-

ſecretum: iret proinde, & ut ſo-
litudinis contuleret honori, puel-
lam funus faceret. Suaſum eſt,
& etiam perſuaſum. Quare mox
Tentatio. eam trucidat cultro, & prope i-
pſum tugurium ſepelit. Redeun-
ti patri mentitus eſt, abijſſe tan-
tiſper, nec unquam comparuiſ-
ſe: credibile eſſe, incautam è ca-
cumine quopiam abijſſe præci-
pitem in abyſſum, nullo labore
inveniendam. Abijt Comes cum
ſuis Manreſam, Guarinus domum,
uterque triſtis; ſed Guarinus lu-
men cæli videre non auſus ad pœ-
nitentiam ſe convertit, poſtquam
Converſio. eremitæ contubernalis detectâ
larvâ fraudes deprehendit: Do-
mabo te, inquit, aſine! nec plura:
Romam ivit, Pontifici peccatum
aperuit, pœnam, quamcunque
conſtituiſſet Pontifex, ſubiturus.

Paſcebant interea lanigeras
oves, & ſaltantes in montibus
capras Catalaunorum paſtoritij
pueri omnino ſeptem: hi delabi
nocturnis horis è cælo ſplendo-
rem, & in cavernæ cuiuſpiam ca-
cumine conſidere obſervârunt
non ſemel: & divinum quid eo
lumine portendi credebant, quòd
non alijs, quàm Sabbatinis hæc
noctibus contingerent. Itaque
parentibus indicant, quæ vidiſ-
ſent: qui ſemel iterúmque ſplen-
Locus. dorem à ſe conſpectum ad ſub-
jecti pagi Curionem deferunt.
Poſtquam & hic, rem explora-
turus, unam, alterámve Sabbati-
nam noctem vigilâſſet, eadém-
que, quæ referebantur, intuitus
eſſet, rem Epiſcopo loci, qui tum
Manreſæ degebat, totam, ut erat
explicat. Is confeſtim proximo
Sabbato, in rem præſentem ipſe
venturus, locum accedit, è quo
conſpici deſcendens è cælo radius
poſſet: quem ubi, ut cæteri, con-
ſpexit, poſtero mox die miſit, qui
quàm ſolertiſſimè locum indaga-
rent. Ventum non difficulter
ad cavernam eſt, quam non ob-
ſcurè indicaverant pridie cæleſtes
radij, repertáque Virginis eſt Dei-
paræ, non minùs venuſta, quàm Statua.
vetuſta Imago: ſenſêre inſuper,
quotquot locum adierant, odo-
rem, quem cælum cum radijs de-
miſiſſet, quémque inculti mon-
tis flores ſpirare non poſſent. I-
pſe Epiſcopus locum adijt, Ma-
trémque in Imagine veneratus,
quantâ per celeritatem licuit,
pompâ proceſſionem inſtituit,
aſportaturus tantum theſaurum,
& meliori ſede in ſubjecto mon-
ti pago (Moniſtrolo nomen eſt)
collocaturus. Videbatur idem
velle Virgo: nam & facilè mo-
veri ſe loco ſuſtinuit; quin ali-
quantiſper etiam portari non re-
cuſavit. At verò, ubi eum ad lo-
cum ventum eſt, ubi Guarinus Co-
mitis filiam ſepelivit, & ſaxis
obruit, hîc enim verò juſſit Dei-
para quieſcere bajulos: Imago
enim, ut antè non gravis geſtan-
tibus fuerit, ita nunc loco nullis
viribus poterat moveri. Lætus
tam portentoſo eventu Præſul, è
cæſis arboribus tumultuarium in
loco ſacellum ſtruxit: quod in
dies à concurrente populo, &
miraculis celebri factum eſt.

Fuit, cùm Comitis Guifrapeli
venatores cum canibus montem Venatio.

luſtrarent, prædam acturi, quam ſors obtuliſſet. Vix venationem exorſi, canum latratu ad feram ducuntur, quæ moloſſos ſtitit, non auſos incognitæ formæ beſtiam aggredi. Monſtrum immane, ingens, quadrupes, piloſum, cui natura pro pelle dediſſet corticem, vocem nullam. Stetère diu cum canibus venatores, dum demum audaciſſimus omnium accedit, beſtiam tangit, & injecto cervici fune ſecum trahit ſponte ſequentem. Re penitùs inſpectâ, jurabant venatores, rediiſſe ſilveſtria Numina, Faunos, atque ex his vnum eſſe hunc ſemivirúmque caprum, ſemicaprúmque virum, cui præter cornua nihil deeſſet. Ducitur domum fera, Comiti ſuâ raritate chara. Magno non ſtetit, neque enim aliâ vixit Faunus hic annonâ, quàm ſi quem fortè præcipitatum è menſa panem Comitis canes faſtidiviſſent. Ducebatur, reducebatúrque per thalamum beſtia, hoſpitibus ad ſpectaculum citatis, quoties Comiti viſum eſſet. Cùm ecce! aliquando in media amicorum corona beſtiam intuentium, Comitis Guifrapeli filiolus, vix tres natus menſes, clarâ, contentáque, quæ ab omnibus intelligeretur, voce: *Erige te*, inquit, *frater Ioannes Guarine: nam Deus remiſit tibi peccatum tuũ*. Quo dicto ad naturæ leges rediit puer, & tacuit. Conticuère pariter omnes ſuſpenſi animis, quis ex omnibus à puero frater, quis peccator diceretur; cùm ecce! ægre vultum erigit beſtia, & in pedes ſe tollit, imóque corde ſuſpirium trahit, dum cæteri mirantur, ſtupent, horrent: ſcito, Lector, Guarinum cum Davide peccâſſe, cum Nabuchodonoſore pœnitentiam egiſſe: ſecutus eſt Guarinus peccantem, ſecutus eſt & pœnitentem. Et verò fænum ut bos comedit, & inter beſtias reputatus eſt, & ſeptem tempora ſuper eum mutata ſunt: ſeptennium enim eſt integerrimum, quo Guarinus cælum intueri non auſus, cũ cæteris animantibus pronus terrã ſpectat, vix ampliùs hominem ſe ſciens, cui os ſublime datum ſit, cælúmq; tueri. Interea arrectis, quotquot aderant, auribus adſtabant, audituri beſtiam loquentem. Tum Joannes, quẽ ſeptennii ſilentium eloquentem fecerat, brevi exordio benevolas ſibi præ aliis aures Comitis facit (nam his opus erat) tum quid ante ſeptennium cum filia actum eſſet, fideli narratione recenſet; Et habes, inquit, ô domine! confitentem reum, pro cultro gladium prehende, & (placet) feri: ac momento ad pedes heri provolutus, collum, jugulúmque præbet, ne talionis pœnam recuſare videatur. Non tulit tantam virtutem Comes: quid enim plecteret in Guarino, cui cælum jam porrexiſſet veniam? Surge, inquit, amice! pœnas dediſti oppidò magnas: hoc te tantiſper pallio tege, ut te hominem ſciamus. Vnum eſt, quod peto: ſepultæ filiæ oſſa nobis monſtra, honoratiore tumulo digna: præi, ſequemur. Itum eſt ad montem, ventúmque ad miraculoſæ Imaginis

Fera.

Infans.

Pœnitentia.

Venia.

ginis

nis ſacellum lætitia non mediocris patris animũ perfudit mirantis, ibi Virginis ſtatuam habere ſtationem voluiſſe, ubi filia occubuiſſet; jámque de ſalute puellæ bene ſperavit. Ibi Guarinus paucos, ſed prægrandes lapides tolli juſſit, triſtiſſimo parenti filiæ corpus redditurus. Et verò etiam cum corpore animam dedit: nam ſimul ac apertus eſt tumulus, proſilijt filia viva, ſana; &, quod caput rei eſt, lætitiâ geſtiens. Virum ſe pater oſtendit, quando inopinata lætitia, nullo intervallo dolorem ſecuta, oppreſſo corde hominem non interemit. Haud paulò minor fuit ſtupor Guarini; ut qui, præquàm alij, & loci, & temporis, & culti memor ſciret puellam ante ſeptennium mortuam. Atque eandem, non aliam, eſſe prodebat etiamnum rubea cicatrix in gula, in facti memoriam à Superis relicta. Rogata à patre, qui hoc contigiſſet? Illa Virgini Deiparæ nunquam non addictiſſimam ſe fuiſſe reponit, eius ope ad vitam rediiſſe, quam nullâ ſuâ culpâ amiſiſſet. Tum pater de ſponſo, de Hymenæo quædam interlocutus, reducere filiam, ſed fruſtra conatus eſt: nam illa, ubi vitam recepiſſet à Superis ſecundam, ibidem quoque mortem præſtolari ſecundam decrevit: vel ideo etiam, quòd Imago Deiparæ miraculoſa à tumulo ſuo diſcedere nuper recuſaſſet: decêre itaque, ut nec ipſa à Virgine miſſionem poſtularet. Comes dote, quæ filiæ debebatur, Religioſarum Virginum aſceterium in loco quamprimùm extruxit. Nec defuêre nobilium familiarum Virgines, quæ ſub hac Antiſtite B. Benedicti regulam profiterentur. Ipſe Guarinus vnà cum Moniſtroli Rectore curam Virginum ſuſcepit, & in ſubjecto monti pago habitavit, vitámque ſanctè traductam, ſanctè quoque vnà cum Guarino Comitis filia finivit. Hodie virorum monaſterium ſub Regula S. Benedicti celebre ibidem eſt, & B. V. ſtatua miraculis portentoſis celebratiſſima.

Nuptiæ. *Pœnitentia.*

Hodie in præclariſſimo, quod deinde extructum eſt, templo Deiparæ ſtatua ſublimis viſitur in maximo templi ſacello: ante eam lampades ex argento quinquaginta pendent, ardéntque, Pontificum, Imperatorum, Regum dona. Ardent certis diebus cerei complures ingentis ponderis, templíque ſupellex auro, argento, gemis conſtat. Reliquiarum ſacrarum theſaurus maximus. Miraculorum, quæ idoneis probata ſunt teſtibus, extat liber magnus. Nemo eſt tam miſer, qui templũ, cui pro tapetibus anathemata ſunt, ingreſſus non erigatur in ſpem. Plura Alfonſus Villegas in flore Sanctorum p. 2. c. 23. qui hiſtoriam hanc ex vetuſtiſſimis, quæ in Cœnobio aſſervantur, litterarum monumentis ſe accepiſſe teſtatur. Cui adſtipulantur non modò ſpelunca Ioannis Guarini, & alia ſathanæ, eremitæ olim ſpeciem mentiti, ſigna, quæ adhuc in monte Serrato peregrinis oſtenduntur, ubi lapideis Imaginibus hæc

Teſtimonium

hæc expreſſa cernuntur; verùm etiam vetuſtiſſima traditio, & innumera, quæ in templo miracula produntur, hoc ipſum ſatis confirmant. Hoc in templo S. Ignatius Loiola, Societatis IESV Fundator, anno 1521 confeſſione generali peractâ coram Deiparæ ſimulacro, relictâ profanâ militiâ, ſub tantæ Virginis præſidio Chriſti militiæ nomen dedit, & integram noctem vigilavit. Vide P. Anton. Spinell. in Thro. Deip. de feſtis, ac templis Deiparæ n. 57.

Ciliciũ. Anno 1567. 25. Ianuarij nata eſt Viennæ Margarita, filia Maximiliani II. Imp. hæc ereptis ſibi ciliciolis ſolita eſt filis aureis conſtringere brachia ad ſanguinem uſque. Mortuo patre, in Hiſpaniam profecta Monſerrati coram Imagine cum lachrymis id unum petijt, ut ſe B. V. Filio ſuo ſponſam conciliaret. Annuit ſtatua. Illa, aperto pectore, cultello ſcriptorio ſanguinem elicit, eóque ſcriptâ ſyngraphâ ſponſam ſe IESV Chriſto dedicat hiſce verbis: *Hoc ſanguine meo, de corde meo ſumpto, conſecro, & dedico me tibi, IESV, in ſponſam, oróque humiliter, ut Virgo MARIA mediatrix mea eſſe dignetur: in cuius fidem hoc confirmo.* Margarita. Annuit terum ſtatua. P. Ioann. Gans in Gyn. Auſtr. qui addit ſimilem feciſſe ſyngrapham iterum, cùm audijt à quodã ſimilẽ factam eſſe dæmoni.

V.

Imago B. V. Miraculoſa DE FONTE SANCTO *Cordubæ in Hiſpania.*

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr: *Io Regina! pura, munda, & immaculata es.*

1. Quod contemnitur, non abijcit,
2. Eruditio in Camino paupertatis,
3. Diſcipuli mali pædagogus bonus,

Ille. Corduba. ILLE vir, ad Dominam quem Corduba miſerat vrbem, ut daret ingrato vitæ præcepta Neroni: Senecam dico, Patriæ ſuæ decus: multa de fortuna iniqua, æquâ mente ſuſtinenda, ſcripſit, pauca expertus eſt. Etenim divitias, quibus affluebat, ſic contempſit, ut tamen non abijceret; ſic reſpuit, ut tamen ijs bonum Dominum (ſemetipſum) non invideret. Quid ſi fortunam plebeij, de quo loquar, Cordubenſis nactus eſſet? Hic in camino paupertatis à DEO, velut in Lycæo, eruditus, cælo nondum maturus, jam tamen, ni fallor, deſtinatus, aliam Annæo Philoſophiam, longè ab illa Apathica diverſam, monſtrâſſet. Fuit hic Gundiſalvus Garzia è paupertina tribu inter primos: familiam alebat exiguam, oppidò tamen gravem, & copioſam: etenim præter vxorem, licèt multâ prole non Camínus. gra-

gravaretùr, filia tamen unica, nullo afflictæ domûs ſolatio vivebat, ſemper ægra, morbo, quem nec Chriſtus (quantum quidem

Stultitia. è ſacra hiſtoria habemus) unquam curâſſet, mentis inopiâ, quam ſtultitiam vocamus. Quanta hæc in tam ſapienti natione afflictio ſit, nemo præter Hiſpanum ſatis capere poteſt. Adhæc conjunx otium ſectabatur iners, ſed omnium miſeratione dignum, longis annis paralyſi lecto affixa. Maritus, ut multum lanæ, improbo labore, perdius, & pernox carminâſſet (hoc nempe homini opificium erat) pretium operæ non tantùm in linum, & lanam, vnde veſtirentur, non ſufficiebat,

Patien-tia. ſed nec in cibum. Vxor, quantumvis nihil ageret, non parùm tamen egit, tam multa, tam æquo animo ferendo. Filia eorum ritu, qui mentis impotes ſunt: multa etiam malè egit, non modò inutilis, & fruges tantùm conſumere nata, ſed etiam quandoque

Induſtria noxia. Itaque maritum videre fuit, qui vel Roſcium ſuperaret, ita multas ſolus in hoc theatro ſuſtinebat perſonas. Etenim, ubi

Comi-nus, cum filia agendum erat, patris, matris, & tantùm non nutricis erat induenda perſona: ubi auxilium ipſius poſcebat vxor, præter maritum etiam ſervum, & noſocomum agebat: cùm vocaretur ad culinam, ancillæ munia obibat.

Reliqua domûs miniſteria ut mediaſtinus exercebat: ubi verò totius familiæ, id eſt, & ſua, & ſuorum neceſſitas poſtulabat, ad lanam, & pectines reſpiciebat. Ita omnibus omnia factus miſere vixit. Hinc domûs probrum, & inutile ac perpetuum onus, filia ſtulta; illinc materfamilias paralyſi afflicta: nil in paupere domo, quod inopes ſuſtentaret, quod afflictos ſolaretur; ſed nec foris, qui afflictis opem ferret, inveniebatur. Pretium operæ, quod è lanificio hebdomas, nullo die feſto interrupta, daret, vix ſufficere quandoque in ſeſqui diem poterat. Inter hæc tamen Gundiſal- Conſtan-tia.
vus ſibi conſtabat, nec ad furta, aliáſve malas artes, nec inutilia infelicitatis remedia, blaſphemiam, & deſperationem reſpiciens. Fallor, ſi credo, tantam AnnæoCordubenſi fuiſſe virtutem, quantam huic Gundiſalvo: quantumvis illi ingenium, quo ſæculum illuſtravit, in capite orbis, Roma, auxerit, peſſimi diſcipuli infelix pædagogus.

O felices! ô térque quatérque beatos Chriſtianos! quibus ſemper in afflictis rebus ſupereſt, quod ſperent, modò cælum ſuſpiciant. Gundiſalvus ex antiquis Chriſtianis unus, in mari ſuo naufragus, ubi omnia pontus erant, ubi litora quoque ponto deerant, nullà evadendi ſpe, ſe ſuóſque aluit, ad mundi cynoſuram converſis oculis, ſtellam identidem reſpiciens, vocánſque MARIAM. Cùm verò quodam die in aperto etiam campo inter lachrymas Virginem inclamaret ardentiùs, & opem, quam terra negabat, poſtularet à cælo; ſenſit cæleſtia incipere ſubſidia, cùm ceſſant humana.

D Nam-

Namque Virgo Deipara, unica ſpei anchora, quæ hactenus Gund ſalvum cum familia perire omnino prohibuerat, viſendam ſe obtulit, non ſola: nam ſanctis Cordubæ Patronis Aciſclo, & Victoriâ (quos forte etiam invocaverat) utrinque ſtipata. Quin etiam, pulſo metu, hominem al-locuta: vade, inquit, & ex hoc fonte (ſimul locum oſtendit) aquam hauri: quam vbi vxor filiaque cum fide hauſerint, utraque ſalutem conſequetur. Nec mireris; tantam ineſſe latici virtutem: naſcitur enim eo in loco, ubi inter annoſæ ficulneæ perplexas, & nodoſas radices Imago mea condita deliteſcit, quam ad multorum ſalutem erui, ſolique poſthac vo'o, extructo Cordubenſium ſumptibus templo.

Spes. Gundiſalvus poſt Virginis abitum jam ſeipſo major (tantum ſpes poteſt) vale ſive coëmpto, ſive precario accepto, ex invento fonte hauſtam aquam ipſe primum piè libat, deinde duo millia paſſuum (tantum enim vrbe diſtabat) currenti quam eunti ſimilior domum properat, juſsâſque potare factum laticem fæminas, re totâ narratâ, repentè ſalvas ſanaſque videt. Iuſſis deinde inter gratiarum actiones conſiſtere domi fæminis, Epiſcopum propere accedit. Non fuit arduum ei perſuadere, locum adiret, & Virginis mirificam Imaginem veſtigaret.

Proceſſio. Itaque poſt expenſas miraculi rationes, collecto populo, ritu quàm maximè feſtivo, per duo illa extra portam milliaria itur. Reperta prope fontem annoſa ficus præſulis imperio eruitur, atque inter nodoſas radices implexa Imago reperitur lignea, ſeſquipedem longa, fuſca colore, & veſte inaurata. IESVLVM ſiniſtro brachio velut ſtantem ſuſtinens, & quod omnes in ſtuporem rapuit, integra, illæſa; & coloribus tantùm non recentibus. In vrbem inter feſtos campanarum ſonos deportata, brevi docuit, quanto cælum felicitaſſet theſauro Cordubenſem vrbem: nam & Virgini coram hac Imagine ſupplices, & qui ſacrum laticem cum fide potârunt, damnati votis diſceſsêre. Certè regem Aragoniæ magnis continuiſque febribus laborantem hæ aquæ ſanitati reſtituerunt. A vinctis præſertim ac captivis nunquam ſine operæ pretio invocatur. E miraculis unicum memoro.

Lingua. Debet Imagini huic Societas noſtra virum incomparabilem, Thomam Sanchez: qui licet illibatam virginitatem cum prima innocentia ad decrepitam uſque ſenectutem, & in ipſum etiam tumulum detulerit; libros tamen de Matrimonij Sacramento ſcripſit, quos ſcholæ venerantur, quos utriuſque fori tribunalia complectuntur, quos omnes docti admirantur.

Hunc, inquam, virum Societas noſtra huic Divæ debet: ille enim juvenis cùm eſſet, aut pœnè potius puer, & Societatem omnibus votis ambiret, eam ſolam ob cauſam tulit à majoribus repul-

pulſam, quòd ad vitium uſque impeditæ eſſet linguæ. Itaque ad Patronam ſuam converſus, coram hac Imagine ingenua provolutus, fiduciâ, quæ filium decebat, linguam poſtulat meliorem, certus, non templo, non loco diſcedere, dum Virginem ſenſiſſet in vota pronam, & accepiſſet, quod tantis gemitibus poſtulabat. Nec Thomas longi temporis moram in precibus conſumpſit: mox enim auditus eſt, accepítque linguæ uſum, in omnem eloquentiæ ornatum expeditum. Itaque quamprimùm ad majores properat, & experimento novæ artis eloquentiſſimè eos in ſua vota trahit, & in Societatem IESV recipitur.

Ita ad me P. Alfonſus Rodriquez. Hiſtoriam ipſam Ferdinandus de Molina, Major Capellanus templi huius, accepit ex pervetuſtis lapidibus, & authenticis Scripturis, typiſque vulgavit.

VI.

Imago B. V. Miraculoſa DE CANDELARIA
Candelariæ in R. Cile.

Prog: Ave Maria, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. *Dic, o Virga: En! almè animata et pura ſum.*

1. Natura ſuperat Artem.
2. Ars ſuperat Naturam.
3. Creatura obfuſcat Creatorem.

EST in regno Cilenſi Inſula, quam incolæ Tenariffæ; Hiſpani, qui Inſulæ domini ſunt, magnam Canariam appellant. Idololatria. Idolorum hic, ſi uſpiam alibi, vigebat cultus ac veneratio: quidam enim eorum ignem (qui in regno Cilenſi è quàm plurimis montibus, velut inferni caminis, nunquam non aſſurgit) pro DEO coluerunt, & prudentiùs inſanierunt: cæteri Deos opera manuum ſuarum appellârunt. Non illis difficile fuiſſet auctorem rerum cognoſcere & venerari. At verò, ubi hi tacuerunt, lapides ut loquerentur, neceſſe fuit.

Statua Deiparæ, quæ de Candelaria nomen habet, quæque hodie miraculis claret, in ſaxi cuiuſpiam caverna à gentilibus reperta eſt, atque etiam culta, neſcio quibus barbaris cæremonijs, priusquàm ullus Chriſtianorum illuc adveniret, centum inquam & quinque annis inventio eius ſic accidit. Statua. Cùm gregem paſcerent duo Inſulani, in caverna ad maris crepidinem, territus receſſit grex ad præſentiam ſtatuæ B. Virginis, geſtantis brachio Puerum, IESVM. Paſtorum vnus, ratus puellam eſſe vivam, lapide eam petijt: Sed manus repentè obtorpuit, etiã brachio toto rigente. Sed & ſocius, immotam miratus puellam, tentat cultro digitum abſcinde-

ſcindere: ſed et ipſe ſuos ſibi digitos mirè ſauciavit, illæ à ſtatuâ. Ad regem de Guimar hæc prodigia relata ſunt, qui continuò ipſe ſe huc cum aula ſua contulit. Divinum aliquid eſſe, non vanè ſuſpicatus, S. Statuam aulæ deſtinavit, vbi decentiùs haberetur, ſed nemo cùm eſſet, qui manum admovere auderet, malo paſtorum docti; Paſtores duo juſſi ſunt hoc officium præſtare, coacti ſanè, & majora vtrinque tam à Rege, quàm à Statua metuentes. Majore itaque reverentiâ, ubi S. Statuam attigêre, uterque integram ſanitatem recepit: nam & illi manus cum brachio ſanata eſt; & huic ſui digiti. Tanto miraculo motus, ipſe Rex cum præcipuis aulicorum manus admovit. Sed Statuæ pondus plures popoſcit manus; ut non regum tantùm, ſed & populi bono adveniſſe ſciretur. Itaque plebeiorum quoque manus additæ manibus nobilium, S. Statuam in aulam deportârunt, magnum prodigium futuræ felicitatis: paulò pòſt in cryptam aliquam decorè excavatam tulerunt, tum ne ab aulæ moribus offenderetur, tum ut decentiùs coleretur. Plus tamen SS. Angeli Statuam Reginæ ſuæ honorârunt. Nam & concentus cæleſtes à barbaris circa Statuam auditi, & viſi ſupplicantium ordines fulgentibus candelis per maris crepidinem huc, nunquam viſis cærimonijs, accedere: nonnunquam ſunt inventa candelarum fragmenta; quandoque etiam adhuc fumigantia, tanquam tunc primùm extincta. Fuit, cùm gentiles inter patriæ ſuæ miranda Hiſpano, quē prima navis advexerat, oſtenderent hanc Imaginem: ſtupuit ille venuſtiſſimi operis ſtatuam Virginis, filiolum brachio dextro ſuſtinentis. Quomodo enim effigiarent barbari illam, cujus nec fama ad eos perveniſſet? atque ut Chriſtianis myſterijs imbuti eſſent, quod factum poſtea eſt; tota tamen in Inſula nullus ſculptor repertus eſt, par operi tam eleganti. Optâſſet Hiſpanus ille adeſſe, qui inſtructum religione verâ populum ſacris aquis ablueret: non defuit tamen muneri ſuo: fecit, quod potuit, docuitque, ſtatuam hanc flexo poplite, erectiſque in cælum manibus coli velle, ſenſuróſque obſequij ſui non pœnitendos fructus, ſi dixiſſent: Ave Maria. Plura volentem dicere, vetabat idiomatis, quo gens vtebatur, ignorantia, & navis reditus. Fecerunt incolæ, quod ab Hiſpano didicêre. Beneficia cultores iſtos accepiſſe à B. V. non aſſero: quia in hiſtoria Cilenſi, unde hæc ſumpſi, non legi: pietatis tamen perſeverantia, & Virginis in ſupplices proclivis miſericordia dubitare me non ſinit, quàm plurima etiam facta eſſe miracula. Atque ut horum nihil fuerit; maximum id Virginis donum credi poteſt, quòd, cùm Patres Societatis IESV illuc perveniſſent, jam paratos in ſacra Chriſtiana invenerint gentis animos, &, præquàm alij ſolent, in Virginem Deiparam pios. Vnde hæc ſtatua miraculis hodieque clariſſima Inſulam

Paſtores. Plebs. Angeli. Ave Maria.

ſulam totam Mariophilis gratam acceptámque reddit.

Quis barbaris charaƐteribus inſcriptiones ſtatuæ inſeruerit, AuƐtor non memorat. Explicationem eorum ſubjungo.

A collo.	*Typus Matris.*
A manu ſiniſtra.	*Incorrupta, deſponſata, Imperatrici cœli, & terræ, Sponſa Creatori æterni.*
A manu dextra.	*Hic eſt infans, qui genitus fuit ſine principio ab Omnipotente Creatore.*
In fimbria.	*Hæc eſt pacifica Maria, quæ fuit Annæ partus.*
In Zona.	*Pro nobis ora, Advocata.*
In manica ſiniſtra.	*Purificatio, & Præſentatio Infantis.*

Ex hiſtoria Cilenſi Romæ impreſſa Italicè.

Atque hæc ex Hiſtoria Cilenſi, Romæ Italico idiomate impreſſa, tum etiam ex Alfonſo de Eſpinoſa l. 2. c. 2. Sunt, qui tradant, per Captivum Canarienſem innotuiſſe, cujus Virginis hæc ſtatua ſit. Ego tamen hiſtoricum Cilenſem ſecutus ſum.

VII.

Imago B. V. Miraculoſa DE ARAVCANA *Arauci in R. Cile.*

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr: *Margarita pia ſum, electa, munda; venio.*

1. Ethnici colunt B. Virginem.
2. Iuris humani rudis, divini expers.
3. Tacente homine, loquentur lapides.

VT materiam nonnunquam opus artis ſuperat, ita natura quandoque provocat artem, nunquam paria facturam. Dabimus loco ſuo Imagines Virginis, quas Angeli fecêre: hanc, de qua nunc loquor, natura vel ut deliberato caſu, vel ignorans, quid faceret, effigiavit.

In ea parte terræ Araucanæ (in regno Cilenſi) quæ Tubulia dicitur, non multùm à mari mons eſt, & in monte ſpelunca, ad hemicycli formam peritiſſimè facta, in qua ſtatuas collocare ſolemus. Decempedam cum dimidia altitudo habet, latitudine velut ad leges architectonicas reſpondente. Et verò etiam, quem in uſum natura locum tam bellè efformaverit, intuenti apparet: nã ſtatuam Virginis cum JESVLO in brachijs eodem è ſaxo produxit, non inſitâ vi, ſed prodigio. Videre eſt eodem planè è ſaxo, ludentibus venis, capillaturam ſubfuſcã, criſpatam, & è capite in humeros Natura

meros uſque decorè defluentem; vultum candidum, & ad ſculpturæ præcepta venuſtè prominentem; veſtem colore rubeo, pallium foris flavo, intus cæruleo ſic imbutum, vt nec in rubeo Sandali, nec in cæruleo colore Braſili deſiderare poſſis tincturam. Atq; hæc omnia ludentis naturæ, ſive jocus, ſive pietas, eodem è ſaxo, interludentibus diverſorum colorum venis, jam dudum efformavit: & ne theſaurus ante tempus deprehenderetur, virgultis, vepribúſque obtexit, dum puellus Indus adveniret, qui tanti prodigij ſpectator primus, atque inventor haberi mereretur. Vt nempe ex ore infantium & lactentium perficeretur laus MARIÆ eo loco, vbi lapides loquuntur, quando homines tacent. Raptus enim in admirationem puellus: Viden, inquit, ô mater, quàm ſpecioſa Domina hic ſtet, quámq; ſpecioſum brachijs filiolum ſuſtineat! Non neſcia mater hoc in fruteto inter ſaxa & rupes magnatum conjuges non meridiari, credidit tamen filiolo mater, locúmque acceſſit, ibique ſtatuam, cui parem nunquam viderat, conſpexit. Rapta primùm in admirationem, deinde etiam, & ſine mora, clamore omnia implevit. Ita, quod ſæculis fortè pluribus ſecretum erat, paucas intra horas familiæ beneficio in publicum abijt. Pervenit quoque fama ad Patres Societatis IESV, qui tunc ea in regione Fidei propagandæ causâ verſabantur: hi ocyùs ad locum ſe contulêre, conſpectóque prodigio locum purgârunt, & fundamenta templi deſignârunt, quod ibidem vicini Christiani promptiſſimè comparatâ materiâ ſtruxerunt. Et verò tantos honores Virgo Deipara mereri in illa ſtatua eſt viſa: ſiquidem fæmina ſtatuæ inventæ index, cùm peſte laboraret, de ſaxi illius pulvere, medicinæ loco ſumpto, repente convaluit. Pietati Christianorum ut conſuleret Epiſcopus, vetuit honores ſtatuæ fieri publicos, dum tota ad fidem Eccleſiæ regio adjungeretur, ne fortè ab hoſtibus Chriſtianorum diffringeretur, & poſteritati tantus theſaurus ſubtraheretur. Hiſtoria regni Cilenſis Romæ Italicè impreſſa. Prudentia.

VIII.

VIII.

Imago B. V. Miraculoſa LIGVANA *Liguæ in R. Cilæ.*

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr: *Pura vnica ego ſum mater alma Dei Nati.*

1. Novus Æneas Marianus.
2. Antiquitas contraria Novitati.
3. Fames vrit ut ignis.

HABET Ilium ſuum, ſuámque Troiam, perindeac Aſia, regnum Cilenſe, quod priore ſæculo Eccleſiæ, & regnis Hiſpaniæ acceſſit. Non tamen defuêre, qui fidem antiquam ſecuti Cilenſium, perſequerentur novam Chriſtianorum, licèt ſuâ antiquiorem. Chriſtianarum vrbium quæpiam in votis erat hoſtibus: Obſidio hanc obſidione cinxêre primùm, deinde etiam vi barbarâ occupavêre: denique occupatam flammâ ferróque, ritu ſuo, id eſt, barbaro devaſtavêre. Troiam vidiſſes cum ſpe ſua inter cineres ſepultam: nemini mortem optanti rogus defuit: perpaucis cõſilium fugæ profuit, inter quos Petrus de Bacave, nobilis Hiſpanus: hic Troiæ Æneam ſuum deeſſe videns indoluit.

Erat in vrbis ſive templo, ſive ſacello Virginis deiparæ ſtatua, in quam plus Chriſtianorum pietas contulerat, quàm artificum peritia. Omnibus in tanta flammæ, ferríque confuſione ſua querentibus, nemo erat, cui Penatum Chriſtianorum cura eſſet, qui ſtatuæ exportandæ cogitationem ſuſciperet. Atque ut fuerit quiſpiam, ſtatua è ligno erat, & dimidiæ cannæ altitudinem æquabat, & viri in fugam proni, & currentis, vires robúrque ſuperabat. Sine Matre fugam inire non ſuſtinuit Petrus: ſtatuam igitur Virginis, quam ptæ omni gaza habuit, tanto ſuo periculo, quanto ſuorum bono, per arma, per ignes exportat, atque in valle, quam Legam appellant, non multùm ab vrbe S. Jacobi diſſita, velut theſaurum deponit in domo ſua, eiuſque præcipuum thalamum in ſacelli formam adornat; alter Æneas, & verè pius; niſi quòd ille patrem, hic matrem extulerit. Nunquam evenire mala hominibus ſolent ſingula, præſertim quæ è cælo adveniunt. Itaque vrbes, & campi, qui hoſtium ferrum flammaſque evaſere, ſiccitatem acceperunt, negante pluviam cælo, quæ frugibus debebatur. Fames Vix intereſt, flammâne, an fame intereas, niſi quòd per hanc lentiùs; per illam fortiùs ad mortem properes. Factum in neceſſitate publica eſt, quod à Chriſtianis ſolet: ſed cælum velut ære fuſum lachrymis Chriſtianis col-

collachrymari viſum non eſt; dum Petrus memor Divæ Matris de ſupplicatione inſtituenda, déque ſtatua per campos circumferenda loqueretur. Auditum eſt conſilium: decreta proceſſio, &c, quantâ licuit pompâ, D. Virginis ſtatua circumlata: quæ ſimul ac campos ſiccitate laborantes aſpexit, ipſáque à cælo conſpecta eſt, dici non poteſt, quanta celeritate ex omnibus cæli plagis collectæ ſint nubes, atque in pluvias ſalutares ſolutæ. Et ut ſcias, à Virgine pluviam in annum profuturam deveniſſe; ventus, qui nubes coëgit, in Virginis pallio primùm deprehenſus eſt, è cujus motu populus fixo obtutu in Imaginem intentus, futuræ pluviæ omen accepit. Statua exinde templo importata, quia fidem ſibi apud Chriſtianos hoc miraculo fecit, honoribus aucta eſt, ut ſæpius honorantibus prodeſſet. Pluviæ.
Hiſtoria Cilenſis regni Romæ impreſſa Italicé.

***

I X.

Imago B. V. Miraculoſa ANICIENSIS *Anicij in Gallia.*

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr: *Caro mea pura à malis Dei natum genuit.*

1. *Rubigo eſt decus Antiquitatis.*
2. *Multa vera carent probatione.*
3. *Statua B.V. antiquiſſima.*

HVius ſtatuæ hiſtoria fidem, quam miraculis meretur, apud omnes non reperiet, ut quæ illâ auctoritate careat, quam ſeptuaginta duo teſtes omni exceptione majores ſummum jus exigenti, obſervatis legum cæremonijs, conficerent. Antiquitatis decus à rubigine eſt, quam ſi deterſeris, jam res nova erit. Scis, quæ ante litteras fuêre, à litteris commendationem originis ſuæ expectare non poſſe. Notitiæ itaque rerum, quam à parentibus per manus accepimus, ſemper, & vbique fuit magna æſtimatio: quæ cùm etiam virorum gravium fuerit, in veneratione quoque eſſet debet. Brevem itaque ſtatuæ Anicienſis narrationem paucis abſolvo. Antiquitas.

Deſcenderat in Ægyptum cum reliquijs Juda Jeremias, popularibus æquè ſuis, ac ipſis gentilibus Ægyptijs non inutilis propheta, apud quos tamen fructus labori non reſpondit. Etenim licèt, dicente Jeremiâ, viderent Ægyptij, Deos ſuos ligneos, & lapideos nec videre, nec intelligere, nec niſi ſolâ figurâ à cæteris lapidibus differre; doctas tamen majorum fabulas ſecuti, necquidquam reclamante Prophetâ, Deos eſſe opera manuum ſuarum crede- Jeremias.

diderunt. Quid ageret ergo Propheta cum tam pertinaci ignorantia? Idolorum per Ægyptum univerſam caſum, unà cum adytis templiſque vaticinio non fruſtra contempto, prædixit (a) tunc futurum, cùm Virgo Filium peperiſſet. Ac nec vna cum verbis rei quoque tam portentoſæ prædictionem ulla unquam deleret oblivio, ſtatuam è ligno, quæ Virginem unà cum Filio referret, Ægyptijs reliquit: qui ſtatuam diu in adytis templiſque religioſè cuſtoditam, poſtea ad muſæa regum Ptolomæorum tranſtulerunt; &, ut credibile eſt, è muſæis regijs, Chriſtianorum templis importata, ſæculis aliquot cultum, quem merebatur, accepit. Dum tandem exciſà cum templis Chriſti fide, iterum vel abjecta, vel abſcondita inter paganos ſæculis aliquot lateret, expectarétque (b) S. Ludovici regis Galliæ, cui deſtinabatur, in illas terras cum exercitu adventum, cui pro ſpolio, & tam periculoſi itineris præſidio S. Ludovicus. eſſet. Rex anno 1253. ex Oriente redux Anicium cum ſtatua ingreſſus, Numini pro reditu, utcumque felici, gratias egit, ſtatuámq; in templo religioſè depoſuit. Fuit Baſilica hæc ſub Virginis Deiparæ Aſſumptæ titulo jam ab anno 225. non incelebris: colebatur in ea Virginis ſtatua, manu altera IESVLVM, alterâ ſceptrum tenentis: (c) in cujus locum, ubi hæc, de qua dixi, ſtatua ſucceſſit, auctum unà cum cultu etiam templum eſt, ita ut hodie inter theſauros, & cimelia Galliæ habeatur, (d) & regum Aſylum dici mereatur.

(a) *Traditioni huic antiquiſſimæ favet Auctor non ignobilis Comeſtor, qui capite de deſcenſu reliquiarum Iuda in Ægyptum, & obitu Ieremiæ memorat, S. Prophetam prædixiſſe Ægyptijs, templorum cum Idolis ruinam tunc expectandam, cùm Virgo eſſet paritura: atque hoc ipſum Virginis ſimulacrum eum in finem Ægyptijs tradidiſſe, ne dicti ſui periret memoria. Porrò ſervatam diu in adytis, & templis, tum in muſæa regum Ptolomæorum tranſlatam fuiſſe. Auctoritatem auctori facit, non ſolùm perpetua, & conſtans fama, ut & veterum tabularum monumenta, ſed & ipſa ſtatua, ſive materiam ſpectes, ſive figuram. E lignis ſethim facta creditur; alio enim ſi è ligno eſſet, jam dudum illud caries prodidiſſet. Figuram ſtatuæ, formámque ſi conſideres, vultum tingit fuſcus, ſed adeò vividus color, ut hodie inductum jures. Delectantur hoc colore, ut* Color. *ſcis, Ægyptij, & vel ipſos deos ſuos tunc pulchros credunt, quando vident ſibi ſimiles, id eſt, fuſcos. Veſtis tota ad morem compoſita eſt Indaicum: ſedet Virgo, gremio puerulum ſedentem ſuſtinet, perinde, ut cæteræ antiquæ Imagines, quarum fortaſſis nonnullæ ad huius formam effigiatæ ſunt. Ex his una credi poteſt Carnotenſis, quam Druides Virgini Paritura plùs uno ante Chriſtum ſæculo ſtatuerunt.*

P. Athanaſius Kircher Societatis IESV anno 1634. inſcriptionem Moyſes. *quandam mihi Romæ oſtendit, quæ*

 nemi-

neminem adhuc repererat lectorem, ne duminterpretum. Depinxit eam quidam Pater Ordinis S. Franciſci ad pedem montis Sinai, ubi exigua rupi non indecorè inciſam reperit, eo ipſo in loco, ubi creditur viſus à Moyſe rubus ardens incombuſtus. P. Athanaſius ita ſcripturam legit, ut ab Orientalium linguarum peritis non ſine admiratione approbaretur lectio; quæ hunc ſenſum dabat. DEVS concipere faciet Virginem, & ipſa pariet Filium. *Hanc inſcriptionem, ait, & probat P. Athanaſius, ſive ab Ieremia, ſive à quopiam alio, tempore captivitatis poſitam ex prophetia Iſaiæ. Rem totam fusè in ſuo prodromo Coptico typis Romæ vulgavit.*

S. Ludovicus. (b) Ex Ægypto Anicium ab aliquo regum Franciæ allatam imaginem, communis eſt omnium, ſempérque fuit ſenſus. Ita rem affirmant rerum memorabilium Latinè ſcripti codices Anicienſis Eccleſiæ, quos citat R. P. Odo de Giſſey lib. 2. c. 2. hiſt. Anic. Sic Carolus VII. in aliquo ſuo edicto, quod anno 1440. in Eccleſiæ Anicienſis gratiam edidit, ab uno majorum ſuorum ſancto rege hanc Virginis effigiem allatam aſſerit. At cui niſi S. Ludouico adſcribendum hoc donum? quod arbitrantur plerique omnes cum jam dicto R. P. Odone, cùm omnia, quæ de donatura huius Imaginis in chronicis Anicienſibus habentur, ei aptiſſimè conveniant, 1. Vocant ſanctum: at nullus præter Ludovicum IX. legitimâ auctoritate in SS. album eſt relatus. 2. Fœdus dicitur inijſſe cum Sultano Ægypti, manſiſſéque tres annos in peregrinatione ſua, quod de Ludovico ſancto verum eſſe, peritum hiſtoriæ neminem latet; anno quippe 1250. profectus, redijt anno 1253.

(c) Vt in Capituli ſigillo ſubſcriptionibus clientelaribus à Sauſſerando, Vſſonij regulo, factis depingitur. (d) Verè dici poteſt non modò populorum, ſed etiam regũ Galliæ aſylum, Græci anno 1501. terrâ mariq; Virginis Anicienſis opem conquiſivêre. Acceſsêre Itali frequentiſſimè: Hiſpani ſæpe ſæpiùs, &c. Hæc ex prædictis AA. & MM. SS. codicibus excerpta ad me miſit R. P. Antonius Savigniacus R. C. Turonenſis.

X.

Imago B. V. Miraculoſa VIRGO PARITVRA *Carnoti in Gallia.*

Progr: Ave Maria, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr: *Ego ſuperna Immaculata divina Mater.*

1. *Quod magnum eſt, exemplo caret & imitatore.*
2. *Deus ignotus colitur.*
3. *Druides Gallorum.*

CArnotenſis ſtatuæ verè prodigioſæ memoriam celebrare nequeo, niſi perhonorificam quoque Druidum mentionem faciam. Druides. Fuêre Druides apud Gallorum populos, quod apud Indos Brahmanes, apud Perſas Magi, in æſtimatione non mediocri. Nam & ſacris præeſſe juſſi ſunt, & regibus conſilia dare, Perſicis legibus non inferiora, ut quibus repugnare non liceret. Certo anni tempore Carnoti, quæ provinciæ Lugdunenſis hodie civitas eſt, conſederunt, ac comitia celebrârunt. Vnde & oracula, & leges in regni bonum prodirent, nunquam feliciùs, quàm cùm Virgini Parituræ decreverunt ſtatuam. Poſuêre olim Athenienſes aram Ignoto Deo, èquâ notus in Iudæa Deus illis quoque, prædicante Paulo, innotuit. Hi, quos dixi, Druides, divino quodam Numinis afflatu, rerum, ut puto, futurarum non omnino neſcij, annis ante Chriſtum natum plùs centum aram in ſpelunca ſubterranea tunc non magna erexêre, aræque ſtatuam impoſuêre ſculptilem. Sedet Virgo in exedra, atque, ut Reginam eſſe ſcias, coronam habet in capite; ut Matrem, Filium ſuſtinet gremio. Titulum ſtatuæ appoſuit Druidum Pontifex, Virgini Parituræ; & ne ſine ritu poneretur, adſtitit Carnotenſium rex Priſcus.

Jam populi accurſus, & Virgini Cultus B. V. ſe commendantium turba locum fecêre celebriorem. Colebatur, quæ nondum erat, & jam, priuſquam eſſet, deliciæ humani generis habebatur; ut quæ neminem à ſe triſtem dimitteret. Mira quid memorem, quæ cùm quotidiana in plebe eſſent, nova jam non erant. Illa calamo digna credidêre ſcriptores, quæ regibus obtigerunt. Regis Montlehriaci filius, neſcio quo caſu, aquis ſuffocatus, donis oblatis, & precibus ante ipſam ſtatuam fuſis, redijt in vitam. Pater ſalute filij tam portentosâ liberalis in ſtatuam factus, dona dedit rege digna. Ipſe loci dominus, rex Carnotenſium, & Druidenſium Priſcus, turpe ratus vinci ab extero in colenda Virgine paritura, rem fecit, cujus nec exemplum habuerat inter Gentiles, nec imitatorem facilè habiturus

turus erat inter Christianos. Regni totius hæredem ſcripſit Virginem Parituram: quod & poſt eius mortem depoſiti jure devolutum ad Druidas, & plùs integro ſæculo velut à Virginis Parituræ fideliſſimis curatoribus conſervatum eſt; donec à S. Petro Savinianus, & Potentianus primi in Galliam Apoſtoli mitterentur: qui, peragratâ parumper Galliâ, ubi Carnotum pervenêre, atque ea, quæ de Virginis Sacrario dicebantur, inſpexêre: vivere Virginem etiamnum aſſeruerunt Jeroſolymis: Filium verò, quem peperiſſet DEVM, hominum bono, mortem obijſſe. Non difficile fuit in Virginis cultum proclivibus etiam Filio Virginis fidem habere. Itaque miſſis quàm primùm legatis, Virgini regnum Carnotenſium integro jam ſæculo jure hæreditatis debitum obtulêre, & Dominam Regináṁque Carnotenſium appellavêre. An Virgo reſcripſerit, non habeo dicere; æquo animo excepiſſe legatos, donationem acceptaſſe, promiſiſſe tutelam, quin & quandoque ſe Carnoti Dominam vocaſſe, ab antiquis traditum creditur. Ipſa illa ſtatua in hodiernum uſque diem in honore eſt: & verò etiam honorem, quem accipit, meretur clariſſimis beneficijs.

Regina.

Druides.

Vtique ex Ægyptijs aliquid intellexerunt de Virgine paritura, ut ſuprà memoravi in B. Virgine Anicienſi. Ita habent ſeptem, vel octo codices ex tabulario Eccleſiæ Carnotenſis extracti; & ſpeciatim antiquum Chronicon Latinum, regnante Ludovico ſancto, Franciæ rege, juſſu Matthæi Epiſcopi Carnotenſis in Gallicum è Latino partim verſum anno 1262. Quæ omnia ſummâ curâ evolviſſe, contuliſſeque inter ſeſe auctor Rovillandus profitetur. Videri etiam poteſt vir nobilis litteraturæ Chaſſanæus in catalogo de gloria mundi, parte duodecimâ. n. 17.

Guilielmus Brito rerum à Philippo Auguſto geſtarum laudator, lib. 2. ſic canit.

Quam quaſi poſt habitis ſpecialiter omnibus unam
Virgo beata docet Chriſti ſe Mater amare,
Innumerabilibus ſignis gratóque favore,
Carnoti Dominam ſe dignam ſæpe vocare.

Enitet inſigni opere Eccleſia ſpeluncæ ſanctæ à Fulberto ſuperſtructâ, Virginíque in cælum Aſſumptæ ſacra plumbo tecta. Sacella habet triginta novem, Canonicos ſeptuaginta duos, alióſque Sacerdotes innumeros. De illa plura legere eſt apud Bonifacium. l. 2. c. 1. in hiſt. Virg. Apud Miræum de Collegijs Canonicor. apud Rudolphum Botereum in Carnoto. Summa ſemper huius Eccleſiæ auctoritas fuit. Anno 1432 Carolus VII. poſtquam Carnotenſes, qui diu ab Anglo ſteterant, in amicitiam ſuam recepit, in diplomate, quod Lochiæ anno eodē dedit, ſic loquitur. *Quòd in honorem Glorioſæ Virginis Matris condita ante Chriſtum Incarnatum, quódque in ea Virgo ſanctiſſima, antequam*

Templum.

tequam naſceretur, præcipuo honore culta fuerit &c. Deinde hanc ſpeluncam B. V. dicatam à Gentilibus, converſam in Eccleſiam Chriſtianorum, habetur ex Martyrologio Domini du Sauſſay ad diem 31. Decembris his verbis. *Senonenſium verò Epiſcopus Potentianus miſſus à D. Petro, Apoſtolus Aurelianenſium, Carnotenſium, Druenſium ac Pariſienſium, Spiritùs S. ardore impulſus Carnotum advolat, divini ſplendoris gerulus, plebémque Parituræ Virgini ex avita traditione devotam in fidem eius partùs ſuſcipiendam comperiens, Verbi divini ex Virgine Incarnati myſteria felici ore edocet, expiat lavacro ſalutis.* Adjungo verba Breviarij lectione tertiâ. *Conſtruxit igitur Baſilicam beatus hic Antiſtes, conſecravitque; in cujus rei memoriam celebratur anniverſarius dies 27. Octob. conſecratæ à D. Potentiano Eccleſiæ Carnotenſis &c.* Quæ tanto ſemper apud omnes fuit in honore, ut Virginis thalamus cameráve antiquitus fuerit nuncupata. Hinc Ioannes Galliæ rex ſolennes litteras dedit, quæ adhuc in tabulario ejuſdem Eccleſiæ ſervantur; quibus decrevit, ut omnes Capituli Carnotenſis lites dirimantur in ſenatu Pariſienſi, eò quòd Eccleſia Carnotenſis camera ſit Virginis religioſiſſima. Certè quantùm hic locus ſibi cordi eſſet, innumeris pæne miraculis patefecit Regina cælorum potentiſſima. Ita Fulbertum quinquageſimum quartum Epiſcopum, cùm ſub annum 1016. igneo quodam, ac inſanabili morbo decumberet, pijſſima Mater lacte ſuo puriſſimo recreavit, viréſque integras clienti ſuo tam mentis, quàm corporis reſtituit, ut teſtantur auctores celeberrimi, Guil. Malesberienſis lib. 3. de geſtis Anglorum, Chriſtianus Maſſæus, Demochares aliíque. Vnum ex omnibus recenſeo. Induſium B. V. quod unà cum Imagine Carnoti religioſè aſſervatur, Carolus Magnus ab Irene Imperatrice Orientis dono accepit, & Aquiſgrani depoſuit. Carolus Calvus illud Carnotum detulit. De hoc Genebrardus in Chronico lib. 4. ad annum circiter 884. ex Gaguino lib. 5. aliíſque melioris notæ AA. ſic loquitur de fugato Rollone Normannorum Duce à Gancellino XLVII. Carnotenſium Epiſcopo. *Carnotenſis Epiſcopus*, inquit, *indutus camiſiâ interiore B. Virginis magnam edit Normannorum ſtragem.* Hinc interulæ factæ ad eius camiſiæ ſanctæ formam. Codices Eccleſiæ Carnotenſis referunt, ſimiles interulas dono datas Richardo regi Angliæ: ab eo indutas fuiſſe ſummâ pietate, licèt inimiciſſimus eſſet Philippo regi Franciæ. Denique Guilielmus Brito ſuprà citatus, antiquus auctor, his verſibus illam B. Camiſiam celebrat.

Cuius & interulam cuncti venerantur ibidem,
Quâ veſtita fuit, partum cùm protulit agnum,
Qui mundi peccata tulit, &c.

Præ alijs bene rem totam huius ſtatuæ Carnotenſis proſecutus eſt Rovillandus in ſua Parthenica, ſeu

Margin notes: S. Potentianus. — Templum. — Tribunal. — Reliquiæ. — Interula.

hiſt. Eccl. Carnot. c. 4. & refertur ab Hippolyto Maracio in lib. de Antiſtitibus Marianis in S. Saviniano, S. Petri diſcipulo.

Hanc narrationem Auctoribus impreſſis, & MM. SS. antiquis confirmatam miſit ad me R. P. Antonius Savigniacus R. C. Turonenſis. Tanta porrò Gallorum in Virginem Deiparam fuit religio, ut cùm Iudæo in B. Virginem blaſphemo Aquis ſextijs, vivo detrahenda cutis eſſet (quanquam ſynagoga vndecim millia librarum regi Siciliæ Renato ſolvendarum obtulerint) nobiles quidam Provinciales ſpontaneam operam & feralem perſonati obtulerint, & carnifice ſpectatore è theatro, Iudæo cutem blaſphemam detraxerint. Petrus Matthæus de obitu Henrici IV. anno 1610. pag. 476. Iudæus.

X I.

Imago B. V. Miraculoſa ARDILLIENSIS *Ardillieræ in Gallia.*

Prog: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. *Templum Dei ſum, Arca ignara notæ Avi.*

1. B. V. colenda ibi, ubi ipſa vult.
2. Fons miraculoſè erumpens.
3. Mutatio loci mirabilis.

TRiumphat hic inter hæreticæ impietatis ſectatores acerrimos Salmurienſes, & inter fœdam Prætendentiũ undique collectorum etiam ab extrema Anglia colluviem, Diva Virgo Virginum, Regina puriſſima: erga quam omnium Orthodoxorum pietas in ſuburbio Salmurij ad fontem Ardillienſium, ut vocant, exiguis cœpta initijs ad noſtram ætatem immenſis propè miraculorum acceſſibus adolevit. Anno 1454. ut ex editis vrbani exactoris rationibus conſtat; in communi civium cœtu decretum eſt, ut ære publico extrueretur fornix, ſub quo confluenti multitudini daretur Virginis Imago Imago. conſpicienda. Icunculam potius dixeris: nam hæc ſtatua lapidea exiguæ molis admodum eſt, ſedentémque exprimit Deiparam, quæ Filium è Cruce demiſſum gremio fovens, brachium alterâ manu, alterâ caput, juxta quod Angelus adſtat, ſuſtinet. Decreti autem cauſa hæc fuit. Excolebat terram juxta fontem Argillienſem (vulgus Ardillienſem appellat) colonus quidam indigena: qui effodit fortè hoc, de quo loquimur, Virginis ſimulacrum, ſecúmque detulit domum. Sed novum hoſpitium dedignata Virgo redijt in agrum: poſtride ibidem attonitus agricola reperit. Verùm nequa fallaciæ ſuſpicio poſſet oboriri, iterum domum relatam loco Suſpicio. re-

recondito ex induſtria occultat: ſed poſtereo die eodem iterum in agro Imago reperitur, umbræ domeſticæ impatiens: Vagatur itaque fama, prædicante prodigium colono, dúmque ab ijs, ad quos pertinet, prodigium rite ad examen vocatur, jam ingens multitudo, novâ miraculorum patratorum famâ excita omnem latè viciniam implevit. Illud quoque memorabant, fontem Ardillienſem, jam dudum pellendis morbis celebrem, ab hac utique defoſſa imagine vires accepiſſe: cùm vix cogitari poſſit, naturam in unam aquam tot contrariorum morborū remedia congeſſiſſe. Factum itaque è congeſtis repentè pecunijs ſacellum continuis acceſſionibus auctum. Denique etiam noſtris temporibus in Baſilicam excrevit, nunquam hucuſque vel aquarum, vel miraculorum fonte exhauſto. Ipſa ſtatua ſæpiùs vel moveri loco non potuit, vel mota mox redijt. Tanti eſt, colere Virginem, ubi ipſa vult. Ita ad me R. P. Antonius Savigniacus R. C. Turonenſis ex Hiſtoria, quam Religioſi Patres Oratorij Ieſu Inſtitutionis Francicæ edidêre.

X I I.

Imago B. V. Miraculoſa TABVLARVM *Monſpelij in Gallia.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Regia munda & Palatium emicans auro.*

1. Feſtum miraculorum celebratur.
2. Vrbis nova defenſio.
3. Majeſtas antiqua pro titulo.

STatua hæc Virginis Deiparæ, unde tanta profectâ ſunt prodidia, è nigricante ligno confecta, Matrem exhibebat ſtantem, & Puerum Jeſum cubito fulcientem. Hæc ne progreſſu temporis fatiſceret, in argentea icone, eiuſdem quidem formæ, ſed ſtaturam humanam æquante, incluſa diu latuit; dum denique ab Antimarianis Calviniſtis templum omnino dirutum, quæ que in eo erant antiquitatis monumenta, in prædam data, aut flammis ſacrilegis tradita miſerè perierunt: ipſa quoque ſtatua in hunc uſque diem inventa non eſt. Originem ſtatuæ invidit nobis antiquitas. Tabularum autem, miraculorum & monumentorum incredibilis copia fecit, ut ædiculam exſtruerent Virgini virginitatem perpetuam profeſſæ duæ S. Fulciani Lædovenſis Præſulis ſorores, quæ demum in amplam auguſtámque excrevit Baſilicam. Porrò tanta Divæ hujus tutelaris vis fuit in perſanandis morbis, ut (ſi Cæſario credimus) feriales ab arte ſua medici lucra ſibi

Calvinus

bi deperire palàm quererentur, & indignantes, aut certè indignantibus ſimiles, quibuſcunque morbis implicitos ad communem hanc omnium morborum medicinam identidem amandarent. Dona. Miſit illuc dona Jacobus Aragoniæ rex, quæ ſalutem acceptam teſtarentur. Hodie Monſpelienſes audent ſibi promittere Virginis auxilium nullâ non horâ, cùm opus fuerit, adfuturum. Leget curioſus lector in ſacello conſulari hanc Epigraphen.

Virgo Mater Natum ora,
Vt nos juvet, omni hora.

Siſte parumper lector, & exorandæ Virginis unum alterúmve ritum novum (quia antiqvum, & vix memoriæ ſuperſtitem) intellige, quem tibi elementa duo, ignis & aqua porrigunt.

Anno à partu Virginis milleſimo trecenteſimo decimo tertio longa ſiccitate Monſpelienſis ager pæne totus exaruerat: jámque expectabatur, quæ diuturniorem cæli æſtum ſubſequi ſolet, fames, aut peſtifera lues: cùm piorum mentes ſubijt cogitatio, MARIÆ gratiarum fonti promptum eſſe, aquis profuturis aridum conſpergere ſolum, ſi rite invocetur. Conſules Conſules itaque, ut patriæ conſulerent, adjunctis operarijs campeſtribus ex æde D. Firmini cum Clero atque univerſa plebe procedunt ſupplicantium more, ac D. Virginis TABVLARVM templum ingreſſi, poſt fuſas preces, MAJESTA- Titulus. TEM ANTIQVAM (ſic enim antiquam è ligno Deiparæ ſtatuam, quam ſuprà deſcripſi, nominabant) magnâ põpâ ad Lædi fluminis vicini ripam deferunt, eámque (non te piæ antiquitatis ruditas terreat, lector) aquis fluminis perfundunt, iterúmque cœleſti gaudio ipſi perfuſi reportant, locóq; vnde acceperant, reſtituunt. Ritus. Placuiſſe non impium ritum, teſtatus paucas poſt horas eſt imber cœlo delapſus largiſſimus, quo & ſata omnia ultra deſiderium recreata, & timor famis peſtiſque depulſus eſt. Ita per aquas à Monſpelienſibus exorata Virgo eſt. Iam quomodo eam accenſo igne exoraverint, intellige.

Anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octavo, quo peſtis univerſum propè orbem afflavit, graviſſimè conflictati ſunt Monſpelienſes. Menſis Majus, Iunius, Iulius totam ferè vrbem denſatis funeribus impleverunt. Numerati non raro trecenti, quos vno die vis morbi aſſumpſerat: hinc annum illum, annum mortalitatis hodiéque cives vocant. Iterum feſtivè VIRGO TABVLARVM orata, & exorata eſt. Conſules namque vrbis mœnia Candela cerato lino goſſipióque circumdederunt, bis mille ulnarum longitudine: quod deinde volvente circùm rotâ glomeratum Magnæ Tabularum Dominæ reverenter oblatum conſecratúmque accenderunt. Non tulit cerei huius flammam peſtiferæ luis ardor: fractus, & mox eſt prorſus extinctus.

Adjungo tertium. Anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo octavo (prô ter infauſtum ſæculum!) 25. Sept. interitum vrbi

mina-

minabantur nubes, tonitrua, fulmina, & cum denſiſſimis imbribus trilibris grando, quæ arbores diſcerpſit, animalia obtrivit, domos multas concuſſit, aliquas etiam evertit. Conſules unicum, quod in tempore occurrit, remedium arripiunt, claves vrbis Virginis ad pedes deponunt: ſervaret ipſa, quod ſuum jam diu eſſet: imperaret cælo Cælorum Domina. Penetrârunt tam ingenioſæ preces quantumvis iratas nubes, ſuáque virtute ſtiterunt elementa, non expectatura è cælo imperia, quæ conſules poſtulâſſent.

Tot, tantorúmque prodigiorum ne obliviſcerentur poſteri (& heu! liber ipſe interijt) Monſpelienſes, ritu cæterà non uſitato, feſtum diem inſtituerunt, qui feſtum Miraculorum Marianorum hodieque appellatur. Cœpta eſt hæc ſolemnitas celebrari anno à partu Virginis milleſimo centeſimo octogeſimo nono, primo Septembris, auctore Joanne Montaureo Epiſcopo. Actæ quot annis in Tabularum templo ſolennes vigiliæ ultimo Auguſti ad octavum uſque Septembris, Naſcenti Virgini conſecratum. Supereſt etiamnum oratio hac celebritate Miraculorum cantari ſolita, quæ quia tantùm non ſola hoſtium Marianorum furori ſubducta eſt, non meruit hic omitti: ſic habet. Oratio.

Deus, qui præſentem diem in hac glorioſæ Virginis MARIÆ Eccleſię Miraculorũ tuorũ initijs decorâſti: tribue, quæſumus, ut ſicut in ipſa, & per ipſam à morbis curamur in corpore; ita à peccatorum contagijs liberemur in mente. Per Dominum noſtrum JESVM &c.

Narrationem de hac Imagine ad me miſit R. P. Benedictus Bennefoy Societatis JESV è Collegio Monſpeliano.

XIII.

Imago B. V. Miraculoſa MIANENSIS.

Miani in Sabaudia

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ego aurum nitens immaculata Deipara.*

1. Ruina lamentabilis.
2. Mons à dæmone dirutus.
3. Sacellum B. V. eſt munitio.

QVEMADMODVM non infrequenter ſalutem ex inimicis accipimus, ita non rarò contingit, ut Deiparæ honor cultúsq; per ipſos etiam dæmones, omnia alia cogitantes, non perfunctoriè promoveatur.

Fridericus II. Imperator, toti Eccleſiæ gravis, anno demum milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono, Concilio Lugdunenſi deſijt eſſe tolerabilis. Etenim quòd, ſe præterito, in ſacri

exercitûs Ducem Ludovicus Galliæ rex electus eſſet, Epiſcopos ac Cardinales paſſim in itinere captos, carceribúsque mancipatos docuit, Eccleſiam pro Imperatore habere Tyrannum. Nec deſuère, qui ejuſmodi mandatis, ultra quàm juberentur, parêrent. Hos inter quidam fuit Joannes Boncicardus, qui, licèt in contrarias partes tractus, ac prioratu in urbe S. Andreæ Canon. Regularium S. Auguſtini donatus eſſet; ferociam tamen non exuit. Etenim ſimul ac loci dominus factus eſt, ejectos per nefas Religioſos ad hoc, de quo loquimur, Deiparæ ſacellum compulit. Hîc afflictis rebus opem poſcunt exules, ſéque Virgini impensè commendant. Vix fuſæ preces, vix in cælum elatæ, auditæque; cùm inductæ cælo ſereno ſpiſſæ nubes, noctem triſtiſſimã non ſine multorum metu portenderunt. Etenim vigeſimo octavo Novembris, horâ poſt meridiem nonâ, annuente DEO, cacodæmones partem vicini montis Grenierij emolientes inter fulgura & grandines in ipſum Monaſterium præcipitârunt. Ita Boncicardus cum ſuis in prima cœna inter pocula ſepultus eſt. Nemo piorum fuit, qui hominem lugeret, tot ſecum innocentibus in exitium tractis. Etenim cum monaſterio vrbem integram, ſedecim pagos, ſeu paræcias, univerſim ſex millia hominum ruina hæc obtrivit.

Tyrannis

Tempeſtas.

Nec contenti hac ſtrage mali dæmones, montem Grenierium ab imis ſedibus eruere tentârunt. At eorum conatibus obſtitit Deiparæ, de quo nunc ſermo, ſacellum; in quo coram Virginis ſtatua, dudum jam miraculis clara, Religioſi, dum fractus illabi videbatur orbis, aſylum quærebant, hactenus nec plus ultrà imber lapideus deſævijt. Auditi per aëra horrendi clamores vociferantium: impediri, ſe quò minùs totum cum radicibus evulſum montem in omnẽ latè regionem diſijciant.

Mons.

Hodie ſtatuam B. Virginis miraculoſam curãt in adjuncto Monaſterio Religioſi S. Franciſci de Obſervantia. Plurima refert Hiſtoria typis auctoritate publicâ impreſſa, quam ad me miſit R.P. Sebaſtianus Bartoquinus Rector Collegij Camberienſis.

XIV.

Imago B. V. Miraculoſa CAESTRENSIS *Caeſtræ in Germania.*

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.

Anagr: *Pia, Munda, Iuſta, Alma Creatorem genui.*

1. Cantus avium prodit ſcelus.

2. Virginibus cælum parentat.

3. Ingrata ſalus ex inimicis.

Peregrinatio. COLITVR Imago B. V. Miraculoſa in Caeſtrenſi pago Caſſetum inter & Ariã. Septimô, vel, ut alij volunt, nonô ſæculo, navis in Anglica tres virgines nobiles in portu Donckercano expoſuit, ituras Romam, viſuráſque Martyrum monumenta. Facile fuit ignaris & ſine duce in Flandria aberrare à via, quæ, ſi non continua tunc, certè raris interrupta urbibus ſilva erat, Normannorum latrocinijs, Flandriâ paulò antè vaſtatâ, opportuna. Deprehenſæ ab his, cùm nollent, quæ ipſi vellent, jugulatæ, veſtibúſque ſpoliatæ ſunt, futuræ pabulum feris, ſi quas hominibus feritate pares ſilva aleret. Nõ diu admodũ jacuêre cadavera, cùm tranſiens equo nobilis (Ordinis militaris equitem refert pictura) cantum avium inſuetum ex propinquo audit. Miratur primùm, tum etiam è ſervulis unum exploratum mittit, qui ſonum ſecutus, locum, ubi jacebant cadavera, invenit, & mox ad dominum viſa retulit. *Cæcus.* Eques, quantumvis utrôque oculô orbatus, plùs tamen ipſo oculatô ſervulo vidit, ſacrúmque aliquid, & divinum mente concepit.

Ductus igitur ad locũ, ſanguine, qui recens adhuc è vulneribus fluebat, oculos linit, utriusque oculi uſum momento temporis recipit. Domum reverſo Deipara apparet; jubétq; in loco, ubi poſt dictam ſalutationem Angelicam oculos ſanguine virgineo unxerat, ſacellum ſibi ædificari, ſanctarúmque Virginum corpora reponi: id mereri ſupplicium, quod pro pudicitia ſuſtinuiſſent. *Apparitio.* Structum ſine mora ab equite ſacellum; poſitáque Virgini Deiparæ ſtatua, quæ tot jam ſæculis miracula patrat. Atque ut bella nonnunquam pietatem accurrentium non parum ſtiterint, ſemper tamen reductâ pace redijt antiqua pietas, cujus monumenta utinam ſæculo ſuperiore ignis, quem Geuſij accenderant, non abſumpſiſſet. Repertus tamen ex antiquis codicibus unus, qui præter alia miracula etiam memorat, non infrequens fuiſſe, pueros ante baptiſmum mortuos, altaríque impoſitos, reviviſcere. *Baptiſmus.*

Novem omnino ibi enumerantur, qui ab anno 1494. uſque ad annum 1496. revixerunt, adjunctis quoq; teſtium juratorum nomini-

minibus & menſis die. Illud præ cæteris memorabile eſt: anno 1496 quarto Sept. edita proles eſt mortua, totáque die jacuit ad altare B. V. in Strazele, etiam miraculis clarâ, poſtero deinde die totô ad hoc altare in Caeſtre, demum integrô triduô in ſepulchro: cùm prolis pater, Petrus nomine, ſuperveniens, auditâ filij morte, novâ in Deiparam fiduciâ ſuis manibus filium è ſepulchro eruit, iterúmque aræ B. V. imponit. Illicò viſus eſt non obſcurè vitæ ſigna edere: nam & manus movit, & pedem attraxit, dum Baptiſmi Sacramentum reciperet: quô acceptô, quia vivere deſijt, ad ſepulchrum reportatus eſt.

Hæc omnia ex authentico, & pervetuſto templi codice, à quo picturæ quædam antiquæ non diſcrepant, excerpſit R.P. Thomas Neuvle R. C. Belliolani, & ad me miſit.

***

X V.

Imago B. V. Miraculoſa CANCELLADA.

Inſulis in Germania I.

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ego mitis, pura, immaculata, veneranda.*

1. Filum è glomere cæleſti.
2. Situs ovantium diuturnus.
3. Militum vera pœnitentia.

Imago. INSVLENSIVM (Belgij è primis urbibus una eſt, quam Galli Lille linguâ ſuâ vocant) tanta ſemper in Virginem pietas fuit, ut ſeptem omnino Imagines miraculoſas, nec fortè ſine myſterio, Deipara diverſis in templis numeret ipſâ in urbe, decem alias miraculis quoque celebres in vicino circùm agro, non niſi brevi ambulatione ab urbe diſtantes. Hoc nempe eſt, favoribus Virginis gratiſſimâ obſidione ſic cingi, ut extra conſpectum Patronæ ſuæ nec domi, nec foris conſiſtere pientiſſimis civibus liceat. Atque, ut fortiſſima propugnaculis ſuis urbs olim ceſpite murato, tormentis, & quæ præ muris ſunt, fortiſſimis pectoribus defenſa ſemper ſit; noſtrâ tamen ætate Cancellis, velut cataractis, hoſtem anno 1641. ab ingreſſu prohibuit: ac ne alius fortè, quàm cui debetur, liberatæ urbis honorem auferret, anno quoque 1645. Hoſtes. appropinquante ad mœnia iterum hoſte, per eoſdem iterum, quos dixi, cancellos, ſeu, ſi mavis, cataractas proſpexerunt illæſi cives hoſtem ſuum, illæſâ urbe, abeuntem.

Tria omnino ſæcula ſunt cum dimidio, ex quo magno in honore eſt Statua quæpiam Deiparæ in templo Canonicorum, D. Petro Apoſtolorum Principi dicato. Hæc Cancellis cingitur, Deipara

Cancellata à Majoribus appellata eſt. Ad hos, inquam, Cancellos nuper ab hoſte cincti cives confugêre, Patronæ ſuæ ſupplices, cui liberatam urbem debent. Statua hæc tribus, ut dixi, ſæculis cum dimidio, beneficiorum copiâ ſic incolas accoláſque obruit, ut, quod inter omnia maximè primum fuerit, unde cætera duxerint originē (quantum quidem ad me perſcriptum eſt) ſciri nequeat.

Horruêre jam olim mali dæmones locum; etenim huc ubi pertracti ſunt energumeni, atque ante Statuam Deiparæ collocati, ne ſibi malè eſſet, malè facere hoſpitatoribus ſuis nefarij inquilini deſtiterunt, eóſque, quos tam gravi ſervitute preſſerunt, libertate donârūt, non auſi, præsēte Dominâ, ſervulorū minimo dominari. Energumenæ.

Hodie nunquam non ſunt, qui templum hoc frequentent, diebus tamen Sabbathinis & Lunæ celebritas major eſt & concurſus. Totam urbem ſi Marianam dixeris, non aberraveris à vero; etenim ut jam ab antiquo MARIÆ tota fuerit dicata, noſtrô tamen ævô majore, quàm unquam, pompâ Deiparæ dedicata ſic eſt, ut & nomen ſibi Magiſtratus à Virginis titulo piâ ambitione aſſumpſerit, & ſe CANCELLATVM dixerit 28. Octorbis, eô annô, quem Lemma hoc Geographicum poſteritati loquitur.

B. V. MarIæ CanCellatVs ſenatVs popVLVſq; JnsVLensIs ConſeCrabant.

Ita ad me R. P. Thoſſanus Bridoul.

XVI.

Imago B. V. Miraculoſa MESSINENSIS.

Meſſinæ in Germania I.

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr: *Margarita Cæli ſum, Nivea, aptè munda.*

1. Fumus venditur inter ſacra.
2. Lucri ſemper bonus odor.
3. Pridiana ad feſtum præparatio.

Amazones. MESSINIS Flandriæ oppidum eſt, tribus Inſulâ Iucis diſſitum: hic loci Virginis Deiparæ ſingularis cultus principium ſuum habet à tribus virginibus, quæ, ut ruſticæ fuerint, Amazones tamen fuêre, ut quæ è prælio, quod eis cum viris militaribus fuit, ſine vulnere diſceſsêre victrices. Rem memoro, qualem, ni fallor, orbis non vidit univerſus, ex quo gentes eſſe cœperunt.

Exiêre ſimul cum pecoribus in campum puellæ tres, daturæ paſcua animalibus. Ruſticanæ quòd fuerint, & agreſti in caſa educatæ, virtus non horret, quæ ſub ſordido palliolo non rarò ſecurior eſt.

Vide, lector, virtutem & ſtupe, vide

vide prælíandi modum, & imitare. Apertus campus eſt: puellæ non niſi tres: tenera, & timida ætas, ac ſexus, nec ulla ſperantur auxilia. Superveniunt hoſtes, & quia milites ſunt, ad multos paſſus conſpecti jam metum incutiunt, qui etiam in conſtantem virum, nedum fœminam, cadere poſſit. Tres eorum omnino ſunt: hi viciniores facti, prælium puellis indicunt, in quo, quia nec ipſi quidem puellas vellent eſſe timidas, ponere jubent metum, ut qui non vitam, ſed honorem tantùm ablaturi advenîſſent, tres Martes contra totidem Veneres. Stupuerunt puellæ, ut quæ tamen craſſos amores nunquam vidiſſent, quantumvis ruſticæ eſſent: & jam cum militibus ipſas urbes odiſſe cœperunt, in quibus plebs tam inconcinnè ruſticaretur. Dixêre, quæ Virgines debent, ſoléntque: irent ſanè, ſi viri eſſent, ad viros; ſi milites, ad caſtra: huic bello, quod ipſi pararent, nullam eſſe ſalutem, nec pacem acceptaturas, quam ipſi offerrent. Honorem ſi deſiderarent, apud viros quærerent, & honori fœminarum, ipſis non profuturo, deſinerent inſidiari: ubi vim illaturi eſſent, & è militibus futuri leones, proſpecturos è pago amicos, & præuſtis ſudibus ſuaſuros fugam.

Pugna.

Virginitas.

Circumſpexêre parumper milites, num, quæ Pentheſilea hæc jactaret, auxilia eſſent metuenda; at ubi vacuum hominibus campum vidêre, & neminem, qui ſive victas laudare, ſive vituperare poſſet victores, agreſtiùs deditionem urgent: illæ majore verecúndia reſiſtere, ut homines non adeſſent, quos metuerent, DEUM tamen non abeſſe, & Angelos, quibus ſpectaculo futuri eſſent. Is, inquiebat una, totus oculus eſt, cavete, &, ſi clamaverimus, etiam audiet, quia totus auris eſt: quòd ſi tam Martios geritis ſpiritus, ut nec Superos, nec ipſum, qui tam iniqua punit prælia, timeatis DEUM, inducias ſaltem exiguas concedite viri fœminis. Peroravit virginea eloquentia, & vel ab invitis extorſit petitas inducias.

Verecundia.

Itaque tres cælo dilectæ Charites in genua provolutæ, cælum ſuſpiciunt, tum Reginam cæli, & innocentiæ ſuæ teſtem, & tanto in periculo Patronam invocant. Ipſa, quæ teſtis in cælo fidelis eſſet, videret, quæ in totius cæli conſpectu jamjam facturi eſſent hoſtes, à quibus vix pauca induciarum momenta impetrâſſent: cæli Regina, terræque Domina cùm ſit, auxilium porrigere afflictis poſſe; Regina Virginum cùm ſit, virginibus etiam debere: ad adjuvandum itaque feſtinaret, ni confundi vellet ſpem in ſe ſperantium, & eas perire, cum quibus multorum ſpem perire neceſſe eſſet. Hucuſque in ſubitis caſibus remedium unum unicúmque apud omnes fuiſſe creditum, interpellâſſe Reginam Virginum. Quòd ſi ipſæ, quæ Virgines eſſent, negligerentur, creditum poſthac iri, neque Deo, neque Matri ampliùs ea in æſtimatione eſſe agreſtes, & paſtoritias animas; quâ fuiſſent, quando primi, necdum notum in

Oratio.

Ju-

Judæa DEVM ſalutârunt paſtores: ſic quoque paſtoritiam agere vitam, & operâ, & numero illis pares, innocentiâ certè non inferiores, paria mereri poſſe. Si præterirentur, non probaturos Angelos Reginæ ſuæ novum factum, miraturas Virgines, quotquot inter ſidera cælo inſertæ micant, quæ nunquam eam in ſimilibus periculis fruſtra invocâſſent. Jámque finem non profuturæ orationis ægrè expectabant milites, cùm ecce! poſtulatum in tempore auxilium.

Auxilium. Quid expectas, lector? fulmina, quæ MARIA Tonantis Mater mittat? non ſolet, quando & ipſi quandoque Filio fulmen extorquet. An dæmones, qui impios abripiant? vellent, ſi poſſent. Intellige, lector, & mitiſſima cæli Reginæ conſilia mirare. Quis crederet, ſic futurum bene puellis, ut militibus eſſet non malè? Ne te ulteriùs detineam, néve negligas tantum portentum, ipſas puellas intuere: & ecce, ut ſenſim, & ſine ſenſu dehiſcente ſub pedibus ceſpite terra orantes in gremium ſuum recipiat! Jam cingulo tenus (Miraculum.) demerſæ ſunt, jamque non niſi capita, & ſummæ precantium manus cum humeris eminent; jam ipſa ſubſidunt capita, ſic coëunte ceſpite, ut mutâſſe vices elementa credas, quando aliter aqua demerſas recipere nequiviſſet. Nec defuit timor, & quidem ſalutaris, qui milites plecteret, quibus Diva Virgo inſontes eo malo ſubtraxit, quo ipſi ſontes abſtrahi debuiſſent: etenim & ipſi ſanioribus conſilijs hoc portento imbuti, quæſiêre pœnitentiæ locum inter feras, feritatis ſuæ ſimul & fœditatis pœnas daturi. Relictâ itaque apud (Pœnitentia.) vicinos totius eventûs memoriâ, ſilvas petiêre, atque ex militibus facti Eremitæ, dignos fecêre fructus pœnitentiæ.

Fuit, cùm anno 1060. Balduini (Cocus.) Flandriæ Comitis cocus, cui Landrico nomen fuit, jam dudum regio morbo afflictus, dormiens à neſcio quo moneretur, in ſilva tanti mali remedium fore, ducerctúrque interno, quem Superi indiderant, inſtinctu ad hunc, de quo dixi, locum. Vbi cùm vix parùm viridi ſuper ceſpite obdormiviſſet, repentè evigilans abijſſe malum ſenſit, & nullum ibi pietatis veſtigium conſpicatus, quærere inſtitit apud vicinos. Ex quibus ubi intellexit, haberi traditione perantiquâ defenſas à Virgine Deipara tres virgines, quas terra abſorbuiſſet; redux in Galliam heræ ſuæ, quæ expertus eſſet ipſe, quæque ex alijs intellexiſſet, refert. Adelhais (hoc Comitiſſæ nomen (Adelhais.) erat) ipſa confeſtim è Gallia in Flandriam proficiſcitur, atque ubi, quæ famulus retulit, ab indigenis confirmata ſunt, ſubmoto reverenter ceſpite, terræ aliquantum erui jubet. Et (quæ Superûm eſt providentia) capita Virginum (Miraculum.) cum humeris & ſummis manibus conſpiciunt, & remotâ demum cautè omni glebâ, eo prorſus ſitu geſtúque Virginum cadavera reperiunt, quo eas olim terra receperat.

Tantum, quod terra tamdiu abſcon-

ſconderat, portentum liberales fecit, quotquot ſpectatum venerunt vel accolæ, vel peregrini, è quorum liberalitate non difficulter ſtructum eſt templum, oſſibus, in quibus olim tam pretioſæ vixiſſent animæ, decentiùs cuſtodiendis. Quanquam & templi, & Monaſterij, & ipſius quoque oppidi fundatrix credatur ipſa Comitiſſa anno à partu Virginis milleſimo ſexageſimo, quo hæc, quæ dixi, contigêre; quæ templum Deiparæ dedicari voluit, & filio Roberto Comiti Flandriæ pietatē Marianā teſtamento reliquit: qui anno milleſimo octogeſimo, quarto Nonas Februarij, magnis templū hoc privilegijs auxit: quia viſis (inquit) tot miraculorū ſignis in eodē loco placere evidentiſſimè comperi aliquid ibi omnipotenti DEO. Ipſe Hieroſolymæ Patriarcha Guilielmus, Adelhaidis Comitiſſæ propinquus S. Crucis partem Virgini Deiparæ dono miſit. Placuiſſe donum Deiparæ conſtat: nam ter noctu Comitiſſæ per ſomnium viſa imperavit, ut hoc S. Crucis lignū publico exponeretur, & annuâ ſupplicatione circumgeſtaretur: quin ipſam, per quam duceretur, viam filo ſerico rubro deſignavit, quod ſūmo altari alligatum ſic Deipara evolvit, ut, per quas placebat vias, circumductū, eidem altari religaret glomeris finem, à quo traxerat principium. Rem totam Comitiſſa, inſtitutâ Romam peregrinatione, Alexandro II. Pontifici aperuit, & proceſſionis annuæ confirmationem obtinuit 14. Septembris, ipſo feſto Exaltationis S. Crucis.

Templum. Patriarcha. S Crux. Filum.

Hiſtoriæ hujus narrationem Gallicâ linguâ Ipris impreſſam accepi à R. P. Ægidio Meeſe.

XVII.

Imago B. V. Miraculoſa TVNGRENSIS, *Tungri in Germania I.*

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr: *Tota munda ivi, ignara ſemper maculæ.*

1. Felix Hectoris cæcitas.
2. Odor cæleſtis ſuperat frigus.
3. Translatio mirabilis.

Eſt illa è ligno gypſato, nec pedes duos excedit: faciem habet oblongam, colore, qui ad caſtaneum vergit, oculis amœnis. Ipſa quidem Mater in exedra ſellaria, tanquam in curru triumphali, ſedet: Filiolum verò non brachio, ſed ſinu geſtat. Hanc Statuam anno 1081. divinitus allatam eſſe, nemo eſt, qui neſciat; uti nemo quoque eſt, qui ſciat, unde allata ſit. Si unam ex antiquis dicerem, quas unà cum templis tot antè ſæculis Hunni afflixerunt; imò ſi ipſam illam eſſe dicerem, quam S.

Ma-

Maternus Virgini ſtatuerat, ſine ullius Scriptoris auctoritate id aſſererem; non tamen ſine magna veriſimilitudine: nec difficulter Mariophilo perſuaderem. At relinquamus Antiquitati ſecreta ſua, tenebris nunquam profuturis recondita; & hujus, quæ hodie in veneratione eſt, Statuæ prodigioſum adventum memoremus.

Habuit ſex ante ſæcula locus, de quo loquimur, nobilem proſapia Toparcham. Hectori nomen parentes indidêre: &, ut videas, quàm ſæpe rebus ſua nomina conveniant, hunc ſcito eſſe Marianum Hectorem, cui fortè parem mundus Achillem ætate illâ dare non potuiſſet. Hujus ætatem jam per ſe ſeneſcentem triennalis ægritudo afflixit; offuſa nimirum oculis cæcitas propè exitialis. Sic nempe honoratur, quem DEVS honorare vult: ita ad favores præparantur dilectæ cælo animæ. Hujus præ alijs hortũ, arci continentẽ, elegit Deipara; nec aliud expectabatur, quàm dies tanto portento
1051. dignus. Is erat Febr. ſecundus, quo Filium MARIA Jeroſolymam Patri offerendum deportavit: cujus pervigilium cum tota domo patrem familias piè celebrâſſe, atque ad ipſam ſequentis diei feſtivitatẽ ſe parâſſe, nemo, credo dubitabit, qui, quæ ſequuntur, lecturus eſt.

Jam nox media vel aderat, vel imminebat; cùm ſplendorem familia in horto vidit non ordinarium, cujus teſtis cæcutiens Hector eſſe non poſſet. Accepit etiam paulò pòſt ſplendor hic, nec è cælo, nec è terra ortus, incrementum: demum, ſi de horto caſtri ſolo intelligas, in plenam uſque diem, ad ſolis uſque invidiam, excrevit. Cæleſte quid eſſe, & lucis ſinceritas, & ſenſus cæleſtis, quo Lux corda intuentium delibuta ſunt, non obſcurè portendebat. Succeſſit luci odor plùs quàm Sabæus, quia cæleſtis; qui & Februarii glaciem, & noctis rigorem ſuperavit: demum etiam ſymphonia cæleſtis ex longinquo audita: quæ ubi propiùs allapſa eſt, & diſtinctiùs audiri cœpta; deprehenſum eſt, & lucem, & cum odoribus muſicam medio in horto horam integram cum dimidia ſubſtitiſſe, & non niſi media poſt mediam noctem horâ in auras abijſſe. Repertus in arce eſt, qui ſummo manè auderet hortum ingredi, & explorare prodigium: qui ubi Statuam Deiparæ reperit, accitam protinus totam cum hero familiam muneris divini facit certiorem. Vidit Hector arcis dominus ſalutem domui factam; nam & ægritudine, quæ triennio hominem Hector. afflixerat, liberatus eſt, & liberatum ipſe vidit, quia oculis quoque viſus eſt reſtitutus.

Ita comperto beneficio Centurionem Evangelicum indutus, & ſeipſo deterior indignum ſe exclamat, ſub cujus tecto tam prodigioſa Statua hoſpitetur. Ergo quamprimùm, per evocatum è ſubjecto arci pago ſacrum Curionem, Statuam in uſque D. Martini templum Parochiale delatam ſequitur, illic cultu bonóque publico decentiùs habendam. At verò ſubſecutâ nocte eadem, quâ pridie, horâ, eadémq; luce, eadẽ quo-

queque cantu, odorúmque fragantiâ, reportata in locum eundem eſt Statua. Credebatur poſtulari à Virgine ſplendidior comitatus, quàm pridie habuerat. Itaque Parochum ſecutus populus pompâ pro loci ritu magnificâ, jam ſecundùm in eandem S. Martini ædem reducit Statuam; eámque Parochus non ſine magna agreſtium religione in ara collocat. Sed iterum nocte concubiâ, iiſdémque, quibus pridie, cæleſtibus pompis, eadémque horâ in hortum redit è templo. Sed etiam tertiùm redire juſſus manè Parochus Statuam è cubiculo (in quo ex horto deportata tantiſper quieverat) pridiano ritu, jam tertiùm templo infert. At verò & ipſa Statua tertiùm templo egreditur, & inter odores cantúſque cæleſtes in hortum redit.

Ceremonia.

Nemini jam dubium fuit ambiri à Virgine hortum, quem non cunctanter horti dominus Hector pro templo deſtinabat. At verò major hæc res viſa eſt, quàm quæ vel profanis manibus, vel ab uno loci Parocho tractaretur. Itaque Gerardo Cameracenſi Epiſcopo res, ut erat, indicatur. Is, ne quid pro vero, quod fictum eſſet, auctoritate ſuâ approbaret, auſus eſt præter conſuetudinem quartum (vel ſi mavis, quintum) è cælo prodigium petere. Quare miſſis quatuor doctrinâ virtutéque conſpicuis viris tentorium medio in campo tenditur, ſub quo pernoctarent. Interea ritu ſolemni è caſtro in templum Statua jam quartùm deportatur, nemine non expectante tanti portenti jam quintam repetitionem. Nec defuêre, qui non neceſſario, & nimium ſcrupuloſo examini obtrectarent. Si fides deſideretur, fidem publico non deeſſe; neminem eſſe in pago, qui non vidiſſet: quid clariùs optari poſſit, quando non lippis modò, ſed & cæcis res eſſet viſa? Si fides oculis non haberetur, haberetur verbis, in quæ præter loci dominum, quotquot pagus habet incolas, faciè juraturi eſſent; ſine culpa non eſſe, jam quartùm fatigare Superos.

Teſtes.

Contradictio.

Ergo omnes omniũ oculos deceptos? ergo omnes falſum juraſſe, ſi cælum pro paucorum Sacerdotum libitu in vota etiam nunc non deſcendiſſet; perituram præteritorum fidem? orari Superos velle, non tentari. Repertos fontes non rarò nimiâ indagatione obſtrui, & ſiccari: ſcirent, ſi quidem Sacerdotes eſſent, Superum favores eſſe delicatos, rarò & tardè obtineri, momento perdi: nunc non cogitantibus ſæpius obtruſos tantùm non abjici. Quem damna reſtauraturum, ſi ſupervacuâ inquiſitione perennium gratiarum obſtruatur fons? quem revocaturum Statuam, ſi alias in terras aſportetur? Hæc illi. Nec diſplicuêre cælo non injuſtæ querelæ, quia recto ex animo profectæ.

At verò nec Præſul cogi vel poterat, vel debebat, ſuâ auctoritate tantum firmare portentum, quod nec per ſe, nec per ſuos priùs exploraſſet. Mundus, inquiebant alij, totus nunc in maligno poſitus eſt: dicit multa, non pauca fingit auri ſacra fames. Lucri bonus odore-

dor ut ſit ex requalibet, è ſacro tamen ubi venit, Thymiamatis quiddam habet, & ſuaviùs afflat: jam plùs ſatis hac in re Sacerdotes eſſe infames, ut qui ficta pro veris inter ſacros fumos vendere paſſi credantur. Veritati primùm, deinde horum quoque honori, non invitis Superis, conſulendum eſſe, atque ut Tungrenſes incolæ cœtum facerent, pleróſq; tamen ruſticos eſſe, & juris civilis rudes, divini omnino expertes doctiùs loqui, ubi ſermo de colendis agris, quàm cùm de colendis Cæleſtibus inſtituitur.

Dum hæc ultro citróque ſermocinantur, adeſt hora: neque deſeruit cælũ quatuor virum expectationem. Vident enim, audiunt, atque olfactu percipiunt, quæ jam quator antę viſa, audita atque olfactu ſunt percepta. Quid plura? Statua è templo à cæleſtibus Genijs decenter accepta inter odores, cantus, lumina, eundem omnino in hortum, eundem in locum importatur. Ipſi quatuorviri, deſerto tentorio, ſecuti præeuntes, auxêre pompam. Omnia denique rite Epiſcopalibus litteris teſtati, firmarunt rebus fidem, ad poſteros faciliùs propagandam. Itaque Hector ſine mora hortum ſuum Virgini obtulit, ſucciſum in fundamenta templi aptavit, fabricam urſit, quam liberalitas incolarum non modicè juvit, & accolæ, quos fama acciverat, vehementer auxerunt. Hoc eodem anno, ut habet hiſtoria Gallicè impreſſa die 28. April. cùm cæmentarijs deeſſent lapides, calx & arena ad operandum ſequenti die nocte præcedente tot lapides advecti ſunt, quot viginti currus vehere vix poſſent, & tantum calcis & arenę, quantum perficiendo ſacello ſatis erat; & hoc ſine curribus & equis. Viſa fuit duntaxat Virgo Deipara habitu candido, inſtar peregrinæ, hæc omnia diſponere. Hinc in dies aucta pietas, in hunc uſque diem ſincera perſeverat, nunquã non miraculis teſtante præſentiam ſuam Deiparâ Virgine. Perſeverat quoqne in hæc uſque tempora annua & nocturna proceſſio, ſecundâ Februarij, quâ primùm delata à cæleſtibus Genijs Statua eſt. Adde, quòd & ſolenne ſacrificium, primâ poſt medium noctis horâ, ex indulto Pontificio cantari ſolitum, celebritatem non paulò inſigniorem reddat. Hanc Imaginem vicini Athenſes præ alijs colunt.

Miraculum. Miraculum. Proceſſio

Plures hac de Statua ſcripsêre, non nihil inter ſe differentes; ego ſecuriora ſecutus ſum, narrationẽ imprimis, quam mihi perſcripſit R. P. Marcus Xoſcorvaix collegij Athenſis Rector. Scripſit Gallicè hiſt. Tungr. Virg. R. D. Georgius Huartius, ejus loci Parochus. Scripſit Latino & eleganti ſtylo P. Philippus Servius Societatis IESU. Complexus eſt carmine elegiaco P. Ioannes Vincartius ejuſdem Soc. IESU, in opuſculo ſuo poëtico de cultu Deiparæ lib. 3. n. 14. Caniſ. l. 5. c. 14. Locrius, f. 461.

Ad jungo eſt omnibus miraculum unum, quod eſt Vigeſimum primum. Petro Tarneſio Abbate Ciſonij defuncto, electus eſt à Ca-

pitulo Dominus Joannes Landhemius, vir omnino præclarus, prætcrito quodam alio, qui hanc dignitatem ambiebat, tanquam indigno & in capaci. Hic irâ percitus cubiculum dormientis Landhemij ingreſſus cum duobus ſervulis, collo laqueum induit eumque è laqueari cubilis ſuſpendit, fortiter premit, & denique ſtrangulat, & mortuum demittit eúmque intra lectuli lintea recondit, pendente ad collum fune, & obſeratâ bene portâ, cum ſuis recedit. Porrò bonus hic antiſtes lethales ſentiens anguſtias, ſeſe Deo commendârat & noſtræ dominæ Tungrenſi, quã ſingulari affectu proſequebatur. Exoratâ luce, quæ ejus Benedictioni erat deſtinata, mirari omnes cæperunt, abeſſe illum, propter quem omnes cæteri adeſſent. Curritur ad cubiculum, pulſantur fores, nemo tamen reſpondet: quæritur ſervulus; ſed ille jam Tornacum aufugerat ſceleris particeps. Diffracto itaq; oſtio invenitur in lecto, laqueo ad collũ hærente. Theodoricus homicida fronte perfricta deſperâſſe eum ait, & ſibi ipſi mortem conſciiſſe: utique non ſine Numinis providentia electionem fuiſſe reprobatam & ſibi reſervatam. Interim cadaver affertur ad locum Capitularem, ſuper lugubrem panum deponitur & cooperitur, Cuſtode novitio nepote ejus, cæteris properantibus in templum, ut ſacrificio Miſſæ cantato interſint. Nolâ verò conſecrationis ſignum dante, Novitius in has voces erupit: O Domine Landhemi, mi avuncule, placeat DEO & Virgini MARIÆ animam tuam recipere! O avuncule! avuncule! quanto mærore propter mortem tuam conficior? Reſpondit ita loquenti Cadaver: *gaude, mi Nepos, non ſum mortuus.* Novitius, his auditis, inter metum & gaudium ad Chorũ properat, & voce, quantâ poteſt, clamat: Non eſt mortuus avunculus meus: mihi jam nunc locut⁹ eſt. Religioſi ad unũ omnes ad locum properant, & D. Landhemium offendunt, honeſtè panno contectum & flexis genibus orantem; quem ita, ut erant, veſtitum ad chorum adducunt. Ubi attentiſſimis auribus omnes adſtitêre audituri, unde hæc veſtis, imò unde vita & ſanitas. Tungris, inquit, venio; ibíque, accepto ad uſum breviario & veſte paſtoris, Domini Joannis Nazareti, ſacrum feci ad altare B. Virginis: ibi reliqui funem, quo ſtrangulatus ſui: neſcio tamen, an hæc in ſpiritu tantùm, vel in ſpiritu & corpore ſimul contigerint. Factâ rite inquiſitione, omnia rite Tungris paria narratis ſunt inventa. Rei poſtea ſupplicio affecti, & D. Landhemius acceptâ benedictione factus eſt Abbas Ciſonij, & triginta annis cum laude præfuit: quibus finitus, de Capituli Conſenſu, nepoti ſuo reſignavit, & ſex reliquos vitæ annos Tungris piè impendit, ſepultus Anno 1258.

Novitius.

Supplicium.

XVIII.

XVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
SICHEMIENSIS.
Sichemij in Germania J.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Una ſemper Imaculata Virgo DEI nata.*

1. Pœna innocenti gravis.
2. Pietas ſemper creſcens.
3. Miranda non ſemper ſunt miracula.

DISTAT Sichemiùm quinque leucis Lovanio, ſex Mechliniâ, novem Antverpiâ, unâ Dieſthemio, novẽ Bruxellis, in cujus finibus medio illinc milliari Belgico collis exurgit leni faſtigio, quem Acutũ vocant: in ejus parte vertuca, ſeu colliculis fuit, & in eo quercus, & in hac B. V. affixa icuncula, quæ culta accolis à tali initio fertur. Centum ab hinc annis paſtor eo in tractu paſcendis ovibus intentus repertam neſcio quo caſu, Imaginem ſuſtulit, ſinuque recondidit, certus eam domum ſecum auferre: parva enim erat, & privato cultui opportunâ. Sed renuebat Imago privatis abſcondi laribus, ambiebátque publicum. Itaque opilio omnibus repentè membris ſtupere, & ſtipitis inſtar conſiſtere immobilis: dum villico tardior opilionis reditus ſuſpicionẽ mali cujuſpiam movit. Quapropter obviam redeunti iturus, hominem offendit in loco, pavidum adhuc & immotum.

Villicus ubi rem ab opilione intellexit, acceptam reverenter Imaginem loco ſuo reſtituit, & unà cum ſervulo, non ampliùs tremente, domum nullo negotio redijt, & paulò pòſt narratam vicinis hiſtoriam per omnem latè regionem vulgavit. Non defuêre, qui narrantibus fidem haberent, locúmque viſerent; nec gratis: etenim morbis, & præſertim febri, ſolennis ac pæne certa ibi medicina fuit. Sed evenit, ut dicta ſtatua perierit, incertũ, quâ vi, quóve caſu. Incidit in annum 1580. quo conſpici ibi Diva deſijt, ſed non coli. Veniebant enim nihilo ſegniùs ad locũ, & opem, ſolatiúmq; petebant: & verò etiam non ſecùs ac antè inveniebant. Sex omninò annis hæc accurrentium pietas duravit: quam cùm non ſine admiratione conſpiceret Sichemienſis quiſpiam è ſenioribus ſenator, etiam durate inter ſicarios, & tela prædonum, ſuffecit aliam D. Virginis ſtatuam, eámque arculæ lignæ prioris loco impoſitam quercui affixit.

Hinc populi in Virginem crevit pietas, & Virginis in populum favor: dum anno 1602. Godefridus, Paſtor Sichemienſis, venerationi augendæ ſacellum è tabulis, opere tumultuario, compegit, avul-

Imago. Villicus. Concurſus. Parochus

ſámq; ab arbore Imaginem honoratiore loco recondidit. Sed ipſâ ligna, ut ſolet, brevi abiêre in lapides. Etenim augeſcente cæli munificentiâ, non multò pòſt ſacellum Virgini aliud è lapide, & quidem fecto, lignei in vicem poſitum eſt, ſolemníque Eccleſiæ ritu ab Illuſtriſſimo & Reverend. Hovio Mechlinienſi Archiepiſcopo dedicatum, tanto hominum è diſſitis longè locis concurſu, ut id quoque inter miranda, ſi non miracula, cenſeri mereatur. Factum hoc eſt idibus Junijs, die, qui tunc SS. Trinitati ſacer fuit, anno 1604. Miracula hujus ſtatuæ Lipſij ſtylo prodiere. Originem è Locrio fol. 465. accepi.

XIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

VULNERATA.

Carbonæ in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Magna Dei mater vivo ſanctè pura mali.*

1. Somnia non ſemper ſpernenda.

2. Hominum præſentia utilis.

3. Iudæi durum ſupplicium.

CAMBERONA nobile & pervantiquum D. Bernardi Cœnobium in Hannonia, ſecundo ab Athenſi urbe milliari, Beatiſſimæ Virginis Imaginem, origine & miraculis jam dudum illuſtrem, etiamnum non ſine circumjacentium populorum cultu ſingulari conſervat.

Iudæus. Fuit, cùm anno 1322. Judæus à ſuis tranſitum faceret ad Chriſtianos, & Baptiſmi aquis ablueretur non profuturis, (nam fidem ſimulavit, non ſuſcepit) jámque candidatus inter Comitis Bergenſis haſtatos numeraretur, cuſtodiende palatij portæ deſtinatus. Sæpe is viam Camberonenſem legebat, relegebátque nunquam non à Cœnobitis hoſpitio exceptus. Credebatur, ut fit, eſſe Chriſtianus, ideóque eâ ſemper ſuſceptus charitate eſt, quâ Chriſtiani ſolent, debéntq;. Fuit hic loci in pariete Imago ex argilla rubra, extantis operis, IESVM in gremio Matris adoratũ à Regibus repræſentans. Imago. Lancinabat impium cor Virginis & Filij honor, multa frequenter cogitabat, nonnulla etiã deſtinabat; ſed, præſentibus alijs, fatale erat perficere cogitata. Fortè ſolum ſe, & ſine teſte videns, bipennem muneris, quod gerebat, inſigne, bis térve in Imaginem vibrat, & argillam fœdè lacerat, vulneraturus ipſum cum Matre IESVM, ſi ferret occaſio.

Effluxit ſubitò è vulneribus rivus ſanguinis quin etiã ejulatus, Sanguis. clamoréſque ex Imagine auditi ſunt tam clari, ut ad aures eòrum pertingerent, qui foris erant in atrio

trio laboribus intenti lignarijs. Accurrit repentè uterque (nam duo erant) tantis vociferationibus exciti: rem, ut erat, deprehendunt, conſpiciunt etiam haſtam ſanguine imbutam, & , qui eam tenebat, Judæum attonitum & non parum timentem. Jámque faber lignarius ſecurim, quam tenebat, impacturus in Iconoclaſtæ caput erat, redditurus non imparem ſceleri mercedem; ſed ab altero (Religioſo quidem, ſed laico) retentus, graviori vindictæ locum fecit.

Volat interim per monaſterium fama: accurritur, colligitur ſacer ſanguis, Imago venerationi (ſed privatæ) exponitur. Atque, ut publicæ quoque liceret, actum à Reverendiſſimo Abbate non perfunctoriè eſt. Judæus ad pœnam poſtulatus, ab utroque foro ſententiam aliam non tulit, quàm perbellum hoc inventum eſſe Religioſorum, divitias, & populorum accurſus ambientium: Judæum Religioſis inviſum, ſanguinem arte factum, ejulatus fictos. Ita Religioſorum dolor incrementum accepit à contumelia, & quidem publica, quia à publico illata.

Æger. JacuitHeſtinis lecto jam ſeptennium affixus Ioannes Flammandus, vir ſeptuagenario non minor, & paralyſi non jam tactus, ſed omnibus membris afflictus, mortem, quam frequenter in ore, ſemper in votis habebat, præſtolans in dies, in horas. Huic Virgo Deipara ſe ſpectabilem in ſomno ſiſtit, quid à Iudæo Camberonæ paſſa ſit, recenſet, jubétque ire Montes, & provocato in publicum Iudæo, honorem ſuum duello defendere, quem non poſſet judicio. Vocat æger Parochum loci, & ſuum, viſa narrat, quid facto opus ſit, poſtulat: ſed mittere fabulas, & ſomnijs fidem negare jubetur. Inſtat Virgo nocte alterâ, Somnia. & ſeveriùs imperat: atque etiam Ioannes Parocho iterum viſa, iterum recolit. Sed quid mirum? inquit ille, ſi ſomnium ſecundum ſequatur primum, quando & anſeres, & grues hoc poſſunt: ſi tamen tertium rediret, aliter ſe reſponſurum recipit, & abit, tantarum rerum finem viſurus, quarum nec principium nôſſet. Nam de re tota toto biennio (tantum temporis interceſſerat) ne fama quidem illuc loci pervenerat.

Itaque tertiâ quoque nocte adſtat Virgo, Ioannem ad iter animat, imperátque, quod antè, duellum, non ſine minis, quæ & ægrum, & cui æger manè recenſuit, Parochum terruêre. Iret itaque Camberonam, & ſiquidem ſimilia viſis facta inveniret, rem totam aperiret Abbati; tum etiam Montes uſque pergeret, & à Comite Illuſtriſſimo duelli veniam poſtularet, provocarétque Iudæum. Surgit itaque confeſtim è lecto Ioannes, & (quod ipſe Iter. præ alijs mirabatur) ſolus itineri ſe accingit, fortè ad domûs ſuæ, vel, ſi multùm, ad vrbis vſque portam duraturo. Quò enim iret paralyticus, quem membra malè ſibi cohærentia non bene portarent? Ivit tamen; & quia dat Virgo, quod jubet, ſenſit ſenſim confirmari

mari nervos, & redire paulatim vires, quas nec juvenis habuiſſet, etiam cum auctario. Venit itaque pedes Camberonam, ubi ad amuſſim omnia viſis paria reperit. Itaque & animus in MARIAM inflammatus Flammando cum viribus priſtinis ſic rediit, vt ſeipſo fortiorem ſe reperiret, cùm Montes ingrederetur. Illuſtriſſimo Comiti in corona multorum omnia non ſine verborum pondere recenſet, vulneratam, ante biennium, Imaginem Virginis Camberonæ, ſuam ſeptennem paralyſin, Virginis terna imperia, reſtitutam miraculo cum viribus ſanitatem. Et verò duello, ait, veritatem afferam, factâ à Comite poteſtate: quam, ut faciat, rogo; imò Mariæ nomine impero.

Duellum Permittitur: ſed nec recuſat Iudæus; paratur arena. Vulgata res ocyùs totam pæne concivit vrbem ad ſpectaculum, quo nobilius ætas illa non vidit. Solis armis pares fuêre pugiles: vtrique modica parma ad corpus tegendum, clava lignea ad feriendum; cætera imparia, ſenex & juvenis, infirmus & validus, civis & ſatelles. Cauſa tamen, & ſpectantium favor incitabant Ioannem. Itaque in arenam deſcenſum eſt: Iudæus innocentiam ſuam memorat, & conſcientiam. Ioannes nictu oculi non ampliùs vno MARIAM invocat, devocaturus è cœlo neceſſarias vires. Mirum, quantâ ferociâ congreſſum ſit orſus improbus laniſta! ictus ictibus ingeminat, quos Ioannes vix parmulâ excipit, vix clavâ excutit, vix ſuffecturâ corporis declinatione vitat. Sed uti per viam vires, ita ipſa in pugna incrementum accepit animus Mariani Monomachi. Reponit itaque paria Ioannes, & non bene cautum ſemel atque iterum malè mulctat, & periculi admonet.

Felix ictus, qui in caput Iudæi plenâ clavâ incubuit, & reum in terram afflixit, jam ſponte confitentem, quod toto biennio nemo credidiſſet. Tunc indicto certaminis fine à Comite, Iudæus, latâ ibidem ſententiâ, carnifici traditus, & de pedibus in furca inter duos moloſſos ſuſpenſus eſt, ac miſerè laceratus, ſuppoſito igne in cineres redactus. Poſtquam pro Virginis honore Montibus depugnatum eſt; vix fuit, qui non confeſtim accurreret Camberonam, prodigioſam viſurus Imaginem. Hæc, veniâ ab iis, quorum intererat, petitâ, & perlubenter conceſſâ, publico expoſita, hodieque miraculis celebrior, quàm antè, colitur. Victoria.

Miracula huius Imaginis deſcripſit Robertus Hautportius Toparcha in Granſars. Georgius Calvenerius SS. Theol. D. Duacenſis in ſuo Calendario Mariano. Et recenter Philippus Braſſarus in libro, quem edidit de originibus Cœnobiorum Hannoniæ lib. 1. cap. 3. Fridericus Fornerus Suffrag. Bamberg. in ſua Palma Triumphali.

XX.

XX.
Imago B. V. Miraculoſa BVSCODVCENSIS.
Buſcoduci in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Munda, ac mira, & pia genui Saluatorem.*

1. Solatium in deſperatis rebus.
2. Militum pietas in neceſſitate.
3. Conceptio B. Virginis honorata.

BELLIS ſuperiore ſæculo afflictâ Flandriâ, miles Hiſpanus, dum ante contubernium, Emplénſi templo adſitum, terram ad munimentum fodit, primos inter ictus tabulam eruit. Videt in ea coloribus expreſſam DEI Genitricis effigiem. Imago. Accurritur à contubernalibus velut ad effoſſum theſaurum: advolat tribunus ipſe Bobadilla; mirantur operis novitatē & colores, quaſi hodie inductos non ſine DEI Numine, id loci, id temporis. Nimirum militibus Hiſpanis, aut ab aquis, aut à fame, aut ab hoſte imminebát tunc exitium; & inſtabat Marianæ Conceptionis pervigilium. Igitur ſupplicantium ritu illam in templum inferunt, atque inter legionum ſigna collocatam proni omnes adorant; precantúrque exercituum Matrem, Oratio. uti volens milites ſuos ex ijs elementorum hoſtiúmque inſidijs ipſa, quæ poſſet, eriperet: tenere ſe jam vicinæ liberationis pignus: eius Imaginem tam non opinantibus, quàm egentibus clemēter oblatam: pergeret, abſolverétque beneficiū ſuum, ſpondere interim ſe, quos in libertatem aſſeruiſſet, eius ſe nomini mancipatos in perpetuum fore. Nec fruſtra imploratum auxilium, nec in immemores collatum eſſe ipſi commonſtrârunt. Nam paucis poſt acceptum beneficium diebus, præeunte Bobadillâ, conflata horum Societas eſt, Congregatio. qui ſe milites virginis immaculatè Conceptæ appellari voluêre, ac ſuſcepto per Belgium, translatóque poſtea in Hiſpaniam exemplo cultam fuiſſe DEI Matrem à præſidiarijs militibus per huiuſmodi Sodalitates à prima Bommeliana deriuatas, ſcribit, qui tunc in Belgio militabat Alphonſus Vaſquius, à quo in ſua legione inſtitutam in Hiſpania unam ex his ob memoriam liberati apud Bommeliā Hiſpani exercitûs ipſe commemorat.

Et verò digna res fuit, quam non ſine aliqua gratæ in Virginem ſignificatione pietatis audirent poſteri Nam cùm maximè obſeſſos fames conſúmeret, ſimul hyemis rigor extingueret, ſimul eluvionum incrementa ſubmergerent: cùm in omnium deſperatione rerum una DEI Matris ſpes miſeros non deſereret, cæterùm ubique Conceptio. mors atque hoſtis occurreret; nocte, quæ ſacrum Virginei Conce-

ptùs anteceſſit diem, ventus adeò vehemens, ac præter modum frigidus invaluit, ut aquas, quæ per campos altè ſtagnaverant, partim diſpulerit, partim glacie firmiſſimè adſtrinxerit. Vnde advecti ad trahendum, ut ajebant, rete, quo incluſos Hiſpanos fama vulgaverat, ne gelu comprehenſis, implexiſque navigijs ipſi inter eos campos hærere velut obſeſſi cogerentur; flexo in Moſam curſu, periculo ſeſe imminēti ſubtraxerunt, magno utique dolore Hollachij ſine fine lamentantis, ereptam ſibi è mani- Deus. bus victoriam nullâ Hiſpanorum virtute, ſed ſolo DEI, nimis eo quidem die ſe Hiſpanum profeſſi, beneficio. Hiſpani, ſolutâ glacie, poſtero ſtatim die magno cymbarum numero, cum Virginis tutelaris effigie Buſcoducum deportati ſunt. Famianus Strada S.I. e bello Belg. decad. 1.

Civitas Hiſpalenſis verba hæc. B. VIRGO MARIA, SINE PECCATO CONCEPTA: meris gemmis in tapete deſcripſit. Stetit opus octoginta millibus ducatorum, æſtimatione peritorum. P. Chriſtoph Wratislauv S.I. in Litanijs pag. 38.

Quo die curſor regius Bullam Pauli V. (in favorem Conceptionis Immaculatæ) Madritum attulit, imò, eo momento, quo advenit, lampas mediâ plateâ, clarâ die (quæ non niſi noctibus accendebatur) ſeipſam accendit: ipſam etiam aquam, conſumpto oleo, arſiſſe, ut oleum, affirmat P. Euſebius Norimbergius S.I. de miraculis Naturæ in Europa. pag. 119.

X X I.

Imago B. V. Miraculoſa OETINGANA.

Oetingæ in Germania. S.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vt ſerena, Immaculata, Dei agnum pario.*

1. *Ex Fano Deorum, templum B.V.*
2. *Templi ſacer theſaurus.*
3. *Statua ſemper miraculoſa.*

EST in Bavariæ pago, quem Oetingam veterem, ad vrbis vicinæ novæ Oetingæ diſcrimen, appellant, ſacellum Deiparæ ſacrum, & non Germaniâ ſolùm universâ, ſed exteris quoque Regnis ac nationibus percelebre. Id olim Planetis dicatum fuiſſe, res Planetæ. vulgo eſt indubiæ fidei, à majoribus famæ perpetuitate ad nos usq; profecta argumento ſunt æquatæ cum Planetarum numero cellæ arcuatæ modici intervalli, ducti in orbem ſacelli ambitum dividentes. Accedit antiquæ Germaniæ ſuperſtitio planetarum cultui impensè dedita. Solem & Lunam

nam memorat Iulius Cæſar; Martem & Mercurium Tacitus. Mars illis Heſus, & Ares; Mercurius Woda, Wonda, Teuſates appellabatur. Jovem adoratum apud Boios, conſtat ex S. Bonifacio t. 8. Bibl. SS. PP. cujus & Gad, & Goda erant nomina. Venerem Freiam & Vrijam nominabant. Saturnus, dignum crudo & crudeli ſerie nomen, Krodo tulit.

Imago. In hujus ſacelli ara viſitur Icon Deiparæ: quæ dextro inſidentem brachio Filium, lævâ manu, præfixo lilio, ſceptrum gerit. Dexteram Filii globus implet cæruleus, læva modicè ante Matris humerum attollitur. Veſtis rubra eſt, aureus oram limbus obit. Caput Virginis operit pileus, forma Principis olim ſingulari, crucibus in orbem diſtinctus: reliquum corpus conveſtit cyclas rubra, aureo limbo finita, palliúmque candicans fibula ſuper pectus nexum. Hæc à ſculptore, & pictore ſpecies: quam Gemmæ. dudum piorum liberalitas pallijs auro argentóque rigentibus, variáque torquium, margaritarum, gemmarúmque gazâ intexit.

Silentibus litteris, opinio ab antiquo eſt, per manus hucuſque tradita, D. Rupertum, Boiorum Apoſtolum Deo Deiparæque ſacellum dicâſſe, & Patronæ, quod hodieque veneramur, ſignum ibidem ſtatuiſſe. Quo iſta tempore facta ſint, diverſæ Scriptorum opi- S. Rupertus. nationes obſcurum faciunt. Ruperti in Boicam adventum aliis ad Childebertum primum, aliis ad ſecundum, aliis ad tertium referentibus, nec ſolùm ad hos, ſed etiam ad annos horum diverſos. Itaque ab anno DXX, uſque ad DCXII. nihil certum pronunciari fas eſt: quanquam neque citra hos limites, neque ultra collocare adventum Ruperti poſſimus. Incertum proinde eſt, quo poſt initam Boiariam anno res Oetinganas conſtituerit. Primum inter innumera miraculum recenſeri meretur mira Iconis ac ſacelli ab interitu vindicatio.

Vngari. Vngari, nondum Chriſtianis ritibus imbuti, ab anno Chriſti nongenteſimo uſque ad Ottonis Magni Imperium, crebris in Boicam, vicináſque provincias incurſionibus effuſi, magnas clades & dabant, & accipiebant. Memorabile inter illos & Ludovicum Arnulphi F. Boicæ Regem in campis Lycatibus ſub Auguſtæ Vindelicæ mœnia prælium commiſſum eſt, ad annum CMX, quo jam inclinante in Ludovicum victoriâ; Vngari ex acie, ſimulatâ fugâ, ſe proripuerunt, Boióſque in tergo hærentes in inſidias opportunè locatas pertraxerunt: quibus à tergo in improvidos periculi coortis, cùm ſimul à fronte primi pugnam ex fuga repeterent, circumventi Boij ad internecionem cæſi ſunt, paucis fugæ præſidio ſervatis. Quâ partâ victoriâ Vngari Victoria. per Boicam, Sueviam, Franconiam infeſta ſigna circumtulerunt, cunctáque ferro ac flammâ, nullo ſacri profaníque diſcrimine pervaſtârunt.

Hac bellorum Vngaricorum tempeſtate Oetingam vrbem ſpa-

Oetinga. tijs ingentibus, vetuſtatis famâ circumſcriptam, cum Regia & PP. Benedictinorum Cœnobio everſam, deuſtámque, ſuadet ab antiquo ad nos profecta opinio. Annus excidij in incerto eſt: vero tamen ſimilius eſt, anno ſeculi huius decimo poſt Ludovicum in campis Lycatibus prælio fuſum, jam obtritis Boicæ vicinarúmque gentium viribus, incendio communi Oetingam conflagrâſſe. Tantæ autem ſacrorum profanorúmque locorum ſtragi ereptum eſt ſanctiſſimum Deiparæ Oetinganæ ſacellum, cum ſacra Icone, ſupremo Numine ſævam furoris Vngari procellam ad hanc Chriſtianæ pietatis arcem frangente, quo & Matris honor eximio affirmaretur miraculo, & inſigne veritatis in Boicam illatę monumentum poſterorum religioni ſervaretur. Cæterorum miraculorum fama demum ab Anno Chriſti MCDLXXXIX. longè latéque per Europam increbuit: vltra tamen eum annum, nihil eo de genere comperti habemus. Exinde tamen in litteras miſſa, & in vulgus enunciata omne genus mortales, ſalutem ſive animis, ſive corporibus quærentes ab omni parte ad húnc beneficiorum fontem evocârunt.

Diuitiæ. Hinc inſignis gaza, quotidianis auctibus locupletior, coaluit, Imperatorum, Regum, Ordinis vtriuſque Principum, Magnatum aliorum, vrbium, populorum munificentiâ admirationi ſunt, præ alijs quædam antiqua ſigna, materiæ nobilitate, operíſque raritate præcellentia: nimirum ex auro omnia, gemmiſque & veteri cælatura, ad eximiam pulchritudinem expolita. Quorum vt & novorum cimeliorum cognitionem qui pleniorem requirit, à loci hiſtoria petat, neceſſe eſt. Nam ſolæ nobis Icones ſacræ miris eventibus illuſtres ad ſcribendum ſunt propoſitæ.

Miracula ex plurimis pauca appono. Quadrimus infans jam deceſſiſſe vitâ videbatur: cùm improviſò revixiſſet, rogauit Mater, vbinam loci fuiſſet. Reſpondit, cùm antè vix tertiata verba balbutiret, Oetingæ ſe fuiſſe, ibi reſtitutam ſibi à Deipara ſanitatem. Quam vocem, Deo dictante, prolatam, id argumento eſt, quòd antè nihil vnquam de Oetinga inaudiſſet. Æger quiſpiam Voto huc facto viperas verſicolores per os complures reddidit, poſt eas anguem duas longum vlnas: hinc reddita ſanitas. Irridens miracula repentè excæcatus, pœnitens iterum viſum recepit. Anus cæcutiens improvidè aquam bullientem effudit ſupra infantem, qui decem ipſos dies ſopitis vitæ notis propè omnibus decubuerat: facto voto ſanatus eſt. Quidam rotæ ſupplicio perfractis artubus Monachij facinorum pænas expendit. Dum Carnifex ferali fungitur munere, reus Oetinganæ Diuæ implorat auxilium: adfuiſſe vocanti docuit vita, poſt crura, femora, lacertos, dorſum, pectus, guttur horrendo concuſſa impetu, ſuperſtes. Poſtero, quàm pænâ functus erat, die rogat tranſeuntem, vt rotam de pa-

la ſublatam muro admoliretur. Tum Ioannes inde adrepſit ad vrbem cum rota, paulò pòſt ſanatus Oetingam rotam tulit.

R. P. Iacobus Irſing in Hiſtoria Oetingana. Sereniſſimi Electoris Maximiliani cor ad dexteram Altaris in terra ſepultum eſt ſub marmore nigro. Cor item Herois Tillij ibidem conditum.

X XII.

Imago B. V. Miraculoſa CELLENSIS, *Cellis in Germania S.*

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.

Anagr: *En virgo! en Deipara ſum! at Immaculata.*

1. Sacrarium Auſtriacorum Archiducum.
2. Cœlum aneum, terra ferrea.
3. Statua B.V. prælata exercitui.

Hic Auſtriacorum Archiducum & Imperatorum à pluribus jam ſæculis ſacrarium fuit, & ultimum in rebus afflictis aſylum: originem, uti accepi, referam.

Locus tantâ hodie celebris religione, olim ab incultis hominibus habitabatur. Otto Abbas S. Lamberti à fundationis exordio ſextus, ovium ſuarum non immemor, videns tamen longiùs abeſſe locum à Cœnobio, quàm vt à Præſule poſſit in dies inſpici, ac ex voto regi; virum è Conventu ſuo Religioſum, & probum ei valli ſtatuit præficere, qui vt Vicarius finibus illis præeſſet, ac incultos ſimul ſilvicolarum animos divinarum rerum notitiâ imbueret. Et hoc anno 1157. ab Adriano IV. Summo Pontifice, 21. Decembris, die D. Thomæ Apoſtoli impetràvit. Quapropter habito ſingulari inter ſuos delectu, vnum huic muneri deſignat, eúmque ad ſolitariæ vitæ incommoda ſimul, & merita hortatur. Habuit verò Religioſus iſte in cella ſua Statuam omni theſauro chariorem ex tiliæ ligno ſculptam, vix cubito altiorem. Deipara IESVLUM ſuum brachio ſuſtentat, cui iſte roſeum offert pomum. Hanc, inquam, Statuam vallis huius novus Rector, & incola ſecum aſportavit.

Habet vallis hæc planitiem anguſtam quidem, & anfractuoſam; ad plura milliaria Germanica porrectam, vndique ſilveſcentibus cinctam montibus, alicubi etiam herbiferis alpibus, quæ tamen in abrupta præcipitia dehiſcunt, & magnâ anni parte nivibus onerantur. Et quia cæli favor in hanc vallem magnus non eſt, ideo terra quoque dura eſt: etenim præter ferrum, quo abundat, vix aliud emolumentum promittit.

Hic in colle quopiam amœno, vndique præaltis montibus cincto, cellam ſibi novus incola ſtruxit (vnde hodiéque vallis tota nomen olim acceptum retinet) addidit & aram colendæ Statuæ ſic ac-

commodatam, vt aliam ab homine vel ipſa Virgo in tanta rerum egeſtate non exigeret. Interea novitate videndi exciti è ſilvis, non mitiores rupibus ſuis, incolæ Fidei Chriſtianæ præcepta mirari primùm, & ſtupere, tum etiam, quia ruditatem nulla plerúmque malitia contaminaverat, non adeò difficulter Fidem veram amplecti, dum demum è cella hac cælum, & è ſilveſtri valle amœniſſimum Deiparę hortum accolarum pietas fecit.

Novitas.

Quanti porrò Cellam hanc Deipara fecerit, non longè pòſt maximo demonſtravit incremento. Sub annum à pariente Virgine 1284. Henricum Marchionem Moraviæ morbus, neſcio quis, ita graviter afflixit, ut omnium membrorum uſu deſtitutus, etiam Medicorum è remotis locis advolantium curam falleret. Acerbius ipſo morbo fuit malum, quòd & conjugem Agnetem paralyſis lecto affixerit, pari pertinaciâ omnem artem medentium eludens. Hîc, ut fit, è cælo petita ſunt remedia, quæ negârat terra. Indictæ paſſim in templis publicæ privatæque preces. Henricus ipſe unà cum Agnete Deiparam, & S. VVenceslaum, Provinciæ Patronum, in vota vocavit. Cùm ecce illi per quietem vir adſtat, quem forma, quia auguſtior humanâ, cæleſtem eſſe prodidit. Hic brevibus verbis ſanitatem Marchioni conjugíque non tam promittit, quàm largitur. Cæterùm vallem, de qua loquimur, non obſcuris indicijs deſignat, jubétque, & Religioſi Cellam, & in Cella Deiparæ Statuam inquirere: Coram illa, inquit, Statua Deiparæ gratias recuperatæ valetudinis, cujus munere eam accepiſti, age His dictis, & Divus videri deſijt, & ſomnum quoque lætitia, ut fit, abrupit. At verò ubi ſe ſanum ſalvúmque Comes vidit, & non diſparia intellexit de conjuge, neminem ſuorum dubitare paſſus eſt, tanti boni unicum fuiſſe D. VVenceslaum, ipſam verò ſoſpitatricem fuiſſe Deiparam. Confeſtim igitur itineri ſe accingit Comes, non ſine ſubditorum turba, quos Patroni inopinata ſanitas ſponte exciverat ad tantæ felicitatis ſcaturiginem inveſtigandam. Aberratum ab illis ſemel à via eſt: quos tamen inuſitatæ majeſtatis Peregrinus repentè obvius reduxit. Cujus facti memoria hodieque extat marmori inciſa, & portæ templi ſuperimpoſita. Demum poſt ſuperata montium juga, Cella ſe in conſpectum dedit. Hîc enim verò dici non poteſt, quantâ omnes, & præ omnibus illuſtriſſimi conjuges, lætitiâ perfuſi ſint.

Apparitio

Peregrinatio.

Peracta gratiarum actio eſt coram ſanctiſſima Statua, non ſine lachrymis, quas inaſſueti gaudij novitas elicuit. Tum etiam cogitatum à Marchione eſt de fabrica Statuæ ſtruenda, quæ ignem non timeret: hactenus enim in ædicula nonniſi lignea coli Virgo ſuſtinuit. Structum itaque à fundamentis eſt, atque è ſolido lapide templum, in quo poſt vulgatum per omnem Moraviam, Bohemiam, Auſtriam, Carinthiam, Styriam,

Gratitudo.

Templum.

riam, Croatiam miraculum, cœpit coli Statua Virginis celebriùs, quia & Virgo crebriùs ſuorum votis annuit.

Majus incrementum accepit hæc Statua anno 1363. quo Barbarorum immenſæ copiæ Hungariam univerſam vaſtabant, & præ alijs ipſum Regem Ludovicum petebant, tantâ celeritate, vt cogendo juſto exercitui otium non eſſet: quanquam tumultuario de lectu, vbi viginti millia in armis ſtetêre, in conſpectum hoſtis ſe Rex dedit; & verò etiam pedem ſine mora retulit, cùm ſe tanto numero imparem deprehendit. Iámque de fuga ſub initium noctis inſtituenda cum Rege etiam Duces agitavêre conſilia: ſed Rex Patronæ Cellenſis memor, nihil non magnum ſpirans, ejus ſe tutelæ ac patrocinio cum ſuis commendat affectu, qui ipſum periculum æquaret. Interea ſuavi opprimitur ſomno, in quo viſa Deipara addit animum, pugnam ſuadet, certúmque reddit de victoria: neque dubitare permiſit Deiparæ tabella, quam rex poſt excuſſum ſomnum impoſitam pectori invenit, licèt eam ſub ſomni principium in arula collocatam reliquiſſet. Non minùs hic Virginis favor cum Ducibus animavit milites: mox enim ad arma conclamatum eſt, & ingentibus animis, præeunte S. Icone, itum in hoſtem, atque intra paucas horas etiam debellatum eſt.

Fuga.

Miracula.

Obtentâ victoriâ, totus, vt erat, exercitus Cellas ductus, gratias acturus pro victoria. Ibi Rex auream coronam, thecámque Sanctorum lipſanis plenam, quam è collo geſtaverat, & vnà etiam Deiparæ, de qua dixi, Iconem dono dedit, addidit præter gladium, & calcaria, etiam paludamentum: quæ omnia hodiedum peregrini, quotquot volunt, vident. Atque vt ipſum quoque Altare haberet victoriæ quodpiam mnemoſynon, ſubmiſit calicem aureum, cæteráque ſummi pretij ornamenta. Denique ipſum templum tanto peregrinorum numero anguſtum, ſecto è lapide fecit auguſtius, & in eam, quæ hodie eſt, amplitudinem erexit.

Victoria.

XXIII.

Imago B. V. Miraculoſa S. BERNARDI. *Spiræ in Germania S.*

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.

Anagr: *Cognita ſum pura in Eua Alma Dei mater.*

1. *Statua B. V. loquens.*
2. *Æſtimatio vitæ Religioſæ.*
3. *Bellum Turcicum grave.*

AD arma, lector, ad arma: etenim arma, virúmque tibi ſiſto, qui totam cum Imperio Romano Germaniam ad arma commovit, MARIÆ quoque non ingrata. Vi-

um

S. Bernard. rum affero ſecundùm cor Mariæ, uti David fuit ſecundùm cor DEI: virum, qui hinc lactatus ab vbere MARIÆ, illinc paſtus à vulnere JESU, conſtitutus in medio, quò ſe verteret, neſciebat. Si illum ſine MARIA, aut ſine IESU, & armis eius pictum ſculptúmve videris, vel ipſos Apelles & Praxiteles reprehende. Bernardus is eſt, quem penna melleum, Deipara lacteum, IESVS ſanguineum, virtus ſanctum fecit: quem Guilielmi tremuerunt, Pſeudopapæ horruerunt, Romanorum, Gallorúmque Reges Conſiliarium habuerunt, Pontifices Legatum, omnes Patrem.

Turca. Incumbebat Eccleſiæ, vt credebatur ſæculo abhinc quinto, Turcicæ potentiæ gravis moles, Chriſtianis metuenda, non quòd major, ſed quòd conjuncta, atque vna eſſet. Parabantur vltra Xerxis diligentiam copiæ, quibus terra; claſſes, quibus maria ſternerentur; nec deerant animi, quibus totam Chriſti Fidem cum fidelibus devorarent. Labor non gravis victoriam promittebat certam, nec ampliùs vnam poſcebat, quæ Mahometi daret vrbem, ac cum vrbe orbis univerſi cum pace dominatum.

Atque vt hæc non ſine bonorum extrema metuentium terrore pararentur; tanto tamen cum ſtrepitu facta non ſunt, qui Reges, Principéſque Chriſtianos è ſomno excitatos percelleret. Solus inter oves vigilabat ſummus Paſtor, Innocentius II. ac vigilias ſuper gregem ſuum cuſtodiebat. Is periculi propinquitate commotus, omne Pontifex. ſtudium, operámque contulit, ad barbari hoſtis conatus frangendos, populique Chriſtiani incolumitatem è ſupremo diſcrimine vindicandam.

Et commodùm tunc Spirenſi in vrbe celebrabantur Germaniæ comitia, quibus ipſe Rex, Romaníq; Imperij Electores, aliique magno numero Principes intererãt. Quærebatur à Pontifice vir vnus, qui in tanto conventu rem Chriſtianæ rei ageret: ac vnus vnicúſque repertus ei eſt Bernardus, tanto muneri ſufficiens. Ornatum itaque Nuncij Apoſtolici titulo, oneratúmque gravibus mandatis Spiram mittit. Nuncius. Bernardus nihil non magnum ſpirans & ſanctum, compendioſo itinere ad locum vbi venit, à numeroſiſſimo Clero ad vrbis uſque portas vnà cum civibus obvio, inter feſtos campanarum clangores, longâ pompâ; per ſtipatum ex omni Germania populum, ad ſummum magnificentiſſimi operis templum deducitur. Ingreſſus templum Bernardus nil antiquius habuit, quàm ut Virginem Deiparam, cujus Statuam bene grandem jam ab ipſa uſque porta proſpiciebat, ſalutaret, ſolenni illo Hermanni Contracti hymno: *Salve Regina.* Vix hymnum abſolverat Sanctus, cùm erectus in pedes per longum Baſilicæ fornicem progreditur, atque ter in genua, diſtinctis aptè intervallis, provolutus addit verbo Cantico nova: O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria laudiente ingenti populi Statua. multitudine, & ſanctitatem hominis, ipsâ majorem famâ, demirante.

te. Sub hæc vox è Statua Virginis audita eſt, quæ ſalutantem Bernardum reſalutaret in hæc verba: Salve, Bernarde. Vt novum non eſſet Bernardo, audire Virginem ſibi loquentem, novum tamen erat, audire tot, qui tunc aderant, teſtibus omni exceptione maioribus, qui & certa inde ſanctitatis indicia promebant, & negotijs, quæ vir ad commune bonum tractaturus advenerat, finem, quem ipſe optaret, proſpiciebant. Et reſpondit eventus: etenim cùm Regi Romanorum, cæteriſque Imperij Principibus cum fide narrata ſunt, quæ contigerunt; non difficulter paci, quam ſuadebat Bernardus, dedêre manus: ſed & ipſi Bernardo, qui junctos in ipſam uſque Turciam vel ducturus, vel miſſurus erat: etenim Cruce ab illo acceptâ nemo non fuit, qui non in Turcas iret, vel certè ære ſuo alium ſibi ſufficeret.

Miraculum.

Crux.

Tantam rem ne ventura aboleret vetuſtas, pluribus modis caverunt majores: nam & verba hæc Cantico addita ſunt, hodieque per Eccleſiam permanent; & ipſis in veſtigijs, ubi dicta à ſancto ſunt, metallo in marmore plaſtes ſcripſit, & debitus Statuæ cultus datus, quo in hæc uſque tempora, nullo non die, horâ poſt meridiem quartâ, ſollemne illud: *Salve Regina:* cantatur, populi Catholici pietate in hanc uſque diem non imminutâ. Certè diſcipuli Gymnaſij Societatis Ieſu, quotquot ſunt, nullam tam gravem cauſam habent, quæ abeſſe permittat, & abſentem juſtè excuſet. Imperator præ alijs Monaſterium Bernardo quā primum condidit. Imperatorem ſecuti Principes, Comitéſque certatim paria promiſêre, ac præſtitêre. Ita Mariæ cultus per Bernardum, eiúſque alumnos in Germania incrementum accepit. Ipſe Clerus metro poëtico hiſtoriam officio divino inſeruit, ut res poſteris religioſa permaneret.

Diſcipuli.

Tantum poteſt in perpetua tempora vox Virginis una. Si tantam voci tuæ virtutem dat Deus, O Maria! loquere ſæpius, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria! quia habes, qui audiant, & qui obaudiant.

Maria.

Hanc narrationem è M. S. antiquo Epiſcoporum Spirenſium excerpſit R. P. Gerardus Hanſen Provincialis Rheni Superioris, ubi Epiſcopus Sigefridus, ſub quo hæc contigêre, dicitur mortuus anno 1142. 23. Septembris, præſente adhuc in vrbe Spirenſi S. Bernardo. Verba autem, quæ in Eccleſia canuntur, ut ait auctor, M. S. ſunt hæc.

Nardus in Spira ſpiravit:
Senſit hoc Virginea
Stans Imago, ſalutavit
Hunc voce fæmina.
O quàm lætè tunc guſtavit
Cæleſti de Vinea!

XXIV.
Imago B. V. Miraculoſa
S. MENRADI
In Eremo in Germania S.

Progr. Ave Maria, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ego Eua armis Paracleti munita munda.*

1. *Vita eremitæ ſancta.*
2. *Cerei ſponte accenſi.*
3. *Corvi Domino ſuo fideles.*

Miraculoſiſſimæ iam tot ſæculis Virginis Eremitanæ primordia recenſere nequeo, quin plurimorum Sanctorum mentionem faciam, & antiquæ Nobilitatis pietatem repetam.

Menradus Menradus, Comitis Sulgenſis filius, quinto ætatis anno Divi Benedicti Cœnobio Reichenavienſi ſiſtitur, ubi præter Abbatem non pauci fuêre è prima nobilitate. Crevit cum ætate etiam morum ſanctitas & ſapientia. Nam & lectoris officio in Oberpollingenſi Monaſterio functus eſt. Demum deſiderio vitæ ſolitariæ, obtentâ facultate, altiſſimum montem petijt, & ſilvam oppidò opacam viginti ſex ipſos annos incoluit. Neque defuit huic Eliæ ſua Sareptana vidua, quæ in hebdomades annonam ſubminiſtraret: quin & vicini Cœnobij pia Antiſtes Sacerdoti, quem jam accurrens populus celebrabat, templum ſuis ſumptibus ædificavit, quod anguſtiſſimum figurâ ut ſit, Statuâ tamen Statua. Virginis ad invidiam uſque magnarum molium celebre factum eſt. Quatuor omnino libri totum Menradi ſtudium exhauriebant, nec tamen ambiebat plures: Miſſale, Homiliæ Sanctorum, Regulæ S. Benedicti, & Opera Caſſiani Bibliotheca. Monachi, diverſo à noſtris temporibus genio.

Vigeſimum ſextum annum Eremi non novus incola, cælo maturus, inter Miſſarum ſolennia ab Angelo monetur, vitæ finem inſtare, quam paucas poſt horas latrones duo funeſtiſſimè abſtulerunt. Divitiæ. Etenim è populi tanto cōcurſu congeſtas ab homine divitias ſuſpicati, fuſtibus Sanctū adoriuntur, extorturi vel pecuniam, vel animam. Cùm verò ille præter mucidi panis fruſtulum, & è fonte frigidam non haberet, quod hoſpitibus apponeret; ludi ſe exiſtimantes, impacto capiti palo, in terram hominem affligunt. Vnica moriturum, cæteris jam cælo aptatis, premebat cura, ne ſine lumine iret ad Superos. Lumen. Itaque rogati à proſtrato, & jam moribundo lumen, non inviti è ſacello candelas afferunt, quas inter manus latronum divinitus accenſas fuiſſe, ipſi demum faſſi ſunt. Jámque ablato in cælum Menrado, ſupererat, quę nocentes pœna ſequeretur. Corvorum hoc officium fuit qui è Corvi. San-

Sanctimensâ pluribus annis paſti, nunc rependunt vicem, reoſque per avia, & invia, per oppida & vrbes, in ipſa adeò hoſpitij menſa, Tigurinam vrbem ingreſſos, velut patibularios, ferociter inſequuntur; nec obſcurè ſagaciores admonent ſceleris occulti. At verò, ubi intellectum eſt, & corvos eſſe Menradi, & Menradum vixiſſe, atque extra ſacrarium ſuū, in ſanguine ſuo inter ardentes candelas, jacere proſtratum, in carcerem conjecti, ſtatim rem omnem, ut erat, confeſſi pœnas dederunt. Etenim de Judicis ſententia equis per terram ad ſupplicium tracti, rotâ primùm deartuati fractíque, deinde rotæ ipſi innexi, vivi, ut erant, ſubjecto igne in cineres redactiſunt: quos demum carnifex, ne quid de flagitio ſupereſſet, in profluentem abjecit.

Tres ſupra quadraginta annos repertus non eſt, qui Menrado ſuccederet S. Capellæ incola, ne victima ſuccedanea fieret: nemóque repertus, qui ſine metu locum pietatis causâ accederet, quantumvis non ceſſarent mirificæ Virginis beneficia. Secundus S. loci incola Benno fuit, è regio Burgundionum ſanguine, Epiſcopus Argentinenſis: qui à malevolis excæcatus uſque ad annum 940. hîc vixit, hodiéque ante ſacellum ſepultus jacet. Secutus hunc Eberhardus, Decanus Argentinenſis, Bennonis conſanguineus. Hic, ædificato Cœnobio, S. Conradum Epiſcopum Conſtantienſem invitavit, rogavítque, ut tam nobile templum tandem, Eccleſiæ ritu, Virgini Deiparæ dedicaret. Annuit ille, & Vdalricum Auguſtanum Præſulem, quem tùm habebat hoſpitem, unà deductum tanto Virginis feſto intereſſe voluit. Cùm ecce pridie, quàm inſtitueretur dedicatio, dum Conradus nocte ad preces pro more è lecto ſe proripit, videt inſolito fulgore feneſtras cubiculi relucere. Tum non parum attonitus, ipſum quoque templum, quantum erat, reſplendere accenſis luminibus advertit. Ingreſſus itaque ſacellum, vidit delapſos cælo Divos peragere, quam ipſe poſtridie peracturus venerat, dedicationem. Ne quid in tanti momenti re abeamus à vero, viſum eſt mihi apponere ea, quæ ipſe Conradus in libro de Secretis Secretorum hac de re à ſe ſcripta reliquit, in hæc ferè verba. Dedicatio.

Anno à Nato Salvatore 948. Imperante Ottone, ſedente Agapito II. anno decimo tertio Epiſcopatûs Conradi, feſto S. Crucis in Autumno, fuit ab ipſo Chriſto D. noſtro, & à ſuis SS. Angelis conſecrata Capella B. V. in Eremo in hunc modum. Chriſtus D. noſter deſcendit de cælo, caſulâ ſacerdotali, ſive purpureâ, ſive violaceâ indutus, ſéque ante Altare B. V. ſtitit, ibíque ſanctiſſimum Miſſæ officium complevit, præſentibus quatuor Evangeliſtis, qui ritu Eccleſiæ mitram imponebant ſacro capiti, vel amovebant. SS. Angeli, accenſis aureis thuribulis, odoribus replebant templum, non ſine ſuavi ſono, qualem Dedicatio.

lem Zephyrus ſolet efficere, cùm inter arborum folia ludit. Aſtitit lateri uni S. Gregorius, tenens manu aſpergillum, alterum latus tenuit S. Petrus, pedúmque paſtorale præ ſe tulit. Adſtitit quoque cum S. Auguſtino S. Ambroſius. Ipſa vero Virgo Deipara ſuper Altare inter coruſcos, & plus quàm ſolares radios cæleſti cum majeſtate apparuit. S. Michaël Archangelus ſymphoniacorum Præfecti, Angelorum nonnulli Suffraganeorũ Epiſcoporum officio fungebantur. Cantus is ipſe, & omnium cæremonia fuit eam ad formam, quam ritus Eccleſiæ in templorum cathedralium conſecratione præſcribit. Epiſtolam cecinit S. Stephanus; S. Laurentius Evangelium. Reliquum, quod ſupererat, cantûs fecêre Angeli, non ſine præſtantiſſimis inſtrumentis. Quædam verba etiam mutârunt. Etenim, cùm ad SANCTVS ventum eſt, ſic auditi ſunt verba variare: *Sanctus DEVS in aula glorioſa Virginis MARIÆ, Sanctus DEVS in Altari S. Crucis, Sanctus & Immortalis Dominus DEVS Sabaoth. Pleni ſunt cæli & terra gloriâ tuâ, benedictus ſit Filius MARIÆ in æternum, qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.* Nonnulla quoque mutata ſunt, cùm ad Agnus DEI ventum eſt. *Agnus DEI miſerere omnibus, qui credunt in te, miſerere noſtri. Agnus DEI miſerere defunctorum, qui in te requieſcunt. Agnus DEI da pacem vivis, & defunctis, qui te benedicunt.* Quoties verò oportebat ex ritu Eccleſiæ dicere: DOMINVS VOBISCVM, dixit: DEVS SIT VOBISCVM. reſpondentibus Angelis: *Qui ſedet in throno Cherubinorum, & videt abyſſum inferni.*

Manè orto, omnibus pro templi conſecratione rite compoſitis, Epiſcopus Conradus in templo permanſit uſque ad meridiē, dulciſſimâ præteritorum recordatione ſuſpenſus, ſperans, alijs modis ea, quæ viderat, ad aliorum notitiam perventura. Elapſo pæne meridie, monent primi Clericorum, tempus abire, nec tamen populi expectationi ſatisfactum. Ille, quæ noctu facta eſſent, quæque vidiſſet, veriſſima narratione ingenuè fatetur. Illi pium ſomnium venerati, inſtant obtruſis ſacris veſtibus, cogúntque nolentem ad ſacras cæremonias peragendas. Vix autem datum ſacris eſt principium, cùm vox clara omnium auribus de cælo inſonuit: *Frater, ceſſa conſecrare.* &, ut firmiùs hæreret, ter repetita eſt. Territi, qui negabant, fidem dedêre verbis Conradi, Deúmque in miraculis ſuis laudavere. Ex eo tempore Virgo quoque nùnquam non antè liberalis, favores cæleſtes etiam prodigè effudit, etiam ultra ſpem petentium. Vox.

Quatuordecim pòſt annis Otto Imperator Romam petijt, ut Leonem VIII. à rebellibus Romanis ſede pulſum reponeret. Comitata Imperatorem ſuum eſt in tam bona cauſſa Gemaniæ non Imperator.

mo-

modica pars; quos inter, præter nonnullos Principes ſæculares, plerique ferè Germaniæ Epiſcopi. Nominatos reperio Ottonem Moguntinum, Brunonem Colonienſem, Annonem Vormatienſem, Ottonium Hildeshemienſem, Ottonem Mindenſem, Erchenbaldum Argentinenſem Vdalricum Auguſtanum, & ipſum Conradum Conſtantienſem. Is totius miraculi, quod anno 948. contigerat, hiſtoriam Pontifici expoſuit: qui tot præſentibus Eccleſiæ ſacris Capitibus ſuâ auctoritate, vulgato diplomate, fidem rei indubiam fecit. Quod Hiſtoricus ad verbum ponit: quódque à pluribus Pontificibus iterum iterúmque confirmatum eſt. Hinc tanta loco reverentia conciliata eſt, ut ipſi Imperatores Theſaurarij titulum, & officium ſibi acceperint. Credi non poteſt, quàm claris hodieque miraculis hoc in loco B. V. triumphet.

Diploma.

Ex libro antiquo Cœnobij impreſſo Germanicè, quem R. P. Bonaventura Olgiati Minor. Obſerv. curavit in linguam Italicam transferri Mediolani, Anno 1605.

XXV.

Imago B. V. Miraculoſa ROMANA

Paderborni in Germania S.

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.

Anagr: *Ego amans mirè pura Dei natum lactavi.*

1. Auriga non bonus.
2. Chriſtianus non malus.
3. Peregrinatio mirabilis.

CHartas, codices, & integras bibliothecas, ut forte hæretici abolere poſſint, nequeunt tamen propagatam ab antiquo veritatem, eam præſertim, quàm Cælites portentis confirmant. Hac fulti originem damus miraculoſæ Statuæ Paderbornēſis, quæ Romana vocatur, & vix medio lapide ab vrbe diſtat.

Auriga.

Fuit, cùm ruſticus homo, Chriſtianus, ut apparet, non malus, auriga tamen non bonus, obviū in platea infantem curru opprimeret imprudens, felici infantis ſorte, ut qui, præter cæterorum morem, veluti curru vectus, quā celetrimè cælum ingreſſus eſt. Peccatum aurigæ impunitum eſſe decuit, quia forum non reperit, aut judicem, à quo decerneretur: quid enim plecteret prætor in homine, in quo dolus non erat; quid confeſſarius abſolveret, quod commiſſum non erat? Hoc ipſum auriga doluit, doloris, quem infans ſub rota ſenſerat, credo, hæres. Cùm itaque à nullo foro, à

nullo judice ſceleris pœnam pro more obtineret, quantumvis contra morem flagitaret, ſibi ipſe prætor factus, pœnam, quâ ſe plecteret, conſtituit: &, ne pœnitere poſſet, voto firmavit.

Pœnitentia. Fuit antiqua è ligno Statua Deiparæ, ſeſquicubitalis, non modici ponderis, nullo tunc ſingulari cultu nobilis. Hanc reus auriga ſive pretio, ſive prece ſuam fecit; &, ut pœna non abluderet à peccato, ipſe jumentum factus, clitellâ uſus pro curru, Romam uſque (oppidò multam viam) inter lachrimas & lamenta vexit. Vbique in via, & in vrbe præcipuè ſceleris tanti ſe reum, & accuſans, & damnans, propitium ſibi Numen conciliabat. Fuſis lachrimis cùm dolori abundè litâſſet, ſuccollans iterum oneri, viam remenſus, eandem Paderbornam uſque revexit. Jámque viam totam feliciùs, quàm crediderat, emenſus, vix medio ab vrbe lapide, divino onere preſſus, & tantùm non oppreſſus eſt: viribus ad examen vocatis, nec ægrum ſe, nec magnopere feſſum ut deprehendit, tollere conatur onus, ſed vires oneri deprehendit impares. Periculum fecit iterum iterúmque, dum tandem divino afflatu, homo Cælitibus plùs, quàm ipſe ſciret, charus, intelligeret, velle Statuam id loci domicilium ſibi ſtatuere. Statua.

Retulit rem ad eos, quorum intererat, qui intellecto & itineris, & hiſtoriæ curſu, per alios atque alios aurigâ, ut putabatur, fortiores ſtatuam movere loco conati ſunt, & in vrbem reportare; ne rudi ruſtico fidem præpropere habentes, ipſi haberentur rudes, & nimis quàm velociter creduli in ijs, quæ fidem poſcerent tardiorem. Sed nihil actum. Intellectâ itaque Virginis voluntate, & miraculo ad populum famâ, ut fit, propagato, non difficulter & pecunijs, & lapidibus comportatis ædes Statuæ exſtructa ſtetit, quæ multis pro curru ad cælum eſſet: nam & miraculis clareſcere quàm primùm ſtatua cœpit, & celebrari Virginis miſericordia in miſeros, donec tandem gens Iſaurica Lutheri ſupervenit, quæ unà cum Statuis templa quoque demolita, documentum dedit inſaniæ orcinæ. Templum.

Repertus tamen eſt, qui hanc Virginis Statuam tanto furori ſurriperet, eámque in fornice templi S. Ioannis Baptiſtæ, unà cum pluribus alijs jure depoſiti collocaret: ubi tamdiu incognita latuit, dum templum Societati IESV traderetur. Vbi cum eam vidiſſet P. Simon VVipperman (juvat cultoris primi nomen apponere) Miniſter Collegij Anno 1614. vermibus exeſam, & planè informem; non perfunctoriè id, quod erat, ſuſpicatus, in leproſorum domo, Collegio noſtro vicina, conſilium quæſivit, quod in ſenibus erat, qui Statuam ut viderunt, ipſiſſimam ajebant eſſe Romanam, tot olim miraculis celebrem, quod ab alijs quoque in vrbe ſenibus conſilio adhibitis confirmatum eſt. Statua.

Sta-

Statuario itaque tradita eſt reparanda, qui, ſolutâ baſi ligneâ, quæ Statuam ferebat, advocatis pro more religioſis teſtibus, lipſanothecam invenit operis venuſtiſſimi integerrimam. Inerant diverſæ Sanctorum Reliquiæ, ſchedulis nomina réſque conditas prodentibus. Reparatam Statuam Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Epiſcopus Theodorus iterum conſecravit. Et gratum hoc Virgini fuiſſe, ipſa teſtata eſt, nam conſecranti eam Epiſcopo ſuaviſſimè (ut ipſe ſæpius magno animi ſenſu & gaudio retulit) arriſit. Conſecratam iterum celebri pompâ ad ſedem ſuam Romanam reportavit, cultúmque tantiſper ablatum reſtituit, annuâ decretâ proceſſione. Ita Virgini cultus rediit, ipſi verò loco Virginis in miſeros Miſericordia.

Epiſcopus.

R. P. Matthias Franck à quo hujus Hiſtoriæ narrationem accepi Paderbornâ, addit in fine: miraculum contigiſſe olim cum R. P. Athanaſio Kircher noſtrô. Scripſi viro olim mihi comprimis familiari, nunc Vrbi & Orbi noto, qui in hæc verba mihi reſpondit. Deſiderat R. a V: a ex me ſcire curæ miraculoſæ, quam divina Bonitas per merita B. Virginis, circa meam perſonam, operata eſt olim in Novitiatu, modum & rationem. Injurius meritò in DEVM, Matrémque dici poſſem, ſi tanti beneficij magnitudinem aut fateri erubeſcerem, aut ſilentio ſupprimerem. Sciat itaque me duplici (unius noctis ſpatio) infirmitate, eáque incurabili, plorâ & herniâ cælitus curatum eſſe: atque ex ea hora non corporis tantùm, ſed & ingenii vires in me plurimùm auctas ſenſiſſe: quæ ad DEI gloriam Matriſque honorem dicta ſufficiant. Quomodo autem id contigerit, cùm non ſit hujus loci & temporis, conſultius poſthúmæ vitæ conſervabitur. Hæc ille.

Miraculum.

XXVI.

Imago B. V. Miraculoſa DE POPVLO *Romæ in Italia.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Caſta Mater pura Diva Anguem elimino.*

1. *Corvi faciunt officium Aulicorũ.*
2. *Neronis Cæſaris ſepulcbrum.*
3. *Funeris Ceremoniæ mirabiles.*

HAbet Roma portam, per quam Chriſti fidem, à Petro importatam, in univerſum extulit Septẽtrionem. Hæc olim Flaminia, hodie Porta populi appellatur. Vnde novum hoc nomen huic portæ advenerit, nunc aggredior dicere.

Nero. Chriſtiani ſanguinis helluo, & mundi probrum Nero, quem prudenti errore non pauci crediderunt eſſe Antichriſtum, citiùs quã mali dæmones, tardiùs quàm homines boni vellent, ſceleſtam animam evomuit. Oſſa, quæ terram gravem merebantur, ſive ſepulta, ſive abjecta, dudum ſub terra jacuêre, per dictam portam egreſſuris ad dexteram. Crevit in loco nux alta, & oppidò annoſa: nam ſæculorum plurium ætatem tulit. Hæc nux domus aurea Neronis erat, hac ſe jactabat in aula. Certè cuſtodes corporis, ut feroces fuerint, fuêre tamen fideles, dæmones; atque, ut timeri ab hominibus Aquilæ. poſſent, corvorum induêre corpora, colorem, vocem. Nempe hunc Imperatorem hæ aquilæ decebant. Dici non poteſt, quo numero, quâ feritate arborem inſederint, non ſine viatorum quandoq; periculo. Pigmæorum exercitus pugnare cum avibus doctus ut adſuiſſet, triumphum tamen ab his non tuliſſet: quando nec magni & multarum palmarum venatores prædam facere vel unum poterant. Retia fugiebant, venena vitabant, ſagittas declinabant, ſagaces in rem ſuam beſtiæ. Donec tandem Virgo Deipara populi Romani iniquam ſortem miſerata Pontifex Paſchali II. Pontifici apparens, tantæ nequitiæ technam aperiret. Corvos, qui viderentur, eſſe dæmones, qui oſſa Neronis ibidem ſepulta cuſtodirent, cui nux eſſet pro pyramide, & titulo. Exſcinderet proinde nucem, erueret oſſa, & in Tiberim abjiceret, abituros quoque tanti theſauri cuſtodes: denique nucis loco ſibi deſignaret, ſtrueretque templum.

Hæc, ſoli tunc Pontifici nota, intererat ſcire Senatum Populúmque Romanum. Ea propter mox poſtero die indictâ Pontificali proceſſione, duce Pontifice, populus cum Clero ad nucem ducitur, ac de omnibus accuratè à Paſchali edocetur: qui ipſe, arreptâ ſecuri, primos ictus nuci primus intulit: ſecuri deinde alii atque alii, quibus fatigatis, ſucceſſêre recentes, dum demum annoſa procumbit humi nux. Ita cum aquilis depugnatum Arbor. eſt. Tandem inter corvorum circumvolantium crocitus, etiam radicibus arboris radicitus evulſis, ad Imperatorem, & ejus oſſa ventum eſt in tumulo jacentia, nullis gemmis, nullo auro nobili. Vix repertus eſt, qui tantùm cacodæmonis ſacrarium tangere auderet. Merebantur ignem oſſa in utroque tam divini, quàm humani juris foro. Sed ne peſtis inficeret Romam, néve per fumum Nero rediret in Nero. urbem, mitigatâ pœnâ in Tiberim abjecta ſunt, unde in mare veherentur, curioſè obſervante, ac comitante corvorum, tanto Imperatore dignâ, coronâ.

Quod B. Virgo à Paſchali Pontifice petierat, S. P. Q. R. ratum habuit, juſſitque ſedem habere cæli Imperatricem, ubi tamdiu jacuiſſet Imperator, hoc eſt, dominari in medio inimicorum ſuorũ. Ipſo Octavæ Paſchatis die ſummi & Paſcha. Pontificii altaris (quod nucis exciſæ loco ſtat) primum lapidem poſuit Paſchalis: populus neceſſarios

rios in fabricam ſumptus comportavit, juſſitque nomen poſthac à populo habere, & unà cum templo etiam vrbis portam, cuius dexteram partem occupat. Itaque ab illo Octavæ Paſchatis die, quo Paſchalis Papa primum altaris primi lapidem poſuit, S. MARIA de Populo dictum eſt templum, de quo loquimur, quód que hodiedum ſpectatur. Imago. Quæ tunc imago Virginis poſita ſit, non habeo dicere. Quæ nunc ibi eſt, miraculorum copiâ celebris, S. Lucæ opus creditur, ſæculis præteritis in celeberrimo Pontificum ſacrario, quod ad Scalas ſanctas viſitur, conſervata; dum anno 123. Gregorio IX. annuente, huic templo dono ceſſit. Namque cùm peſtis vrbem affligeret, exempta à Pontifice imago ſolenni Peſtis. pompâ ad templum hoc deportata eſt; quæ ſimul ac in altari conſtitit, animadverſum eſt, peſtem, quæ durante proceſſione multùm remiſerat, omnino ceſſâſſe. Vnde Pontifici viſum eſt, imaginem ſine populi Romani damno auferri non poſſe. Quapropter donatione factâ templo eam reliquit, ne S. P. Q. R. detrimentum caperet. Octavius Pancirola in ſua Roma.

XXVII.

Imago B. V. Miraculoſa S. ALXEIJ. *Romæ in Italia.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Longè caput iræ, à ſumma divina Matre.*

1. Statua laudans peregrinum.
2. Statua fulminata è cælo.
3. Peregrinus mirabilis.

NEſcio quid Edeſſanæ vrbi ſit cum miraculoſis imaginibus; niſi quòd civium magna fiducia, Chriſti, Matriſque ſigna, ſive ærea, ſive lignea, ad miracula patranda cogat. Fæminam tactu fimbriæ à fluxu ſanguinis ſanatam fuiſſe, ex Evangeliſta habemus. Eandem fuiſſe Edeſſanam civem, ſtatuámque æream Chriſto DEO poſuiſſe ſuo ære, idonei nos docent, & perantiqui Scriptores. Cuius ſtatuæ fimbriam, ubi flores è terra ſubnati attigêre, creditum eſt, non vanâ fide, aptos fuiſſe ſiſtendo ſanguini. Subſcripſit piorum fidei experientia. Hinc velut ad miraculoſam ſtatuam concurſus. Invidit honores Chriſto Julianus, abiectáque Chriſti ſtatuâ ſuam poſuit: ſed fulmen è cælo miſſum diſiectam Juliani ſtatuam confregit. Altera quoque Chriſti non manu facta imago, Abagaro Regi miſſa Edeſſana in urbe pluribus ſæculis cultum ſuum accepit.

Ea, de qua nunc loquor, Imago Deiparæ, etiam in verba prorupit, loqui docta. Stetit ea diu in templo vrbis illius ſibi dedicato: nec tamen præter conſuetos, quos imaginibus exhibemus, honores, eximium aliquem cultum accepit; dum ſibi ipſa in aliorum laudes effuſa majorem conciliaret.

Alexius. Rem dico, vrbi & orbi notam. Te appello, Romanorum nobiliſſime Alexi. Cùm ſubit illius triſtiſſima noctis imago, quâ, ut vocantem ſequereris DEVM, & patrem, & matrem cum tribus ſervorum millibus, & cum opulenta domo juvenē ſponſam deſeruiſti, iturus, quò te in tenebris duceret ille, quem, qui ſequitur, in tenebris non ambulat. Quid iter memorem Edeſſam uſque? Quid mutatâ veſte mentitam peregrini perſonam, quam pedes non bene in tam longo itinere ſuſtinerent, vultus manúſque, & totius corporis nobilis habitus non bene ſimularet? At verò, ubi Edeſſam ventum eſt, inventum quoque eſt, quod quærebatur; Deiparæ templum, cuius imago cultorem ſuum ab ipſa uſque Roma acciverat. Quis Alexij virtutem ſoli cælo notam deſcribat? Quem unquam Deipara fideliorem habuerit famulum? Vt qui

Templum. diurnus eſſet in templo habitator, & in impluvio foris ante propilæum nocturnus excubitor. Cæleſti rore die toto à Virgine paſtus, non difficulter guttas noctiū excepit in atrio. Eſt aliquid, térque quatérque hoc egiſſe. At verò, quod Alexius fecit, paſſúſque eſt, ſine exemplo fecit, paſſúſque eſt, &, quòd ſciam, ſine imitatore. Septendecim omnino cum ſuis æſtatibus hyemes ſudavit, & alſit. Iamque credi poterat operi impoſuiſſe coronidem & finem dediſſe laboribus, quos cæli præmia propediem expectarent: cùm ecce, vix bene cœpiſſe Alexius cælo viſus eſt, ut qui dimidium facti non ultrà haberet, quémque alij ſeptendecim anni manerent, Romā, ab hoſte, an à ſeipſo revocatus ſit, incertum eſt: tantum vrbis deſiderium tenebat Alexium. Roma.

Omnem itaque relegere viam certus, ſeipſo, ſive debilior, ſive fortior, videre patrem, & cum matre ſponſam audet: tam deproperati abitûs, aut, ſi malis, fugæ cauſa, flagitium non fuit, ſed virtus. Imago namque, de qua jam nobis ſermo eſt, ſic templi cuſtodem è Clericis unum allocuta eſt. Introducito huc virum illum DEI, qui dignus eſt regno cælorum: nam oratio eius ſicut incenſum, aſcendit in conſpectu DEI, & Spiritus ſanctus ſuper eum requieſcit. Alexius jam vivus inter Sanctos relatus, atque à populo habitus, faſtidivit nondum maturos honores, fugit, Romámque varijs caſibus delatus, alios ſeptendecim annos in domo paterna ignotus vixit. Vidit patrem, matrem, ſponſam, ipſis, quos viderat, inviſus, ſervis etiam moleſtus, quorum tamen injurijs petitus nullas regeſſit. Ita ei paterna domus pro ſchola virtutis fuit, in qua virtutem alios Sponſa.

non

non vulgariter doceret, qui ipſi, quid virtus eſſet, ignorabant, quique nec ipſam coràm virtutem agnoſcebant. Iámque triginta quatuor annos in terra ad filij DEI exemplum peregrinatus, ipſo paraſceves die in Domo paterna defunctus, eâdem, quâ ſeptendecim ante annos voce, de cælo delapsâ, Sanctus pronunciatus eſt, & quæri in domo Eüphemiani juſſus. Domum Euphemiani in templum divo Alexio jam olim verterunt Maiores: Imago Deiparæ tam præclarè de Alexio merita operâ Pontificum non difficulter ſe paſſa eſt Romam avehi, ubi hodieque clara miraculis quieſcit in domo famuli ſui, qui olim Edeſſæ in templi ſui veſtibulo tot annis quieverat. Octavius Pancirola in ſua Roma.

Templum.

XXVIII.
Imago B. V. Miraculoſa DE ARBORE.
Rauennæ in Italia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Procul Anguis à me, una mater Dei amati.*

1. *Agri pia defenſio.*
2. *Pia intentionis contemptus.*
3. *Eluvio miraculoſa.*

Neſcit homo, quâ divinâ impulſione nonnunquam agatur. Eſt Deus in nobis: & plerumque volentes id ignoramus. Nempe more noſtro è principijs menſuram finis accipimus, nec magna fieri poſſe è parvis credimus, quantumvis è nihilo mundum emerſiſſe credamus.

Otium.

Cæſar Morandus, civis Ravennas, hoc ſolo poſteris laudandus, ſuum nomen commendat, quòd otii ſectatores ſocios, temporis optimi prodigos, oderit, ipſe ſibi fallendo tempori negotium fecerit non otioſum. Placuit pictura & quia habuit, unde cenſu ſuo: viveret, picturam amavit, non parùm ab ijs diverſus, qui non picturam, ſed picturæ pretium ſectantur, quibus lucrum eſt præ arte. Itaque arreptâ plumbagine & pedes, & crura formare ſine magiſtro inſtitit: tum quoque manus & brachia: denique etiam deſignare auſus eſt vultus, qui nemini, niſi artifici ipſi placere poſſent. Aderant operi non raró præſentes ſocij, qui unà cum opere etiam magiſtrum non indoctè quandoque carperent. Riſum tenere amicos frequenter juſſit: ſed qui poſſis! quando diſtinguere nequis pedem, an brachium, equum, an aſinum formaverit pictor? Ille autē patiens ludibriorum ſic inter ſarcaſmos profe- Irriſio.

cit ſe magiſtro diſcipulus, ut abjecto plumbo colores cogitaret, & penicillum, quin auderet agrum ſuum quingentis ab vrbe paſſibus arte ſuâ ornare, & ſi ſors ferret, etiam defendere. Itaque tabulam corripit ligneam, & quâ poteſt arte, primum opus inchoat, penicillo & coloribus finiendum. Virgo fuit Deipara cum ſuo Ieſulo. Hæc deſtinabatur arbori, quam velut agri terminum poſuêre Maiores. Hæc tranſeuntibus pietatem, agro fertilitatem inſtillare poſthac debebat, primum hoc artificis opus. Quin etiam grandines inhibere, divertere fulmina, & quid non? ſiquidem artifici mercedem, operis poſcenti ſatisfactum Virgo vellet. Riſum eſt à ſociis non rarò, cum operi inſtantem, & talia narrantem audirent: quin, inquit, eorum unus, cui plus cæteris de rhinocerote inerat, etiam paulò pòſt vrbem implebit miraculis pictura tua, & cives trahet ad arborem, de qua loqueris. Meretur hoc artificis docta manus, & opus, cui invidere poſſit Apelles. Caiphas iſte (quo enim alio eum nomine appellem, non habeo) licèt Pontifex anni illius non eſſet, fuit tamen anni illius Propheta. Nam ſimul ac Morandus finitam, quâ potuit arte, tabulam arbori appendit, tranſeuntium pietas Virgini honores exhibuit, Virgo pro acceptis honoribus miraculoſa beneficia. Hi iterum ne ingrati eſſent, vota, tabellas, lampades etiam miraculorum teſtes appendere. Ita certatum Virginem inter ac Ravennates eſt. Ravennatum certè pietas tanta fuit, & jam hoc ſæculo, ut nec flumina eam potuerint vel obruere, vel extinguere.

Iocus.

Annus id docuit milleſimus ſexcenteſimus trigeſimus ſextus, quo, ſi ſine arboris huius hac appendice tabula fuiſſet Ravenna, hodie ſine Ravenna eſſet Italia. Conjuraſſe Neptunus in Ravennam credebatur, ita fluvios vicinos auxit, & ignoti nominis torrentes aggeſſit, ſuperinfuſurus vrbi, quidquid aquarum vicinia tota haberet, ut aqua poſthac ibi eſſet, ubi tot ſæculis antiqua ſtetiſſet Ravenna. Sola hæc vlmus obſtitit, ipſa jam propter hederam ſuam (imaginem dico Deiparæ) felix & ſupra naturam potens: quin & ramis quoque extimis virtus non minor; fuêre enim puellæ, quæ decerptos ab arbore ſurculos in crucem formârunt, & redituris aquis oppoſuerunt. Crederes ſurculos iſtos Neptuni tridente robuſtiores, & velut columnas Herculeas, quas ultra progredi profanum eſſet, cum aquis ipſi Neptuno. Certè quantumvis furioſas, & exleges aquas, ultra ſurculos illos non eſſe progreſſas, magno bono ſuo teſtantur Ravennates, & in hodiernum diem Virgini Deiparæ ad hanc Imaginem ſe gratos exhibent.

Eluvio.

Infantes.

Hanc narrationem ad me miſit R. P. Alexander Boſelli Provincialis Venetæ Provinciæ.

XXIX.

Imago B. V. Miraculoſa
NICOPOEIA.
Venetijs in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ruat Anguis amarè immane caput elido.*

1. *Imago ſocia Ducum in bello.*
2. *Lachrimæ pro ſanguine.*
3. *Victoria mirabilis.*

NIcopœiam, id eſt, victorioſam Virginis Deiparæ imaginem, D. Lucæ opus, iam dudum in Palatij Conſtantinopolitani ſacrario ſervârunt Imperatores Orientis, ne multùm à corde ſuo abeſſet theſaurus. Nunquam illi ſine hac in hoſtes ibant, certi ſemper indubitatæ victoriæ. Ea propter *Adjutricem invictam, belli Sociam, Imaginem inſuperabilis Commilitonis* DEI appellârunt. Affirmat juris parens, Juſtinianus Imperator, nomine Nicopœiæ Imaginis invocato, indomitas Gothorum, & Vandalorum vires à ſe domitas flammámque, quam per Africam & Italiam accenderant, extinctam. Narſes Eunuchus faſcem palmarum ſuarum non alio viruiſſe rore, quàm quem ab hac accepiſſet icone. Juſtinus II. & Tiberius, ut Perſarum immanes phalanges ſuperarent, huius Imaginis cultum ipſi arti militari præhabuerunt. Heraclium quoque contra Coſroem hanc imaginem ſecum extuliſſe, veroſimile eſt. — Narſes.

Ioannes Szemiſces cum Bulgaris pugnaturus ſuis hoſtiúmque viribus comparatis, lachrimas non tenuit: ſive enim arma, ſive milites, ſive duces, ſive locum pugnæ ſpectaret, omnia deditionem ſuadebant, nihil pugnam, ſed nec fugam, quæ, in votis ut eſſet, non ſine certo exercitûs interitu poſſet iniri. Iámque dies non ampliùs vna tantis malis moram iniecerat, cùm ille ad imaginem, quam ſecum extulerat, converſus, ſe ſuóſque *Invictæ Adjutrici* commendat, lachrimis ſuorum contenta eſſet, nec poſceret ſanguinem; vel ſanguinem ſi vellet, plus ab hoſtibus haberi poſſe, quibus numero ipſi tanto eſſent inferiores. — Szemiſces. — Oratio.

Interea quoque ipſa in vrbe Conſtantinopoli, è fæminis vna, quam præter nobilitatem virtus quoque iam dudum commendàverat, quámque publica Imperij pericula præ ſuis premebant, proſtrata, & ipſa ad Deiparam emittebat ſuſpiria in cælum uſque perventura; cùm videre ſibi viſa eſt, ingentis ſpeciei Matronam militi è primis uni hæc verba dicere: Theodore, Ioannes noſter

periclitatur: vade, ſuccurre. Narrata viſio Conſtantinopolim non parùm mutavit, alijs in fæminarum ſomnia, Græcâ garrulitate invectivas parantibus; alijs Stoicâ fatuitate reſpicientibus ad fata, ne vultum mutaturis, etiamſi cum Anacharſi in mortario minutim contunderentur; plerisque tamen ſpem cæleſtium auxiliorum concipientibus.

Illuxit interea dies, quâ de Orientis Imperio decerneretur: iámque incerto Marte pugnabatur, modò in hanc, modò illam in partem inclinante victoriâ. Cùm ecce equeſtris ordinis unus, fulgentiſſimis armis decôrus, ſolus, unicúſque in hoſtes proſilit, & obvios quoſque terrore illato, non gravibus ictibus obtruncat. Ita viâ ſibi in ipſam aciem factâ turbatis ſubitò ordinibus ſtragi dat initium, quam è noſtris fortiſſimi quique auctis animis proſequebantur. Iam campus ſanguine Bulgaro pictus, vix locum fugæ dabat ijs, quo cum ſuo rege Boriſſco ſerviles catenæ & vincula expectabant. Ita paucis diebus debellatum eſt, creditúmque Deiparam Imperatoris precibus dediſſe, ut D. Theodorum mitteret in ſubſidium. Imperator victoriam, quam ipſe non dediſſet, ſibi quoque non adſcripſit, ſed Virgini Nicopœiæ nunquam non victrici. Huius Imaginem currui triumphali impoſitam quadrigâ candidiſſimorum equorum (hic præ cæteris color decebat) vrbi invexit, ipſe eques patronam ſecutus.

Alter Ioannes Szemiſce non inferior, Comnenus eandem ſecum imaginem extulit, cùm contra Scythas iret in Thraciam. Iámque etiam interitus omnium oculis obverſabatur, nemine vno victoriam augurante. Noſtri, qui vix numerum faciebant, extra patriam, nullo ſecuturo auxilio, cecidêre animis, & præ omnibus Imperator. Itaque Nicopœiam imaginem vdis intuitus oculis, gemitu, quem fortè vicina mors ciebat animas ſuorum potiùs, quàm corpora commendat.

Cùm ecce *indui ſe virtute ex alto* ſentit, & magnam creſcente animo accipere animam: hoc idem ſui omnes experti, ferrum inclamant, & pugnam: ipſi interea Scythæ decreſcentibus repentè leonibus facti lepores, iucundâ metamorphoſi è campo ſepulchrum ſibi fecêre; vbi fabricaturos ſe Capitolia minabantur, tantâ acceptâ clade, ut non illi modò, quos ferrum domuerat, ſed nec ij, qui maiorum funera eſſent memoriâ repetituri, unquam ampliùs Orientis Imperium laceſſerent. Nec inſcitè Comnenus victoriâ uſus eſt, quam contra Scythas Virginis ope reportavit: etenim non hoſtium victoriâ contentus, amicum quoque Ioannem Szemiſcen in honoranda virgine vincere conatus eſt. Nimirum Bizantium redux Imaginem Nicopoeianæ ſub vrbis porta currui argenteo, & Orientis ſpolijs onuſto impoſitam, quatuor, ut ille, candidis equis ad palatij ſui ſacrarium devexit; ipſe non equo ſublimis, ſed pedes patronam præcedens.

Idem Ioannis filius Emmanuel Comnenus, devictis Vngaris, fecit. Tranſijt exemplum ad poſteros: qui ubi intellexêre, Virginem pro ſimili honore vendere victorias, vix fuit, qui virginis Nicopoeiæ auxilio non vinceret, qui Virginem ſimili triumpho non domum reduceret.

Fuit Orienti Diva Nicopœia pluribus ſæculis; beneficia dū deniq; ad Occidentē reſpicere coacta eſt. Etenim Virginis gratia pro ſervitio habebatur, debéri que ſibi tantos favores ſceleſtiſſimus quiſque credebat. Alexius Ducas, quem Morzuflum etiam nominatum reperio, trucidato per ſummam tyrannidem Alexio Angelo Imperatore, ſolium non ſuum ſuis viribus conſcendit, ignarus, quantumvis in alto eſſet, non ſe tamen in ea aëris regione poſitum, quam nulla tempeſtas feriret. Accepêre ab Occidente petita auxilia contra Tyrannum Græci: inter quæ non minima pars fuêre ij, quos Dandolus Venetorum Princeps adduxerat. Ab his obſeſſus nocturnâ pugnâ referre victoriam infelici ſtrategemate ſtatuit Alexius. Ita nempe, qui malè agit, odit lucem. Itaque Nicopœiâ Imagine, pro ſolito, jam ſine reverentia, prolatâ hoſtes laceſſit: ſed non longo certamine ſuperatus, relicto cum Nicopœia Imagine exercitu, cum paucis in vrbem ſe recepit: quâ intra biduum captâ, ipſe debitas commeritis pœnas dedit.

Dandolus.

Divitiæ Orientis in prædam ceſsêre. Dandolus ſibi Nicopœiam Imaginem, non multùm repugnantibus cæteris, vendicavit: Quam vbi Venetias tulit, obviam vrbs tantæ Patronæ effuſa mare implevit navigijs: & ne orienti cederet, néve Virgo Orientem ampliùs reſpiceret, poſt mille triumphales lætitias Ducali ſacello illata eſt: dum demum erecto magnifico altari, ut publico bene eſſet, in D. Marci templo eſt repoſita: ubi hodieque beneficijs in privatos portentoſa, ſpem facit, publici quoque, cùm ſors tulerit, non deſerendi.

Euagrius l. 4. Baron. t. 7. an 737. & 5. 77. Baron. tom. 8. Baron. t. 10. Curopalata. Ramuſius l. 3. f. 129. Narrationem impreſſit Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Abbas Carolus Querinus Venet. 1645.

XXX.

Imago B. V. Miraculoſa S. IOANNIS DAMASCENI. *Venetijs in Italia.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Sum Mater Vnigeniti à Deo pura ac alma.*

1. *Potentiam ſupplet dolus.*
2. *Chriſtianus peior Saraceno.*
3. *Medicina cæleſtis.*

SI te ponere metum iubeam, lector, neſcio, an parêre velis, vel etiam poſſis, quando hominem affero Chriſtianum Saraceno peiorem, quia leonem pelle ſub Chriſtiana circumfert. Iam non ampliùs virtuti Chriſtianorum exercendæ deſideratur Nero, quamdiu vicariam præſtat operam Leo, & Leo Iſauricus Orientis Imperator. Is quia pietatem ab impietate, Idololatriam à vero ſacratum cultu Imaginum diſtinguere noluit, bellum lignis & lapidibus indixit, quin & hominibus, qui lapides & ligna defendere ſuſtinerent. Fuêre non pauci, qui ſanguinem profundere mallent, & vitam dare, quàm ſanctorum pictas ſculptasue effigies, quas ſummâ induſtriâ abſcondebant, quandoque etiam aliò amittebant, ne amitterent. Atque ut cæteri alijs atque alijs modis Cælitum theſauros tutarentur, unus inter omnes fuit, qui omnibus palmam præripuit, Ioannes: quem ideo Damaſcenum dicimus, quia Damaſcena in vrbe Saraceno Principi à conſilijs fuit, & inter paucos charus, licet Chriſtianus. Ita virtus etiam in hoſte amatur, præſertim Chriſtiano.

Martyrium.

Hic Orthodoxos ad abſcondendas imagines animavit, imagines ipſas defendit: & ſiquis alius Leonem non rarò in rabiem egit, nō gravi machærâ ſed levi pennâ, ſcriptis ad orthodoxos, ſparsiſq; litteris. Quin etiam libris rem totam ſic confecit, ut ferocibus auſis nemo ullus obſtaret, præter unicum Ioannem, idque non ſemel conquereretur Imperator. Poterat intellectâ veritate Leo reſipiſcere, ſed, qui heterodoxæ genius eſt hydræ, renaſcuntur non alia, ſed eadem ei capita. Sed & eadem ingerebat frequenter Ioannes, modum pugnandi doctus, quem hæreſis poſcit, miſſis identidem ad amicos novis ſive litteris, ſive libellis, qui per Conſtantinoplim ſparſi Leonem morderent. Devenêre (ut aula curioſa eſt) eorum non pauci in palatium, atque in ipſas etiam Leonis manus.

Imago. Imperator.

Is diſcerptis leonino ritu chartis ipſum cum chartis diſcerpere ſcriptorem maluiſſet, verè Leo; quan-

Ira.

quando nihil ampliùs humanum erat, quod furor non abſtuliſſet. Iámque ignibus ipſe cum libris auctor deſtinabatur: ſed quis eum ſiſteret, quem nemo proderet, plerique ignorarent; brevi tamen compertum eſt, Ioannem eſſe, Saraceno Principi in vrbe Damaſco à conſilijs, & in paucis charum. Leo. In rabiem itaque actus Leo, multa dixit, quæ non poſſet ipſe furens apud Senecam Hercules. Rotas, cataſtas, Nabuchodonoſoris fornaces parabat animo. Hunc ego! ſed motos præſtat componere fluctus, inquit, quando vanæ ſine viribus iræ ſunt. Ioannes favore hoſtis potens patroni gratiam etiam cumulabit, ſi me apertum habeat inimicum: vulneri locus non patet, niſi quem dolus deſignat. Fraudibus itaque agendum eſt, & cũ vulpe hac vulpinari etiam Leoni non erit indecorum, ſi Dolus. victoriam velit: dolus, an virtus; quis in hoſte requirat? Compoſitam itaque Epiſtolam, quaſi à Ioanne ſcriptam, ſcribæ tradit, quídque fieri velit, paucis docet. Quod compoſitoris nomen fuerit, ipſa aſtutia poſteros ſcire vetuit, quæ pro aſtuto illum non habet, qui aſtutus videri vult, & dicier: Hic eſt. Sinonem redivivum dicerẽ, quia tam docto mendacio Troiam hanc accendit; niſi, quòd Sinon neſcivit, ipſum mentiri calamum docuiſſet, tantus magiſter.

Litteras (ni fallor) ipſe Leo compoſuit, quas credi volebat à Saraceno Principe, Ioannem ad ſe ſcripſiſſe: patêre Chriſtianis Damaſcum, veniret modò Imperator, videret, & vinceret: ſe ſecretis Saraceni præfectum ſic conſilia temperaturum, ut Chriſtianorum in manus cum Damaſco ipſe ſine ſanguine Princeps veniret. Hunc Imperatoris laborem ſcribæ induſtria finire debuit. Litteræ. Iámque aderat ſigillum, ei, quod Ioannis fuit, ſimile, ipſa charta Damaſci confecta fraudem auxit, neque aliud deſideratum, quàm ut ſcriba pennam quoque temperaret, quâ Ioannis manum mentiretur, quod magnâ arte, & nequitiâ maiore effectum dedit.

Interea Imperator alias exarat ad Saracenum: ſciat, ſe Chriſtianum dolos odiſſe: pactis inducijs, etſi poſſet, nolle tamen finem facere ante tempus. Videret ipſe, quas in aula viperas aleret. Fidem ſuam,, quantumvis hoſtis eſſet, præhaberi poſſe fidei amicorum. Fidem verbis Imperatorijs ſi negaret, haberet litteris, quas ſcripſiſſet amicus ad hoſtem, Ioannes ad Leonem. Has unà cum illis Fraus. per veredarium Saraceno mittit, non dubius, è Principe fieri poſſe carnificem, tam Punicâ fraude, quàm Græca fides coxiſſet. Lectæ à Saraceno Imperatoris litteræ tantùm non abiectæ ſunt, conſcio nimirum, quis aularum ſtylus eſſet. Probata Ioannis fides, & ſo- Fidelitas. lida, quia antiqua, hunc à Leone ictum facilè ſuſtinuit, nec quati potuit apud Principem, qui ſcivit, veritatem aulæ verbis veſtiri vel nolle; vel non poſſe. Vel ipſum Leonem fraudis pœnitere debuiſſet, ſi legentis vultum eſſet intuitus.

At verò, ubi incluſas quoque aperuit, ubi chartam inſpexit, ubi ſigillum contemplatus eſt, ubi litteras & ſubſcriptum litteris Ioannis nomen per ſingulos propè caracteres non perfunctoriè in examen vocavit; hic enimverò proditionem tanti ſceleris probavit, quantumvis proditorem Leonem odiſſet. Facti certitudo moras tribunalis non poſcebat, gravitas ſententiam poſtulabat perduellibus debitam, quam etiam plerique è Saracenis à Principe exigebant. Impunè, inquiunt, contemnens, ſi tantum ſubdito permittis in Principem. Habebit licentia imitatores, quæ, ſi in plures abeat, compeſci ampliùs non poterit, quia viribus aucta frœnum excutiet. Quis Principi ſerviat, apud quem eò deventum eſt, ut Tros Tyriúſque illi nullo diſcrimine agatur, ubi inter fideles conſiliarios etiam ſuus proditoribus locus eſt. Plura dicturos, ipſe Saraceni per ſe præceps furor interrupit, Ioannem ocyùs vocatum, ipſe momento temporis pæne uno accuſat, judicat, damnat, non auditum.

Politica.

Ducitur paulò antè primus in aula à lictore in forum publicum: legitur proditionis factum, & inter Chriſtianorum lachrimas, ſive fraudem, ſive hominem dolentium, Ioannes manum dexteram tanti flagitij artificem juſſus porrigit, quam confeſtim lictor ſecuri abſtulit, totique foro ſpectandam ex alto ſuſpendit. Hoc habet: litatum Leoni eſt, quando è veredario reduce fraudis ſuæ felicem eventum intellexit. De triumphato cum imaginibus Ioanne nil ſupereſt, quàm ut omnes quoque boni diſpereant, quando nemo ampliùs eſt, qui oves contra Leonem defendat. Interea Ioannes vix ſanguinem ſtitit, vix inter manus amicorum unimanus domum tractus potiùs, quàm ductus, dolere tamen non deſijt. Fuère, qui ferrum ſuaderent candens, qui emplaſtra, ſed non perſuaſerunt omnia alia cogitanti. Vnus inter amicos fuit, qui leniendi doloris unicum aiebat fore remedium, ſi abſciſſa dextra domum portaretur, ac ægro utcunque admoveretur, dum vitales, inquit, ſpiritus tantæ disjunctioni ſuſtinendæ vel aſſueſcerent, vel pares fierent.

Iniuſtitia. Manus.

Viſa hæc ignorantibus Magia eſt, & pactum cum dæmone non obſcurum, aut certè ſuperſtitione non carere. Non omnes Natura dignos ſuis ſecretis judicat. Inter hos primi ſunt, qui nihil eſſe volunt, niſi quòd ipſis viſum eſt: quibus Natura tota plus creditur non poſſe facere, quàm ipſi poſſint capere. Cætera, aiunt, dæmonis opera ſunt, illudendis hominibus aptiora, quàm erudiendis. Quamvis Ioannes hoc ſecretum Naturæ non neſciret, memor tamen crucifixæ pro ſe dexteræ dolori pares ſibi ſpiritus non difficulter fecit, ſed dolorem auxit in ſcriptionem pruriens abſciſſâ manus. Mittitur itaque ex amicis quiſpiã ad Principem minùs jam furioſè ſævientem, qui leniendi doloris remedium poſceret: manum toto jam die in foro pendulam, ſub veſperam

Magia.

Dextera.

ram

ram iam ſpectatoribus deſtitui, mortem, quam ipſe reo non inflixiſſet, arceri vix poſſe, niſi à propinqua manu: tantum ſanguinis ejectum, ut vel ipſa crederetur ſecutura anima. Nihil peccaturam poſthac dexteram, quæ ducendo calamo inhabilis pruritum ſcribendi perdidiſſet. Nec Principem reperit difficilem: iret ſanè Ioannes, tolleret, quod ſuum eſſet, alijs quoque ſua relinqueret, ſibi Damaſcum. Meminiſſet prætereà unimanus, longas regibus eſſe manus, & damno ſuo prudentior factus, diſceret ſiniſtrâ litteras ſcribere dexteriores, quàm dexterâ ſcripſiſſet.

Princeps.

Obtenta à principe dextera confeſtim è foro portata domum, factáque homini propinquior, dolorem (ſi peritis credimus) utcunque ſtitit. Somnum nox poſcebat. Jamque ſolus Ioannes ſui eſſe juris cœpit, facturus, quod alijs præſentibus non bene auderet. Abdita ſua ingreditur, ut cor eſſet, ubi theſaurum ſuum habebat. Erat is unica Virginis Deiparæ IESVLVM tenentis Imago, opus antiquæ manûs, quam ſagax pietas Leoni ſubtraxerat, Saraceno objicere non auderet. Hìc ille truncam tantisper manum altari ſuperimponit: in genua dein provolvitur, Matrem Dei, & ſuam alloquitur, non multùm alius ab illo Ioannes. Videret, quid ſive famulus, ſive filius pateretur pro Matre, pro Patrona: &, ſive Mater eſſet, ſive Patrona, parumper condoleret, monſtraretque ſe Matrem. An mereretur, ut oblivioni detur dextera ſua, quâ factum eſſet, ne ipſius Matris Imagines ulla unquam deleret oblivio? Sibi, ſuiſque uſibus ſufficere, quæ ſupereſſet, ſiniſtram; Mariæ dexteram deberi, quam ſiniſtra defendere non poſſet. Bellum cum leone cœptum potiùs, quàm finitum, ſive gladium poſceret, ſive calamum, ſino dextra geri non poſſe; cùm neſciat ſiniſtra, quid facere debeat dextra. Quid dicturos, quos Cælitum aliqua adhuc tangit religio? quid illos, quos nulla? Neutris ſatisfieri cum fide poſſe, quamdiu ipſe aut dexter, aut ambidexter non eſſet.

Oratio.

Altare.

Inter has filij erga matrem non odioſas querelas ſuavis ſopor hominem plura dicturum reclinavit. Audivit Mater juſtas querelas: & quia clemens eſt, etiam exaudivit; nam acceptam ab altari manum trunco brachio jungit, jubétque, quod antè, officium facere. Non iſta tamen eo ſilentio peracta ſunt, quin dormiens Ioannes non eadem ſomniaret. Nam non multò pòſt expergefactus, optabat ſomnijs veritatem. Et ecce! inſpecturo vulneris locum, obiecit ſe manus ipſa, iam non altari impoſita, ſed Chirurgiæ cæleſtis arte inſerta brachio; quin etiam viva, vegetáque, & ad uſus priores apta. Experimentum tantæ artis capturus calamum prehendit, tentátque ſcribere nomen Mariæ Soſpitatricis: quod ut vidit perbellè ſucceſſiſſe, vidit etiam, nullum aliud à manu officium peti poſſe, quod præſtare

Mariæ.

Vulnus.

confeſtim non poſſet. Taceo libens, quod olim in eremo hæc manus factura eſt.

Miraculum. Tantum miraculum uti Chriſtianis magnus ad Mariæ cultum ſtimulus, ita Saracenis ſcandalum, quin etiam ſtultitia fuit. Fuere namque, qui Æſculapium ex inferno evocatum aſſererent, appoſitæ manus artificem: alij, qui mitiùs inſaniebant, ſupplicium inquiebant, fraude amicorum, averſum eſſe in ſervum, atque in mediaſtino peccâſſe ſecurim, quæ in Ioannis dextera debuiſſet non errare. Ipſe Princeps in rem præſentem venire voluit, vocatúmq; ad ſe Ioannem, promere manum juſſit: quam, ut vidit limbo ſanguineo, velut cicatricis non invenuſto veſtigio, cinctam; ipſe manus dedit, credidítque fide non profuturâ, manum miraculo reſtitutam, in hoc non inhumanus, quòd & Ioannis innocentiam prædicaret, & præcipitem unà cum nimia credulitate ſententiam damnaret, documento Chriſtianis judicibus non obſcurè dato, etiam judices errare poſſe. Imago ipſa demum Venetias delata, hodie in templo Pacis religioſè conſervatur. Iulius Strozius Orator Ven. Imp. Veritas. Imago

Orator Ven. Imp.

1637.

XXXI.

Imago B. V. Miraculoſa DE SCHOLA.

Venetijs in Italia.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tota ſine macula Adam, purè germinavi.*

1. *Magiſter ſine Magiſtro.*
2. *Angeli artifices.*
3. *Navis ſine remige felix.*

PAſtoris inventum pictura eſt, qui primus ex Vmbra, quam ovis fecerat, fecit ovem. Sculptura, ſeu Statuaria non minùs paſtoribus debet, quia picturæ filia eſt. Hinc, ſi paſtor quiſpiam de ſculptura ferat judicium, tanto piaculo non ſe inquinabit, quàm ſi ſutor in picturæ criſi progrediatur ultra crepidam.

Ruſticus. Fuit, quarto abhinc ſæculo, in Ariminenſi agro ingenio felici ruſticus, paſcendis pecoribus ab arte & natura factus. Is ſive cultelli amore, ſeu otij faſtidio, ſcindere cæpit ex avena primùm fiſtulas ſolando labori, deinde etiam è ſambuco. Placuit ſibi artifex ſine magiſtro; & plùs ultrà progreſſus levandæ ſiti etiam ſcyphos fecit, & pocula, non parùm meliora vitris, quia non fragilia. Sæpe ars tam craſſa deriſa eſt, ſæpe artifex. Sed longè alia erat artifici mens: ſibi placuiſſe opus, in parte Otium.

te mercedis ponebat, non moratus faſtidioſos Ariſtarchos. Imò ad ritum ingenioſorum, ſtimulum accepit à contemptu, & ſpretus tentavit altiora. Prô! quanto careret theſauro Veneta Reſpubl. ſi homo iſte riſum Zoilorum vertiſſet in luctum ſuum, & à ſculptura ceſſâſſet. Ille ergo, qui quondam gracili modulatus avenâ, vix bene fiſtulas & ruſtica crepundia formabat, ingenti auſu Deiparæ Virginis ſtatuam ſculpere ſtatuit; quia truncum reperit operi non ineptum: opúſque ſubſecivis horis (neque enim officio paſtoris defuit) aggreditur. Inſtrumentis pariter, ac arte non probè inſtructus, hoc uno prudens videri poterat, quòd faciem Virginis deſtinâſſet in operis finem, ut manu peritiore effigiaretur. Et verò labore improbo breves intra dies totam abſolvit ſtatuam, quam ij præ alijs mirarentur, qui ignorant, rerum peritiam quandoque etiam à Natura haberi.

Prudentia.

Quis autem caput Virginis figurabit? Quis formabit faciem? Iam neſcire ſe paſtor ſcit, quod ſcire ſe antè credebat, nón parùm ſapientior factus, ex quo temeritatem didicerat diſtinguere ab induſtria, caſum ab arte. Non rarò admoto ferro provocabat artem, operi coronidem impoſiturus, & Virgini coronam. Sed unà cum inſtrumentis tantùm non abiecit animum: donec tandem ſeipſum unà cum arte ſua ſuperaturus, manus ferrúmque ſeriò admovit. ſed opus turbavit noctu ſerpens, qui Virginis calcaneum ſuſtinere non poteſt, nedum faciem. Iterū ac tertiùm opus aggreditur; ſed iterū iterúmq; eodem turbatore laborem ſuum reperit manè poſtero irritum. Inde ſive irato, ſive triſti, certè turbato par, juvenum è ſilva adſtat par nobile fratrum. Hi de via primum ſcire volunt: tum de ſtatua, & ſtatuario non pauca rogant: operam denique ſuam ſponte offerunt, & artis ſe peritos dicunt. Paſtor ne quid ruſticum loqueretur, juvenes appellat, & propterea imperitos. Et poſtquam totâ manu viam monſtrâſſet, brevibus reſponſis ablegat, quos oportebat accerſere. Sed ijdem manè ſequenti iterum adſunt, eadem repetunt, eadem ſpondent, etiam importunè rogant: dum denique commotus aliquantiſper artifex, ſcalprum abijcienti quàm tradenti ſimilior: Irent, ait, experimentum artis ſuæ darent importuni jactatores, utique non facturi faciem, ſed opus totum corrupturi. Nec plura: unus eorum prehenſo ſcalpro levi manu excuſſis ramentis apparere facit primùm oculos, & prominere decentem naſum; tum frontem planat, & aperit os, locuturum, ſi anima infuiſſet, denique totam faciem cum decora cæſarie: brevi horâ opus finitum ſtupenti ruſtico tradit, & ſcalprū deponit: addit, opus unà cum artifice placere Virgini: vel eipſam, ut ab Ariminenſibus hinc deportetur ad portum, ibi navi ſine remo & remige imponatur: Ituram, quò deſtinâſſent Superi: Ariminenſibus hæc nunciaret, ſe Genios

Ignorantia.

Angeli.

Artifex.

Gratia.

cæleſtes à Virgine miſſos iubere. Et verò diſcedendi modus prodebat angelos, repentè oculis ereptos.

Paſtor nec ſe capere, nec ſtatuæ artificium mirari ſatis poteſt: Ariminenſibus audita, viſàque refert, Hi arti maiorem, quàm ruſtico homini fidem habent, ſtatuámque non portui, ſed vrbi deſtinant.

Statua. At comitante populo ad portum ubi perventum eſt, nemo fuit, qui ponderi tanto ſuccollare poſſet. Quæſitum igitur ex ruſtico eſt, quid ſtatuâ fieri ipſe vellet. Iam dixi, reſpondit: navi imponenda eſt, ſine remo & remige. Factum hoc eſt, accenſis inſuper utrinque cereis. Confeſtim verſâ nullo impellente prorâ ſolvit

Navis. ritu nautico à litore navis, & in altum evehitur. Fuère ex ariminenſibus, qui ſubitò comportatâ in plures dies annonâ cymbam conſcenderent, ſecuturi Patronam clientes.

At vbi Venetam vrbem ingredi, & ad S. Marciliani templum conſiſtere navis viſa eſt, & ipſi quoque exſcenſionem fecerunt. Decebat Virginis ſtatuam cæleſti vi portu Ariminenſi egreſſam, non ingredi ſine miraculo portum Venetum. Commodùm aderat mutus puer, cæci patris filius.

Mutus. Is Statuam conſpicatus: Pater, inquit, viden', quàm hæc venuſta ſit Virginis Deiparæ ſtatua? Et verò etiam confeſtim vidit pater. Miraculum duplex celeriter famâ per vrbem vulgatum accivit cum

Cæcus. populo Optimates: qui ut reliqua quoque ex Ariminenſibus intellexère, Statuam inferre templo Ducali decreverunt. Sed nemo erat, qui eam loco movere poſſet. Itaque anno 1286. quo hæc contigère, coli ſtatua cœpta eſt, & cultoribus ſuis mercedis loco referre miracula.

Provehendæ pietati miſſi Romam ſunt, qui à S. Pontifice Nicolao IV. peterent Indulgentias: qui bis cum fabulis ſuis (ita credebatur) reiecti cum riſu ſunt. Sed tertium ut rediêre, audiri etiam iuſſi ſunt à Virgine, quæ Pontifici apparuit. Quapropter Ariminum miſſus, qui paſtorem acciret, Divis vel iam in terris adnumerandum, vel certè in paucis charum. Ita credebatur, &, ut credo, ſic erat: ſed O Dei iudicia! homo ob, neſcio cuius flagitij malevolas ſuſpiciones ferro tenebatur, & vinculis. Diſplicuit Pontifici Iudicis ſtulta æquitas, qui ſummum jus non ſine ſumma iniuria exerceret in homine miſericordiâ digno. Itaque confeſtim liberatum examinat ipſe; & teſtes cognitæ veritatis litteras cum indulgentijs Venetis mittit. Indulgentiæ. Carcer.

Ex relatione Venetijs impreſſa, quam pro ſuo in B. V. ſtudio unà cum quamplurimis imaginibus, & authenticis relationibus, per R. P. Franciſcum Adornum Societatis IESV, miſit ad me Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus D. Franciſcus Moroſini Venetiarum Patriarcha, & Dalmatiæ Primas.

XXXII.

XXXII.
Imago B. V. Miraculoſa BASSANENSIS. *Baſſani in Italia.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Pergam inviolata, ac munda Mater IESV.*

1. *Infantia eloquens.*
2. *Infantia bellicoſa.*
3. *Innocentia defenſa.*

HVius Imaginis miraculoſæ, quam vrbs Baſſanenſis colit, originem primam dare non poſſum, quia & memoriam hominum, & Scriptorum diligentiam fugit. In deſerto ſtetiſſe ſacello, & tantùm non ſine omni cultu, narrârunt ſeniores, cùm, quod recenſebo, contigit miraculum. Quod, ut fortè primum non fuerit, inficiari tamen nemo poterit, fuiſſe principale; unde Imagini honor poſthac haberetur, & cultus exhiberetur tantis meritis dignus. Tridentum. Habet præclarum Martyrem ac Patronum vrbs Tridentina anno 1475. quo Hebræorum (qui tunc vrbem incolebant) impietas in Chriſti de cruce pendentis contemptum, ipſo hebdomadæ ſanctæ Veneris die, Simonem (calcearij ſutoris filium) vix ſex ſupra viginti menſes natum, funeſtiſſimis tormentis interemit. Cuius S. corpuſculum etiamnum integrum & incorruptum in S. Petri templo Parochiali magnificè cuſtoditur, jure hoſpitij: ut qui & ipſe quondam apud Simonem quendam coriarium in vrbe Joppen divertit. Decennio pòſt ſecutus eſt Simonem B. Laurentius Soſſius, Baſſanenſis, in pari cauſa à Iudæis trucidatus, triennio ferè Simone maior. Non ego hic martyrium & tormenta Herois recolo: ſed illud narrare aggredior, quod certum omen futuræ ſanctitatis in puero Baſſanenſi vix dum in cunis poſito eluxit.

Bellum. Neſcio à quo, aut contra quem ijs in partibus bellum cæptum erat, quod ſine Laurentij patre geri non poſſet. Quapropter homo militaris, altero nuptiarum die, campo ſe committere, & caſtra ſequi gravibus imperijs coactus, vxorem pridie ſibi nuptam, commendatâ tantiſper domo, reliquit.

Bellum, in quo Laurentij parens meruit, novem omnino menſium fuit. Rediјt itaque, acceptâ miſſione, maritus, conſortis, ut exiſtimo, precibus ſalvus & ſanus, quæ identidem ad eam, de qua loquor, Imaginem vigilias Vxor. pro marito agebat, &, ni fallor, quotidie; ſi decem ultimos dies excipias, qui mariti reditum præceſſere, quibus edito in lucem Laurentio decumbebat in lecto. Ingreſſus itaque domum ſuam redux

dux è bello miles, circumſpicit primùm; & miratus, neminem ſibi fieri obvium, per ſcalas pervenit ad thalamum, ubi conjugem in lecto cubantem vidit. Ægram ratus, conſolari verbis inſtituit, quibus excitare vel ſemimortuam poſſet. Illa gaudium mariti, quòd tam amicâ ſalutatione attulerat, ut pari gaudio penſaret, filiolum, quem commodùm lateri tunc applicitum habebat, remoto linteo monſtrans: En, inquit, chariſſime conjux, amoris noſtri pignus, & hæres domûs, & noſtræ olim, quam, Deo dante, ſperamus, ſenectutis baculus!

F. ius.

Ira

Mirum eſt, quàm nonnunquam velocitate cogātur in cælo nubes, atque in fulmina ignēſcant. Multò, quàm credi poteſt, citiùs hæc viſa ſunt in vultu mariti, nunc verè microcoſmi. Rugas contraxit ut nubes, oculos accendit ut fulgetra, linguam in tonitrua rupit: quid expectes, niſi triſulcum è manu Iovis huius fulmen, quo diſperćat hæc Iuno? Ergóne, inquit, ego pater pueri, quem alius genuit? Cætera, quæ homo Martius inter inſanas per thalamum concurſationes detonuit, vel Herculi furenti non excidiſſent.

Ratio.

Et habebat furor iſte plus rationis, quàm ſolet. Nimirum à nuptijs ad caſtra, à thalamo ad pugnam erat evocatus recens maritus; noctem non ampliùs vnam Principis Imperio indulgente.

Furor.

Furor, ut plurimùm, ira brevis eſt. Hic, quia in hominem Martium incidit, longus fuit, & denique arma miniſtravit nondum depoſita, quibùs uno ictu utrumque honeſtæ domûs probrum auferret. Interea mulier lachrimis perfuſa non profuturis, inter ultimos (quia mortis) ſudores eloquentiâ plùs quàm fæmineâ perorat. Et placâſſet beſtiam eloquens innocentia, ſi audita fuiſſet. Sed quî debilem & ſingultibus interruptam fæminæ vocem inter Martiæ vociferationis tonitrua audiret homo militaris, qui nec leges quidem inter tubas & tympana audire conſueverat? Iámque incumbentem ſibi machæram, ſive vitatura, ſive mitigatura, filio manibus prehenſo, ſuperat affectum matris, & magnâ vi brachia tollit, prolémque objicit jam cadenti machæræ; eo uno felix, quòd Imaginem Virginis, de qua dixi, in ore, ſpem haberet in corde.

Gladius.

Adeſte, quotquot mundus tulit heroës, atque ipſi inſpicite, ne fidem omnem ſuperet, qnod dicam. Laurentius vix dum totus decem dierum homo, ictum riſu excipit, & manu machæram. Jámque alterum minabatur furor ictum: Sed pupulus, parente fortior, manu aciem ferri intercepit: Et quid, inquit, agis, pater? quando ego filius tuus ſum, & mater innocens? Hæc fatus, temporum noſtrorum Atys, tacuit; & iam ſolus armatus (nam viro, qui iam pater eſſe cœperat, è manu gladius exciderat) tropæum manu victorioſa tenet, machærámque, ut victor, manu vibrat. Extimuit pater, ſteterúntque comæ, & vox faucibus hæſit. Atque ut patrem ſe eſſe ſciret; hominem tamen ſe eſſe tantiſper ignorabat: dum animoſior è concepta ſpe, viſóque

Infans.

Pater.

por-

portento, fæmina viro redderet animum.

Redditæ Deiparæ Virgini gratiæ, & inuſitati porteni narratio facta vicinis, ab his publico, fidem tamen apud omnes non invenit, vel quia à milite, vel quia à fæmina hæc dicebantur. Modeſtiùs itaque mentiri jubebantur; hoc ficto titulo, qui receptus non eſſet, ſpurium pro legitimo haberi non poſſe: jure ſtandum antiquo, & ſi velint, conſuetis cerimonijs ad hereditatem admitti poſſe. Hæc matri, filióque cum ipſo marito in pœnam furoris paterni ferenda fuêre, dum tandem reperti ſunt, qui conceptâ in Virginem Deiparam ſpe, imaginem venerarentur, & ipſi quoque peterent auxilia in morbis, quæ natura præſtare non poſſet. Nam, ut Laurentij conſuleretur honori, Virgo Deipara coram imagine, quantumvis magna poſtulantibus negavit nihil. Ita multiplicatis tanto numero portentis, etiam primum, quod in Laurentio contigit miraculum, fidem integram invenit apud omnes, quod antè vix dubiâ fide credebatur à paucis. Decebat hic honor Sanctum, decebat Martyrem: nondum enim primum ætatis compleverat omnino luſtrum, & jam maturus cælo, & martyrio ſuffecturus, diram à Judæis mortem pro Chriſto tulit. Hiſt. Vicent. l. 2. c. 71. Annal. PP. Ser. vit. p. 2. cent. 4. l. 1. cap. 4.

Contradictio.

XXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa AD S. JUSTINAM. *Paduæ in Italia.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Vivam Deo integra Immaculata parens.*

1. *Tabula volans & ſaltans.*
2. *Fumus ſacer, cælo ingratus.*
3. *Fæmina Cœlo chara.*

Barbarum oportet fuiſſe, & verè Copronymum, Conſtantinum illum Orientis Imperatorem, qui tam impiè patris mores ſecutus eſt; ut, quas furori patris Chriſtianorum pietas ſubduxerat Divorum imagines, ſummâ ſolertiâ conquiſitas, ferro & igne proſequeretur, impius Iconoclaſta, ſola in ligna lapidéſve bellicoſus. Hic Iſaurici Leonis non degener catulus, ſimulac imperium anno Chriſti 741. hæreditate accepit, ne patris memoriam ulla nunquam poſſet delere oblivio, deſævijt ſtrenuè in imagines Sanctorum, cùm in Sanctos non poſſet. Nulla domus, quæ jacturam non doleret, nullis divitijs reparandam; nulla platea, in qua non magni quandoque operis tabulæ aſſulatim ſparſæ

Filius.

M jace-

Venus. jacerent: nulla via, quæ non ſacris eiuſmodi ramentis honorata calcari vel à pietate ipſa recuſaret. Mercurios in palatio vidiſſes & Apollines, Veneres, Dianas. Dabantur marmora, & varij generis metalla: nihil non nudum erat, ut veritas turpitudinis venuſtiùs ſorderet. Aulæ. Cælitum, nec figura, nec forma ferebatur uſpiam. Hæ palatinorum leges fuêre non parùm paradoxæ, quibus illorum colere ſtatuas, quos ſequi nollent; eorum, quos ſequi deberent, cum contumelia lacerare jubebantur.

Fuit, cùm novo artificio conquiſitæ per Conſtantinopolim Imago. Imagines comportarentur tanto numero, qui vel ipſis Iconoclaſtis admirationi eſſet, vix oculis ſuis credentibus, poſt tot tantáſque horum penatum ſtrages, tot Idololatriæ reliquias pio furori ſubductas. Itaque maximo in foro ſpectaculum futuræ Deo, Angelis, & hominibus Sanctorum imagines, in cumulum aggeſtæ, pyram effecêre, in qua tota Sanctorum memoria funus fieret, & conflagraret: &, ne tanto funeri deeſſent ludi funerales, hæc omnia ludo Fæminæ. jocóque fiebant. Quid præficas memorem, quas devotus fæmineus ſexus non gravatè ſubmiſit? quid faces recenſeam, quas impijſſimus quisque contra morem à fronte ſubdidit, rogúmq; accendit?

At ſimul ac veneranda ſtrues Fulmina. ignem concepit, Superi id, quod erat, non tardè ſubodorati, tam pretioſi thymiamatis, tam ſeverè hominibus vetiti fumum, averſo à terra vultu, ſuſcepêre.

Sunt ſupra altas ætheris plagas fulminum plùs quàm muralia tormenta, ſtántque in ſubjectos directa, deſtinatáque impios, non tamẽ (Cœlitum conſueto more) exoneranda, niſi novi Promethei è terra ignem ſubmittant, & peccatis, velut funibus incendiarijs, tanti ſtrepitûs machinas accendant. Nunquam ſtultiùs, majoréve periculo mundus inter ignes luſit, quàm cum hunc rogum ſuccendit, non difficulter cum fumo flamen cælo daturum, quæ accenſis, quas dixi, fulminum plùs quàm bellicis machinis, effectura eſſet, ut fractus illaberetur orbis.

Jámque ardebat rogus ſacro Rogus. igne, jámque cælum ſacris è fumo nubibus tectum nil niſi pium ſanctúmque ſpirabat: gemebant interim circa rogum, quos aliqua Sanctorum cura tangebat, & lachrimis ac ſuſpirijs tantùm non extinguendæ flammæ idoneis cælum cum fumo petebant: cùm ecce! è tabellis una, divinâ virtute, è media flamma, quæ jam totam, quanta erat, ſtruem involverat, ſaltu mirabili in altum fertur, factóque bene grandi arcu in medium populum, jámque capitibus ſuis timentem, decidens, in fæminæ orthodoxæ gremium delapſa eſt, & non ſine gaudio excepta. Hæc ſibi tabulæque conſultura, populo ſe ſubtraxit. At domum vbi venit, tabulæque materia ſimul, ac pictura examinata à pijs eſt, tabula reperta eſt è ligno integra, quadrata, nec vltra mediocritatem magna. Pictura illæſa, colo-

colores vivi, manus artificis præ aliijs bona.

Imago. Tabulam in tanta lignorum temere congeſtorum congerie, inter flammas fumóſque permanſiſſe integram illæſámque è rogo ſolam, unicámque è tot alijs exilijſſe in altum, per arcum velut facto paſſu tranſijſſe flammam, & in fœminæ orthodoxæ gremium decidiſſe, apud pios non mirum modò, ſed & ſupra miraculum habebatur. Eapropter velut vnicus fidelium theſaurus diu Conſtantinopoli, eo honore, quem merebatur, conſervata eſt, donec à B. VrioSacerdote, & templi SS. Apoſtolorum, quod tum Conſtantinopoli erat, cuſtode, unà cum corporibus S. Apoſtoli Matthiæ, & S. Evangeliſtæ Lucæ in Paduanam vrbem deportata eſt. Padua. Atque hæc ipſiſſima eſt, quæ hodie à Monachis D. Benedicti Caſſinenſibus ad S. Juſtinam cuſtoditur. An verò S. Lucæ opus ſit, quod nonnulli exiſtimant, non habeo dicere.

Hanc hiſtoriam R.P. Alexander Boſelli Provincialis Venetæ Prov. mihi miſit, deſumpſitque ex Portin. de felic. Padu. lib. 9. cap. 19. f. 412.

XXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa DE MONTE ORTONE.

In M. Ortone in Italia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Periit Anguis coram Eva munda & alma.*

1. *Mortis modus timendus.*
2. *Quercus & Oliva.*
3. *Lotio pedum ſalubris.*

EO fides hominum devenit, vt vel ipſi DEO dicenti non credant, niſi dicat, ſe dixiſſe, & portentis dicta confirmet; alia enim DEI loquentis verba mundus hodie vel non audit, vel non intelligit, quàm miracula. Miracula. Intelliget hoc lector ex origine Imaginis Deiparæ, quæ in Monte Ortone miraculis celebratur, quam fide magni Hiſtorici recenſeo.

Peſtis. Anno 1427. peſtis Lombardiam vniverſam afflavit, præ alijs ita Paduanæ vrbi infeſta, vt etiam ij, quos aliàs metus in virum quoque conſtantem cadens non terreret, vrbem deſererent. Ita multi non tam mortem, quàm mortis modum timent. Eos inter fuit Petrus Falcus, homo militaris olim: qui, cùm è militia nihil præter pauca ſtipendia, & multa vulnera domum retuliſſet, jámque nec ex his quidem multum ampliùs ſupereſſet, præter pedum incurabilem dolorem, Pedes. eâdem fideliâ duos, vt ajunt, de albaturus parietes, vrbe

ob luem malignam relictâ, ad montis Ortoni thermas ſe tantiſper contulit, quoad inde ſanus in ſanam patriam rediret.

Fuit Petrus cæleſti itineri aptior, quàm terreſtri, raro in milite exemplo. Nam conſcientiæ vt bonæ erat, ita nullum quoque abire diem paſſus eſt, quo Virginem Deiparam conſuetis precibus non veneraretur, hiſque gradibus, etiam afflictis pedibus, magnis tamen paſſibus, ad Superos properaret; ſed & Superi ad ipſum. Nam Virgo Deipara ſoli in ſilva & oranti die quadam ſe viſendam præbuit, quam toties petierat ſanitatem datura, Petrus ſi viſo, qui Deiparam veſtiebat, ſplendore, exuiſſet calceos, ſuperſtitioſus haberi non meruiſſet. Nam locus, in quo ſtabat, terra ſancta erat: quando ſimul ac cum admiratione terror

Apparitio hominē ſibi reſtituit, ipſa Virgo & exuere illum calceamenta juſſit, & locum ſanctum ſuúmq; eſſe dixit.

Vade, inquit, & in hac, quam monſtro, ſcaturigine pedes lava, & ſalutem cape. Quâ recuperatâ, in fundo, ſi laborem non recuſas, ſub ſaxis imaginem meam reperies. Scito inſuper, locum hunc meum eſſe, hic me coli velle. Atque vt hæc omnes ex te audiant, non omnes tamen credent. Itaque vt & his quoque fidem facias, duos ex his arboribus ſurcu-

Oliva. los decerpe, Quernum vnum, Olivæ alterum, ſicque vrbem ingredere, & eos accede, qui vrbi cum poteſtate præſunt, quibus, vbi receptam ſanitatem inventámq; imaginem denarraveris, ea quoque ſubjunge, quæ de ſtruendo hic loci templo tibi dixi. Invenient dicta fidem, ſed lentam, nec integram: Templū tum enimverò tu ramo Olivæ viridi cinge lumbos, & mox areſcet; revireſcet autem, quàm primùm caput tibi eodem coronaveris. Hinc reconciliatum ſibi filium meum intelligent Paduani, & peſtiferæ luis tamdiu optatum finem. At verò vt ſciant quoque, hunc à me locum impertiendis cæleſtibus favoribus gratiſſque electum, Quernum ramum cape, quem, ſimul ac capiti circumligaveris, videbis exaruiſſe: quapropter eodem ramo arido lumbos cinge, & iterum reviviſcet. Hæc facta; Virgo videri deſijt.

Petrus Falcus cæleſti gaudio delibutus, ſervis, qui ſupervenerant, Gaudium. viſa refert, eorum ope fontem aquæ calidæ inter cæteta quæſitum invenit, & in fonte ſub ſaxis imaginem in lignea tabula quadrata cubiti magnitudine, tum nudato à ſervis pedes immergit fontis ſcaturigini, & mox redire in pedes vigorem ſentit. Itaque jam de futuris quoque miraculis ſecurus ad vrbem Montis Ortoni, & convocatis Magiſtratibus ex ordine cuncta & graphicè narrat, eáque in dictorum confirmationem, quę juſſus eſt, ramis virentibus patrat miracula. Nemo erat, qui auderet tantis fidem negare factis, nemo, qui non, quæ in rem erant, comportaret. Vnde ſumptuoſiſſimæ fabricæ prægrande templum eſt, quod hodie PP. Eremitæ S. Auguſtini vnà cum Imagine curant, nobilem Paduano-

rum

rum in Monte Ortone theſaurum.

Quomodo Imago hæc, & à quo in fontem infra ſaxa ſit abjecta, non conſtat. Sunt, qui putent, ab Iconoclaſta quopiam id factum. Alij exiſtimant, à Virginis ſingulari cultore, belli tempore huc deportatam, & marmore cuſtoditam (nam ſub marmoreis latebat fragmentis) Alijs placet appenſam diu arbori, caſu prolapſam, & ab angelis in hæc uſque tempora conſervatam. Videri poteſt Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Iacobus Thomaſini Epiſcopus civitatis Novæ, qui totam hanc hiſtoriam fusè deſcripſit, quam ad me deſcriptam miſit R.P. Alexander Boſelli, Provinc. Venet. Provincialis.

XXXV.

Imago B. V. Miraculoſa
DE M. BERICO.
In M. Berico in Italia.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En manavi pura ſumma regi altè dicata.*

1. *Crux ex Oliva.*
2. *Concentus cæleſtis Angelorum.*
3. *Fons miraculosè ſalubris.*

PRofuit Vicentinæ vrbi, habuiſſe in vico proximo Berga vetulam, quæ Vincentia vocaretur: nam fortaſſis vel ideo, quia idem ſibi cum afflicta vrbe nomen eſſet, orationi vacabat ardentiùs, identidem Salutationem Angelicam ſubmurmurando.

Vxor. Fuit, cùm marito in colle vicino agellum ſuum colenti cibos ferret 7. Martij anno *1426.* horâ poſt ſolis ortum tertiâ. Stitit devotam ſibi viatricem Virgo Deipara, tantâ luce veſtita, quantam oculi Vincentiæ, ſi vel juvenis Terror. fuiſſet, non ſuſtinuiſſent. Itaque velut fulmine icta in terram non aliter, quàm moritura præcipitatur. Sed quia non territura, ſed animatura vetulam Virgo advenerat, confeſtim advolat, cunctantem erigit, omníque terrore pulſo jam cordatiorem ſic alloquitur: Vincentia mea (ſcito enim, te meam eſſe, cùm ego tua ſim) vade Vicentiam, & nuncia afflictæ vrbi, ſi peſtiferam abire luem velint, in hoc mihi loco templum collatis pecunijs ædificent: ſciántque, tam diu duraturam luem, dum ipſi monitis cæleſtibus pareant.

Vincentia jam cognominis vrbis facta Patrona, quæ in rem erant, Virgini opponit: quis ex vrbe vniverſa crediturus ſit fæminæ? quis vetulam non irriſurus? ſi vel notæ ſanctitatis Sacerdos Templū. hæc vrbi nunciaret, futuros, qui lucrum, qui gloriam objiciant.

Templa vrbi non deeſſe;& ſi olim defuiſſent, nunc tamen vigeſimum ſextum jam annum peſte laboranti, & tantùm non exhauſtæ cives templis, non templa civibus deficere. Vetulæ etiam ſomnia objicientur cum ſarcaſmo, quid, quod (ut fidem fortè verba mea apud cives inveniant) in exhauſta vrbe non erit, unde operarijs, vel in hebdomadem merces ſolvatur. Itaque, O Regina cæli! vel à Vicentinis pete, quod præſtare queant; vel, ſi certum eſt, templum vectigalis jure imponere, mitte, cui credant, méque tuo, meóque bono non dignare tanto honore.

Ad hæc Virgo: vade, inquit, & quæ juſſi, Vicentinis indica. Fidem non habituris, fontem limpidiſſimum, & mirum intra hos duos, quos tibi monſtro, lapides promitte, ſi fodiant. Quin, ut eâ, quâ volo formâ, templum figurent, ecce! fundamentorum ambitum deſigno. Quo dicto, crucem ex Olivâ olim, neſcio à quo, ibi plantatam, extrahit, manúque prehenſam circumducit, terrâ, quantumvis durâ, facilè ſubactâ, & in foſſam, qualẽ vix ſarculo feciſſes ne dum ſurculo, dehiſcente. Denique, cùm ad locum, unde cœperat, rediſſet, Oliveam, de qua dixi, crucem eo loco terræ infigit, quo principem erigi aram volebat. Iret itaque, viſa auditáque quàm primùm referret, id inſuper adjungeret, omnes feſtos Virgini Deiparæ dies, imò omnes totius anni Dominicas, templum hoc viſitaturis, & quidpiam precaturis, præ alijs diebus bonâ ſuâ prece fore felices, & albo calculo notandos. Quibus dictis, Virgo bene precata evanuit.

Templũ.

Feſtum.

Vincentia in pedes erecta, & jam ſui juris, ante omnia ad ſportulam reſpexit, & num fruſta quæpiam è lancibus effudiſſet, polentam examinat. Nam præceps in terram ruina potuiſſet certè, ſi non debuiſſet, rumpere fragilem teſtam. At verò, ut integra omnia vidit, non parùm mirata eſt. Cùm veró etiam immiſſo pollice deprehendit calorem, quem dediſſet domi focus, nondum abijſſe, etiam obſtupuit. Et verò, quis non miretur? Non minùs milliari integro vetula ad maritum cibos portaverat, & non parum temporis abſumpſerat colloquium Virginis. Ad hæc ſeptima Martij dies poterat, vel duobus à foco paſſibus non bene coctam polentam frigefacere.

Polenta.

Vincentia, traditâ propere marito ſportulâ, & curſim, quæ vidiſſet, narratis, quàm primùm ad vrbem feſtinat, ex ordine omnia, quæ contigerant, & fideliter obvijs quibusque denarrat. Si tam citò fabrica ſurrexiſſet è fundamentis, quàm Vincentiæ verba per vrbem famâ volante circumlata ſunt, plures poſt biennium centurias civium numeràſſet vrbs Vicentina. At verò, quia vetulam prædicantem, & de pecunijs loquentem audierunt, plerique præſagam, nonnulli etiam ſagam eſſe exiſtimaverunt. Atque, ut fortè ipſa neminem aut deciperet, aut decipere bona inſtituiſſet, ipſa tamen, ſive ſomnio, ſive familiari

Fabrica.

Examen.

vetu-

vetulis phantaſiâ decepta, non abs re credita eſt: & tum maximè, quando ad Epiſcopum ducta, ad ſui ſimiles anus cum fabulis ſuis & commentis amiſſa eſt; quantumvis & fontem mox reperiendum, & deſignata à Virgine Deipara templi fundamenta jactaret. Ita vix unquam alijs, ſemper nobis credimus.

Fabulæ. Abactâ cum fabulis vetúlâ prudentiæ ſe litâſſe crediderunt Vicentini. Non ego. Quid enim? ergone, ſi ſub ſordido palliolo latère poteſt ſapientia humana, non poſſit divina? Ergone DEVS, qui nec vultum, nec ſtaturam aſpicit, qui perſonarum acceptor non eſt, mittere non poſſit, quem vult? Felix profectò Vicentia, & in paucis ſapiens civitas, in quà nemo eſt, qui unquam vetulæ ſomnianti, & omnia fauſta & infauſta auguranti crediderit. Vel ſi eſt (ut deeſſe creduli nuſpiam poſſunt) cur vigilanti non creditur, & omnia fauſta ſpondenti? cur nemo vel unius diei operâ, evulſo ſaxo, inquirit promiſſas aquas? cur nemo vel deambulans locum adit viſurus, num vetula ex arte ad architectorum leges deſignâſſet fundamenta templi.

Triſtitia. Ita nempe animo cadimus, cùm triſtibus urgemur fatis è cælo, ritu, quo vertiginoſi ſolent, qui nunquam profutura apprehendunt. Poterat vetula monſtrare digitorum cæleſtium veſtigia roſei coloris, & cum vita duratura, humero impreſſa, cùm à Virgine erecta in pedes eſt, & fortè etiam monſtravit. Poterant ipſi Vicentini non imperitè ſuſpicari peſtiferam luem, cùm hæc referrentur, remiſſiùs ſævientem, plectendæ animorum obſtinationi vehementer pòſt auctam eſſe. Sed, ut dixi, triſtibus meliora ſperare difficile eſt. (Spes.) Interea Vincentia nullo non die cum ſole templum ſuum adire, & adacto Cruci cereo ardente, ingeniculata preces fundere, & vix cum ſole abeunte abire, teſtata, nullo ſe teneri faſtidio, quando inter angelicos concentus ibi deliciaretur.

Beneficium. Credimus, ni fallor, Superis beneficium nos facere, quando nobis beneficia ab ijs importunè obtruſa acceptamus. Ita eſt. Expectatum à Deipara duobus omnino annis eſt cum dimidio: & nemo omnium vnus Vicentinorum repertus eſt, qui vel fontem promiſſum inquirêret levi ſcalpro; aut quem vel otioſa deambulatio ad locum, non plùs mille paſſibus vrbe diſtantem, invitaret.

Apparitio. Itaque annò 1428. 8. Auguſt. iterum Virgo apparet Vincentiæ, tum quando vel maximè ſæva peſtis recruduit, eadémque, quæ olim, ingeminat. Curritque vetula, & vociferationibus vrbem implet, & tandem à Magiſtratu & Epiſcopo ægre audita fidem extorquet. Itum itaque, inſtitutâ ritè proceſſione, eſt ad locum, viſiſque perinde, ac ſi tunc erutæ eſſent, foſſis templi ſpatium ambientibus, excitus quoque levi labore limpidiſſimus fons in fluminis modum emergens. Jam quiſque fidem habitam fuiſſe oraculo ante biennium voluiſſet: homicidas ſuo-

rum

rum quiſque inclamare illos, quorum vitio tamdiu tantum vrbis bonum eſſet dilatum, nullo in ſe, omnibus in unumquemque, tanti facinoris piaculum conjiciente. Ita eſt: nemo facit, quod omnes faciunt.

Proceſſio Decreta 25. Auguſti ſolemnis iterum proceſſio, quâ primus templi lapis ritu ſacro poſitus, & datum labori principium eſt. Cúmque ijs decreſcere peſtis videretur momentis, quibus creverat fabrica, auctus operarum numerus eſt, & alia in ſequenrem Dominicam indicta proceſſio, in quam non pauciores tredecim millibus confluxêre: quorum munificentiâ ea congeſta ſunt in fabricam donaria, quibus intra trimeſtre quantumvis amplum templum deproperaretur. Tantæ molis erat peſtilentiæ finem imponere, quæ quatuor omnino & viginti annos afflixerat Vicentiam. De miris non niſi duo affero. Primum: quòd iiſdem, ut ſuprà memoravi, momentis decreverit lues peſtifera, quibus crevit fabrica. Alterum: quòd uti Proportio trecenti fuêre, qui primo die ex reperto fonte biberunt, ita trecenti omnino fuêre, & hi ipſi, qui ſimul eodem die ſalutem biberunt, è quocunque mali genere vindicati, nemine gratis potante tam ſalutiferum è cælo laticem. Siccatum tamen aliquot poſt annos unà cum miraculis fontem aſſerit, qui hanc hiſtoriam deſcribit Franciſcus Barbaranus in hiſt. Eccleſ. Vicent. lib. 1. c. 87. & ſeq.

XXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa DE MONTE VIRGINIS.

In M. Virginis in Italia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Deipara inventa ſum, ergo Immaculata.*

1. Cingulum B. V. Mariæ.
2. Faſcia Chriſti Domini.
3. Imago fundens lacbrimas.

VIDEt hìc loci, quisquis ſpectatum admittitur, faciem Deiparæ in tabula lignea pictam cum Puero JESV: ſectam quoque in transverſum tabulam ſub Virginis vultu obſervat: picturam denique reliquam multùm à vultu Virginis diverſam, non ſine cauſa miratur. Vnde hæc omnia Imagini ſacræ evenerint, recenſere aggredior. Atque imprimis opus eſſe S. S. Lucas. Lucæ, dubitare non licet; ne fideliſſimæ Antiquitati repugnemus: hæc enim ipſiſſima eſt, quam Eudoxia unà cum cingulo B. Virginis, ac Domini noſtri faſciolis in Sepulchro B. Virginis inventis ad Pulcheriam Auguſtam Hieroſolymis Conſtantinopolim miſit. Hinc ab

ab anno 420. Imago hæc ſacra cœpit appellari S. MARIA Conſtantinopolitana, ob inſignia, quæ patrabat, miracula. Quorum duo ſi breviter apponam, videbit lector, nihil me ſuperfluum, otioſúmque ſcribere.

Primum cum Gaina Rege Barbaro, & hæreticâ lue infecto, contigit. Is cum potente & numeroſo milite apertas Conſtantinopolis portas ingreſſus, valvis vrbis (neſcitur, quâ manu) repentè clauſis, tantùm non ad internecionem deletus eſt; poſtquam cives ſe, ſuáque huic Imagini commendârunt. Alterum barbaros, neſcio quos, tangit, qui ſexcentarum navium claſſe vrbi non parùm graves minabantur excidium cominus. Vbi tamen Sanctiſſimi Patriarchę conſilio ſolenni pompâ per plateas & fora hæc ſacra Imago fuit circumducta, flere Imago viſa eſt, vt flere deſinerent cives. Acciverunt hæ cæleſtes aquæ è cælo grandinem, ſed igneam; quæ in naves delapſa omnes ad uſque decem, odore piceo relicto, abſumpſit: ut maritimæ quoque Sodomæ exemplum mundus haberet. Hæc aliáque Virginis portenta civium illorum bono per hanc Imaginem patrata, fecêre, ut tertia hebdomadis dies nō ampliùs ad Dei Martis, ſed DEI Matris honorem dedicata haberetur. Jam quomodo hæc Imago ad hunc, de quo loquimur, locum devenerit, dicendum eſt.

Circa annum 1230. Balduino II. rerum Orientis potienti, à regulo Cretæ domino filia obtruſa eſt in ſponſam. Balduinus ſponſam unà cum fide patris (quia Cretenſis) ſprevit. Hinc minæ, & ſine caduceatore jam jam imminentia bella. His preſſus Balduinus ingentia Græciæ toti indixit vectigalia, & quotquot potuit, Italiæ Principes ſanguine junctos imploravit. Venetis quoque ipſum filium ſuum obſidem dedit, atque unà cum filio ſanctiſſimæ Crucis non parvam partem, ſpongiam, aliáſque celeberrimas Chriſtianæ fidei gazas. Interea ſive ob ablatas tot ex Imperatorum ſacrario Reliquias; ſive quod fidei propius eſt, ob gravatam vectigalibus Græciam, ſuorum quoque, id eſt, Græcorum incurrit odium: ut diſputari à prudentibus cœptum ſit, intra an extra vrbem, inter cives an hoſtes, Balduinus eſſet ſecurior. Placuit fúga, & quidem in Italiam ad ſuos. Hanc, ut ne intutus caperet, quidquid ſacrarum Reliquiarum Imperatorum ſacrarium habuit, cum cætera Gaza in onerarias conjecit. Catharina Balduini neptis vrbem ingratam non invita cùm deſereret, Imaginem tamen hanc poſt ſe relinquere tam ingratis civibus non ſuſtinuit.

Itaque militibus imperat, eam ab altari avellant, quod cùm milites (ſiquidem integram vellent) premente regis abitu, non poſſent, transverſam ſecuerunt, ſecúmque dimidiam tabulæ partem, quæ Virginis vultum ad pectus uſque tenebat, abſtulerunt. Cum his theſauris ad oras Italiæ appulſus Balduinus per Apuliam iter habuit Neapolim versus. Vix Avellinum pervenit (vrbs eſt Monti

N Re-

Reliquiæ Regali proxima) mula, quæ Virginis Deiparæ Imaginem cum cæteris, quas dixi, Reliquijs vehebat, abſque ductore per collem, quà itur ad montem proximum, iter arripuit. Aberrantem à via, ut credebatur, beſtiam reduxêre muliones: ſed iterum ac tertium eundem beſtia callem inſiſtere, & collem avium petere.

Oborta ſubinde tempeſtas vim pluviæ grandiniſque dejecit, monuitque Imperatorem, reduci beſtiam à colle, invito cælo. Fuêre quoque, qui aſſererent, templum Deiparæ (S. Guilielmo Congregationis fundatore ſub titulo Montis Virginis) in vicino eſſe; huc beſtiam agi à cælo. Itum igitur ab Mula. ipſo Imperatore cum toto comitatu eſt, quò præibat mula, ſacri oneris bajula. Et ecce tibi, vbi in conſpectum templi ventum eſt, Campanæ. nullo pulſante, æs omne campanum ſponte inſonuit clangore feſtivo. Acciti miraculo Religioſi obviam procedunt pompę, quam cominus jam proſpiciebant, acceptámque Virginis tabulam (ita Imperatore & Catharinâ volentibus) ſolenni pompâ in aram, quæ medium obtinebat templum, deportant. At verò mane poſtero, eo, quo nunc ſtat, loco ſacrum pignus virtute divinâ translatum invenêre. Vnum, vt cætera taceam miracula, præterire non poſſum.

Carnisprivium. Ad duo circiter paſſuum millia, ſi ſacram ædem pro centro habeas, carnes, ova, caſeus, butyrum, lac, volente cælo, comedi non poſſunt, imò nec impunè apportari. Etenim vbi horum quidpiam importatur, quin etiam, vbi vel vna ſola mulier accedit, quæ gentis more capillos vnxit butyro; repentè coactis nubibus cælum totum agitur in rabiem, ejicit inter tonitrua grandines, pluvias, fulmina; & ventus tantùm non ipſi monti minatur ruinam. Neque pax antè cum irato cælo iniri Tempeſtas. poteſt, dum undique perluſtrato monte deprehenſum piaculum ſit. Itaque edulia vetita, quam primùm deprehenſa ſunt, confeſtim vel igni abſumuntur, vel ex alto colle in ſubjectam vallem præcipitantur. Quòd ſi mulierum, vt dixi, crinibus butyrum allitum ſit, abſciſſis illicò capillis combuſtíſque remedium malo poni debet. Tum demum cælum cum terra redit in gratiam.

Hæc ad me R. P. Ioan. Filomarinus R. Benevent. ex Ill. Iordani Epiſc. Legdunenſis Chronico.

XXXVII.

XXXVII.
Imago B. V. Miraculoſa.
DE MADIA.
Monopoli in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Pura & digna Mater ſumma Cæli janua.*

1. Trabes per miraculum allata.
2. Imago B. V. per mare.
3. Proceſſio nocturna.

Epiſco-pus. HABVIT vrbs Monopolis Epiſcopum Romualdum, dignum, cujus memoria apud poſteros eſſet in benedictione. Is muros, & mores ædificaturus, templum Cathedrale S. Mercurio dicatum, jam ruinæ proximum, anno à Virgineo Partu milleſimo ſupra ſeptuageſimum quintum, ſui officij trigeſimo, demolitus eſt. Crevit ſubitò fabrica vltra multorum expectationem, opem conferente Roberto Guiſcardo Comite Apuliæ, natione Normanno. Stitit tamen unà cum ædificio Tectum. omnium voluntates lignorum penuria, quibus muri tecto conjungerentur, & ſubjectum templi forum tegeretur. Abiêre interea anni, quibus de perficiendo templo nec ſpes, nec cura.

Poterant ſubinde ſurculi cum fundamentis terræ inſerti creviſſe in arbores, vnde magnitudinis juſtæ trabes haberentur, ſi ſolùm materiæ ferax eſſet. Et ſtaret adhuc fortè ſine tecto templum, niſi Romualdus tantæ domus architectus Oratio. memoriam, quam plerique jam abjecerant, iteratis ad Virginem Deiparam precibus conſervatam, identidem objeciſſet, non ceſſaturus, dum ipſum cum nubibus orando cælũ penetrâſſet. Auditas preces ipſa Deipara oſtendit, quando intempeſtâ nocte è civibus vni veſte candidâ (quia felicia nunciabat) in ſomnis adſtitit, juſſitque ſignificari Epiſcopo, trabes tegendo templo neceſſarias, ſuo beneficio appulſas eſſe, ſtaréque in littore. Rejecta, vt fit, ſomniantis imago eſt Romualdo. Vnde enim hæ trabes in opus ſuffecturæ? At- Trabes. que ut portentosè quiſpiam è cælo monitus eas huc deſtinâſſet, venturos certè nautas, tanti gaudij nuncios. Placuit redire ſequenti nocte Virgini: rem fuiſſe, non ſomnium, affirmare: iret proinde, & Epiſcopo fidem faceret. Fecit quidem imperata civis, ſed non fidem Romualdo.

Itaque nocte quoque tertiâ Vir- Apparitio go ſe civi, eodem, quo antè cultu ſtitit, eadémque dixit, juſſitque. Ac tum primùm oculis poſt ſomnum apertis vidit, poſſe non magno labore verum à falſo ſecerni, quando non plurimis paſſibus mare diſtaret ab vrbe, poſſe quantumvis longa littora vnico oculi obtutu ſine ſudore obiri, poſſe videri tot, tantáſque trabes, ſi alicubi hæſiſſent. Ita tantùm non ſera plerumque bona conſilia ſunt. Itaque excuſſo primo ſomno, quem pri- Somnus. ma noctis vigilia conciliaverat, ad

N 2 por-

portum properat, videtque ad littus ſtare trabes. Gaudium, ut fit, metu mixtum, vetuit inire tignorum numerum; vetuit inquirere, qui eas nautæ appuliſſent. Rectà igitur properat ad Epiſcopum, ac media nocte excitatum monet, adeſſe in portu trabes, jam ſibi viſas: agnoſceret Virginis munus, nec vltrà dubitaret. Romualdus, vt incredulitatem, ſi quæ fuiſſet, Deiparæ purgaret, nocte media ære Campana. campano populum omnem ad ſupplicationem convocat, atque inter faces ad portum deducit, Virginis donum trabes accepturus. Et ecce! ipſo in portu trabes ratis in formam (gentili linguâ Madiam vocant) contextas, ſine remige, ſine nauta.

Accurrêre quamprimùm è populo, qui, Epiſcopo imperante, ratem traherent in terram: numeratæ deinde trabes, vna ſupra triginta, tantùm non ab ipſo templi architecto ad menſuram exciſæ & numeratæ. Summâ nocte pulſatis campanis concitatum non ſine Populus. timore ignorantem populum, proceſſionémque inſtitutam eſſe ab Epiſcopo, non parùm improbârunt, quos civium aliqua, & civitatis cura tangebat. Timor. Fieri hæc non ſine certo prægnantium, & graviter ægrotantium periculo, quos ſubiti timores ſemper affligunt, non rarò interimunt. Potuiſſe inermes extra muros cives ab hoſte opprimi, potuiſſe vrbi ab igne creari excidium, potuiſſe expectari manè. Atque vt tantùm vrgeret rei deſiderium, implere locum omnium potuiſſe cum ſuis præſulem: non avolaturas vtique, aut per mare redituras tantæ longitudinis trabes. Atque hæc non Imperitia. tam imperitè, quàm non piè: niſi cælum humanis mentibus influens ad ea plerumque vrgeret, quorum cauſæ non niſi in fine apparent. Sic intererat plurimùm, intereſſe proceſſioni populum, & vel ideo maledicis truncata eſt obtrectandi materia, quòd Clerus non prævenerit, populúſque ipſe in rem venerit præſentem, majus aliquid trabibus inventurus.

Etenim dum ſecantur vimina, & facti è corticibus funes: ecce tibi tabulam ligneam! quatuor palmas altam, tres latam, in qua coloribus depicta Virginis Deiparæ Imago eſt viſa, manu (ſi tamen humana) peritiſſimâ. Veſtitus, ut & pictura, Græcam antiquitatem ſpirant: & quia iis Imaginibus, quas à S. Lucæ manu habemus, diſſimilis admodùm non eſt, plurimi fuêre, atque etiamnum ſunt, qui non temere conjectare ſe credant, opus eſſe S. Lucæ. S. Lucas. Virgo Filium ſiniſtrâ tenet. Ad pedem Imaginis duos videre eſt, quibus à tergo Monachorum Baſilianorum ritu cappa nigra dependet, vnde tamen (cætera ſi paria ſint) argui poteſt, picturam eſſe Divo Lucâ poſteriorem: cùm ipſa Lauretana Deiparæ ſtatua, cappâ nigrâ à tergo dependente, in hodiernum vſque diem videatur. Ad dextram quoque Græca mulier (quæcunque tandem illa ſit) videtur, quæ, quia medij palmi altitudinem non excedit, illa prudentiùs eſſe creditur, quæ picturam fieri curavit,

quàm

quàm quæ in picturâ cum B. Virgine colenda proponatur.

Imago. Tanti repente theſauri facta Monopolis domina, quid aliud pararet, quàm triumphum? & commodùm facibus per noctem abſumptis in vicem ſucceſſit poſt auroram ſol ſereniſſimum invehens diem; vt illi ſerviret, quæ pulchra eſt vt aurora, electa vt ſol. Jámque populus non difficulter in pompæ diſpoſitos ordines coierat; cùm Epiſcopus prehenſam manibus tabulam ſolenni ritu vrbi ac novo templo infert, & aræ principi imponit. Hic multis menſibus magno incolarum bono ſtetit: quibus portentoſa beneficia pro cultu reddidit, & ſibi miraculoſæ Imaginis titulum, noménque promeruit. Fabrica. Tum, tecto trabibus templo, alium in locum, ne operarum incuriâ offenderetur, è regione majoris portæ collocata eſt tantiſper, dum ille pararetur, in quo perpetuam figere ſedem debebat: qui tandem venuſtiſſimâ architecturâ inſignis Imaginem non ſine ſolenni ritu ſuſcepit. At Imago poſterâ luce ad priorem locum redijt, bis terve repetito portento. Non obſcurè ab incolis intellectum eſt, velle ibi Virginem ſedem figere. Quapropter conjunctis operis illum, quem elegerat Virgo locum, magno pretio fecerunt illi pretioſum. Imago. Imago ipſa hodie auro & gemmis ſic tegitur, vt non niſi Virginis & Filij vultus extent.

Miracula ipſa, quia rara non ſunt, pro miraculis non habentur. Hoc rarum: Virginem veſtitu candido inter duos facigeros ſupra turrim viſam, templum ſuum ab hoſtibus defendiſſe, & pilam tormento majore ejectam regeſſiſſe in jaculatorem, jam ſuo telo intereuntem: theſaurum & eimelia per vim ablata ſemel iterùmque, ac tertiùm reduxiſſe: vt divinitus factum ipſi prædones agnoverint, ac templum poſthac indemne reliquerint.

Inventus eſt tam audax è Clero quiſpiam, vt monilia collo Virginis pendentia, quæ ſine veneratione nec tangi ſolent, furto auferre tentaret. Furtum. Jámque non infeliciter avulſa, ſacco abſconderat. Verùm ſacelli, cæterà non ampli portam, quantumvis apertam, ſacrilegus iſte non reperit, parietibus in omnem partem temere impactus. Æditutus manu ducere aberrantem tentavit: ſed & ille tamdiu à porta aberravit, dum confitentem Virgo reum, réſque ſuas haberet.

Fuit mater, quæ filiolo rotâ currûs fœdum in modum lacerato, & Currus. jam jam ad vltima adducto domi relicto cum gemma non infimi pretij ad templum properavit, Virgini munus pro filij ſalute oblatura. Facto, ut credibile eſt, feſtinanter officio, domum recurrit, & filium ſanitati reſtitutum vidit. Filiolus ſuper facto rogatus: Virgo, inquit, huic ſimilis (ſimul Imaginis, de qua loquimur, ectypon ad lecti ſpondam pendens oſtendit) huc ingreſſa eſt, & levi alapâ faciem mihi perſtringens: Memento, inquit, fili, quo tibi modo

amiſſa redierit valetudo: ſimul foras ſe proripuit.

Ex narratione hiſtorica de B. V. de Madia civitatis Monopolis, linguâ Italicâ typis publicatâ: ex qua hæc ad me A. R. P. Ignatius Spinola.

XXXVIII.
Imago B. V. Miraculoſa TREMITANA.
Tremiti in Inſ. Tremiti.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Digna mater IESV, & pura à macula omni.*

1. Theſauri Regij inventio.
2. Sepulchrum Diomedis.
3. Inſula ſemper tremens.

Inſularum maris Adriatici vna eſt Tremitana, quæ olim à Rege Diomede nomen accepit, & Diomedea dicta eſt: nunc & rege, & & regno, quin & nomine privata, inconſtantiæ humanæ documentum dat, & à tremore, ſeu terræ motu, nomen habet.

Diomedes.

Ruit Diomedis olim nomen magnum, & Superis quoq; odioſum: quis enim, Virgilio canente, neſcit, quod manet altâ mente repoſtum, Iunonis odium, & Diomedis equos? Nihil ſupereſt: Numina ſimul & nomina in fumum, in auras abiêre, locum datura Deo, cui incolæ ſervirent in timore, & exultarent in tremore. Et verò etiam ita ſervitum eſt; vt plerique incolæ, quâ eſſent origine nati, ignorarent, & nuſpiam de Diomede minùs ſciretur, quàm vbi Diomedes fuit.

Numina.

Fuit prioribus ſæculis, cùm Eremita, neſcio vnde, vel cujas, Inſulam ingreſſus, caſam ſibi ad eremi architecturam ſtrueret, viverétque vitam Superis acceptam, incolis vtilem; is toties cum Superis colloquens, dignus quoque habitus eſt, quem Superi alloquerentur. Apparet itaque Virginum Regina, quâ ſolet gloriâ; & hominem primùm novo viſu territum reſtaurat; tum etiam imperat, templum ſibi hîc loci ſtrueret, & quidem magnificum. Vir ad parendum placendúmque Superis natus magis, quàm factus, templa ædificâſſet Virgini mille. Sed ſive copiam Inſulanorum, ſive inopiam ſpectaret, ſumptus tantæ moli ſuffecturos non diſpiciebat. Hærentem vt vidit Virgo: Vade, inquit, & illic (locum hæc dicens indigetavit) fode; quóſque reperéris theſauros, in fabricæ operas expende. His dictis, in cælum abijt illa; Eremita correpto ligone ad locum à Virgine monſtratum. Nec multùm in viſcera terræ itum eſt, quin lapis detegeretur ſepulchrali inſcriptio-

Eremita. Volunt

ne nobilis, Diomedem loquens & fortunam ejus.

Sepulchrum. Remoto vectibus lapide, totus ſine nomine truncus apparuit, oſſa nimirum, quæ, cujus olim fuiſſent, lapis loqueretur; cujus etiamnum ſint, ſervíne, an Regis, nemo ſciret; niſi & corona, & auri, argentíve tam facti, quàm infecti copia adfuiſſet, quæ regem deceret, proderétque. Atque vt de oſſibus, cujus illa fuerint, litem non moveam, cor Diomedis in loco fuiſſe certum eſt, ſi cor hominis eſt, vbi theſaurus eſt. Rem univerſam, quibus oportebat, aperit Eremicola, ſubductíſque rationibus deprehenſum eſt, in prægrandis & venuſti templi perbellam fabricam ſufficere repertam gazam, quin à piorum quoque liberalitate, iiſque præſertim, quos voti reos Virgo miſericordiâ ſuâ fecerat, auctæ, etiam in aſceterium ſe extenderunt, quo S. Benedicti Alumni alerentur, templóque præeſſent. Ita Virgo Filium imitata jubet, quod vult, & dat, quod jubet. Theſaurus. *Ioann. Baptiſt. de Albertis lib. de Imaginib. Beatæ Virginis Miraculoſis in Italia.*

XXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa AD S. CELSVM.

Mediolani in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Sola purè ac mirè munda, animata Viget.*

1. *Miſſa honorata ab Angelis.*
2. *Remotio Veli miraculoſa.*
3. *Martyrum decens cultus.*

NOTVM eſt Eccleſiæ fortiſſimi adoleſcentis Celſi nobile Martyrium; quando Mediolanenſis virtus vel in puero tanta eluxit, quantam pauci expectarent à viro. S. Celſus. Jacuerunt ſepultæ tanti Martyris Reliquiæ ad Portam Ludovicam: jámque memoriam ſuam perdiderant, & laterent adhuc, niſi tantæ virtutis honor Superis cordi fuiſſet. Itaque D. Ambroſius, acceptis è cælo mandatis, locum accedit, & vnà cum S. Celſi Martyris corpore etiam S. Nazarij reperit. Aſportatæ in aliam vrbis partem Reliquiæ ſacræ honore ſuo fruuntur, ſumptuoſæ molis templo ædificato. Sed loci quoque, in quo Sanctus tamdiu quieviſſet, interire memoria non debuit.

Eapropter Majores olim columnam ibi è lapide lateritio erexêre, pictâ D. Virginis Imagine Imago. exornatam: additum quoque poſt SS. Reliquiarum inventionem eſt ſacellum, ex quo Landulphus Portus Archiep. Mediolan. fecit templum, junxítque cœnobium D.

Benedicti Alumnis, quod anno 1550. ad Canonicos Regul. S. Salvatoris tranſijt, à quib⁹ exciſa cum cœnobio bellorum tumultibus pietas eſt reſtituta. Quin & à Mediolanenſibus ſic auctum eſt, vt non lentè molis maximæ ſurgeret templum, & in ſummo ejus altari poneretur hæc, de qua ſermo, Imago Deiparæ, clatris ferreis jam olim defenſa, ne quid detrimenti caperet; & velo tecta, ne frequentiùs conſpecta abiret in contemptum; quando hominibus chara eſſe non ſolent, niſi rara.

Tem-plum.

Miracula.

Fuêre miracula multa ſemper, & magna, quæ Deipara hîc loci patravit, cæterùm non magnopere diverſa ab ijs, quæ paſſim per vrbem alibi quoque fiunt. Vnum eſt, quod pietatem Mediolanenſium jam olim in hanc Imaginem altiùs evexit, & vltrà, quàm credi poteſt, auxit: quando jam olim anno 1485. 20. Decembr. cùm Joannes Petrus Porrus Antiſtes ad dictam Imaginem ſacrificaret, præſentibus è populo Mediolanenſi teſtibus, à DEO ad hanc rem deſignatis, apparuêre duo cœleſtes Genij, nemini non è præſentibus conſpicui; qui, quâ in Reginam ſuam ſunt reverentiâ, ſiparium, quo tegebatur Imago, removerunt.

Angeli.

Quid Angelos memorem, quos è cælo eſſe, & odorum inuſitata fragrantia prodidit, & cæleſtis venuſtas? Atque vt hæc non fuiſſent, Imagini tamen exhibitus ab eis cultus, &, quæ ſentiebatur ex eorum aſpectu lætitia, nullam falſæ viſionis relinquebant ſuſpicionem.

Cultus.

Ad hæc ipſa Virginis Deiparæ forma, picturâ illâ non paulò auguſtior, decôre ſuo intuentium in ſe oculos, jam neglectis Angelis, rapiebat; radióſque ex oculis ejuſmodi vibrabat in intuentes, quibus corda non leviter ferirentur, nullo vulnerum dolore, niſi quem de peccatis oriri contigiſſet. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis! O quàm multi voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt! Quis adſtantium fuerit ſenſus, non habeo dicere; quando nec lingua poteſt dicere, nec littera exprimere, & non niſi expertus poteſt credere, quid ſit JESVM diligere, & MARIAM videre. Hinc in hæc vſque tempora tanta Mediolanenſium in hanc Imaginem eſt religio.

Pietas.

Dubitare de re prudentem non ſinit teſtium multitudo, & res ritu, quem jura poſcunt, poſteritati tradita. Felix Aſtolphus Canon. Reg. S. Salvatoris (è cujus hiſt. univerſ. hæc ſcribo) aſſeverat, vidiſſe ſe viginti octo teſtium ſubſcriptas miraculo ſyngraphas: qui omnes ſacro illi Miſſæ Sacrificio interfuerunt, & vnà cum cæleſtibus Genijs faciem Virginis Auguſtiſſimæ intuiti ſunt.

XL.

X L.

Imago B. V. Miraculoſa CARAVAGGIANA.

Caravaggij in Italia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Domus aurea almi gnati, en! emicat pura.*

1. *Felicitas Vxoris bonæ.*
2. *Infelicitas Mariti mali.*
3. *Miracula fontis ſalubris.*

CARAVAGGIVM ditionis Mediolanenſis oppidum eſt. Hic quidpiam accidit, vnde fæminæ à maritis afflictæ ſolatium petere, & expectare poſſint.

Fœmina. Joannetta Petri Vacchij agricolæ filia, Virgini Deiparæ à prima ætate addictiſſima, in matrimonium collocata eſt Franciſco Varolo homini, ne quid deterius dicam, impio & ſcelesto. Errorem parentum luere debuit filia, quæ & matrimonium hoc non niſi à parentibus coacta contraxit, & omnia alia ſemper, quàm nuptias ſpectavit. Furor. Etenim, vbi apud furioſum, & ſui impotem maritum, contumelioſa ceſſârunt verba, ventum eſt ad verbera. Et hac lege vivebatur quotidie. Nec nova fæminæ vllo die videbantur verbera, niſi quando novo fuſte inflicta acerbiùs miſeræ incumbebant. Hi nempe ſæculi noſtri mores ſunt, vt dos fæminæ loco in vxorem ducatur; fæmina dotis loco accipiatur. Quid ageret fæmina Afflictio. nunquam non auxilij indiga, à parentibus vendita, ab amicis relicta, à marito vltra modum afflicta? Quomodo maritum nullâ comitate emendabilem corrigeret? Servis ad remum damnatis ipſa flagitia majores pœnas promerita, ſolatium porrigunt, & quandoque etiam inter verbera riſum cient. Innocentibus hoc ſolatium à verecundia, & honeſtate ſubtractum eſt. Itaque non niſi è cælo vel peti, vel expectari poteſt.

Fecit hoc Joannetta, MARIAM identidem in ore, in corde habuit: cùm verbera maritus cumularet verberibus, illa ſpe tota MARIAM Oratio. reſpexit, MARIAM invocavit. Atq; vnâ præſertim die, quâ maritus in rabiē actus duplicavit vxori annonam, quā ne etiam triplicaret, acceptâ falce gramen in vſus domeſticos ſectura, domo ſe jam ſatura Verbera. verberum proripit, digeſtura tantiſper tam grandes bolos, dum maritus rediret ad mentem, ipſa domum. Jámque inter lamenta & lachrimas cælum ſuſpiciebat centies, & MARIAM millies invocans, mortem in votis habebat.

Quingentos omnino paſſus diſtabat à domo locus gramini ſecando deſtinatus. Ibi cum lachrimis tā diu faciebat opus, donec ve-

ſper domum revocaret. Itaque redit: at quo animo, quóve deſiderio videndi maritum? Jam in conſpectum domûs venit, cujus memoriam nulla vnquam poſſet delere oblivio: jam nondum emenſa campum, pugnos & fuſtes, non ſibi parari, ſed incumbere ſenſit:
Metus. tantùm poteſt futuri metus. In genua itaque provolvitur, & totum, quod videbat, cælum invocat in vnius caſæ auxilium, & Virginem Deiparam ſolitò calidioribus votis
Auxilia. ad opem ſolicitat. Vt tarda quandoque, certa tamen ſunt Cælitum auxilia, & præ alijs in tempore veniunt ea, quæ à Virgine Deipara expectantur. Nec dum ſurrexerat, finieràtque preces, ecce! ſpectabilis ipſa aſtat Deipara, pluráque ſpondet, quàm ipſa poſtulâſſet. Iret inſuper, nunciarétque populo Caravaggiano, hunc locum fore gratiarum.

Quid expectas, lector? Aruerunt ſubitò lachrimæ, &, ſi hoc magnum tibi non videtur, quia in fæmina novum eſt; mirare, lachrimarum in vicem erupiſſe è loco
Fons. fontem, qui, licèt originem traheret à lachrimis, ſcaturiginis tamen ſuæ immemor, &, ſi vis, etiam degener, nihil amarum vexit; nam ad fæminæ vocem (quæ ſufficiebat) populus quamprimùm excitus, vt ſpectavit portentum, repertus eſt, qui febrium ardorem ſitímque pio hauſtu mitigaturus, ſitim, calorem, febrim hauſtu non ampliùs vno extinxit: quem cæteri, quotquot oppidum habuit ægros, ſecuti, ſtupuerunt meram aquam tam multiplici malo, támque citò medicinam tuliſſe. Aurum, quod Aurum.
ægri medicis, chirurgis, pharmacopœis deſtinaverant, in templi fabricam impenſum eſt, quod pij incolæ accolæque paulò pòſt exſtruxerunt. Si quæras, quod ex omnibus miraculum ibi contigerit maximum, Joannetta ſuum eſſe dicet; quæ vt ægra nunquam fuerit, eſſe tamen ſana ſub tam veſano marito nunquam potuit.

Anno 1435. die, vt putatur, 26. Maij, quo feſtus templi dies celebratur, res ea contigit: quæ conjecturam præbeat, nolle Deiparam, vt hoc die, vel juſtè, homini malè ſit: etenim ad ſecurim damnato, alijs aliiſque modis dejecto fatali ferro, truncari caput nequiit. Hinc hodieque obſervatur, vt eo die ne juſtitia quidem ipſa contra quempiam funeſtum quid & ferale decernat. Ita Joannes Baptiſt. Alberti in ſuis narrationibus de Imaginibus quibuſdam B. Virginis Miraculoſis per Italiam, Italicè typis editis.

XLI.

XLI.

Imago B. V. Miraculoſa TIRANENSIS. *Tirani in valle Telina.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En! immaculata Deum ſana Virgo pariet.*

1. Mira hominis translatio.
2. Hortus felicitatus.
3. Domûs mala herus bonus.

Ut *perſonarum acceptores* Cælites non ſint, loci tamen mira apud eos conſideratio eſt, in quo loqui cum hominibus dignentur.

Placuit præ alijs Virgini Deiparæ in Valle Telina, oppidi, quod Tiranum appellatur, accola. Marius, quòd HOMO DEI non nominaretur modò, ſed & eſſet. Huic locutura, domum accedere ded gn ta eſt, in qua fortè non tota æquè fami'ia, ac herus Superis placeret. Hortum igitur inter virgulta, tantùm non ſilveſcentem, vicinum tamen caſæ, quam Marius incolebat, colloquio deſtinabat Hortulani Mater. Eam in rem Angelis ſuis mandavit de Mario, in manibus eum portarent, ne fortè offenderet ad lapidem pedem ſuum. Senſit ille ſe in aëra tolli, auferri, deponi in horto, nullo metu, quia nullo periculo: modus ipſe & vecturæ conditio Cælitum operam arguebant, quantumvis neminem videret, audirétque, imò neſciret, quâ potiſſimùm corporis parte prehenſus duceretur, veheretúrve. Sed nec mihi mirum eſt, nec illi difficile, qui totam Domum Nazaretanam per maria tulit, etiam caſæ unius incolam, quò luberet, deferre.

Homo Dei.

Depoſitus itaque horto in illo Marius expectari ſe vidit à B. Virgine locutura; ſi auditorem tantis dignum myſterijs nacta eſſet. Marium igitur in genua provolutum, vultu, quo ſuos ſolet, intuita: Vade, inquit, & Tiranenſi populo nuncia, velle me mihi hoc in loco ab ijs fabricari templum. Dubitantibus, & ſigna petentibus fidem facito, fratris ſanitate, quem heri à medicis depoſitum, & hodie tantùm non conclamatum, ſalvum ſanúmque pedibus conſiſtere, nullo morbi relicto veſtigio, dices: facturos optimè, ſi crederent, atque imperata quàm primùm exequerentur; ſecus ſi agerent, peſtem, quæ nunc animalia affligit, graſſaturam in homines. His auditis Marius ſolum ſe eſſe vidit, quia Virgo ex oculis ablata eſt. Spem itaque & metum inter oppidum ingreditur, viſa à ſe auditáque civibus attonitis enarrat: ſignificat peſtis in homines graſſaturæ minas; ſubjungit fratri redditam poſtliminiò valetudinem, quæ viſa velut edito

Apparitio.

Hortus.

Spes.

ſigno confirmaret. Viſurus itaque rem præſentem, (nam ex horto ruit) non ſine multis comitibus, quantocyus Tiranum verſus cucurrit) non ſine multis comitibus, feſtinato itinere, domum properat, è qua in veſtibulo Bernardum (hoc fratri nomen) obvium, ſanum, ſalvúmque habuit, vix morbi, dolorúmve memorem.

Crediderunt Tiranij, quia viderunt, & ſibi ſuiſque conſulturi, quod Deipara imperavit, templum, comportatâ materiâ, conſtruxerunt. Hæc tantorum, quæ ſecuta ſunt, hodiéque ſequuntur, miraculorum origo eſt. *Ita Simon Cabaſſo in hiſt. bujus Eccleſiæ typis vulgata.* Fides.

XLII.

Imago B. V. Miraculoſa DE BRENO.

Raguſæ in Dalmatia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Eva ſecunda malum ignorat primæ? ita.*

1. Dæmon in forma Draconis.
2. Eremita Sanctus & imperterritus.
3. Draco ſacro igne exuſtus.

QVibus modis calcaneo Deiparæ inſidietur ſerpens infernus, ſæpius docui: quo verò Virgo caput ejus conterat, vnde doceam, ex ipſa Dalmatia affero. Felix ab antiquo, & opulenta vrbs, Raguſium, anno poſt Virginis Partum ſeptingenteſimo octuageſimo nono vidit non ſine horrore monſtrum appulſum, ingens horrendúmque Draco. ex Oriente, draconem dico, in ipſo Epidauro monte conſediſſe, non plùs duodecim millibus paſſuum ab vrbe. Terrorem non vanum ſecuta ſtrages hominum. Quis enim innoxiè draconem præteriret? aut quem præteriret transeuntium ipſe draco non offenſum? Atque vt ipſa quandoque beſtia, ſive jam ſatura, ſive in rem ſuam negligentior, prætereuntē quempiam è mille unum neglexiſſet; viatorem tamen ſtitit ante ſpeluncam pavor, ipſo dracone prior. Nec alius præter hominum carnes ſapiebat cibus, quos ipſos quarundam animantium ritu diſcerptos, tantùm non intactos deſeruit, exiguâ parte exemptâ. Ita quàm plurimi vix in diem ſufficiebant farciendæ beſtiæ: in menſem populus parandus erat. Cibus.

Afflixit tanta unius belluæ fames totam Dalmatiam, urbem Raguſeam tantùm non exhauſit, nemine uno invento, qui integro quatuordecim annorum intervallo reperiret armorum genus, quo interfici poſſet Dalmatiæ hoſtis. Danielem redivivum optabant, Daniel. qui porrecto bolo diſrumperet tantam voraginem. Atque ut capillorum abundè, piciſque etiam Græ-

Græcæ adeſſet plurimum; nec deeſſet, qui doctè coqueret, ſive res ſaccharum poſceret, ſive abſynthium; quem futurum, qui polentam ad ſpecum deportaret, quíque beſtiam hortaretur invitarétque ad eſcam? Actum, ut dixi, totis quatuordecim annis omnino nihil. Itaque Raguſei bellare bellum ſtatuêre, ritu, quo contra peſtem ſolemus, id eſt, fugâ. Jámque novas ſibi ſedes vndique ab vrbe dilapſi, vel quæſierunt, vel certè mente conceperunt.

Bellum.

·Cùm ecce anno 801. hominem Raguſeis Oriens miſit, qui tantùm cæteros homines virtute anteibat, quantùm draco cæteras animantes ſævitiâ. Is in Breno ad fluminis ripam ſex ab vrbe paſſuum millibus, comportatis in maceriam ſaxis, die non ampliùs vno caſam conſtruxit anguſtam, & humilem: tectum ex implexis arborum ramis, aptâ igni materiâ, ſuperimpoſuit. Accolæ Spilanenſes, & Graduziani viſâ repentè novâ fabricâ, imperiti, vt credebant, vel nautæ, vel piſcatoris opus, monituri de periculo hominem, ſequenti manè veniunt, viſúmque venerandæ canitiei Eremitam venerantur: domum quiſque ſuam offerunt, & de periculo quàm fideliſſimè monent. Subriſit ſenex, auditis trium ferè luſtrorum annalibus, non ſine metu etiam prætcritorum anxiè recenſitis. Et: Non ego, inquit, draconem hunc metuo; ſed nec, quæcunque demum ſint orci ad terrendum inventa, me terrent. Quin ite Raguſium, civibúſque denunciate, adveniſſe hominem, qui draconem velit interficere; ſi quidem ipſi credere, & obedire præceptis DEI promittant.

Eremita.

Metus.

Riſêre agreſtes tam civiliter loquentem, & ſive ſimplicem, ſive contumacem deſeruere, certum draconi pabulum. At verò, vbi poſtero die redierunt, vivúmque ſimul præter ſpem, ac incolumem ſenem deprehenderunt; largiùs hominem cum admiratione venerantur, & ne quid incultiùs, vt pridie, eloquantur, tacent. Quibus ille fidem dictorum ſuorum iterum iterúmque inculcat, & jubenti propior, quàm ſuadenti: Ite, inquit, ad Raguſeæ vrbis proceres, quæque audiſtis, referte. Imperio ſenis perſuaſi, fidem inter & ſpem jam medij Raguſium properant, ſenem, & ſenis verba ad ſuperſtitionem vſque extollunt.

Ruſtici.

Magiſtratus.

Magiſtratus non parùm agreſtibus cultior confeſtim religioſiſſimum quemque, atque cum ijs tres è proceribus prudentiâ conſpicuos, legationis in morem ad Eremitam deſtinant. Hi omnia ſancta in ſene vident, mirantúrque, ac ſalutatum nomine publico rogant, cujas ſit, quid has in terras tanto in ſenio hominem compulerit: ad vrbem invitant, ferociam draconis, & pericula etiam augent: dignetur proinde vrbem ſubire, & ſuâ virtute afflictos erigere. Quos ille benignè exceptos auditóſque, & ponere metum juſſos, ſic eſt allocutus. Ego vivendi genere ſum Eremita: nomen mihi Hilarion: atque vtinam dignus tanto ſim nomine! ab vltimo vſ-

Sanctitas.

Hilarion.

que Oriente à JESV Chriſto ad vos miſſus ſum, vt afflictam cum vicinia vrbem à dracone liberem; ſiquidem Chriſto credere, ejúſque præceptis obedire velitis. Tum illi ſe Chriſtianos eſſe, & Chriſtianarum virtutum veros æſtimatores: & ſiquidem Chriſtianus ipſe eſſet, non difficulter viſurum; nimis quàm pronum eſſe in hæreſin præcipitium, vbi vel in vno à vera fide fieret ſeceſſio.

Converſio. Verum eſt, ſubjungit ſenex, vos Chriſtianos eſſe. At verò, niſi promittatis, tales vos futuros, quales ego juſſero, à dracone non liberabimini. Regreſſi in vrbem legati venerandam ſenis canitiem, virtutem non fictam impavidi pectoris, ſincerum periculi contemptum, & quæ à Raguſeis exigeret ipſe, quæque Raguſium ab ipſo expectare poſſet, longâ oratione in frequentiſſimo ſenatu denarrant. Vnde non poſt longam deliberationem, publico nomine, quatuor è primis, non paucioribus mille viris ſtipati, ad ſenem ablegantur. Quem venerati largiſſimâ ſponſione reipublicæ nomine promittunt, nihil ab ipſo imperatum iri, quod ipſi facturos ſe perlibenter non reciperent. Juberet proinde, & experimentum caperet promiſſorum.

Tum ſenex bene ſperare juſſos, verbíſque erectos è ſurculo primùm, quem in tugurio abſconderat, jubet parare Crucem. Nec Crux. defuêre, qui opere tumultuario nō inconcinnè duos è ſurculis committerent. Hanc ille primùm vnà cum populo poſitis genibus venerabundus adorat: tum altiſſimâ, quâ licuit, voce ter cælum verberat, miſericordiam inclamando: quem populus non invitus ter quoque clamantem eſt inſecutus. Denique dictâ ab omnibus precatione Dominicâ, Salutationem Ave Maria. quoque Angelicam, honorandæ Virgini, ſubjunxit, vt ſtygij ſerpentis caput ipſa contereret.

Vbi ſic oratum eſt, manuum alteram Cruce armat, alterâ baculum prehendit, petitámque cum quatuor nautis cymbam conſcendit, atque ad ipſum vſque draconis ſpecum in Epidauro monte properat, trepidantibus nautis, & portum, quem petebant, attingere metuentibus: quos tamen ille verbis erectos appellere juſſit, & religatâ tantiſper navi præſtolari, dum reverteretur. Tum arreptâ Cruce pedem figit in littore: nec multùm inquirendo cunctatus rectà ſpeluncæ hiatum petit, mirantibus ſocijs, vnde homini tanta eſſet locorum peritia. Tum voce, quam etiam non parùm hinc diſſiti nautæ poſſent intelligere: Audi, inquit, beſtia: per JESVM Chriſtum tibi impero, ſine noxa cujusquam egredere, & ad me ſervum Dei accede. Vocem jubentis promptiſſimè Draco. ſecutus draco, ad domeſticarum vſque animantium invidiam, ad pedes ſenis confeſtim ſe ſiſtit, à quo cervici injecto cingulo, ad navim ducitur: quâ ipſe ſenex conſcensâ, religato ad puppim cingulo draconem per aquas trahit, multa metuentibus nautis.

Interea littus, quod ſpectantium diſtincti ordines verterunt in theatrum,

trum, non ſine omnium admiratione attingunt. Tunc intrepidus ſenex cingulo in terram trahit diffluentem metu & trementem beſtiam, & tugurio incluſam, ſubjectâ flamma cum domo jam non ſuâ, in cineres comburit, attonitis, quotquot præter cives Raguſium habuit, accolis. Poſtquam flamma cum pabulo ſuo abijt in auras, concionabundus ſenex, altiore paulò ceſpite conſcenſo, non petitâ ab ijs benevolentiâ, quos tanto jam portento ſibi conciliaverat: Non eſt, inquit, hic draco de ijs animantibus vna, quas Creator DEVS fecit, ſed vnus è ſpiritibus, quos ignis tenet, atque idem ipſe, quem olim ex Epidauro Achaiæ Æſculapium ſub ſimili ſerpentis ſpecie Romani, Romam vſque ſuperſtitioſiſſimis impenſis, in peſtiferæ luis remedium adduxerunt.

Ignis.

Dæmon.

Hunc, inquam, hunc ipſum iterum divinos honores affectaturum in Epidauro tribus pæne luſtris hoſpitem habuiſtis. Agite Chriſto gratias, cujus virtute; agite gratias Virgini Deiparæ, cujus precibus liberati eſtis. Inde ad ea progreſſus, quæ veræ fidei puritatem obſcurabant, Raguſium cum tota vicinia vtiliſſimè erudivit, ac in meliorem virtutis formam refudit. Converſio.

Illi, ne rei memoria periret, néve grati animi monumentum deſiderarent poſteri, ſtructo Virgini Deiparæ templo, antiquiſſimam Imaginem intulerunt, quam hodieque miracula frequentiſſima toti viciniæ faciunt venerabilem. *R. P. Ioann. Baptiſt. Tartaglio R. Ancon. ex M. S. veteri, quod Raguſij ſervatur.*

XLIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LITTERA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Virgône ſemper munda à macula? Ita. Ita.*

1. Epiſtola B. V. Mariæ.
2 Converſio vrbis nunquam viſa.
3. Solennitas feſti Aſſumptionis.

HABET Sicilia, in quo cum Syria decertet. Etenim Abagar⁹ Edeſſæ Dynaſta, ſcrip: à *Servatori* epiſtolâ, meruit ipſe quoque reſcriptâ à Chriſto epiſtolâ ſalutari. Feciſſent non inferiora Meſſanenſes, ſi per immenſa locorum intervalla, famæ conceſſum fuiſſet, tam citò manifeſtare Chriſtum in vrbe Meſſana, quam fecit in Edeſſana. Atverò, vt etiam in ſecundis conſiſtere ſemper pulchrum fuit, ita Meſſanenſib⁹ ante alios ſolis contigit, litteris, ſi non à Chriſto, quem jam cælum ſuſceperat, certè à Chri-

Abagarus

Vetuſtas. Chriſti Matre Virgine ſalutari. Rem olim certiſſimam antiquitas more ſuo nonnihil obſcuravit, & apud invidos dubiam reddidit. His tamen annis duo è Societate IESV Scriptores, R. P. Melchior Inchofer Germanus, & R. P. Paulus Belli Siculus clariſſimè illuſtrârunt, & antiquæ fidei ſic reſtituerunt; vt nemo ſuperſit, qui hac in re Meſſanenſibus litem movere poſſit. Ego rem ſolùm, & quidem breviter enarro, vt, quæ miraculoſæ Imaginis *De Littera* antiquitas ſimul & æſtimatio ſit, intelligatur. Hiſtoria.

Apoſtoli. Poſt receptum cælo Servatorem, ſtatim ac propagandæ cura ſalutis Apoſtolis incumbere cœpit; ſuas quisque partes, induti virtute ex alto, Apoſtolicâ fortitudine implere, peragratiſque variis orbis partibus lumen Evangelij non inferre modò, ſed etiam animos hominum vehementiùs ad pietatem Chriſtianam cœperunt inflammare. Jámque ijs quoque in locis, ad quæ Apoſtoli ipſi nondum devenerant, Chriſti nomen non obſcurè divulgatum erat: ſcilicet quem nova ſtella natum portendiſſet, quem ſilentio oracula, adoratione Orientales Magi eſſent venerati. Neque latêre poterat Meſſan. perturbatio Jeroſolymæ, Infantum inſana cædes, Herodis miſerabilis interitus. Quid dicam de miraculis Chriſti, de ſolis deliquio, & terræ motu vniverſæ? Neque oculta erant monumenta publica, quæ Romam perlata, vrbem & orbem impleverant. Denique palam erat, peculiaris Præſidis Pilati narratio ad Tiberium miſſa, quam Hegeſippus in Anacephalæoſi refert: in qua non modò Chriſti ac Virginis inducitur mentio, verùm etiam vitæ, miraculorum, invidiæ Judæorum, judicij, Mortis denique, ac Reſurrectionis cataſtrophe perſpicuè ob oculos ponitur. Quis denique etiam Virginem parituram ignorabat?

Atque vt hæc ante Apoſtolicam doctrinam orbi pæne toti innotuerint, Meſſanenſibus obſcura eſſe neutiquam potuêre. Quis enim credat exactis é Judæa plùs quàm quindecim virorum millibus, qui docentibus Apoſtolis in Chriſtum crediderant, iiſdémque, & alijs atque alijs in Aſiam, atque Europam commigrantibus, non aliquos extitiſſe, qui Meſſanam conceſſerint, famámque Chriſto & Virgini fecerint; quando non minima pars exulum in Cyprum priùs adducti, inde verò plures quingentis Carthaginem Hiſpaniæ miſſi, Meſſanæ portum non poterant prætenire. Quid dicam de Synagoga Libertinorum, quam è Siculorum juventute ſtudiorum gratiâ, ad modum Collegiorum Romanorum, coaluiſſe Jeroſolymis, refert Ribadeneira in vita S. Stephani. Credi certè non poteſt, ignorâſſe Siciliam, quæ Jeroſolymis contigerant, aut quæ Sicilia ſciebat, ignorâſſe Meſſanam. Quid de Sibylla Cumana dicam, cujus carmina Meſſanæ tantùm non in trivijs cantabantur? Exilium. Synagoga (niſi pro Sicilia Cilicia legendum ſit)

Interea novis nuncijs intellectum à Meſſanenſibus eſt, Rhegium in Calabria, vnum è primis,

Pan-

Paulum nomine, perveniſſe, qui famam, quæ dudum prævolaverat, dictis factiſque confirmaret. Commendabant præterea Paulum ſuperata recentis naufragij pericula; ſed præcipuè Publij Principis Inſulæ Melitæ converſio, ibidémque patratæ virtutes, quibus opinione vulgi iterum velut DEVS aliquis efferebatur. Hinc factum eſt, vt Meſſanenſes aſpectu tanti viri, velut è cælo delapſi, frui, ex ejus ore pendere, ad ejus nutum aras & focos ſtatuere, ſed præſertim pleraque lecta, & audita de Chriſto ac Virgine peravidè ſciſcitari peroptarent. Quapropter, vt antiqua, & evidentibus nixa argumentis fama tradit, Meſſanenſes accitum è Calabria Paulum honorificè primùm exceperunt, & ad diſcendum parati attentiſſimè audierunt.

Conver-ſio.

Is duabus non ampliùs concionibus, duobus ſine intervallo diebus, dictis, populum vniverſum, nemine vno contradicente, ad veram fidem traduxit. Primâ etenim die de Chriſti Servatoris Paſſione, ſecundâ verò de B. MARIÆ Virginitate, & Incarnati Verbi Myſterio ſermonem fecit. Quibus auditis Meſſana vniverſa, vbi hæc Deipara Virgo degeret, efflictim rogavit. B. Paulus Ieroſolymis morari, & adhuc vivere dixit. Itaque gaudio geſtiens Meſſana legatos Hieroſolymam miſit: qui præmiſsâ oratione B. Virginem Vrbi ſuæ Dominam legerunt: & illa ſanctiſſimis manibus, Hebraicis litteris, Patronam ſe fore perpetuam reſcripſit. Sed ne lectorem morer; ecce ipſam Epiſtolam!

MARIA VIRGO, JOACHIMI FILIA, DEI HVMILLIMA, CHRISTI JESV CRVCIFIXI MATER, EX TRIBV JVDA, STIRPE DAVID, MESSANENSIBVS OMNIBVS SALVTEM, ET DEI PATRIS OMNIPOTENTIS BENEDICTIONEM.

VOS OMNES, FIDE MAGNA LEGATOS AC NVNCIOS, PER PVBLICVM DOCVMENTVM AD NOS MISISSE CONSTAT. FILIVM NOSTRVM DEI GENITVM, DEVM ET HOMINEM ESSE FATEMINI, ET IN CÆLVM POST SVAM RESVRRECTIONEM ASCENDISSE, PAVLI APOSTOLI ELECTI PRÆDICATIONE MEDIANTE, VIAM VERITATIS AGNOSCENTES. OB QVOD VOS ET IPSAM CIVITATEM BENEDICIMVS. CVIVS PERPETVAM PROTECTRICEM NOS ESSE VOLVMVS, ANNO FILII NOSTRI XLII. III. NON. JVNII, LVNA XXVII. FERIA V. EX HIEROSOLYMIS.

MARIA VIRGO, QVÆ SVPRA, HOC CHIROGRAPHVM APPROBAVIT.

Et verò tam recens à Gentilitate pietas honóſque habitus Virgini haud ſine pretio ſtetit, ac dignitate poſterorum: quando ex eo tempore Meſſanenſium res domi

P fo-

foríſque ſteterunt, ipſâ vrbe, vel in ſexcentis viciſſitudinibus, caput ſemper extollente; vt quæ antiquitate pæne cæteris Europæ vrbibus præſtaret; nobilitate, tot privilegijs aucta, nulli cederet. Hodie religione quoque, ac Deiparæ Virginis cultu par ſummis, ſecunda certè videri poſſit nulli. Sacellum, quod ex nuncupatione dictæ Epiſtolæ vulgo LITTERA appellatur, Deiparæ jam à primis ſæculis ſacrum; tametſi ipſâ vetuſtate magis religioſum ſanctúmque haberetur. Nunc tamen 1629. atque ipſo die tertio nonas Junij, feſto Epiſtolæ, recentioris etiam ſtructuræ operoſâ ſimul ac magnificâ deſignatione coli cœpit auguſtiùs. Imago ipſa reliquarum omnium, quæ deinde varijs eſt modis picta ſculptáque, eſt antiquiſſima, & in mira veneratione. Communi fide creditur eſſe opus S. Lucæ, Græcâ hâc epigraphe inſignis:

Sacellum.

ΗΓΟΡΓΟ ΕΠΗΚΟΟΣ. *Velox Auſcultatrix.*

Templũ.

Templum Virgini Aſſumptæ erectum creditur primùm à Meſſanenſibus; hodiéque Feſtum hoc à Meſſanenſibus ita celebratur, vt memores eos ſcriptæ Epiſtolæ, & gratos ipſum cælum fateri debeat: nimirum quot annis per vrbem, Virginis in ſublime abeuntis, ac civitati benedicentis ſimulacrum, tanto incolarum accolarúmque celebratur concurſu, vt in vnam coaluiſſe plures vrbes videantur. Cogit nempe eam frequentiam tum ipſa Virginis præcipua religio, tum curioſus quidam ardor ſpectandi machinam præaltam, ferreis ſtatuminibus artificioſè compactam: cui prominentiores clavi inditi, laminíſque violenter accurvatis muniti, varios efficiunt axes, circulis convertendis idoneos: in quorum radios, cùm ephebi nobiles mirâ quadam dexteritate ſeſe induant, vi ponderum ſeſe evolvere conantium, tolluntur in altum, æquabilíque gyro placidè labentes, perpetuò commeant in orbem, circulis nunc pronis, nunc ſupinis, rectis, obliquis, unâ converſione circumactis, miráque diſtributione ſeſe invicem arcentibus, ne corpuſcula puellorum implicentur, qui eodem ſemper ſitu, velut infixi revolvuntur. Sunt verò hi (ſi Apoſtolos muſico concentu Sepulchrum Virginis in medio pyramidis celebrantes adnumeres) omnino centum & quinquaginta, ſpecie, habitúque Angelorum decori, caterva triumpho Virginis addicta, Reginæ in cælum abeuntis elegans famulitium. Altitudo totius pyramidis quinquaginta quatuor ſpitamis majores palmos æquat, ac præter centum & quinquaginta, quos dixi, homines, in ipſa baſi, quæ novem palmos alta eſt, à ducentis bajulis ſummâ facilitate promovetur. In ſummo machinæ faſtigio ipſa Virginis anima Chriſti ſui Nati, velut in ſublime efferentis, extentâ palmâ, decorè adeò ſuſtinetur; vt amictus candido puellulus, puriſſimi Spiritus ſymbolum,

Machina.

Pyramis.

bolum, totus in modum ſeſe per inane librantis, ac ſponte in ſublime abeuntis geſtum compoſitus, vix plantulâ, vel ſummo pedis digito veſtigium in palma ſuſtinentis videatur exſignare. Is cùm ſubinde firmato ſuccollantium greſſu carmina quædam voce ad pietatem inflexâ depromit, ijſdémque civitati, Crucis ſigno formato, bene precatur; tantus repente cietur populi piè admurmurantis ſtrepitus, vt curioſitate in religionem conversâ pauci ſibi temperent à lacrimis, ſubeunte nimirum animos omnium vivaciſſimâ tuelæ olim promiſſæ memoriâ: quâ ſi non aliunde fama loqueretur, hoc inſigni ſpectaculo pietas ipſa per ſe ſatis commendaret.

Olim etiam ab vniverſo populo Meſſanenſi facta hoc die collectio pecuniaria ingens donativum fuit. Atque ij quidem, qui ſuo cenſu vivebant, cenſum diei vnius, cæteri, qui labore victum comparabant, tantum contulêre, quantum vnius diei lucrum erat. Atque hoc totum libentibus animis Virgini Aſſumptæ gratiam Epiſtolæ ſcriptæ referentes Meſſanenſes eo die congerebant: cujus laudatiſſimæ liberalitatis etiamnum veſtigium aliquod ſupereſt.

R. P. Melchior Inchofer Germanus, in Epiſtola defenſa Meſſanæ impreſſa. R. P. Paulus Belli Meſſanenſis, in Gloria Meſſanenſium Meſſanæ impreſſa. R. P. Placidus Samperius Meſſanenſis, in Iconologia Mariana Meſſanæ impreſſa: omnes tres è Societate IESV.

Ad extremum lectori, vt ſpero, ingratum non erit, ſi ſubjungam Commemorationem, quam civitas Meſſanenſis omnibus Religioſorum templis, in omnibus Congregationibus & Confraternitatibus, locíſque pijs, vbi pij populi concurſus eſt, quotidie recitat, eo præſertim in templo, in quo publica per urbem quotidie comprecatio, expoſito Venerabili Sacramento, inſtituitur.

ANTIPHONA I.

MEmento, Domina, promiſſionis tuæ antiquæ, quâ Meſſanenſibus omnibus feciſti, cùm peramantem Epiſtolam ad illos ſcripſiſti, manu propriâ, in hæc verba, dulciora ſuper mel, & favum, &c.

ANTIPHONA II.

SVB tuum ergo Præſidium confugimus, Sancta DEI Genitrix, Salus noſtra, vnica Spes noſtra, Corona gloriæ noſtræ. De cujus Patrocinio & Benedictione gloriamur, cujus perpetuæ Protectionis pignus accepimus. Cujus miſericordiam ſuppliciter imploramus: noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper, Virgo glorioſa & benedicta.

℣. Ora pro nobis, ſancta MARIA, Advocata Populi Meſſanenſis.

℟. Vt digni efficiamur Benedictione Tuâ, & Promiſſionibus Chriſti.

OREMVS.

DEfende, quæſumus Domine, Beatâ MARIA ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate Civitatem, quam, Pauli Apoſtoli prædicatione mediante,

viam veritatis agnoſcere : Beati Petri auctoritate, in accepta fide confirmare : Ejuſdémque Genitricis Filij Tui benedictione, & perpetuâ protectione munire voluiſti : & toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitiùs tuêre clementer inſidijs. Et concede, vt, ſicut illa, te dictante, ad nos ſcripſit de terra : ita &, ipsâ apud te interveniente, in libro vitæ à Te adſcribi mereamur in cælis. Per eundem Dominum &c.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Et Dominæ.

℣. Deo gratias.

℟. Et MARIÆ.

Et fidelium Animæ per miſericordiam DEI, & interceſſionem ſanctiſſimæ Matris DEI requieſcant in pace.

℟. Amen.

Laus DEO Vni Trino.

Laus CHRISTO Homini DEO.

Laus MARIÆ Virgini Matri.

Per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Sereniſſima Anna Hiſpaniarum Regina, & Philippi II. Conjunx, cùm intellexiſſet deſcriptam hanc Deiparæ Epiſtolam, multis terrâ marique, in graviſſimis periculis, profuiſſe, eam aureæ laminæ inſculptam monilis loco collo appenſam geſtare ſolita eſt. Reginæ ad exemplum, ſi non tota, certè magna pars aulæ compoſita eſt, eundémque Marianæ Epiſtolæ honorem exhibuit.

XLIV.

Imago B. V. Miraculoſa DE SCALA.

Meſſinæ in Sicilia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Vna eſt Deipara Virgo, en immaculatam!*

1. *Furtum pium furis non mali.*
2. *Remora Navis nova.*
3. *Reſumptus fortium vſus.*

REgnante in Sicilia Friderico II. Imperatore, Suevo, (Fridericum putat Bonfilius, ſed alijs alius videtur Friderico antiquior) fortè navis appulſa eſt caris onuſta mercibus; ſed Deiparæ Virginis Imagine, cui depictæ ad latus Scalæ ſymbolum poſtea nomen dedit, prædives. Hanc vectores è civitate quadam Syriæ furto ſublatam eò detulerant. Exonerata mox navis: rurſúmque novo ſtipendio pactis ad navigandum aliò nautis tolluntur anchoræ, veliſque vento ſecundo datis toto ſtudio incumbitur ad moliendum. Sed enim hærente illâ ſine motu, velut in cautes defixa, versiſque in ſtuporem cunctis, turmatim etiam ad littus effuſis, majoribus agi cæptum conatibus. Ac primùm ſcaphis, Furtum.

Supplicatio. phis, deinde triremibus adhibitis, nequicquam laboratur. Re in argumentum prodigij tractâ, perculſi nautæ pium furtum in conſcientiam vocant, & mox Imperatori & Archiepiſcopo detegunt. Nec mora: ſupplicantium ordinibus inſtitutis pergitur ad littus maris, ſtratóque ad navim ponte ſublicio, elata perquàm honorificè ſacra Virginis Imago in littore collocatur, eodémque temporis momento ſoluta navis, itinere deſtinato ferri cœpta, ſed Imago novo fixa pondere immobilis perſiſtere. Ergo miraculis auctis iterum itum in conſilia, viſúmque ſapientioribus vetuſtæ ſortioni rem permittere; &, quod olim in deferenda Teſtamenti Arca religione quadã placuit, ita junctis plauſtro bobus, impoſitóque ſacro pondere, quò impetus vehentes ageret, ibidem cæleſti deſignatione cultus religióque ſacro Pignori decerneretur.

Currus. Ac, quod olim Bizantij contigiſſe narrat Nicetas Choniates, Emmanuele Comneno de Pannonijs triumphante, Deiparæ Imaginem quadrigis argenteis per vrbem invectam proceribus omnibus ſequentibus triumphum reddidiſſe præſignem; id etiam ex parte experta fuit Meſſana, quando effuſis velut in publicam lætitiam omnibus, Virginis Effigies auſpicatò vecta propter limites vrbis ductabatur. Nec quidpiam ſtridulum ſonabant axes: quippe non fictum Numē. Minerva, curru ferebatur; ſed veræ Virginis, Chriſtiq; manſuetæ Parentis Effigies, pacem Meſſanæ latura tempeſtivam, augebat civium voluptatem, ſacrúmque ciebat ſpectaculum. Sed nec longum errare permiſſæ quadrigæ: quippe quæ, ſicut nullis laceſſitæ ſtimulis, ſponte ſine ductore gradiebantur inoffenſæ; ſic vbi ad radicem collis Ricciani, longo tractu, per ſicci torrentis arenas, ventum erat, nullâ progreſſum morante voce humanâ, occultâ quadam vi retentæ gradum ſiſtunt. Ac tum plauſu omnium ſors in eventum tracta, eam, quæ juxtim erat Monialium Ordinis D. Benedicti, ædem tam ſacro dono legit ſacrarium, Antiſtite cum Clero ſolennes ritus peragente.

Exinde locus, antea de Valle dictus, à Scalis nomen accepit, populíque frequentiâ nec non Imperatoris, Regúmque, ac Principum religione & munificentiâ ſacratior haberi cœpit. Et verò tum maximè votis omnium neceſſaria crevit religio, quando, vexatâ contagione peſtis Meſſanâ, ducta per vrbem Effigies, ſalutari velut afflatu cohibitis funeribus, ſalutem civibus peperit, ac vivendi libertatem. Id cauſæ fuit, cur impoſterum cives magis ſolliciti, ne de cætero ſuo aſylo, extra muros poſito, civitas malis indefenſa relinqueretur; eam Virginis Imaginem in ipſa vrbe, templo magnificè ſtructo, repoſitam vellent: factúmque deinde lapſu temporum, vt extremis conflictati periculis præſentiſſimum ab ea religione remedium perſentirent. Atque hæc eſt illa Imago, quæ non modò Principum Chriſtianorum, verùm Peſtis.

etiam à Fide alienorũ culta donarijs, iſtis quoque profuit interdum. Sed ſi unquam genti Siculæ ſpes ſuas demandavit, Meſſanenſium præcipuè votis creberrimis reſpondit. Per hanc enim illi victorias plures ex hoſtibus obtinuerunt; de quibus alij fusè. Illud admirationem etiam ſuperat, quoties quateretur civitas terræ motibus; jámque nutantium ædium fundamenta vaſtis hiarent voraginibus; toties circumlatâ, populi anxiè ſupplicantis religione, ſacrâ Imagine, formidinem omnem abactam, civéſque à calamitate fuiſſe recreatos.

Terræ motus.

R. P. Melchior Inchofer Societatis JESV in Epiſtola B. V. vindicata. R. P. Placidus Samperius Societatis JESV in Iconologia Mariana Meſſanenſi; vtrumque opus Meſſanæ typis vulgatum eſt.

XLV.

Imago B. V. Miraculoſa. TRAPANITANA.

Trapani in Sicilia.

Progr AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Vna eſt immaculata Virgo, en Deiparam!*

1. Secura peregrinatio.
2. Milites Virtuoſi & pij.
3. Reverentia tempeſtatis.

INfandum Regina jubes renovare dolorem; quomodo enim ſine dolore memorem patriæ tuæ fortunas è Fidei hoſtibus jam dudum afflictas, deníque à Saladino omnino acciſas? Illuxit ſanè anno à partu tuo 1098. felix Chriſtiano Orbi quinta Maij dies, cui pro ſole fuit God. fridus Bullionius, quando devictis triumphatíſque Mahometanis, Jeroſolymæ Chriſtianæ tropæa intulit. Sed prô dolor! non integro pòſt ſæculo, anno nimirum 1187. alia ſupervénit dies, quam, quos ego legi auctores, non memorant: credo, quia non meretur, vt computetur in diebus anni, aut numeretur in menſibus; quâ tota iterum Jeroſolyma, pulſis Chriſtianis, in Saladini Ægyptij poteſtatem abijt, nec vnquam redijt in noſtram.

Bullionius.

Jeroſolyma.

Jam Bullionius cum importata in vrbem Chriſtiana Religione, ſpem quoque induxerat, ſecuri ex orbe Chriſtiano tranſitûs, peregrinorum pietati fovendæ. Etenim Hugo de Paganis & Granfriedus de S. Adelmanno (juvat, poſteros Heroum nomina non ignorare) nobiles & equeſtris Ordinis homines voto ſe obſtrinxêre, viam omnem, qui Jeroſolymam intereſt, & Italiam, Peregrinis ſecuram facere, pulſis, qui rapto vivebant, Mahometanis, templo quopiam deſerto, velut in munitionem, electo.

Templarij.

ĉto. Placuit inventum hoc cælo: ſed nec terræ diſplicere potuit; etenim pijs Ducibus non tardè ſe junxerunt alia, aliáque equeſtris Ordinis fortiſſima pectora. Hi nempe viarum ſtratores Terræ ſanctæ debebantur. Ipſi Pontifices, ne tam pium inſtitutum interiret, Religionem Militarem condidêre, & à templo, de quo dixi, Templarios appellavêre. At verò ruente ſub Saladino Terræ ſanctæ cultu, nec his quidem ſubſiſtere ampliùs licuit. Alias itaque inquiſituri ſedes, comportatis in onerariam non magnis theſauris, ſtatuam quoque Virginis Deiparæ, quæ illis in Syria theſauri loco erat, in navim quoque intulerunt, ligneâ tumbâ non tam cuſtoditam, quàm ſepultam: quid enim direptionibus Saracenorum permitteretur tantus theſaurus? Ne Mariophili deſiderio deſim, ecce ipſam ſtatuam calamo ſiſto, ſummâ fide illi deſcriptioni inſiſtens, quam curioſiſſimus ſtatuæ obſervator Italico idiomate ad me tranſmiſit. Statua.

Altitudo itaque ſtatuæ ſeptem omnino palmos non æquat, quia quatuor digitis minor eſt. Materiam ſi ſpectes, eſt ſummi pretij, candidiſſimum ex Oriente marmor. Cæſaries inaurata decorè in ſumma fronte fiſſa, venuſtiſſimè vtrinque defluit, & in humeros recumbit, longiùs lapſura, niſi pulchrè curvata undarum in morem criſparetur. Frons alta, & nullâ rugarum nube inamæna, lætitiam ſpirat, & ipſis etiam intuentibus ſuaviſſimè inſtillat. Pupillis oculorum nigris, nigra quoque, & in tenuem arcum curvata ſupercilia vigorem addunt: cui ſubeſſe credi vita poſſit. Ita quiſque ſe aſpici, & tantùm non obſervari exiſtimat, nullo tamen metu: nam licèt plenus majeſtate obtutus reverentiam ſibi conciliet; nihil tamen, niſi amorem minatur.

Hinc incredibili quiſque intuentium gaudio delibutus, vix recedit, plerumque avellitur. In naſo gracilitatem, in genis decorem, in ore artifex ſedere fecit omnem faciei totius gratiam. Nec faciem modò, ſed etiam vultum expreſſum puto; ita nihil ſine vita eſt. Loqui ſtatuam dices, & formare verba, licèt os non aperiat, nec labia diducat: quin & ridere credes, ita ſcalpellum artificis, ſive duxit, ſive direxit Genius quiſpiam è præcipuis unus, qui ſemper aſtant ante faciem ejus. Collum cum capite aliquantiſper inclinatum vergit ad ſiniſtram, ut JESVLVM, quem portat, intueatur; ſic ut, protenſis extra peplum binis digitis, indice & pollice, ſiniſtrum JESVLI pedem infra poplitem prehendat. JESVLVS, qui pedem media ex parte laciniâ coopertum nonnihil protendit, lineâ interulâ ſic tegitur, ut collum cum dimidio ſiniſtri humeri, & ipſum etiam brachium utrumque cubito tenus, neglectâ ſindone, appareat nudum: quorum dextrum in pectore Matris quieſcit, ſiniſtro ejuſdem dexteram, infantum more, ſtringit. Dextrum genu, quia Matris cingulo admotum, ſiniſtro nonnihil altius eſt. Super omnia ſpe-

Facies. Collum. Genua.

ſpectatorem trahit Infantuli vultus,in quo riſus,quem amor commendat, Matris, quam intuetur, gratiam videtur ambire,& reciprocum amorem.

Caput. Caput Matris ludente per aërem peplo tegitur : quod ſic à tergo defluit, ut partem pallij, quod circa pectus reductum à dextra Infantuli prehenſum ſtringitur, decorè tegat : ſtatuæ totius geſtûs euntis eſt potiùs, quàm ſtantis,ita ſiniſtro pede ſub veſte retento, dextrum promit. Baſis, cui inſiſtit,marmorea eſt, palmum altitudine æquat, & capitulo cingitur inaurato, Inſcriptiones Chaldaico idiomate & charactere habet omnino quinque. Ea,quæ in pallio legitur,ſic habet : *Salutate Dominum,qui magnus eſt, licèt ſit parvus,juſtus & dulcis.* Limbus pallij ita loquitur : *Credo hanc eſſe magnam Matrem DEI.* Plica veſtis dextera ſic inſcribitur : *Anno ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, decimoquinto Auguſti.* In pede ſtatuæ hæc leguntur: *Facta, ſculpta, & finita in Enditbet Cypri.* Pectus in circu'o quodam hæc verba habet: *Ecce Ancilla Domini.* Fimbria denique veſtis his vocibus inſcribitur: *Ego ſervus DEI Sacerdos.*

Hunc, ut dixi, theſaurum loculo ligneo decenter cuſtoditum onerariæ imponunt Orientis totius fortiſſima pectora, Templarij equites, & viam auſpicantur, Italiam, Italiam identidem inclamantes : quæ enim alia terra ſedes illis quietas permitteret? Nec multùm progreſſis atrox incubuit tempeſtas,quæ,licèt Typhonibus, & decumanis fluctibus omnia miſceret, navim tamen talis, tantique oneris bâjulam non ſine reverentia præterijt : quæ felici omine & cæleſti potiùs,quàm fluctuum impetu ad Lampadoſam, Barbariæ Inſulam,appulſa eſt. Stetiſſe tantiſper ibi Virginis ſtatuam Inſulanis in hodiernum diem non mediocriter prodeſt : etenim ad ingreſſum Virginis beneficia experti cultum exhibuerunt,& denique etiam templum Virgini ſtruxerunt, quod hodieque Trapanitanæ Virgini ſervit: nam quicunque periculoſum illud mare navigaturi Trapanitanæ Virgini ſe commendant,illo in templo(cùm Trapani non poſſint) ſive vota, ſive preces deponunt. Vnde Melitenſis procurator quotannis, certo tempore, quidquid anno illo in gazophylacium conjectum eſt, aufert, & Trapanum avehit ad Virginem, ut offerentium voluntati obſecundet.

Templarij. Lampedoſa. Eleemoſyna.

Tempeſtate utcunque ſedatâ, & mari compoſito, reportatâ in navim ſtatuâ, porrò provehuntur equites; navis tamen diu multúmque eo in mari jactata, demum Trapanitanum portum ingredi compulſa eſt; ſiquidem receptâ in carinam aquâ perire non vellet. Equites autem, quia Italiam unà cum theſauro ſuo petebant,refectâ quàm primùm navi altum repetere portum ab adverſo repentè mari, & conſpirantibus ventis compulſi ſunt. Semel hoc contigiſſe, caſu(ut fit)creditum eſt. At verò,ubi cælo ſereno & tranquillo iterum ſe commiſêre mari, iterúm- Factum.

rúmque, ac tertiùm non ſine periculo in eundem rejecti ſunt portum, non obſcurè ab ijs intellectum eſt, velle Virginem Trapani ſedem figere. Quia tamen id non prorſus Equitibus perſuaſum erat, eam, depoſiti jure, Conſuli conſignârunt. Is aliquamdiu in profana domo, quam munitionis domum appellabant, ſervatam, in Italiam (ab antiquo traditum eſt) juſſus eſt transmittere, ubi Piſana in urbe ſedes eam ab Equitibus parata expectabat.

Tentatum id quidem ſummâ fide, ſed invito ſemper cælo. Currui impoſitam boves ad littus vehere cùm deberent, præcipiti curſu, velut mari adverſati, ad templum S. Leonardi, ubi hodieque hujus facti memoria conſervatur, devenêre. Profanum non fuiſſe hoc iter, ij teſtati ſunt, qui tanti theſauri tranſitu beati, ſeſuáque Virgini cum fructu commendârunt? quem in pluribus fuiſſe miraculoſum teſtati ſunt majores. Quia tamen plùs ultrà Virgini ſedes à cælo deſtinabatur, plùs ultrà boves cucurrêre, dum eo in loco, ubi hodie eſt, ſponte ſuâ conſiſterent. unde nullis ſtimulis dimovere ſe paſſi, teſtatum reliquêre, eum à Virgine locum habitationi deſignatum. Perſuaſum hoc eò faciliùs populo eſt, quòd in RR. PP. Carmelitanorum templum, jam antè Annunciatæ Virgini dicatum, ad quod boves ſubſtitêre, ſtatua facilè ſe importari ſit paſſa. Hîc hodieque ſtat, toto quidem anno nunquam non beneficijs incolas complectens; præ alijs tamen diebus, Auguſti decimusquintus, Aſſumptioni Deiparæ ſacer, nunquam non miraculis claret.

Hanc S. ſtatuam è Cypro allatam dubitare non poſſum. Scripſit ad me ipſe Ill.mus Magiſtratus Trapanitanus & ſtatuam ex alabaſtro periti ſſimè ſculptam dono miſit. His litteris adjunxit tranſumptum ex originali perantiquâ ſcriptura, Notarij & quatuor Teſtium nominib⁹ appoſitis. His in litteris memoratur, quòd, cùm peregrinus quiſpiam in Cypro in urbe Cyrene in templo Baſilianorum videret ſtatuam Deiparæ, ejúsque peteret originem; Senior Conventus: Hæc, inquit, S. ſtatua quadringentos annos non ſuperat: illa antiquior fuit, cujus loco hęc ſucceſſit, ſubtracta furori Saraceno, & in Italiam aſportata. Peregrinus Trapanitanus ſuæ ſtatuæ memor, non obſcurè collegit, ſuam eſſe illam, quæ olim hîc ſtetiſſet. Nam & baſis è marmore Cyprio eſt, ut ſtatua Trapanitana, & illâ ipsâ manu (ita opus monſtrat) elaborata, quæ ſtatuam fecit. Hæc ex tranſumpto ad me miſſo per Illmum Magiſtratum Trapanitanum. Porrò de S. ſtatuæ, quæ ter mille & ampliùs libras ponderat, Venuſtate, quam dedit artifex, dixi ſuprà. De ea, quam ipſe Deus dedit maximo miraculo, ſcripſit ad me R. P. Hieronymus Lagunas. Ait is, non omnibus eam videri venuſtam, nonnullis horrendam, minacem: fieríque non rarò, ut, qui exaltatis cervicibus thraſones intrant, conſpectâ S. ſta uâ, demiſſis oculis triſtes & pœnitentes

Antiquitas.

Converſio. exeant. Hoc omnibus commune, quòd exeant meliores, quàm intrârunt. Neque peregrinos pœnitet Itineris, unde unde venerint. Denique revelatione divinâ habet, toto itinere per mare habuiſſe duos angelos tutelares. Miraculorum tanta vis eſt, ut nullo non die adſint è remotis Nationibus, qui eam venerentur. Emunt hi ſtatuas ex alabaſtro factas, & ſecum ferunt. Quadraginta omnino ſunt officinæ optimorum ſculptorum, quorum, ſi corallij laborem excipias, unicus labor eſt, ſtatuas Trapanitanæ Virginis ex alabaſtro ſculpere. Certè ut in rationibus invenitur, plures quinque millibus extra Siciliam exportantur annuatim; hæc enim ſola eſt, quæ extra Siciliam exportatur. In ipſa inſula non facilè domus reperietur (ita ad me ſcribit idem, qui ſuprà) in qua Trapanitana ſtatua non videatur. Quintus dies Auguſti feſtus eſt. Concurſus ad triginta hominum millia quandoque æſtimatur. Panormitana civitas ſingulis annis mittit Cereum librarum ſeptuaginta duarum, in memoriam annorum, quos virgo vixiſſe creditur; ipſo in ſacello ſacro, cui templum magnificum adjunctum eſt, Argenti visingens viſitur. Naves è corio bovino appenſæ, templi parietes magnam partem implent, quas naufragio erepti poſuêre. Supplicationes Nautarum & Vectorum ſunt quotidianæ, & quidem nudis pedibus, totóque corporis geſtu ſignificantes, quàm grandia pericula Virginis ope ſuperârint. Heri; inquit in litteris ſuis ſupradictus pater, viſa eſt ſupplicatio permagnæ navis Genuenſis, quæ in portu Gaditano tempeſtatem, voto facto, evaſit, quâ triginta naves perierunt. Illud præter cætera mirandum, quòd ipſi cives quocunque anni tempore, quacumque tempeſtate cœli, quotidie magno numero templum frequentent; etiamſi duobus paſſuum millibus ab urbe diſtet. Vigeſimâ quartâ die Martij annuatim argentea ſtatua, marmoreæ ſimilis, Curru triumphali circumvehitur. Porrò currus iſte bene magnus cantoribus oneratur, & ab octo equis trahitur. Currum comitatur Magiſtratus urbis cum Nobilitate equeſtri & viſenda pompa. Cùm belli metus ingruit, S. ſtatua deportatur in urbem pompâ viſendâ: Omnes, quotquot armati comparere poſſunt, cives aciem formant, & in mediũ recipiunt cum Clero S. ſtatuam, quam ex antiqua privilegio ſoli nautæ, ſed nudipedes geſtant. Plures Nautarum centuriæ in hac pompa occupantur & fatigantur: pondus enim S. ſtatuæ tria librarum millia excedit. Triginta millia Animarum habet urbs Trapanitana, ſi exteros excipias, quotquot ex his vel ætas vel morbus non impedit, obviam extra urbem in occurſum Deiparæ procedunt. Hîc cape, lector, pietatẽ nunquã alibi à me lectã. Sudorem bajulorum popul⁹ certatim abſtergit lanâ bombycinâ, & domum cum veneratione defert. Hæc pompa intra triginta hos annos ter viſa eſt.

Statuarij. Nautæ. Proceſſio. Bellum. Populus. Sudor.

Narrationem Panormi impreſſam 1634. miſit ad me R. P. Hieronymus

nymus Lagano. Re. Coll. Drepanitani, qui notat, ex ea domo, in qua depoſiti jure olim ſervata eſt ſtatua, Societatis IESV templum factum, in quo hodieque non nulla ſtatuæ ſanctæ memoria celebratur.

XLVI.

Imago B. V. Miraculoſa WARTENSIS.

Wartæ in Boemia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Ea pura à Malo, mira genuit ſanctum Dei.*

1. Fuga ſecura & Victrix.
2. Mons genibus aſcenditur.
3. Igneus Mariophili Amor.

QVISQVIS Victricem fugam videre geſtit, Deiparam intueatur Wartenſem. Hæc ſtatua quatuor jam ſæculis cum dimidio Wartæ colitur, incertum quot antè ſæculis, & à quo ſculptore (nam è ligno eſt) ſit effigiata. Nam circa annum milleſimum ducenteſimum Virgo juveni (nominis oblita eſt ipſa, quæ hiſtoriam tradit vetuſtatis memoria) cuipiã apparens oranti hanc, de qua loquor, ſtatuam tradidit, miracula patraturam, ſi à populis coleretur. Nobilis Boëmus cùm facto voto fractum ſibi pedem Beatiſſimæ Virginis auxilio vidiſſet nullâ chirurgi manu integratum, Capellam primùm ſtatuæ ligneam ſtruxit, & paulò pòſt è ſaxo templum quod hodieque templum Boëmicum appellatur. Situm eſt templum hoc ad altum montem: ad cujus radicem oppidum eſt, ſubjectum Cœnobio Camencenſi Ord. Ciſterc. loco ſanè defendendæ Boëmiæ aptiſſimo. Etenim cùm ſit ad limites Boëmiæ, Sileſiæ, Moraviæ, Luſatiæ, centrum harum Provinciarum non imperitè dicitur. Robur, quod Virgo dediſſe loco creditur anno 1341. non obſcurè deprehenſum eſt, quando Tartarorum quingenta millia hîc conſederunt, nec tamen ultra Wartam ſunt progreſſi. Plus Mahometanis potuêre aliquid hæretici, qui ab Huſſio cum erroribus nomen habent. Hi namque anno 1425. ſpoliatum donis templum ſubjecto igne in cineres redegerunt. Non hæc tamen ita contigêre, quin Virgo longè priùs ipſo monte pluribus incolis, & ſæpiùs apparens præberet ſe videndam, & futuras loci calamitates defleret; quin expreſſis quoque verbis & Hæreſiarcham naſciturum, & eventura per hæreſin mala non obſcurè portenderet.

Lapis, in quo apparens Deipa-

Marginalia: Apparitio; Tartari; Veſtigia.

ra ſedit, in annum uſque milleſimum ſexcenteſimum veſtigia Virginis retinuit; neque ultrà potuit, quando peregrini magno ſemper numero undique advolantes pijs furtis totum vel attriverunt, vel fruſtillatim abſtulerunt. Ne tamen rei memoria periret, Sereniſſimus Archidux Carolus, Ferdinandi II. Imperatoris Frater Epiſc. VVratislavienſis anno 1617. locum pereleganti ſacello ornavit, in quo ara princeps ipſo in Virginis veſtigio poſita, hodieque viſitur. Ad hæc Virginis veſtigia tantam peregrinorum multitudinem non ducit una via. Hæ tres omnino ſunt: VVartenſium accolarum una; una Polonorum; tertia Boëmorum, qui non raro montem flexis genibus adeunt.

Viæ.

Arſiſſe templum, incentoribus Huſſitis, duobus abhinc ſæculis, tradit Hiſtoricus, quin & in cineres redactum. Scito tamen, Mariophile (quia te de ſtatua Virginis video ſolicitum) ſtatuam, licèt incendium non evaſerit, inter ignes tamen permanſiſſe illæſam.

Incendiū

Reſume animos, & vel ad tanti incendij flammam intuere Mariophili igneum in Virginem amorem, plùs ipſo incendio coruſcantem. Nomen ejus, quia ſcriptum in cælis eſt, à nobis ſciri non ambit. Is è Ciſtercienſi familia, quæ tum jam locum incolebat, Sacerdos, non ampliùs de cœnobio, de templo, de ſe ſolicitus, omnem curam, cogitationémque in ſtatuam Deiparæ convertit, quæ jamjam eodem, quo cætera, eſſet incendio conſumenda. Lignea eſt, inquit, & alendæ flammæ apta, ac vicina: jàmque calet, & mora exitialis eſt: nec minori obnoxius eſt periculo ille, qui ſtatuæ conſulturus templum jam flammâ correptum ingreſſurus eſt. At Virgo deſerenda non eſt, non eſt deſerenda poſteritas, quæ tanta expectat à Virgine præſidia, quanta Majores accepêre. Ergo nemo eſt, qui animam ſuam pro amicis, pro Matre ponat? Ibo ipſe: & me ſanè fiat, quod à Numine conſtitutum eſt. Si moriendum eſt; non deeſt rogus totus, quantus eſt ſacer. quid nobiliorem deſiderem? Miſcebo cineribus ſacris meos: quid optari felicius queat? flamma hæc Purgatorij officium faciet, & animam hanc expoſitam inferet cælo. Quid cum timore flammam ſuſpicio, quam, ſi ſic cælo placet, paulò pòſt ex alto cum riſu deſpiciam? Habeat hæc quoque Troja Æneam ſuum, qui matrem ſubducat incendio; quid moror?

Æneas.

Hæc fatus per arma, per ignes viam ſibi vi facit, & felici auſu per cadentes è tecto trabes, per accenſos ſparſóſque titiones, veſtigijs incertis, & quandoque etiam prolapſus ad ſtatuam pervenit. Hanc eâ, quam tempus permiſerat, veneratione è loculo, in quo ſtabat, divulſam manu prehendit, viam, quâ cum periculo venerat, majore periculo relegit. Sed fortibus auſis flamma obſtitit, nō parū interea temporis aucta. Credere juvat, cognatam hæreſi ſtygem ſubmiſiſſe ſuis ex ignibus ignes, ut unà cum Virginis Icone tantus Boëmiæ theſaurus periret. Fecit ille,

Pietas.

le,quod potuit: ad ſuos tamen, ſive fumo, aut flammâ præfocatus, ſive ruentis ædificij mole oppreſſus non redijt.

Nec fortaſſe deerant, qui hominis temeritatem reprehenderent, etiam ipſam virtutem, ſi nimia ſit, verti in vitium: monitum eſſe, rogatúmque, ne ſe non jam incerto periculo, ſed certæ morti inferret. Hæc præficarum ſive lamenta, ſive maledicta cum flamma durârunt; ſed & ſopito demum igne & ipſa cum cineribus ſubſederunt. Poſtquam enim inter defumatos cineres quæſitum eſt, ubi templum ſtetiſſet, fuêre quoque, qui cogitationem admitterent, inquirendæ ſtatuæ Virginis. Omnia, ajebãt, unum in chaos ſic confuſa ſunt, ut nec ipſe, ſi ſupereſſet templi architectus, vel fundamentorum veſtigia deprehenderet. Si ſaxa ardore ignis in calcem ſoluta ſunt, utique & ligna in cineres abiêre. Eſt tamen in cælo, qui ignis potentiam quandoque inhibet DEUS, & ſunt ſtatuæ Virginis complures, quæ vim incendiorum contempſerunt: quid ſi & nos ſumus cordi Superis, & noſtro bono evaſit ignem ſtatua, vel etiam ſuperavit? Dum hæc inter ſe non ſine ſpe queruntur, quærúntque, quam timent invenire ſtatuam, repentè unus eorum: Cave, inquit, Sodalis, ne ultrà progrediaris, firma greſſum, ecce! ante pedes noſtros ſtatuam Virginis. Nec mora: tollunt, atque unà cum ſtatua integrum Mariani Æneæ brachium. Gaude, quisquis in Virginis obſequium dexteram extendis, quando tam claris Virgo documentis palàm facit, ſuo id obſequij genus præmio non fraudandum, nec memoriam apud ſe perituram illius dextræ, quam Mariophilus quicunque in ſuum obſequium extendiſſet.

Statua.

Deprehenſum eſt, ſtatuæ bajulum plurimum viæ jam emenſum, non multùm abfuiſſe à flamarum termino, nec arduum fuiſſe futurum Virgini, clientem ſuum in tutum per reliquum viæ ſpatium educere, quæ hactenus incolumem, non ſine portento, ſervâſſet. Cùm ſibi populus locum orationis dixit, non vanâ conjecturâ, hinc & accenſæ precationis odorem rectiùs aſcenſurum, & ſancti Spiritûs Unctionem proniùs delapſuram in precantes, quâ delibuti redeant alacriores. Statua hæc à temporibus Huſſij in hæc uſque tempora frequenter fugam inire coacta eſt, ſæpe multúmque ſubducere ſe hæreticorum inſidijs, quibus undique cincta, nunquam non medijs in periculis conſtitit, nunquam non miraculoſa.

Hoc dimidio, quo vivimus, ſæculo, mille trecenta, legitimè probata, contigiſſe miracula aſſerit, & recenſet Auctor, qui non ſine multorum bono obſervat, tribus præcipuè malis hîc loci remedium inveniri. Primò ijs, qui colicis doloribus torquentur: deinde amentibus & ſtultis, quorum triginta uſum rationis recuperâſſe, ritè recenſet: demum illis, qui regio morbo laborant: & his quinquaginta annis plures centenis ope Virginis liberatos ſingillatim enarrat.

Miracula.

rat. His majus miraculum eſt, VVartenſes nunquam Fidem veram deſeruiſſe, etſi ne videri quidem in omni latè circuitu è VVartenſi pago locus poſſet, qui hæteſin non crepraret. Hæc duorum & ampliùs ſæculorum patrum, nepotúmque in Fide conſtantia, & in Virginem pietas meruit, ut, cùm anno 1598. abſente propter Heterodoxorum inſidias ſacrâ ſtatuâ, montis VVartenſis non modica pars divulſa ſubter labentem fluvium Niſſam (cujus alveum ruina obſtruxerat) in ipſum pagum VVartenſem impelleret; ipſa aqua naturæ oblita Virginis cultoribus parceret. Etenim VVartenſes imminens conſpicati periculum, parvulos, quotquot pagus alebat, oppoſuêre imminentibus undis, fecerúntque, ut ab infantibus & lactentibus perficeretur laus MARIÆ. Steterunt quaſi raptæ in admirationem aquæ: & jam ipſo pago altiores, cùm nec progredi auderent, nec regredi poſſent, vi viam ſubterraneam, Virgine adjuvante, fecerunt. Hæc VVartenſium gloria eſt: quâ tota Boëmia gaudet, fruitur, gloriatur.

Conſtantia.

Hiſtoriam Deiparæ Wartenſis pereruditè ſcripſit, & edidit R.P. Boguſlaus Aloyſius Balbinus.

XLVII.

Imago B. V. Miraculoſa CVLMENSIS.

Culmæ in Boëmia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En! regia tota lucida, anima ſummè pura.*

1. Felix *Labyrinthus.*
2. *Ludus Scacborum.*
3. *Mulier Viris cordatior.*

CUlmenſe B. V. templum, & adjacens templo oppidum in alto monte ſitum, ſeptendecim Pragâ, novem Pilſnâ milliaribus diſtat, ad occidentem Boëmiæ; mediúmque ferè tenet Egram inter & Falconavviam, civitates propinquas. Perantiqua, & litteris etiam commendata fama narrat, Unionem quendam Falconavvienſem illac tranſeuntem, æſtúque ac labore feſſum ſub Corylo prope ipſam viam procubuiſſe, bis de nomine vocatum, bíſque experrectum, tertiò (quod neminem videret) obdormiviſſe. At verò tertiùm non perfunctoriè vocatum oſcitâſſe, tum etiam extritis manu oculis, ſurrexiſſe, ac demum ſollicitè circumſpexiſſe, & eadem ipsa in Corylo elegantem illam, de qua loquimur, Imaginem B. V. non indecorè in illius arbuſti medio conſiſtentem deprehendiſſe, & (ut codex perantiquus refert) inuſitatâ

Corylus.

Imago.

ſitatâ geſtientem lætitiâ, Falconavviam detuliſſe; domi ſuæ ut daret, quos illic loci non accepiſſet honores. Atverò die ſequenti, nuſpiam eam domi ſuæ cùm vidiſſet, ratus id, quod erat, ad locum milliari uno diſtante ocyùs redit; & Imaginem quoque ante ſe rediiſſe ad eandem Corylum videt.

Facilè homini pio perſuaſum eſt, Virgini hanc præ alijs placere ſtationem. Itaque exili tecto contra cæli injurias Imaginem defendit. Sic tamen Virginis deſiderio factum ſatis non eſt, quæ trino vocatu hominis, & tam portentoſo ad Corylum reditu, poterat non obſcurè credi templum petere, non tectum. Sed hæc hominum erga Superos avaritia eſt, nolle, quid ipſi velint, intelligere; ne dare cogantur. Quapropter alius expectandus fuit, cui diſertiùs deſiderium Virginis ſignificaretur. Is juvenis fuit (annales Vietorem nominant) domum è diuturna peregrinatione repetens. Hic in ſilva, ut fit, viâ deerrans, diſcurrit, & aliò atque aliò curſum flectens, identidem tamen, miris ambagibus ductus, ad Imaginem rediit. Feſſus tandem in genua provolvitur, & ſupplex audiri à Superis non ſine lachrymis poſtulat, atque (ut & ipſe Superos audiret attentiùs) obdormit. *Apparitio*

Vix ſopor artus occupat, & ecce! Deipara hominem alloquitur, viæ errorem, peccati pœnam eſſe, quod jam dudum commiſſum adhuc circumferret: iret proinde, exomologeſi ſacrâ maculam ablueret, tum etiam Sacerdoti de- *Confeſſio*

nunciaret, poſtulari à ſe ſacellum. Et tu, inquit, nonnihil de tuo conferre in fabricam potes; ſiquidem, cùm domum redieris, & parentes tuos jam pridem defunctos intelliges, & te utriusque non inopem hæredem ſenties. Lætitia, quia plùs quàm mediocris erat, non potuit hominem non è ſomno excitare. Vigil itaque, ac voto exequendi juſſa facto jam ſanctior, & viam reperit, & parentum jam pridem defunctorum cuſtoditam ſibi hæreditatem. Itaque etiam poſt factam Sacerdoti (quē è civitate Montis regij obvium habuit) confeſſionem ſignificat, imperatum ſibi eſſe à B. V. ſacellum; quod confeſtim è congeſtis trabibus extructum eſt, ligneum quidem & extemporale, venuſtate tamen ſuâ non indecorum, ita ut cum pietate tranſeuntium etiam incrementum caperent ſacelli opes. Sed Virginis hæc domus magnâ felicitate caruit, quia vicinos habuit non bonos. *Votum*

Latrones hi fuêre, quos auri ſacra fames torquebat: quia ijs in cavernis domicilium poſuêre, unde olim effuebatur metallum. Cæteri, ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones, quia omnis, qui malè agit, odit lucem: hi audaciùs ſæviebant. Etenim juniores, quibus melior forma, ad ſaltationes more gentis publicas non pagos modò, ſed & vrbes ingreſſi, vixêre rapto: unde etiam veſtitus erat plerumque nobili homine non indignus, quique vultum deceret. Sic puellis brevi lenocinio deceptis facilè matrimonium ſuaſêre: paren- *Latrones* *Saltatio*

rentū conſenſum non difficulter, re factâ, ſecuturum; viderent modò, ut rariora paternæ domûs cimelia in ſarcinam compingerent, facilem eſſe è publico conventu fugam, gaudia daturam & libertatem. Sic non ignobilis virgo à latrone rapta eſt; ſi rapta eſt, quæ illum ſponte ſecuta fuit. Ita brevi tempore, filiarum cum opibus jactura civitates vicinas afflixit: Egram ante alias, quæ, quia latronum ſuſpicio non fuit, pro publica calamitate, publicâ proceſſione Superos fatigavit, poſtquam & ipſi cives ea in ſupplicatione nudipedes non parùm fatigati domum reverterunt.

Fuit, cùm nobilis homo rediret in pagum ſuum (Gazengruen, ad pedem montis Culmenſis ſitum, unde nobilis hæc familia nomen traxit) Falconavviam domum repetens. Is, ne contra morem ſuum ageret, ſacellum ingreſſus, preces Virgini fudit. At, ubi domum pervenit, non ſine dolore mentem ſubijt, inſtrumentum luſorium (ubi rex albus in atro, & ater in albo campo, certamine ludicro depugnant) à ſe in templo relictum. Ludus.

Nox erat, ideóque ſervulorum nullus erat, qui imperium patroni redire jubentis non deprecaretur: atque ut nocti ſe quis committeret, homines tamen viatoribus ipsâ nocte formidabiliores timebantur. Ancilla fuit, quæ meticuloſos objurgaret, & ſponte ſe ituram quàm primùm reciperet. Et ivit hæc ſanè, templúmque, nemine conſcio, ingreſſa, réque, quam quærebat, repertâ, etiam preces fudit Virgini Deiparæ. Cùm repentè audito ſupervenientium ſtrepitu, vix in angulum templi obſcuriorem paucis greſſibus deflectens, vidit latronem unà cum virgine (quam parentum cimelia in ſarcinam congeſta onerabant) ingreſſum, imperare virgini, ad mortem ſe componeret, quam ſine lucta nunc ſubitura eſſet. Illa ſponſum (namque hactenus ſponſum credebat) jocari rata, ludentem, ut putabat, ludit; tum ſeriò mortem paranti, blanditias muliebres opponit, denique etiam lamenta & lachrymas; nec tamen niſi pauca temporis momenta impetravit, quibus virginitatem ſuam deploraret, & animam Virgini Deiparæ commendaret. Prolixiùs oraturam, relictâ tantiſper in templo ſarcinâ, foras ejulantem trahit, & non multis à templo paſſibus brevi cultro jugulat, ſpectante cataſtrophen tragœdiæ, quantùm per tenebras licuit, ancillâ; quam ne metu interijſſe exiſtimes, ſcito, lector, illius de grege unam fuiſſe, quæ ad palatij portam viros terrere docta, Petrum ſtitit. Nam inter vitæ pericula furti cogitationem admiſit, & ſarcinam, quam virgo intulerat, felici ſpolio abſtulit, ac per tenebras latronem ſepeliendo cadavere detentum declinans evaſit, magníſque paſſibus brevi domum reverſa eſt, inſequente ad ipſam uſque portam latrone, poſtquam & ablatam è templo ſarcinam, & in recenti nive veſtigia fugientis advertit. Locus. Ancilla.

Ancilla, redditâ hero, propter quam abierat, tabellâ luſoriâ, funeſtam

ſtam de puella trucidata narrationem, exhibitâ ſarcinâ, confirmat: è qua, præter aurum, argentúmque muliebris mundus depromptus eſt. Herus, quia nodo cuncum reperit, ſeverum familiæ ſilentium imperat, paucos poſt dies ſaltationem publicam gentis more indicit, in qua Heri ſuaſu ancilla ijs, quas rapuerat induta veſtibus, eum præ aliis ad ſe rapuit, cui eas priùs in templo eripuerat; qui præmiſſis puellæ nuptijs ſuadet fugam. Nec illa difficulter conſentit, fugitque, non ignara, quæ Herus interea pararet, qui locum bonâ armatorum manu antè occupavit. Ventum à latrone ad ſilvam, & ſacellum eſt, eodémque, quo nuper ritu paratâ ad ſacrificium victimâ, jam cultrum parabat: cùm nobilis unà cum ſex ſeptémve armatis proſilit, impiúmque ſacrificulum, in compedes actum, domum ducit, & tormentis adhibitis, quæ ad rem erant, edicere cogit.

Periculi tunc non ſine horrore admonitus eſt, cùm audiret, quæ à latrone dicebantur; divinitus enim factum cognovit, non adfuiſſe heri, qui ſocium defenderent. Armato igitur pago toto, totum montem coronâ cingit, non obſidionem, ſed venationem facturus. Viginti ſex eorum capti digna meritis proœmia accepêre. Inventæ præterea ſunt foſſæ duæ, altera opibus plena, altera cadaveribus. Opes, quantum diſcerni potuêre, dominis ſuis redditæ; reliqua in lapideam templi fabricam deſtinata. Miraculis inde aucta pietas, etiam fecit, ut habitari locus mereretur, & in pagum integrum excreſceret. Id notatu dignum eſt, templum novum, cùm alio, quàm ſacellum ſtabat, loco ædificaretur, nunquam non nocte ſequente corruiſſe, quod pridie ſtruxiſſent opifices. Deprehenſum inſuper eſt, Imaginem Virginis non ſemel aliò aſportatam, ſemper in locum ſuum redijſſe, cúmque etiam hodie non in templo, ſed foris ſupra portam conſiſtat, ac toties redeat, quoties templo infertur; fidem facit, hîc loci Corylum ſtetiſſe. Eam ob cauſam additum templo veſtibulum eſt; ne Imago ſine tecto ſit, quæ tot miſeros ab injurijs hominum tuetur. Imago.

Quando hæc contigerint, certa memoria non eſt: hoc tamen, quod nunc eſt, templum è lapide, donationes habet ab anno 1383. Sixtus IV. anno 1477. Indulgentias conceſſit. Sunt eodem in templo duæ aliæ B. V. Imagines, quas teſtes idonei fleviſſe non ſemel teſtantur. Plebs Culmenſis toto hæreſeos ſæculo in Fide orthodoxa firma, conſtánſque permanſit. Campanam, quæ ſex ulnas ambitûs complectitur, ſubducere Culmenſes tentârunt hæreticorum rapinis; ſed fruſtra, quantumvis boum juga tot jungerentur, quot majori ſufficerent moli movendæ. Defoſſa igitur tantiſper eſt, dum deferveret hæreſis, redirétque poſtliminio Fides ſincera in Boëmiam: tum enim verò campana refoſſa majore, quàm ſolet, facilitate in turri repoſita eſt: quod, qui tunc operi præſentes fuêre, inter miranda poſteritati Campana.

tradiderunt. Hanc narrationem me miſit R. P. Ioannes Tanner. S. ex M. S. perantiquo deſcriptam ad JESV.

XLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. CZESTOKOVIENSIS.

Czeſtokoviæ in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *En! Mater amata, diva, pura, ſignum cæli.*

1. *Vulnera incurabilia.*
2. *Pœna Iconoclaſtarum.*
3. *Pictura S. Lucæ Evang.*

QVIDQVID orbis totus Imaginum Deiparæ habeat, unam credere oportet Poloniam habere, cui ipſa Virgo ſpiraculum vitæ inſpiraverit, & tantùm non animam dederit. *Verbi Matris Imaginem* (inquit Nicephorus lib. 15. cap. 14.) *D. Lucas Evangeliſta ipſe ſuis manibus depinxit, illâ adhuc vivente, & tabulam ipſam vidente, gratiámque adeò illi formæ ſuæ immittente.* Menſam cupreſſinam Nazareto Jeroſolymam allatam, atque uſibus Virginis tantùm non attritam, pictori dignam viſam, quæ tantam majeſtatem ſuſtineret, ait Andreas Goldonovvscki, quam confirmat epigraphe quæpiam, quam S. Domus Lauretana, non jam quidem ampliùs habeat, ſed olim habuerit in hæc verba. *Menſam autem Virginis habet Czeſtochovia.* Nec tabulæ figurà multùm abludit: etenim duos cubitos cum ſeſquipalmo longa, tres palmos ſupra unum cubitum lata non inficiatur, olim pro menſa fuiſſe: quod etiam craſſities teſtari videtur, duos bene grandes transverſos digitos æquans. Pictura inſuper vivæ Virgini ſimillima eſſe videtur: quia Epiphanio auctori ex antiquis graviſſimo ſic conſentit, ut neſcias, Epiphanius Virginem, an hanc Imaginem apud Nicephorum lib. 2. cap. 23. deſcripſerit. Quam deſcriptionem ſi appoſuero, uno penicillo tam Virginem ipſam, quàm Imaginem Claromontanam depinxero. Ea ſic habet: *Erat in rebus omnibus honeſta & gravis, pauca admodum, eáque neceſſaria loquens, ad audiendum facilis, & perquàm affabilis, honorem ſuum & venerationem omnibus exhibens, ſtaturâ mediocri: quamvis ſint, qui eam aliquantulũ mediocrem exceſſiſſe longitudinẽ dicant, colore fuit triticeũ referente, capillo flavo, oculis acribus, ſubflavis & tanquam aleæ colore pupillas in eis habens ſupercilia erant ei inflexa, & decenter nigra, naſus longior, labia florida, & verborũ ſuavitate plena, facies non rotunda & acuta ſed aliquantò longior, manus ſimul & digiti longiores. Erat denique faſtûs omnis expers,*

S. Lucas. Menſa. Nicephorus.

expers, ſimplex, miniméque vultum fingens, nihil mollitiei trahens, ſed humilitatē præcellentem colens. Veſtimentis, quæ ipſa geſtavit, coloris nativi contenta fuit; id quod etiamnum ſanctum capitis velamen oſtendit.

Imago. Omnes has notas, inquit Auctor, hæc ſacra Imago conſideranti monſtrat. Quæ cùm ita ſint, fidem non difficulter conciliant, picturam, ipsâ Virgine adhuc vivente, factam eſſe. Hanc itaque Imaginem in ipſa illa domo, in qua Virgo diem extremum clauſit, in uſque S. Helenæ adventum à Chriſtianis ſummâ fide conſervatam, aſſerit Auctor. Quomodo Imago Hieroſolymis devenerit Conſtantinopolim, incertum eſt. Etenim nonnulli ab Helena filio Conſtantino miſſam volunt: alij permanſiſſe putant Hieroſolymis uſquead tempora Eudoxiæ, vel certè Antiochiam translatam. Ab Eudoxia Pulcheriæ Auguſtæ miſſam Conſtantinopolim apud antiquos certum eſt, non aliâ Scriptorum diſſenſione, quàm quod Theodorus lector lib. 1. Antiochiâ, Niceph. Calliſt. lib. 15. cap. 14. Hieroſolymis miſſam velit. Templum Imagini Pulcheriam Auguſtam in via Ducum Conſtantinopoli extruxiſſe, refert Gregoras lib. 9. (Miracula.) Dici non poteſt, quæ per hanc Imaginem patraverit Virgo miracula. Apparuiſſe duobus cæcis, eóſque ad templum hoc ſuum duxiſſe refert Vincent. Belvac. apud Caniſ. lib. 5. cap. 24. indéque fuiſſe appellatam Odogitriam, ſive viæ Ducem. Addit, quovis die Martis per urbem circumlatam. Quin Saracenis urbem oppugnantibus è civibus unum ſuaſiſſe populo, ut omnes Imaginem publico expoſitam hac precatione venerarentur. *Sancta DEI Genitrix, quæ toties nos liberâſti, libera nos modò de inimicis Filij tui, & in mari merge illos.* Quâ oratione vix finitâ exurgentem repentè procellam naves omnes unà cum Saracenis diſcerptas merſiſſe.

Non minus eſt illud, quod Gregoras apud eundem Caniſium lib. 5. cap. 22. refert: Andronicum ſeniorem à nepote Andronico bona verba audiiſſe, quando intempeſtâ nocte, Conſtantinopoli (Conſtantinopolis.) cum tumultu occupatâ, occiſurus avum furibundus in palatium irruit; nec alio freno retentus eſt, quàm quòd ſenem ante Imaginem hanc proſtratum & ſupplicem invenerit.

Pietas. Feriâ quavis ſextâ poſt Veſperas ab Imagine quapiam Virginis Conſtantinopolitanæ velum, quo tegebatur, divinis manibus ſubductum, detectámque Imaginem; atque ſub veſperum Sabbathi iterum demiſſum: denique ex hoc miraculo continuo Sabbathum Virgini dedicatum fuiſſe, refert ex D. Anſelmo Durandus lib. 4. ration. cap. 1. Odogitriæ autem Imagini, de qua nunc loquimur, id honoris à cælo exhibitum aſſerit Auctor Polonus, qui plurium Imaginum miracula uni tribuit: jam, quomodo in noſtras partes devenerit, videamus.

Poſtquam hæc ſacra Imago trium Stygiorum Leonum Ico-

noclaſticam tyrannidem, Neronianâ ſeveriorem, ſeptuaginta omnino annis ſuſtinuit, evaſítque; CaroloMagno in munus ceſſit: ſive eam Conſtantinopoli ab Imperatore unà cum nonnullis alijs Reliquijs, ſive ab alio, & aliâ occaſione acceperit. Hic Carolus Leonem, Ruſſiæ Principem, natione Ruthenum, Religione Græcum, ſuúmque præ multis fidum commilitonem à ſe dimiſſurus, non diſceſſurum à latere tanti Regis, niſi eum Tartari domum vocaſſent, Ducem pro meritis remuneraturus, vt qui ſerviri ſibi gratis à nemine unquam ſuſtinuit, gazas Orientis ei obtrudit. Ille ad Imaginem Odogitriam reſpexit: & timidè primùm petitam, ut negatam ſibi vidit, inſtitit acriùs, dum denique importunis precibus extorqueret à rege, ut qui nollet tam fidum commilitonem à ſe triſtem diſcedere. Itaque Odogitria Imago in Caſtrum Belz totius Ruſſiæ munitiſſimum inter ſacras & militares pompas illata eſt. Vbi, ut decentiùs ſervaretur, pars Imaginis antica aureis laminis cum inſerto lapide pretioſo, poſtica puro argento contecta eſt. Cuſtodia Sacerdotibus Græcis demandata, in quórum manibus (excluſis Latinis) quinque & ampliùs ſæculis permanſit.

Carolus M.

Scythæ. Interim Scythæ Ruſſiam (jam Polonis ſubditam) inundant, atquo Belzium perveniunt, ab Vladislao, Duce Opolienſi, juſto præſidio militari inſeſſum. Contigit, ut Scytharum quiſpiam ictu incerto ſagittam torqueret in ipſum illud cubiculum, in quo ante S. Imaginem proſtratus orabat Vladislaus. Et ſagitta quidem illæſo ſupplice tranſijt, guttur tamen Imaginis transfixit. Vladislaus dolore animi in hæc verba prorupit: *Ecquid, Diva, tuam injuriam non vindicas?* Dixit, & continuò ſpiſſiſſima nebula arcem operit; ex qua viſi ſunt Scythis, ſtaturâ, viribus, fulgore armorum longè præſtantiſſimi prodire heröes, indéque in hoſtes irrumpere. Quo oſtento barbari in fugam effuſi ſunt: quos tamen omnes inſecutus cum ſuis Vladislaus, vel trucidavit, vel captivos domum abduxit. Non oportebat, Imaginem à tanto beneficio inter privatos latêre parietes. Itaque Opolium (quæ Metropolis Ruſſiæ eſt) quàm honorificentiſſimo comitatu anno 1382. deduxit. At verò, ubi Czeſtocoviam in Clarum Montem perventum eſt, ſtetit Imago, nullis viribus machiníſve moveri ſe paſſa. Ad hæc dormienti Vladislao clarè de cælo indicatum eſt, velle Virginem hîc ſedem figere: nec abnuit Dux. Quapropter, ut Virginis deſiderio obſequeretur, continuò extructum cum cœnobio templum, & opulento cenſu donatum Eremitis S. Pauli ex ipſa Ungaria accitis cum ſancto Theſauro tradit. Iámque Poloni, Vngari, Moravi, Boëmi, Sileſij, Saxones, Bruſſi, atque Lithuani frequentibus peregrinationibus Virginem venerati, etiam theſaurum congeſtis donarijs auxêre.

Vulnus.

Imago.

Cùm anno 1430. Huſſitica rabies, ſpoliatâ Ruſſiâ, ipſum quoque cœnobium Clari Montis prædam fecit, Imaginem ſacram

cime-

cimelijs ſuis ſpoliatam audentiores in Sileſiam conati ſunt abducere. At verò, tribus vix ſtadijs emenſis, Imago ſtetit, ut nullis funibus, nullis equis moveri ſe loco currus pateretur. Itaque, ne à præeuntibus diſiungerentur, tabulam impetu è curru deijciunt: quo caſu tres in partes diſſilijt, riſu pæne crepantibus, qui ſpectaculo intererant, quorum unus nudato enſe ſemel, iterúmque faciem Virginis ictu non vano ferit. At verò tertium intentans ictum, viribus & oculis captus, non obſcurè docuit cæteros abſtinere flagitio. Repertus tamen, qui tranſverſum vulnus cæſim inferre pararet: ſed & ipſe eadem, quâ prior, pœnâ mulctatus, omnes terruit: etenim relictâ S. Icone, aſſulatim per terram ſparsâ, cæciſque currui impoſitis ad ſuos properârunt: ubi non poſt multos dies hi duo miſerè animam ſceleſtam evomuerunt, & inſepulti computruerunt. Cæteros tanta peſtis adorta eſt, ut paſſim per campos moribundi provolverentur, atque ultima ad ſuos mandata ſocijs darent: quorum tamen pauciſſimi è tota illa cohorte domum rediêre. Vnus omnino magnâ familiâ oriundus redijt, réque tota fideliter enarratâ, auſi veniam poſtulavit.

Miraculum.

Vulnus.

Reperta à Religioſis Imago novo fonte, quem ipſa exciverat, abluta domum relata eſt. Locus, ne facti memoria periret, primùm cruce poſitâ notatus eſt, deinde columna lapidea cum inſcriptione erecta. Paulò pòſt Em. Card. Bernardus Macieiovvſcki Epiſcop. Cracov. ſacellum poſuit: Nunc templum juſtæ magnitudinis ſtat. E fonte, qui fabricæ inſertus eſt, peregrini ſalutem frequenter bibunt. Imaginem Vladiſlaus Rex magnâ artificum peritiâ reſtitui curavit, non irrito effectu, ſi vulnerum veſtigia excipias, quæ nullis pictorum coloribus obduci unquam potuêre. Nempe non Filium modò, ſed nec Matrem pudet vulnerum. Reſtituta integritati ſuæ utcunque Imago, & auro, gemmíſque tecta, ingenti pompâ ab ipſa uſque Cracovia in Clarum Montem reducta eſt: ubi in hodiernum diem miraculis celeberrima Montem, quantumvis antè Clarum, reddit clariorem. Iámque contra horum temporum hoſtes invicta ſeipſam cum Cœnobio tuetur. Certè nuper, exeunte anno 1655, decem integris hebdomadibus Czeſtocovia obſidionem Suecorum tulit, & impreſſiones tantũ non quotidie repetitas: feſto ſancti Ioannis Evangeliſtæ die, miris modis repreſſi ſunt. Plurimi, inter quos nonnulla cara Regi Sueco capita occubuêre. Reliqui, relictis campeſtribus impedimentis, fugâ ſalutem quæſiêre. Fugit nempe impius, nemine perſequente. Viſa ſupra templum fulgentiſſima in cælo Crux, aliáque voces fugientibus inſolitas expreſſêre. Auditi enim ſunt inſanis vociferationibus ingeminare: O MARIA! O MARIA! Ex ijſdem caſtris hoſtilibus miles hoc prodigioſo auxilio, quod coràm ſpectabat, commotus, ſtatuit ſe fidei Catholicæ adjungere; quod apud me Romæ fide optimâ præſtitit.

Rex.

Bellum.

R 3 R. P.

R. P. Andreas Goldokovvſki Ordin: FF: Eremit. S. Pauli, impreſſa à ſe Hiſtoria (unde hoc accepi) adjungit grandia, & valde multa miracula. Hunc librum R. P. Vrbanus Vbaldini Societatis IESU ad me miſit.

XLIX.

Imago B. V. Miraculoſa BORKOVIENSIS.

Cracoviæ in Polonia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Munda mali vigeat ſuper omnia creata.*

1. *Fulgor è cæloceleſtis.*
2. *Epiſcopi prudens diligentia.*
3. *Parochus virtuoſus & pius.*

Borck, oppidum Poſnaniâ, majoris Poloniæ Metropoli, ſi ad Orientem deflexeris, octo milliarium itinere diſſitum, plurima numerat beneficia à B. Virgine accepta, ob cultum Miraculoſæ Imaginis, quam impensè civitas unà cum vicinia colit. Quorum certitudini, nequid deeſſet, acceſſit Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Andreæ Opalinski, Epiſcopi Poſnanienſis, pia in Virginem voluntas, quâ anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono inquiri rite in miracula juſſit. Hæreſis.

Originem, & plurima ad honorem Imaginis factura invidit nobis furor hæreticus. Hoc certò conſtat, Felicem Durarium, huius loci Parochum, olim jam huic Imagini omnem cultum exhibuiſſe, corrogatáque undique pecuniâ tectum ei excitaſſe, &, præterito ſuo nomine, hæc ſolùm ad ſummum altare ſubſcripſiſſe. *Gaude MARIA Uirgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.* Cæterùm & templum fulgere cæleſti ſplendore viſum, & dæmones ab energumenis ejectos, & mortuos ad vitam reſuſcitatos memorat liber publicâ auctoritate impreſſus hoc titulo. Dæmones. *Præſidium, & Famæ Regni Poloniæ, Splendor Majoris Poloniæ, Miraculoſa DEI Mater, &c.* Anno milleſimo, ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, è quo hæc pauca accepit R. P. Vrbanus Vbaldini, Societatis IESV & ad me miſit.

L.

L.

Imago B. V. Miraculoſa CZEREANA *Czeræ in Lituania.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Purè amata, & munda è macula originis.*

1. Hoſtes viſum perdunt.
2. Imago B. V. pago compenſatur.
3. Imago immobilis.

HÆc Imago, Moſcovitico & Ruthenico more, repræſentat B. Virginem cum Filio IESV: Originem Lithuanicæ pietatis in hanc Iconem ſic accipe. Cùm anno milleſimo ſexcenteſimo vndecimo exercitus Lithuanicus ſub Moſcovia. Sigiſmundo III. latè Moſcoviam depopularetur, inter alias vrbes etiam Novogrodia magna expugnata eſt. Aliquot ſæculis antè, cùm Scythæ Ruſſiam vaſtarent, & Novogrodiam obſediſſent, re deſperatâ, Epiſcopus Græci ritûs curavit per Diaconum hanc Imaginem (jam dudum miraculis claram) afferri ad vrbis muros. Sed cùm eam loco movere Diaconus nequiviſſet, cum univerſo Clero, ſolenni pompâ, templum acceſſit ipſe Epiſcopus, eámque nullo negotio loco ſuo exemptam hoſtibus è muro vrbis objecit, non inutili pietate. Etenim ubi ad eum locum eſt ventum, per quem hoſtes jam jam ingreſſum parabant, hoſtes, conſpectâ ſacrâ Icone, & viſum perdidêre, ſplendore, ut opinor, perſtricti; & pedem retulêre, non tamen inulti. Nam factâ à civibus in perculſos eruptione, etiam victoria, ingenti obſidentium clade, reportata eſt, & B. Virgini adſcripta. Ne autem poſteris periret tanti beneficij memoria, feſtus per omnem ubique Moſcoviam inſtitutus eſt dies, in vigeſimum ſeptimum Novembris, teſte eorum Calendario, & Officio Eccleſiaſtico. Videntur præterea eadem in tabula in orbem depictæ Imagines omnino duodecim, velut totidem anathemata acceptorum beneficiorum, quin & ſuam quæque harum duodecim Imaginum adjunctam ſibi habet tabellam auream, cui Ruſſo charactere atque idiomate inſcripta collatæ gratiæ hiſtoria legitur. Ac ne lector dubitet, hanc, de qua loquimur, Czereanam Imaginem eam Imago. eſſe, per quam, ut ſuprà diximus, averſi in fugam ſunt hoſtes; ſciat, non alias his in tabellis hiſtorias legi, quàm quæ in officio Moſcorum Eccleſiaſtico leguntur.

Hæc itaque B. V. Miraculoſa Imago pluribus ſæculis in vrbe Moſcovitica, quam Novogrodiam magnam appellant, magna

in veneratione apud incolas fuit. Quomodo, quáſque ob cauſas & quando è templo magni Ducis palatio illata ſit, & throno eius decorè inſerta, non habeo dicere. Anno dein milleſimo ſexcenteſimo undecimo captâ à Sigiſmundo III. Poloniæ Rege Novogrodiâ, militi gregario in prædam ceſſit: qui throno Ducis avulſam Illuſtriſſimo Leoni Sapieha, tunc Cancellario magni Ducatûs Lithuaniæ, poſtea Palatino Vilnenſi, atque exercitûs Lithuanici ſupremo Duci, munus obtulit. Leo, tanti theſauri non imperitus æſtimator, militi pro tabella pagum integrum dono dedit, atque è paupere mox opulentum fecit. Tanti refert, hominem reperiſſe, qui vel gratiam dono, vel pretium merci ponere queat. Tum Imaginem Roranæ inter cimelia ſua quàm diligentiſſimè depoſitam aſſervavit. Interea Leoni aliquot pòſt annis Chriſtianè piéque vitâ functo ſuccedit filius Caſimirus, Lithuaniæ tunc Mareſchallus, poſtea Pro cancellarius, & demum ſupremus armorum Lithuaniæ Dux, patriæ, id eſt, Leoninæ virtutis ex aſſe hæres, quam olim in juvene non rarò admiratus ſum, atque hîc de mortuo ſine adulatione ſcribo.

Theſaurus.

Ignoravit Caſimirus, quem inter cimelia accepiſſet à patre theſaurum. Interea aulico cuipiam ipſa Deipara per ſomnium apparuit, formam graviſſimæ Matronæ, quæ tamen Deiparam non aſſimilaret, induta. Videbatur hæc ſomnianti ex archivio Roranenſi egreſſa, ſibíque hæc verba vultu inter lætum triſtémque medio dicere. Quamdiu me hoc in carcere herus veſter detinebit? Quare me loco ſuo non reſtituit? Hæc fata videri deſijt. Aulicus non vulgare ſomnium ubi Illuſtriſſimo Caſimiro expoſuit, quæſitum continuò, ecquam locus ille captivam teneret: ſed tabellâ hac Deiparæ inventâ, non obſcurè, quid ſomnium vellet, intellexit. Eapropter quamprimùm templo Zdrziecidenſi intulit: deinde non ita multò pòſt, quia Virgo loco ſuo reſtitui optabat, templo SS. Trinitatis dono dedit, quod in oppido ſuo hæreditario Czerea habent Monachi S. Baſilij, ritûs Ruthenici, ſed Eccleſiæ Romanæ juncti. Vix illata loco eſt, cùm miraculis clarere cœpit, & accurrentium pietate celebrari, in annum uſque milleſium ſexcenteſimum quinquageſimum quartum; quo, Moſcis Lithuaniam vexantibus, ſubtracta eſt, nullâ tamen miraculorum jacturâ, quæ paſſim in itinere, nec pauca, patrata eſſe ad me fideliſſimè perſcripſit R. P. Albertus Koialovviz, Rector Collegij Vilnenſis, ídque coràm mihi iterum iterúmque confirmavit, cùm ad electionem A. R. P. Generalis Romam iret. Cæterùm tota tabella unà cum adjunctis picturis & tabellis aureis, quadrantem folij chartæ ordinariæ, ut ipſe aſſeruit, non excedit.

Somnium.

Miracula.

L I.

L I.

Imago B. V. Miraculoſa QVADALAPANA.

Quadalupe in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Laus Deo in magna Matre emicavit pura.*

1. Sympathia Sanctorum.
2. Tectum ex ſubere contra pluvias.
3. Omnis ſupellex argentea.

QVadalupanam magni nominis Imaginem cum ſua origine ſcripturus ad ſæcula Maurorum irruptionibus antiquiora reſpicio, & Eſtrematuram Regni Caſtellæ Provinciam, Luſitaniæ conterminam, à cujus finibus Quadalupe viginti non ampliùs leucis diſtat. Quæ de hac Imagine, & litteris tradita ſunt, & perpetuâ plurium ſæculorum fide confirmat, nemo in dubium vocaverit.

Sympathia.

Eſt inter Divos neſcio quæ ſympathia, & actio quædam animorum *In diſtans*, non Philoſophis modò, ſed omnibus huius mundi Sapientibus prorſus incognita, & velut perpetuæ, quæ inter eos futura eſt, in cælis amicitiæ pignus. Hæc Gregorium Magni Nominis Pontificem ita Leandro Hiſpalenſium Epiſcopo junxit, ut & cor unum, & animam unam habere crederentur, nullis locorum intervallis diſtrahendam. Commeabant vltro citróque frequentes Epiſtolæ, quin etiam libri. Etenim ne Leandri voto deeſſet Gregorius, Commentarios in Job inter paroxiſmos febriles elucubravit, atque ad Amicum Leandrum Hiſpalim uſque miſit. Et ne ſine munere alio tantum munus Amico veniret, addidit Deiparæ Imaginem venerandæ Antiquitatis, & jam tum patratis miraculis percelebrem. Certè perituram fuiſſe vnà cum vectoribus navem, quæ libros vehebat, memorant, niſi Sacerdos vectores ad vnum omnes adhortatione ſuâ coram hac S. Imagine in genua proſtraviſſet, deinde etiam contra ſpem in ſpem erexiſſet pacatioris cæli, cuius Reginam in hac Imagine venerabantur.

Leander. Tempeſtas.

Imaginem à Magno Gregorio miſſam, & Leandro Hiſpalenſium Oraculo donatam, nemo fuit, qui non cũ deſiderio opperiretur. At verò ubi è nautis intellectum eſt, totius navis periculum, & repentina alieno tempore malacia, quam exorata à pereuntibus Virgo dederat, crevit in animis veneratio, & Imago ſacra cultum, quem merebatur, majorem accepit, dum Hiſpaniam Mauri inundârunt, quorum furori nonnullorum cura tantum theſaurum ſubduxit, atque in proximæ rupis

Mauri.

caverna vnà cum oſſibus S. Fulgentij, qui Leandri frater fuit, & campana quadam abſcondit, adjunctis, quæ ætatem ferrent, teſtibus litteris; quæque, ſi quem ſpecus iſte nanciſceretur inventorem, ſcire facerent, quantum, theſaurum reperiſſet. Sex omnino ſæculis latuit: quibus exactis, id eſt, quarto ab hinc ſæculo Deipara reddere Hiſpaniæ Iconem ſuam ſtatuit, &, qui hanc refoderet, præ omnibus alijs paſtor placuit. Ita non Filio tantùm, ſed & Matri ſermocinatio cum ſimplicibus eſt. Viſi non raro ſunt cæleſtes fulgores, qui carecta ſpecûs acceſſum impedientia irradiarent, non parùm mirante novello Moſe tam innocuã flammam. Dum demum ipſa Virgo inter radios non ſine horrore intuentis conſpecta hominem ſiſtit, ponere metum jubet, & Cazerranis civibus ſuis monſtrare ſpecum, quámque in eo reperturi eſſent Iconem Virginis nunciare. Quam tu mihi, inquit Virgo, ac cives tibi fidem non habebunt, faciet filiolus tuus, quem, vbi domum redieris, non ſine admiratione reperies vitâ functum, & à tuis conclamatum. Ille, inquam, tibi, illíſque fidem faciet, quando eum tibi, illíſque vivum, ſanúmque ſiſtam.

Imago.

Lux.

Filiolus.

Tardus corde ad credendum bubulcus, incredulitatis ſuæ non tardas pœnas luit: etenim paulò antè mactati bovis artubus diſſecandis intentus areſcere ſibi brachium ſenſit, & operi faciendo impar, ſic fidem doctus credere cœpit, & cum fide brachium recepit. Néve iterum puniatur, Cazerram properat, quæ viderat, quæque audiverat, contribulibus ſuis exponit. Siderati paſtoris narratio, & reſtitutum priſtino vigori brachium, & ante omnia redivivus puer non difficulter ſuaſere arma, quibus in terram jretur. Exciſo itaque confeſtim vepreto, ſaxa apparuêre, quæ non natura, ſed publicum fugiens manus poſuerat, quæque antrum quodpiam indicarent. Hæc ubi contis, vectibúſque revoluta fuêre, patuit aditus in adyta tot jam ſæculis ignorata, quia clauſa. Reperta eſt cum litteris Imago, & ponè veneranda S. Fulgentij oſſa, &, quam ſupra memoravi, campana.

Bubulcus.

Miraculum.

Campana.

Quis populi ſenſus, quámque in Deiparæ cultum prona fuerit Cazerrenſium pietas, ſacellum teſtatur, quod quamvis non aliâ ſteterit materiâ, quam ligno, & pluviæ non niſi ſpongioſo ſubere tegularum loco arcerentur; in hoc tamen poſteris exemplum memorabile relictum eſt, quòd ſtatim & iiſdem penè inſtrumentis, quibus terram foderant, modica hæc moles ſteterit citiùs penè, quàm creverit. Avita accolarum pietas propter iterata è cælo beneficia fecit, ut Rex Alphonſus vndecimus templum ſtrueret, operis venuſti, & populorum accurrentium capax, faceretque, ut poſthac ſacerdotes è cenſu viverent, quos hactenus aluerant piæ largitiones. Joannes Regum Caſtiliæ huius nominis primus patribus

Templum.

tribus S. Hieronymi locum tradidit: ſub quibus vnà cum populorum pietate adeò etiam theſauri creverunt, vt non modò peregrinis, quotquot illuc ſua trahunt vota, bene ſit; ſed etiam (quod oculatus teſtis, & fide dignus ex ipſa Hiſpania mihi perſcripſit) theſaurus templi fidem ſpectantium ſuperet.

Vaſa.

Quod vaſis argenteis, aureiſque, donarijs quoque gemmatis, & opulentæ artis, ſacerdotum, altariúmque indumentis abundat, cum pluribus fortaſſe templis Deiparæ commune habet. Id ſingulare, quod ſacer Hiſpanorum luxus argentum in omnem etiam vilem templi huius ſupellectilem ita abjecerit, ut præteralia etiam haſtile ſcoparum, &c, ipſum vas, quo aqua purgando templo hauritur, argento probato conſtet; ut Salomonis ſæcula ſi non aurea, certè argentea redire, ſaltem in memoriam, ſpectatoribus queant. Sacra ſtatua, ſi faciem ſpectes, nigra eſt, quantum Æthiops eſſe poteſt: cæterùm divinum quid ſpirat, & intuentibus inſpirat; ut vel procaciſſimus quiſque fuit, quem auri ſacra fames accire poſſit, & lachrimas, atque ex folio ſacræ Iconis intuita ad confitendum, quod deſignaverat, flagitium compellatur. Fur.

Ita ad me R. P. Chriſtophorus Fernandez de Acevedo oculatus teſtis, ex vrbe Antiquiera. Scripſit huius Imaginis hiſtoriam Michael de Taleva linguâ Hiſpanicâ. Facit quoque mentionem Felix Aſtolfi libro. 10.

L I.

Imago B. V. Miraculoſa DE REGVLA. *Legione in Hiſpania.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *En! alma Dei virgo intacta, ſummè pura.*

1. Dæmon index ſacrorum.
2. S. Auguſtinus cultor S. ſtatuæ.
3. Fures infelices.

NUllo veritatis periculo credita ſemper eſt hæc ſacra ſtatua vna ex ijs eſſe, quas Hiſpanorum pietas Maurorum furori ſubduxit, terræque tantiſper depoſiti ritu concredidit, reddendam, cùm tempeſtas hæc iconoclaſtica deferbuiſſet. Ita non multò minùs ſeptingentis annis nullo illorum ſæculorum fructu latuit in annum uſque milleſimum trecenteſimum trigeſimum, quo inventor repertus eſt, tanto theſauro dignus. Fuit is Canonicus Regularis Templi Cathedralis Legionenſis; huic enim apparens Deipara, & locum monſtravit, & ſtatuam, quam reperturus eſſet, digniore loco collocare juſſit. Amoto igitur ceſpite, non adeò magni operis fuit, ſtatuam reperi- Canonicus.

re. Non commiſit Hiſpana in Deiparam pietas, quin ſtaret ſine mora templum ad ſeculi illius morem pervenuſtum, & pro Canonicis Regularibus, qui Statuam ſacram celebrarent, non incommodum Cœnobium. Quòd tamen à Cathedrali ſua Legionenſi, quæ deſerenda non erat, locus iſte majore intervallo diſtaret, quàm ut utraque ritu, quo quæque merebatur, haberi poſſet; eam ob cauſam denique, ipſis ſponte
Statua. cedentibus, locus omnis cum S. Statua ceſſit eiuſdem D. Auguſtini Eremitis, ignaris adhuc, quantum ſuo tempore theſaurum hac in Statua habituri eſſent. Etenim Hiſpani ſic Deiparam pietate ſuâ piam eſſe in ſe fecerunt; ut hodie inter maximè prodigioſas totius Hiſpaniæ, quin dixerim, totius orbis Chriſtiani haberi poſſit.

Jam, lector, ſtatuæ huius portentoſiſſimæ originem accipe. Teſtimonium veritati perhibet inimicus veritatis & oſor Virginis
Teſtis. inter omnes primus. Teſtimonium in mici, ſi bene memini, duplex eſt; & perſecutoris, multorum opinione, etiam triplex: ita in ore duorum triumve ſtare non iniquis legibus dicitur, quod vel vno tali teſte nititur.

Anno 1630 primâ die Iulij perducta ad S. ſtatuam eſt Maria de Roca energumena, quam dæmonum legio integra jam dudum miſerâ poſſeſſione premebat. Huius tribunus ritibus Eccleſiæ, per Chriſti Servatoris merita, ſtatuæ originem edicere juſſus, denique
Dæmon. etiam exactus eſt. Aſſeruit is, olim in vrbe Tagaſtenſi D. Auguſtini juſſu ſculptam opere Africano ante mille, centum, & nonaginta quatuor annos, & ſex dies, cultam ab ipſomet Auguſtino, dum viveret, impensè. Is, inquit, ſub mortem ſuis imperavit, ut quando Arianorum Vandalicus cataclyſmus jamjam orbi Chriſtiano superventurus averti amplius nequiret, cum cæteris templi Hipponenſis cimelijs tantæ tempeſtati ſtatuam quoque ſubducerent.

Vltimam defuncti parentis voluntatem ſacroſanctam habuit Frater Cyprianus, Diaconus è clarioribus vnus, & ſanctus. Evaſit cum Theſauro in Hiſpaniam, hócque in loco incertæ fugæ terminum reperit apud ſui inſtituti religioſos, quos commodùm hic invenerat, ipſo meridie diei, quo feſtum viſitationis Deiparæ nunc celebramus. Feſtum.
Hic ipſa imago & priſtinis honoribus reſtituta, & novis aucta ſtetit, dum Mauris ſubtrahenda eſſet. Tum enim verò, loco vix curioſis ſuſpecto, à Fratre quodam Simone terræ tantiſper mandata eſt, dum Mauricus furor quieſceret. Ibi à Canonico D. Auguſtini Regulari reperta ſexaginta quatuor annis, quinque menſibus, diebus viginti, horâ vna, in eorum poteſtate manſit, uſquedum ante ducentos triginta duos annos ſuccederent Canonicis Eremitæ ejuſdem Patris diverſi Inſtituti Nepotes.

Hæc quidem à dæmone dicta ut ſint, non tamen à circumſtantibus ut audita, ita & credita ſunt. Dæmon.

Su-

Suſpecta, ut fit, initio omnia, vel in ſubornatam fraudem vel turbatæ mentis ſyncopen reijciebant, dum demum adhibitâ juris Eccleſiaſtici accuratiſſimâ formâ in examen vocata & approbata ſunt. Vnum, quod ambiguis rebus inter alia fidem fecerat, fuit; quòd Energumenæ obligatis faſciâ oculis juſſus eſt dæmon locum accedere, qui ſepultam tamdiu Imaginem cuſtodiviſſet. Ad hæc concitatiſſimo greſſu & viâ rectiſſimâ viſa eſt locum accedere Energumena, ipſoque in veſtigio conſiſtere. Quod iteratis vicibus cùm factum eſſet, non difficulter apud eos res fidem invenit, quorum examini commiſſa eſt. Energumena paucis pòſt diebus, & à febri, quâ laborabat, & ab hoſpite importuno repentè liberata eſt, & robuſtæ valetudini reſtituta: Utique poſtquam ei Deipara ſub toties memoratæ Statuæ ſchemate viſendam ſe præbuit.

Energumena.

Hanc Deiparæ thaumaturgicam iconem, præter antiquitatem, etiam locus memorabilem facit, quem ipſa elegit, eâ enim orbis parte nunc colitur, vnde in omnes quatuor orbis partes (ut quidam Hiſpani aiunt) proſpectus patet, argumento non vano, orbis totius dominam & eſſe, & haberi velle. Acceſſus nemini non facilis eſt, cùm inter Sanlucarem (olim portum Luciferi) & Rotam civitatem in Provincia Andaluſia in ipſo Oceani littore templum ſit, Monachorum Cœnobio inſigne: quod, ut dixi, D. Auguſtini Eremitæ incolunt. Et licèt Piratæ, Mauri, Turcæ, alijque non rarò exſcenſionem faciant, theſaurum, quem grandem eſſe non ignorant, direpturi; nunquam tamen in hanc uſque diem vel oſtium cænobij, nedum templi, reperire potuerunt, Angelis nimirum templo Reginæ ſuæ officium facientibus, quod olim ædibus Lothi præſtiterunt in Sodomis, concupiſcentiam oculorum cæcitate plectentes. Quin factum mihi certâ fide ſcribitur; ut nonnunquã ſideratorum inſtar, navium quoque ſuarum incurij, cænobitis cederent in prædam.

Piratæ.

Nulla ferè claſſis eſt, quæ non ſingulare aliquod beneficiũ inter maris pericula huic Divæ referat acceptum, ídque appenſo conteſtetur anathemate. Nulla navis, quæ ad conſpectum ædis ſacræ, Deiparam non ſalutet exploſis tormentis. Atque ut fuerint nonnullæ, quæ feſtivum hunc plauſum ad ſuperſtitioſos referrent honores, negligeréntque, fuêre tamen etiam, atque hæ ipſe naves, quæ ſpreti neglectique cultûs peccatum naufragio luerent. Anglo Piratæ in animo fuit tormentis omne cum cænobio templum proſternere. At verò, contrà quàm voluit, priùs ipſe, accenſo pyrio pulvere, cum navi ſua, ſuíſque omnibus utrique elemento traditus, à Regina cæli fuit diripiendus, quã primùm è machina pilã evibraret.

Claſſis.

Hanc relationem vnà cum icone ad me miſit R. P. Chriſtoph. Fernandez de Acevedo. Hiſtoriam omnem typis edidit Nicolaus à S. Mariâ: è D. Auguſtini

Eremitis, Hiſpali 1645. mentionem quoque facit Ludovicus Torellj de vit. R. P. Auguſtin. Eremit. Centuriâ. 2. nuper Italicâ linguâ editus.

L I I.

Imago B. V. Miraculoſa DE REMEDIIS.

Cordubæ in Hiſpania.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *En! Virgo nata Diva, ſemper immaculata.*

1. *Theſaurus in agro.*
2. *Statua B. V. Captiva.*
3. *Corduba Saracenis erepta.*

NOn jam ampluùs rideant nos veræ fidei hoſtes, quod Catholici Deiparam appellemus Arcam fœderis, quando ipſimet eius icones ſtatuáſque eo habent loco, modóque tractant, quo arcam Philiſtæi, pretium ex inutili theſauro facturi.

Adhuc Corduba Maurorum Imperio premebatur, & captivi Chriſtiani diræ Barbarorum ſervituti addicti libertatem ſuſpirabant; cùm uni eorum inter nocturnas preces ſuam patriæque calamitatem Deiparæ impenſiùs commendanti ipſa Virgo ſe viſendam præbet, & ſubmoto, qui hominem corripuerat, primo terrore: Erige, inquit, animum, fili, brevi efficiam, ut & Corduba caput erigat, jugúmque Maurorum excutiat. Si fidem aut verbis meis, aut oculis tuis non habes, faciam. Statuam, quam Hiſpania univerſa theſauri loco habitura eſt, præ- *Apparitio.* dium domini tui habeat. Huc ubi acceſſens, ad montes vicinos gradum flecte, & frondoſas arbores, quæ ceſpitem omnium pulcherrimum inſident, accede, terrámque fode. Statuam, quam reperturus es, theſaurum cape recuperandæ brevi Cordubæ. Ille dubius, vigilanti hæc, an dormienti acciddiſſent, ijs narrat, quos eadem fortuna ſub eodem hero vinxerat. Audita hæc pronioribus, quàm ipſe exiſtimabat, auribus animos in ſpem erexêre futuræ libertatis. Commodùm accidit, ut poſterâ ſtatim luce ab hero mitterentur in prædium ad opus. Illi præter morem ad imperium alacres currentibus, quàm euntibus propiores ad prædium perveniunt, longè aliam foſſionem facturi, quàm dominus imperâſſet. Nec magno labore, & locus, quem Virgo indicârat, inventus, & exhumata Imago venuſtiſſima apparuit. *Inventio.*

Quotquot aderant tam geminatâ lætitiâ alacriores, jam ſe vix meminere ſervos. Iámque Mau- *Inventio.*

ros præcipiebant mente ad internecionem cæſos, liberámque à ſervitute Cordubam. Sed quid, inquit unus, de ſtatuâ faciemus, quæ cauſa noſtræ lætitiæ eſt? Templum nullum, nullus, qui eam curet, aut ſacerdos, aut æditus. Ergóne iterum condenda, quæ vix eruta eſt. Dum muſſitant, dum deliberant, ad herum fama detulit inventi theſauri arcanum. Ille advolat, dúmque nil præter ſtatuam videt; ſtatuam tamen vir fundi ſuam, & captivam fecit, vtpote quæ lytrum cæteris captivis liberalius eſſet ſolutura.

Captivi. Sunt ex Hiſpania Sanctiſſimæ Trinitatis Religioſi Patres; quibus à Mercede ideo nomen eſt, quòd ex Inſtituti ſui regulis undique pecunias conquirant, quas in Africam uſque deferunt, Chriſtianis apud Turcas, ac Saracenos captivis redimendis, magno veræ charitatis argumento. Hi S. Statuā apud Saracenū captivam licitantur, móxq; porrecto pretio, quod barbarus indicaverat, redimunt atq; in libertatē aſſerunt, quā ipſi quoq; vnà cum tota Corduba ſummâ fiduciâ à Virgine expectabant. Et verò etiam non multò pòſt Rex Ferdinandus, quem Hiſpani Sanctum vocant, ſub Annum 1236. eiectis Mauris, Cordubam ſuam fecit. Intellectâ deinde S. Statuæ admirandâ inventione, dictæ Religionis Patribus fundum cum cenſu attribuit, qui in templum, & domum Religioſam ſuffecit. Inventio. Statua ipſa novis ſemper honoribus culta, denique Majeſtatem, quam hodie videmus, propter ingentia miracula conſecuta eſt. Frater Robertus Gaguinus Ordinis de Mercede Generalis libro, quem anno 1486. edidit, de ſeipſo refert, cum ab Africana tertia profectione, pro captivorum liberatione obeunda, graviſſimâ febri diſtineretur, ſéque Deiparæ de Regula commendaret, viſam ſibi Deiparam juſſiſſe, confeſtim è lecto ſurgeret, atque itineri ſe accingeret Africam verſus, unde ſanus ſalvúſque, peractâ feliciter redemptione, eſſet rediturus.

Ita P. Franciſcus Bernardini à S. Antonio in Epitome Redemptionis. Ectypon S. ſtatuæ vnà cum hac narratione miſit ad me R. P. Chriſt. Fernandez de Acevedo.

LIV.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE LÆTITIA.

Lauduni in Gallia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Regia Nata evadens luctum amari pomi.*

r. La-

1. Labor Angelorum.
2. Carcer barbarus, ſed felix.
3. Translatio mirabilis.

MAgna ſemper virtus, famáque fuit Regum Hieroſolymæ: quos brevi ſerie poſt ſe Magnus Bullionius reliquit. Hos inter Fulco Andegavenſis Balduinum ſecundum ſecutus eſt. Fuit is Heroum non poſtremus, & quem artis militaris ingens opinio per omnem Europam celebrem fecit. Traxit tanta Virtutis fama multos è Picardis, multos è Gallis in ſpem retinendæ adverſus Saracenos Hieroſolymæ. Quos inter fuêre tres pari virtute, quin & eodem ſanguine nati prænobiles adoleſcentes.

Fratres

Hi, relictâ cum gentilitia domo inter lacrimas Matre, ad ſanctiora converſi conſilia, cum D. Ioannis militari cætu, (cujus & ipſi pars non minima erat) laborantem ſub Saraceno Hieroſolymam defenſuri, & vitam, quando ſic opus erat, pro Christo inter fortia facta daturi. Intereſt, Heroum nomina poſteritatem non ignorare. Primus itaque & maximus Natu, de Heppe; alter, de Marchaia, à gentilitijs bonis nomen traxêre, agri hodiernum in diem plus à dominorum virtute, quàm à fertilitate ſua celebres. Tertij fratris nomen, quia ad me perſcriptum non eſt, non habeo dicere. Multa, ut fit, conſerta cum Saracenis prælia vltro citróque dedêre victoriam. Infelix illud fuit, quod ternarium hunc Heroum traxit in inſidias, & captos fratres in vincula compegit, ipsa in Cairo vrbium hodie maxima.

Captivi.

Sultanus Iunenum primò nobilem indolem, quæ utique tegi etiam ſqualore non potuit, deinde etiam militarem virtutem miratus eſt; &, tales cùm eſſent, ſuos eſſe optavit, & ſibi in perfidia Machometi fide non diſpares. Tentavit hoc non minoribus promiſſis, quàm minis; Sed illi minis, &, quod ampliùs eſt, promiſſis fortiores, Christo, quam in Baptiſmo dederant fidem, tenuêre illibatam. Ille contrà ad pejora verſus conſilia, ipſam filiam ſuam Iſmeriam in vſitatæ illis terris formæ puellam, iuvenum amori proſtituit: credidit barbarus maleſuadâ puellæ formâ molliri animos poſſe, & ſibi conciliari, ignarus Christiani roboris. Et verò virtus forteunius hoc in aſſultu defeciſſet: virtus tamen trium, & quidem conjuncta duravit; & quia Nobilis in ignobilem, & barbaram incidit, etiam fortior fuit. Illa de puellari venuſtate multa, quam penè ſolam habere in votis juſſit Mahometus. At hi contrà de Deiparæ Virginis pulchritudine ſumma, ingenti potentia, nec minore in ſupplices pietate plura inferebant: dum demum illa fidei myſterijs imbuta, fidelior Adoleſcentibus evaſit, quàm Patri: Christo, quàm Mahometo. Ante omnia tamen viſendæ Deiparæ deſiderio flagrabat Iſmeria. Illi Mahometis impij ſceleſtam fidem obſtare cauſati ſunt.

Tentatio

Colloquum.

At verò cum Iſmeria jam ſe voto Chriſtianam aſſereret, & effigiem ſaltem tantæ Divæ efflictim

ctim poſtularet; maximus natu ſcalprum popoſcit & malleum, ſtatuámque Deiparæ ſe facturum ſpopondit; ſi truncum quoque operi aptum eſſet allatura. Cæteri imperito artifici non ſine jurgio obiecêre temeritatem affectatæ artis, quam nunquam didiciſſet. Ille Deiparæ præſentem opem præſagiens, bono animo eſſe juſſit fratres. Interea Deipara ſuorum in ſe fiduciâ invitata nocte concubiâ viſendam ſe juvenibus inter cœleſtes fulgores præbet; & laudatâ eorum conſtantiâ, probatâque fide, ſtatuam, quam geniorum cæleſtium quiſpiam è ligno ſculpſerat, tradit, quâ Iſmeriæ deſiderio fieret ſatis. Redux primo diluculo in carcerem Iſmeria, viſâ virginis ſtatuâ, longè majoribus ſe delibutam gaudijs ſenſit, quàm vel ipſe lector cogitatione poſſit aſſequi; utique poſtquam ipſa cæli Regina, illuſtrato puellæ cœleſtibus radijs corde, è barbara humanam, ex humana penè cæleſtem effecit.

Artifex.

Statua.

Iſmeria omnem ingrati animi labem exoſa, gaudiorum ſuorum auctores libertate remunerari, quin ipſa quoque cum ijs fugam inire ſtatuit. Deluſo inanibus votis Parente, cimelia colligit in fugæ ſubſidium, & nocte concubiâ vnà cum captivis vrbe ſe proripit, deſertura Ægyptum. Ventum primò eſt ad fluvium, & commodùm ſe nauta cum cymba offert, exceptóſque in adverſam ripam exponit. Angelum fuiſſe abeundi modus prodidit: nam repentè evanuit. Illi aliquantùm vltrà progeſſi ad caverna quampiam divertêre, refecturi ſomno vires. Poſtquam evigilârunt, ad vrbem primùm reſpexerunt, & fluvium, num quiſpiam fugitivos inſequeretur. At verò ubi nec fluvium viderunt, nec, quam paulò antè deſeruerant Urbem, omnem latè regionem circumſpexerunt.

Apparitio.

Primus, qui ſe admirantibus obtulit, paſtor fuit, qui ſolitudinem ſuam gràcili avena ſolabatur. Eum fratrum vnus Arabicè allacutus cùm Gallicè reſpondentem audiſſet, Gallicè quoque ipſe rogat, quibus demum in oris verſentur. Ille Marchiam gentilitiam arcem, & monti impoſitum Laudunum oſtendit. Tanta, his auditis, omnes lætitia cæpit, ut ipſi ſtatuæ de Lætitia nomen dederint. Itaque domum delati ad Baptiſma primùm Iſmeriam admoverunt: deinde in loco ſacræ ſtatuæ ſacellum ſtruxerunt, quod hodie grandi templo auctum omnem vicinam Galliam trahit multitudine miraculorum. Ita ut hodie vix minorem famam habeat apud Gallos Laudunum, quàm apud Italos Lauretum.

Miraculum.

Scripſit Bandinus Cancell. Ord. S. Ioan. Ieroſ. ante annos 200. Item Broſius eiuſd. Ordinis Procurator, è quibus deſumpſit R. P. Ioan. Cordier S. I. Provincialis Campaniæ, & ad me miſit.

***

L V.

Imago B. V. Miraculoſa DE RVPE AMATORIS.

In rupe Amatoris in Gallia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *Alma Dei Virgo ante caſum præmunita.*

1. Orlandi nobilis gladius.
2. Campana ſine fune.
3. Salus periclitantium.

Fama. VTi fama veritatem, ita tempus voces, & rerum nomina corrumpere ſolet. Roquenaor Guaſconiæ vrbs, ob virginis miraculoſam ſtatuam apud Gallos celeberrima, à ſanctis Amoribus nomen habet, quibus in rupe vicina erga Deiparam flagrabat S. Amator Eremita. Vixiſſe creditur temporibus Apoſtolorum; & ſtatuam coluiſſe, vel, ut nonnulli exiſtimant, ſuis manibus ſculpſiſſe è ligno. Quæ viri vita fuerit, non niſi obſcure conſtat; nondum enim Gallia calamum habuit tantis rebus notandis parem, utique gentilitijs adhuc Druidarum ſacris excæcata. Itaque de obſcura origine nihil amplius habeo, quod dicam. Miracula. Miracula ibi feciſſe virginem, nemini probatum eſſe poteſt; quando apud loci incolas ſanctum, & adhuc integrum (neſcio tamen, an incorruptum) corpus in hæc vſque tempora ſuos honores habet. Felix Aſtolfi, l. 6. diſcipulum Chriſti fuiſſe affirmat. Temporibus Caroli Magni locum fuiſſe celebrem inde conſtat, quòd illuc delata ſit famoſiſſimi Orlandi celebratiſſima machæra, & Deiparæ ad aram ſuſpenſa, quæ tot ſcriptoribus argumentum dedit. Nec dubito, fuiſſe jam olim, qui miracula ibidem à virgine facta deſcripſerit: ſed tempus & bellorum incommoda poſteritati hæc inviderunt. Antiquiſſima, quæ hodie ſciuntur, annum millesimum cente. quadrageſ. contigêre: quæ Cadurcenſis Guaſconiæ vrbis incolæ ſua eſſe dicunt, quia ſuo bono patrata. Vnum eſt, in quo hoc Deiparæ ſtatua pleraſque, ni fallor, ſi non omnes ſuperat.

2. Supra templi portam, neſcio quis majorem campanam, non Campana. admodum grandem, novo ritu, ſuſpendit; nam funem non addidit. Itaque velut invtile tecti pondus non ſine admiratione eam peregrini intuentur: quorum pauci ſunt, qui negligentiam æditui non incuſent, rogéntque incuriæ cauſam. Gaudent incolæ hos queſtus audire, & certatim Deiparæ ſingularem favorem laudibus extollunt. Sit, inquiunt, in proximo mari homo Catholicus, cui aquæ mortem minentur: is, ſi Deiparam nôſtram rite invocaverit, templúmque ſe promiſerit aditurum, hæc campana nobis omnibus inſpicien-

ſpicientibus, non perfunctoriè, diuinâ virtute, pulſatur, nemine vno vel fraudis veſtigium deprehendente, quam nonnunquam peregrini, qui hoc à nobis audiunt, ſubverentur; tunc proximi quique ad Statuam cum ijs, qui tum templo præſunt, concurrimus, & preces fundimus pro eo, quem nondum intuemur, propediem tamen defunctum periculo viſuri. Adſunt quoque, qui & diem, & diei horam libro ad id à maioribus facto inſcribunt, quem adventantibus è mari peregrinis, priuſquàm ipſi pericula ſua enarrent, admoto digito oſtendimus, & in admirationem rapimus, indicato tempore, quo cum mari & Superis luctati ſunt. Nos interea ſtupentes ſine admiratione intuemur, quia novitatem miraculo detraxit frequentia. Atque hi fauores ſunt, quibus Deipara Guaſcones ſuos proſequitur.

Rem totam ad me miſit R. P. Ioan. Galliard, Rect. Caturcenſis. De hac Statua ſcripsêre Hugo Farſitus, Ferreolus Locrius, Felix Aſtolphi, ultimò R. P. Odo Giſſon. Soc. IESV.

L V I.

Imago B. V. Miraculoſa DE BENEDICTA VALLE.

In Benedicta valle in Lotharingia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *En! virgo pariet Deum ſana, immaculata.*

1. *Fons miraculoſe ſalubris.*
2. *Corona Ducalis & Regia.*
3. *Concurſus populi.*

Benedicta Vallis in diæceſi Virdunenſi, denſo, & opaco nemore collibúſque quatuor amæniſſimè cincta. Hanc vallem quinque abhinc ſæculis Albero Virdunenſis Antiſtes S. Præmonſtratenſium Ordini dono dedit, quem ipſe quoque ingreſſus eſt. Eſt in Valle ædicula ſacra, perelegans, lapideo fornice concamerata, aris omnino quatuor inſtructa, Deiparæ Sacra, cuius curam tres, quatuórve Religioſi habent. Vallis.

Statuæ, quæ in ara principe tot prodigijs inclyta ad limpidiſſimi fontis ſcaturiginem accurrentium pietati proſtat, originem non accepi, neque, ut credo, ſcitur, vnde fonticulo tanta in morbos vis: ſiquidem ſive pota, ſive parti affectæ affuſa ſanitatem præſtat pleriſque; niſi à vicina Deiparæ ſtatua, quæ dodrantem ſupra duos pedes altitudine non excedit, vis illa fluat. Loculamento lapideo clauditur: lævo brachio Filiolum ſuſtinens, dextro malum aureum eidem oſtentans, ac faciem leuiter inclinans, corpúſque in ſiniſtram partem aliquantùm reijciens. Coronâ ducali Deiparæ caput Fons.

put ornavit neſcio quis Lotharingiæ Ducum, qui puero IESV regiam quoque impoſuit.

Statua. Indubitatâ fide conſtat, hanc ſtatuam jam ducentis abhinc annis votivis ſupplicationibus, & miraculorum famâ floruiſſe: quâ motus Renatus II. Siciliæ Rex, idémque Dux Lotharingiæ, locum ſupplicabundus adijt, vt Lotharingiam ſuam, tum Caroli Audacis irruptione bellicâ vexatam, in eius ſinu patrocinióque deponeret. Renati filius Ioannes, qui Cardinalitiam dignitatem in Sereniſſimam Lotharingiæ Domum primus invexit, ac tum Metenſis, &, ut ea

Statua. ferebant tempora, plurium Eccleſiarum Antiſtes, huic S. ſtatuæ addictiſſimus, tantis eam donarijs ornavit; vt in hæc vſque tempora eius Inſignia in tribus diverſis ædiculæ huius locis permanſerint. Atque vt de Caroli Audacis temporibus, quibus vtique plures ad auxilia hic quærenda adacti ſunt, taceamus, ſuperiore ſæculo exeunte, pacem, quam poſt bellum ſacræ, vt vocant, confœderationis Lotharingia obtinuit, votis eidem Virgini nuncupatis, plerique acceptam retulerunt.

At verò, ſi vnquam, nuper ſanè ſacræ Imagini exitium penè imminuit, quando Mars Balticus per omnes Imperij Romani provincias graſſabatur. Itaque cùm Lotharingiam quoque, more ſuo, cædibus, & incendijs deformaret, Barbara Eunecurtia Caſtro ſuo Neovillano non indecenti pompâ ſacerdotum, Nobilium humeris intulit, ac Martio turbini tantiſper ſubduxit. Neque tamen interea ruſticæ plebi ſua in ſtatuam pietas deperijt. Abſentem licèt, eo, quo ſteterat, loco honoribus, votis, donarijs ornaverunt, atque ad reditum invitârunt, quem ipſa virgo non diu admodùm diſtulit, ſiquidem, poſtquam Baltici maris Martiales & plus quàm decumani fluctû Lotharingiam incu ſu ſuo liqram rel quere, vixdum plenâ uiete terris poſtliminio redditâ, S. ſtatua quamprimùm, numeroſiſſimâ ſupplicatione comitante, candidis quadrigis ad templum ſecum è Caſtro revecta eſt. Incredibile dictu eſt, quantùm in animis incolarum, accolarúmq; pietas incrementum acceperit; quàm multæ ſupplicationes; quantâ pompâ, & apparatu; quanto ſtudio, ſenſúque pietatis, Metis, Nanceio, Virduno, Barraducis, Tullo, aliíſque ex vrbibus ſint ductæ: ſatis fuerit dicere, nullam abire hebdomadem, quâ non eadem in æde ſeptuaginta, & ampliùs ſacra votiva peragantur. Miracula rara, & magna, magno numero, ritè ad examen vocata, publicâ Auctoritate typis vulgata ſunt anno *1644.* Ruſtici.

Ectypon Imaginis huius vnà cum relatione miſit ad me R. P. Thomas le Blanc. R. Collegij Muſſipontani.

***

L V I I.

LVII.

Imago B. V. Miraculoſa LIBERATRIX. *Salinis in Burgundia.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Nivea Mater Ieſu culpam ignorat Adam.*

1. Bellum iniquum.
2. Pericula fœminarum.
3. Vrbs miraculoſè liberata.

INfauſtum præ alijs regionibus hoc ſæculum Burgundiæ Comitatui fuit, quam Martialis calamitas tantum non buſtum fecit.

Bellum. Peſtis intus, foris hoſtis, fames vbique certatim ſuas agebant ſtrages. Pudori violentia inſolens, Religioni hæreticus furor Turcico non mitior Tyrannicas dabant leges. Inſuperabilis opprimebat calamitas præ alijs vrbem Salinenſem: quæ hodie cæteris documento eſt, quanto afflictarum vrbium bono Deiparæ templa ſtruantur.

Virum vrbs habuit Ordinis Ciſtercienſis ſacerdotem Petrum Marmet, in quo nulla virtus, quæ religioſum ornare poſſit, deſiderabatur. Cana ſenectus, & penè decrepita, etiam plebi eum commendabat. Is miſertus patriæ in preces frequenter ſe dedit coram Deipara, cui vnicè ſerviebat, non

Obſidio. ſine lacrimis proſtratus. Demum apertè Salinenſibus, & publicè denunciat, ſi à bellis eſſe liberi velint, Mariæ Liberatrici templum Struant, ære communi, ſenſuros indubitatam, & certam opem. Multùm profuit vrbi Salinenſi, adhibitam eſſe viro fidem; & momentum fidei attulit ingens omniū opinio vatidici ſpiritus in homine, nemini niſi ſibi vili, quíque nihil vnquam cum tanta aſſeveratione affirmâſſet. Decretum itaque de publico templum, & collecti viritim nummuli in fundamenta abiecti.

Ita inopia fabricam aliquantulùm tardabat; dum iterum iterùmque viri adhortationibus ad proſequendum opus excitati Salinenſes templum non magnum vltra fundamenta eduxerunt, ipſo Petro, & architecti, & tantùm non murarij officium faciente. Interim obſeſſa ab hoſte vicino vrbs in prædam non jam deſtinatur, ſed poſcitur. Nulla tunc vrbi contra tam potentem vicinum ſubſidia ſperari poterant, nullo tum amico milite tota in Burgundia viſo. Jam prædam hoſtis poſtridie dividendam deſignabat, non ſine jactura pudoris, quem ſexus debilior perditum ibat: cùm ecce! novennis puella ſub veſperam jamjam morti proxima repentè circumſtantes his verbis alloquitur: Ecce Beata Virgo hoſtes fugat! Quo dicto Maria (nam hoc Templum.

puellæ nomen erat) animulam innocentem Conditori ſuo tradidit.

Eodem tempore longè aliâ vrbis parte ab oratione digreſſus Petrus tantorum promiſſorum reus, obvios quoſque per vrbem ſic alloquitur: Macti! Cives Chariſſimi, Diva Virgo Liberatrix noſtra hoſtes in fugam agit. Sol jam occiderat, cùm hæc dicerentur. Nocte ipsâ exercitus omnis cum ducibus, & impedimentis diſceſſit, nemine licèt inſiſtente, panico terrore perculſus miles turbare ordines, tumultuari, pavere, fugere. Rem dies aperuit, quando & effuſi ſanguinis notæ, & abjecta paſſim arma viſa ſunt: quin & impedimentorum non exigua pars civibus in prædam ceſſit. Quis panicum hunc terrorem incuſſerit hoſtibus, Salinenſes non quæſivero; vt qui ſcirent, quàm nihil hoſtibus metuendum in urbe haberent, præter Deiparam Liberatricem, in qua nemo non jam dudum ſpes ſuas collocatas habebat.

Propheta

Terror.

Res hæc fabricæ præpoſitis alas addidit. Itaque non multò pòſt ſterit, ſtátque, frequentiâ populi Salinenſis, & vicinorum accurſu celeberrima Eccleſia. In altari Patris Petri juſſu ſtat Virgo ſcuto militari glorioſa, & renidens. Sub ſcuto arma hoſtilia jacent. Ipſa inermis eſt, niſi quòd dextrâ ſceptrum, ſiniſtrâ filium teneat, & ſcuto Burgundico, non tam ſui, quàm ſuorum tutelâ pectus tegat.

Virum ipſe ego, qui hæc ſcribo, novi familiariter Veſontione in Burgundia; & hominis jam pridem defuncti virtutem ſine adulatione prædico.

LVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE M. REGALI.

In M. regali in Sabaudia.

Prog: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Virgo eſt ac præmunita in Adæ malum.*

1. *Injuria S. Statuæ illata.*
2. *Miracula vera & probata.*
3. *Dæmon facit officium ſuum.*

MOns Regalis civitas Pedemontij eſt. Hæc vicum habet, cui omnia fora invideant, & tamen vicum appellant. Celebritatem loco dedit non fictam unus de plebe figulus, non ſubtilium operum artifex; tegulas contentus fingere, & imbrices; & laudâſſet ſanè fortunam, ſi vel hi è flammis prodijſſent, quales optaverat. Filiæ debet & artis ſuæ, & lucri augmentum, quæ ſuaſit patri columnam è laterculo erigere, in qua poſitam Deiparæ effigiem viatores colerent. Probavit

Filia.

bavit pater filiæ non improbum conſilium; & labore non magno, ſumptu penè nullo (ſi picturam excipias) ſuis ipſe manibus opus confectum dedit, primus omnium Virginis in columna cultor. Reperit hæc figuli non ficta virtus imitatores. Turmatim concurſum eſt, ſed quia vel miracula nulla facta ſunt, vel pauca, nec admodùm grandia, deferuit primus hic populi paulatim impetus, maximè quia via plus, quàm incommoda pleroſque avertebat.

Anno 1594. neſcio quo initium dante, revixit in Iconem ſacram pietas, accurrens, apportánſque munera populus reportavit beneficia: quæ præter omnes naturæ vires cùm eſſent, meritò pro miraculis habebantur. Itaque plura, & majora expectans à virgine civitas, Imaginem ſupplicatione, quàm potuit, celeberrimâ, in vrbem deduxit, eíque etiam templum à fundamentis erexit. Ita merebatur. Cæterùm vulnera, quorum videntur veſtigia, parva ſunt, nec ab inimica, ſed incauta manu inflicta, quâ homo venator aves inſectans, ſclopum exoneravit, vnde nonnulli è plumbo globuli in virginis vultum delati reliquerunt hæc veſtigia; nec vllum inde invito reo ſupplicium cælitus datum intellexi. Miracula ad hanc Virginis venuſtiſſimam Imaginem magna, & magno numero celebrantur: quæ non parùm nocuêre Tigurino cuidam in Helvetia, neſcio cujus malæ fidei Præconi, quod ex fide Ioannis Baptiſtæ Alberti recenſeo, qui quia vir gravis, pius, & doctus fuit, non meretur, ut lector credat, falſa eum pro veris ſcripſiſſe. Is conſcenſo pulpito, ex quo nunquam ampliùs deſcenſurus eſſet, jam dudum inde exulantem veritatem vexare ulteriùs inſtitit: deinde in Deiparam hæreticâ garrulitate, & maledicentiâ invectus eſt; demum ad huius S. Imaginis miracula devenit, quæ omnia falſa eſſe, & pura puta mendacia diſertè affirmavit.

Tulit virgo cum filio contumeliam, & ſententiam diſtulit, dum ipſe eam reus ſponte pronunciaret. Ita cùm inter eloquentiæ ſudores non ſine clamore injurias cumularet contumelijs; ad confirmationem oratio devenit, quâ oſtendere contendebat miraculorum, quæ ad hanc Deiparæ Imaginem celebrabantur, falſitatem, argumento in rem ſuam nimis quàm incommodo vſus. Si vos, inquit, fallo, ſique, quæ falſa eſſe dixi ad hanc Imaginem miracula, vera ſunt; ipſum ego te dæmonem provoco ad officium, rogóque ac impero, ut me vivum hinc è pulpito ad orcum rapias. Vix finierat infelicis eloquentiæ Rabula; cùm ingentem adſtantium, & ab eius ore pendentium expectationem nec fefellit, nec diſtulit ſtygius Alaſtor; qui hominem è pulpito repentè omnium conſpectui ſubductum ad orcum, quem optabat, rapuit. Certè nunquam, vel uſpiam ab ullo virorum ampliùs conſpectus eſt; & ipſe repentinus fætor, qui templum

plum implevit, & quoquot aderant, plenos horroris fugavit.

Hæc quidem, ô lector, in urbe Tigurina nec leges, nec intelligas: abſcondunt probrum ſuum, & prodere metuunt; quanquam fortaſsis aliqui eorum non ignorent. Ne rei veritas olim oblivione periret, fecit Sabaudiæ Dux: cui hac ſuper re interrogati Cantonum Catholicorum in Helvetia Magriſtratus, authenticis hæc litteris teſtati ſunt, ut refert in hiſtoria hujus S. Imaginis Philippus de S. Ioanne Baptiſtâ, hujus loci Abbas, & ex eo Ioannes Baptiſta Alberti in libro, quem ſcripſit de quibuſdam Imaginibus Deiparæ per Italiam miraculoſis; vnde ego hæc accepi, ad quos remitto lectorem.

***

L I X.

Imago B. V. Miraculoſa DE GRATIA.

Cameraci in Germania I.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Iſta virgo almè pura ac mundè animata.*

1. *Supplicatio ſolemnis.*
2. *Vrbs obſidione liberata.*
3. *Augmentum inſigne pietatis.*

PErcelebrem habet Imaginem Deiparæ urbs Cameracenſis, quam nonnulli à D. Luca pictam piè credunt. Ea ſub annum *1440.* maximâ pompâ collocata eſt in ſacello perelegantí SS. Trinitati dedicato. Vnde autem huc illata ſit, non habeo dicere. Noſtrâ ætate Aſſumptæ Virginis feſto die Concurſus. maximus fit concurſus; ſed nuſquam facilè videris peregrinationem illi parem, quam ab hinc paucis annis Belgij urbes nonnullæ inſtituerunt: ex qua vna, quanta ſit in hanc Deiparæ Iconem Belgij pietas, videre eſt.

Anno à partu virginis *1649.* obſeſſum ab hoſte Cameracum eſt, majore quàm vnquam periculo. Itaque S. Imago publicæ venerationi expoſita varios ſupplicantium cætus admiſit; quin ipſa quoque per urbis vicos circumlata non parvam civibus ſpem liberandæ urbis injecit, ſiquidem IV. Nonas Iunij, ipsâ nocte Virginis viſitatæ, hoſtem tam duræ obſidionis faſtidium cæpit, vrbemque, deducto exercitu, omni periculo, metúque liberavit. Hinc dici non poteſt, quantum Pietas. pia illa Belgarum ſtudia incrementum acceperint in hanc Iconem Deiparæ de Gratia. Tanta ſiquidem extitêre pro accepto hoc beneficio grati animi argumenta, vt die vnica ex ſola urbe Ducenſi ſeptem omnino hominum millia ſupplicatione vnicâ ſeptem leucarum itinere illuc proceſſerint. Qui pompam ſunt comitati,

aſſe-

aſſeruêre, nihil ſe in omni vita ſpectâſſe ad pietatem conciliandam aptius, nihil ad honorem Deiparæ magnificentius.

Neque breviorem viam confecêre Valencenates, quorum tria, Proceſſio &ampliùs millia eâdem die ſupplicantium ordinibus ad pietatem optimè compoſitis Cameracum delata donis locum honoravere. Ex eo tempore cultus, quamquam antè maximus, ita auctus eſt, vt hodie inter primas Belgij icones numeretur. Deiparæ Imaginem veſtis Græca ambit; & creditur à multis limbus veſtis litteras habere inſcriptas. Sed hac ſuper re à me conſultus P. Athanaſius Kircher omnium penè linguarum, quæ hodie ſcribuntur, peritus, negat characterum illud genus revocari poſſe ad aliquem gentis vllius ſermonem; aitque non inſolitum Græcis pictoribus veſtium limbos punctis & lineis ornare, quas deinde imperiti pro incognitarum linguarum litteris habuêre.

Imaginem vnà cum relatione ad me miſit R. P. Ioannes Baptiſta Florboque.

L X.

Imago B. V. Miraculoſa. AVIOTANA. *Avioti in Germania I.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Tanta virgo merè immunis à culpa Adæ.*

1. Signum accepti beneficij.
2. Statua ſplendidè ornata.
3. Summa S. Statuæ cura.

NOmen huic Thaumaturgicæ Imagini impoſitum eſt à loco, in quo colitur: eſt enim Aviot vicus in Ducatu Luxenburgenſi diſtans ab oppido Montis medio ſeſquileucâ horariâ.

Statua virginis è ligno eſt cum puero IESV. Origo eius, & primus auctor ignoratur: antiquitatem tamen præſefert non vulgarem. Trecentis ab hinc annis jam cultam eſſe vix dubium eſt. Pietatem accolarum, & profuſas opes Templum loquitur, non minùs arte, quàm figurâ magnum, & antiquum. Vnde vel incredulus Apella colligere poterat, prævenisse beneficijs Virginem tam ſumptuosè ſibi gratos; ſi quidem ita ferme inter homines comparatum eſt, vt nec in Cælites quidem officioſi ſint, niſi quos priùs in ſe beneficos experiuntur.

Ornatur ipſa Statua auro, & Veſtis. gemmis, & populorum ſupplicantium affluxu penè continuo. Honores debitos hactenus accepit, habuitque jam ab antiquo in urbe Montiſmedio altare ſibi de-

dicatum, in quod belli tempore militum licentiæ ſubducta eſt; vtique etiam hoc anno, quo hæc ſcribo, miraculis locus hic ſemper claruit: ſed quia nullum ad me perſcriptum eſt, quod vel perſonæ dignitate, vel eventûs rari admirabilitate ſit eximium, Lectorem vltra morari viſum non eſt.

De hac S. Statua ſcripſit ad me R.P. Ioannes de Viron R. Collegij Luxenburgenſis.

LXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

FOIENSIS.

Foiæ in Germania. I.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Deiparæ magna venit; morſu mali vacet.*

1. Dives arboris medulla.
2. Antiqua Germanorum pietas.
3. Ancilla pia & felix.

CUr hæc ſacra ſtatua Fojenſis appelletur, velut quæſtionem de nomine, illis relinquimus, quibus oſſa præ pulpa ſunt, nomina præ rebus. A fide Gallica lingua derivat. Ætatem Statuæ pronius eſt inquirere. Anno ſæculi
Quercus. noſtri Nono querceti cuiuſpiam pats ad urbem Dionatenſem navibus fabricandis deſignata hanc arborem tulit, ignaris Belgis, quantorum fructuum ferax eſſet. Fuit, inquam, omnes inter procerior vna, octo pedes craſſa. Hanc in tabulas, & tigna navalis architectus deſtinatam exſcindi radicitus præcepit. Eſt ſua quoque, ſi neſcis, plantis ſanitas, quà viles animæ brevem aut longam, felicem aut infelicem vitam vivunt. Proſtrata ſuo pondere moles lignarijs medicis vitium, quo laborabat, diu abſcondere nequivit; ſiquidem caries intimis in viſceribus deprehenſa eſt, malum inſanabile vtique, poſtquam ipſam arboris animam, quam alio nomine medullam vocamus, arripuit, non levi contagij argumentò: vnde huic in eadem navi juncta tigna vel ſolo contactu livorem ducerent.

Itaque tentata ferro curatio eſt: ſed ſuperabat ferrum fæda tabes; quapropter ad ignem proceſſum eſt. Quia verò nec ab igne ullius curationis ſpes affulſit, judicata eſt hæc arbor immedicabilis, & igni addicenda. Iamque aſſulatim in fruſta diſcerpebatur; cùm media ferè in arbore prope medullam inventa eſt, de qua loquor, Deiparæ ſtatua, tribus o- Statua.
mnino ferreis clathris munita. De hoc miro, ne diu hæreas, Lector, ſcito, jam à pluribus ſæculis non inſuetum fuiſſe Chriſtianis, Deiparæ Imagines arboribus aliquâ induſtriâ munire, tranſeuntibus cum veneratione profuturas. Hæ muſco primùm abſcondi, deinde

tenui

tenui cortice obduci cæptæ; demum intra ipſam omnino arborem lapſu temporis ſic receptæ ſunt; vt nec veſtigium ſui foris relinquerent. Hæc, de qua nunc ſermo eſt, penè media in arbore latuit, quam octo pedum menſura vix ambiret. Quis verò eam quercui inſeruerit, quia nomen ipſe ſuum non adſcripſit, nobis vetitum eſt vlteriùs inquirere.

Antiquitas. Eruta cum clathris venuſtiſſima Imago ancillæ cuipiam ceſſit, quæ abſterſo ſqualore domum tulit hero ſuo Baroni de Celles, non ſine admiratione viſendam. Quâ domi reverentiâ ſit habita, non conſtat: certum tamen eſt, theſauri loco fuiſſe. Eapropter non ita multò pòſt aliam excavari decenter jubet quercum dictus Baro: huic ſtatuam inſeri, & tribus denuo ferreis clathris, ſed novis muniri. Raptor. Statuam publico pretioſam fuiſſe, inſidiæ pij raptoris certum fecêre, qui duorum jam clathrorum potitus, ne tertium quoque eſtringeret, ſupervenientium credo importunitas fecit. Itaque ne publicum ex ablata ſtatua detrimentum caperet, à loci domino, D. de Euhez maturè proviſum eſt. Is ſtatuam ſacram arci ſuæ intulit, & in ſacello decenter repoſuit in annum vſque nonum, hoc eſt, huius ſæculi decimum octavum. Miracula. Non ita tamen latuit, quin patrata paſſim miracula paſſim evulgarentur. Momentum quoque venerationi addidêre lapilli circa quercum reperti, alij aliter ad gemmarum modum colorati: quos medica virtus præter naturam portentoſa gratiores fecit.

Quæ virtus quia à MARIÆ Statua tot ſæculis illic conſervata fluxiſſe credita eſt, Statuam quoque iterum publico deberi cenſuerunt prudentiores. Unde ſacello in vicem arboris exſtructo Statua 25. Novemb. magnâ ſupplicantium pompâ illata eſt. Proceſſio. Hic enim verò Virginem inter & Belgas certatum ſtrenuè eſt. Virgine accurrentium populorum pietatem ſummam non minoribus miraculis remunerante, præſentium juxtà, ac abſentium, quibus lapilli vel collo appenſi, vel poculis injecti, jam victis medicorum artibus, ſaluti ſunt. Mira varij teſtabantur Europæ populi, quibus Ectypon S. Statuæ illa è queru ſculptum obtigit. Publicè in templis exponuntur paſſim hæ Statuæ, Foyenſium titulo, & quandoque cum Foyenſi ipſa patrandis miraculis certant.

Hac de re litteras accepi à R. P. Ludovico Marte R. Coll. Dionantenſis, quæ urbs paucis ſtadijs à Foyenſi templo diſtat. Narratio impreſſa, quâ hæc accepi, ait, quandoque vocari Deiparam Dionantenſem.

LXII.

Imago B. V. Miraculoſa CANCELLATA.

Duaci in Germania I.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Ea ſanè tota pura, miraculum magni Dei.*

1. *Cæmiterium pueris ut forum.*
2. *B. Virgo terror infantum.*
3. *Campana miraculi index.*

PRô! quàm longè felicitatem noſtram quandoque quærimus! quam tamen, niſi cæci eſſemus, ante oculos noſtros intueremur. Stetit virginis Deiparæ Statua cancellis ferreis incluſa Duacenſi in urbe, ad templi murum, quod Canonicorum Collegio Divi Petri celebre eſt. Quis, quóve tempore Statuam illic tantùm non ſub dio poſuerit, nemo hactenus fuit, qui vel conjectare poſſet. Hæc nempe theſaurorum natura eſt, vt, remoto ab ævi memoria tempore, à neſcio quo deponantur; aliter theſauri non ſunt. Neſcivit civitas, vt ſolet, felicitatem ſuam; dum ipſa virgo linguas infantium fecit diſertas, vt ex ore infantium, & lactentium laudata ipſa plus honoris, cives plus vtilitatis ex huius Statuæ veneratione caperent. *Theſaurus.*

Dudum jam quorundam mos obtinuerat, vt redituri è templo domum, ad hanc diverterent Imaginem, & per tranſitum Virginem ſalutarent. Fuit itaque, cùm civium nonnulli ardentiùs precarentur octavo Iulij, anno à partu virginis, milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo: interim, vt ſolet, pueri inter clamores & crepundia eodem in loco innocenter luſitabant, & non parùm viros precantes turbabant. Luſum ab ijs diu eſt, cùm tandem Imago minacibus oculis frontem aſperavit jraſcenti ſimilis, caput movit, & manu etiam verbera intentavit. *Pietas.*

Vidit hæc omnia innocens ætas; ſteterunt comæ, & vox faucibus hæſit; móxque dilapſi domum quiſque ſuam confugerunt. Magna ex pallore vultûs, membrorúmque tremore parentes ſuſpicati, quiſque ſuum rogat tremoris, pauoríſque cauſam. Illi metu propè elingues petulantiam ſuam primùm quiſque ſine fuco fatetur, tum & virginis in fronte rugas, & truces oculos, & manus minaces recenſet. *Terror.*

Credi non poterat tantula ætas tam doctè mentiri. Patefactâ tamen, teſtibus auditis, veritate parentes; collatis conſilijs ad Imaginem primùm ipſi decurrunt, veniam pro filijs deprecantur. Sed cùm neſcio quo cæleſti gaudio deli- *Fictio*

delibuti redirent, fama properè ſparſa, intra ſeſqui horam totam ferè urbem Virgini ſtitit, in preces, & vota pronam. Primo octiduo diu noctúque momentum temporis non fuit, quinà frequentiſſima multitudine ſub dio Virgo honores acciperet. Miracula. Cúmque populus nec humidæ noctis injurias, nec diurni ſolis æſtum ferret, obtenta ſunt vela, &, vt ſacelli tumultuarij forma quædam pietatem augeret, additum eſt tentorium militare, quod laniones Virgini tantiſper commodârunt. Et verò ſimul ac ſanitas cuipiam reddita eſt, ære campano è turri ſignum datum admonuit officij urbem eſſe in Deiparæ obſequia pronam.

Primo triduo ſex claudis ambulandi facultas, vni cæco viſus, vni mortuo vita impertita; vt ea taceam, quæ, quia Virgini non rara, ideo nobis mira eſſe deſiêre. Et quia necdum Duacenſium pietas in Virginem deſijt, etiamnum Virgo nec raris, nec exiguis beneficijs affectum in eos ſuum demonſtrat.

Hac de re ad me R. P. Hubertus VVildtheim R. Collegij Duacenſis R. P. Antonius de Balingen in Calendario Mariano 1. Iulij.

LXIII.

Imago B. V. Miraculoſa AQVALIENSIS. *Leodij in Germania. I.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Iram maculámue Adæ penitus ignorat.*

1. Miles malus & hæreticus.

2. Statua B. V. combuſta.

3. Baptiſmus parvulorum.

TItuli rationem à me lector non exiget, quando Imago ſacra de Dieupart appellata, nec à loco, nec ab homine nomen habet, nec quiſpiam eſt, qui ad me perſcripſerit. Nam etſi vel partem DEI, vel apparentem DEVM à Grammatico torculari expreſſeris; nondum tamen ſatisfeciſti. Maneat itaque & hoc inter ea, quæ nobis tempus ſubduxit.

Aqualia oppidum eſt in Ducatu Luxenburgenſi, quatuor leucis Leodio ad Amblavam fluvium diſtans. Fuit olim in templo parochiali Imago Deiparæ ſculpta, & columellæ, vt vides, impoſita, Statua. miraculis celeberrima, populíque in adverſis vnicum, ſed certum refugium. Advenit vltimo Leodienſium bello auxiliaris è regno miles, ſecúmque Calvinum ferens templum incendit: cum templo ipſam Deiparæ Imaginem in cineres redegit. Quære jam, quò Hæreſis. libri devenerint, quos beneficia Virginis implebant. Columella tamen, cui S. Statua inſiſtebat, neſcio quâ Numinis providentiâ

inter ignes illæſa ſtetit. Miraberis, lector, credéſque, miraculoſam eſſe hic Deiparam deſijſſe, quæ Statuæ ſuæ, vt ſolet, non porrexerit adjutricem manum. Sit ſanè, in quo fides vera, quæ parvulorum ſcandala neſcit, fideles ſuos aliquantiſper exerceat. Si Virginis Filio pulchrum fuit ſubire turpiſſimam mortem; cur Matri indecorum ſit, ſi ex tot Statuis unam hæreticis permittat, indignis, quos per miracula convertat. Cives aliam & priori, quantum artifici licuit, ſimilem repoſuerunt. Quod mox refecto templo fecère. Tum enim verò, & iſta cum ſtatuæ prioris forma virtutem quoque induit, quamprimùm in prioris locum ſucceſſit. Certè beneficia non parciùs nunc Virgo in miſeros prodigit. Omitto, quæ paſſim alibi quoque fieri ſolent. Illud ſingulare, hanc quoque ſolere mortuis ſine lavacro Baptiſmi parvulis vitam conferre, dum rite abluti ad cœlum præparentur. Baptiſmus.

Imaginem vnà cum relatione miſit ad me R.P. Ioannes de Viron Rector Luxenburg.

L X I V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BONA SPE. *Valencenis in Germania. I.*

Prog: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Purior Angelis, Deum vnicè amata amat.*

1. Diſcipuli in pietate inſtructi.
2. Pietas adjuta à Deo.
3. Pietas in alios tranſiens.

Diſtat ſacellum hoc non plùs medio milliari ab vrbe Hannoniæ Valencenis, concurſu peregrinorum, & miraculis celebre. Originem tantæ pietatis hanc accepi, Anno 1615. Iubilæo, Rhetorices è Soc. IESV ea in urbe Profeſſor ſuos ad Deiparæ cultum, vt ſolemus, adhortatus inter alia dixit, mirari ſe, nullam hîc, vt alibi plerumque, ambulationem eſſe, quæ ad ſacellum quodpiam Deiparæ duceret; Valencenates vel ideo Diſcipuli. plùs cæteris urbibus Beatæ Virgini obſtrictos, quòd ipſa manu ſuâ Virgineâ filum muris urbis circumvexiſſet (& etiamnum adeſt) tum peſti arcendæ, tum vt Valencenates ſibi devinciret.

Dictum ſatis pronis in Virginem animis proximâ à ſcholis feriâ plùs centum Rhetorices diſcipuli de loco conſilium ineunt, quò Virgo à deambulantibus poſthac viſitaretur, maximè poſtquā unus Statuam produxit Foyenſi parē. Non diu quærentibus quercus objecta oculis eſt, ad quam per amplam perveniebatur planitiem. Illi, decurſo protinus campo, Quercus locum in quercu Statuæ parant, ablato cum ramentis cortice, tum

etiam

etiam è comportatis arborum vicinarum habitationem conſtruunt, ſacello non abſimilem, tum etiam & candelas S. Imagini accendunt, & nonnulla, quæ ſecum attulerunt, ornamenta addunt: & quia magna ſperabant, Matrem Bonæ Spei térque quatérque inclamant, laborémque dimidij diei precationibus Virgini gratis concludunt: utique frequentiùs redituri, poſtquam nemo domum, niſi ſpe plenus, redijt. Rhetores centum facilè populum gymnaſij traxêre in admirationem primùm, deinde etiam ad tam pij exempli imitationem.

Secuta deinde juventutem litterariam gravior ætas: quandoque campum impleverunt non pauciores quinque millibus. Iucundum fuit Duci Arſchotano ſuo in ceſpite hæc fieri: templum itaque ſuo ære (quanquam & urbs de ſuo dedit) molitus eſt, mole non grandi, ſed quod deinde RR. PP. Carmelitanorum cœnobio auctum eſt, & pluribus vtrinque arborum, & longiſſimis ordinibus, per quos ad plura vtrinque ſacella pervenitur, in quibus IESV paſſionem recolas, priuſquam ad Matrem Bonæ Spei pervenias. Nocuêre non parùm loco bella Superis inimica. Conſtat ſibi tamen adhuc cum fama miraculorum ſacer locus.

De quibus extare librum impreſſum aſſerit, qui de hac Imagine ad me perſcripſit R. P. Everardus Hakius Provincialis. & R. P. Gilbertus S. I. Bimont Rector Valencenenſis.

L X V.

Imago B. V. Miraculoſa STERNPERGICA.

Viennæ in Germania.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Regina mirè tuta à lapſu communi Adæ.*

1. Pœna mortis in balneo.
2. Tempora Leonis Iſaurici.
3. Vnus malus familiæ bonæ non nocet.

ITerum Iconoclaſticæ hæreſeos mentionē facio. Prodigioſa Deiparæ Statua, quæ Viennæ in templo S. Hieronymi PP. Franciſcanorum colitur, per ignem ad hos honores à generoſo Iconoclaſta eſt evecta. Is fuit Illuſtris & Generoſus Dominus D. Andreas Baro de Sternberg, ad exteros, vt mos eſt, profectus, pecunias largè profudit, mores mutavit, & linguam, quin etiam Lutherum exuit, magno ſuo bono, niſi induiſſet Calvinum. Redux domum bella ſpiravit, bella, horrida bella; ſed ligneis tantùm hominibus timendus, Hæreſis.

dus, ſtatuis, inquam, Divorum, quas omnes diligentiſſimè conquiſitas, è ditione ſua gentilitia comportatas unum in rogū conjecit, vt omnes vnum buſtum faceret: & adhæc ſummâ fide ſervuli imperia Domini ſui curabant.

Itaque videre erat templa altaribus viduata, vaſtitatem Iſauricam, ita exilium omnibus Sanctis indictum, vt ne picti quidem aut ſculpti hic loci poſthac comparerent.

Ingentem Grienbergæ in arcis atrio (vbi hæc fiebant) pyram fecerunt: cumulatæ in vnum ſacræ opes. Quis primus (nam nemo aderat, qui lugeret) facem pyræ admoverit, non refert dicere; quando omnibus vna mens erat, ad heri mores plùs quàm opus fuit, erudita. Surgit fumus, ardétque igne in uno, quidquid pluribus ſæculis majorum pietas reverentiæ & opum in Cælitum Imagines cumulavit, unâ Deiparæ exceptâ Statuâ, quam flamma libavit tantùm. Conqueſtus eâ ſuperre ſervulorum vnus, juſſu Domini eam in parets impacta ſecuri diſcerpturus, ictu non ampliùs uno, cuius tamen veſtigia hodieque videntur, S. Imagini nocuit.

Pœna. Sed, neſcio quo malo, repentè correptus vitam funeſtiſſimâ morte ſub veſperam clauſit, & totius diei ingentem lætitiam non parùm confudit; vtique poſtquam nemo fuit, qui S. Statuam oppugnare porrò auderet. Ægre inventus eſt, quia eam ex Heri imperio in arcis angulum abijceret. Nec tarda, aut levis ipſum Herum pœna ſecuta eſt. Everſâ protinus mente in rabiem actus, ne obvios quoſque interimeret, carceri mancipatus eſt. Hic vitam traxit omni morte miſeroriem, inter paleas, & ſordes ſuas miſerè conſumptus. Mirum erat, unde homini tantum robur acceſſerit. Digitis juncturas vetuſtiſſimorum & ingentium lapidum tentavit, non nullo effectu; ita vt quandoque refectis clathris ferreis muniendus fuerit, quod nonnemo, qui locum vidit, ad me perſcripſit. Vix reperti fortiſſimi lanionum, qui magno numero conglobati, certis temporis intervallis, non aliter ac hominem interfecturi, in carcerem per apertam portam irrumperent, hominémque periculo ſuo attonitum tantiſper vinculis conſtringerent, dum alij congeſtas ſordes egererent. Fortitudo.

Atque in eum modum nullo unquam vel vnius momenti intervallo annos ampliùs quinquaginta exegit; donec paucis ante mortem diebus, cùm eum reſipiſcere, & ad meliora converti conſilia nemo non optaret, oblatam ſibi per viſum Deiparæ Statuam identidem verbis geſtibúſque à ſe abigeret, & vitæ malæ imponeret finem non bonum. Anno 1629. Maij die 2. Apparitio.

Fratrem habuit infelix Andreas Ferdinandum, in eo felicem, quòd exactis pueritiæ annis in aula Oenipotani Archiducis Ferdinandi ſuffectus fuerit hæres vivo fratri Andreæ. Accidit, vt Andreæ famuli, domino ſuo neutiquam Servi.

quam

quam meliores, excitato igne in atrio arcis medio, neſcio quæ ſcruta comburerent, iterúmque hanc adorti ſtatuam, in medium rogum conijcerent. Auditus mox velut tormenti bellici ingens fragor, & Statua facto ſaltu extra rogum in atrio conſedit. Dominicus de Gentilibus, & Petrus de Nagera imperiales choraulæ, qui tunc commodùm Ferdinando, muſices amantiſſimo, aderant, audito fragore, & viſâ fragoris tanti cauſâ, diſplicere ſibi, quæ gerebantur, diſertè aſſeruerunt; maximè poſtquam iterum injecta rogo Statua ligneis, quin etiam ferreis contis vetabatur ignes fugere. Domino itaque tantum ſervorum ſcelus conqueſti, cùm omnia pia expectarent, aliud reſponſum non tulêre, quàm ſervos Andreæ fratris Picardos eſſe, & agere ſuperſtitioni ſuæ conformia: & verò etiam identidem vociferabantur, ab hoc ipſo dæmone (Statuam intelligebant) herum ſuum actum eſſe in rabiem. Iuſſi tamen ſunt eripere flammis, & loco ſuo, vnde protraxerant, reſtituere. Fecêre officium famuli, & unimanus Deiparæ ſignum (nam manum alteram, dum flammis eripitur, improbus laniſta amputavit) in cavernam priorem cum contumelijs truſerunt.

Blaſphemia.

Die poſtero Ferdinandus Pragam iter inſtituit. Vix domum ſuam illic ingreſſus, in furias agitur, & rabiem, ſtrictóque mox gladio hoſtes inſequitur, qui nulli aderant. Vix à matre perſuaſus triclinium acceſſit; ſed meliora ſuadentem non ferens, enſem, quem antè in hoſtes ſtrinxerat, in matrem egit; quæ cum recepta in viſcera morte in alterum uſque diem luctata, poſt nonam antemeridianam, obijt: quâ ipsâ horâ Grienbergæ (quæ duodecim leucis Pragâ diſtat) Andreæ Frater ſic vaticinatus eſt: Ferdinandus frater fecit, quod ipſe debebã: jam mortua eſt. Neque interpretem hęc vatis vox invenit, dũ ex urbe Pragenſi triſtiſſimus rei nuncius veniret. Voluêre amici ad Bohemiæ ſive leges, ſive conſuetudines parricidam præcipitare per feneſtram in ſubjectam plateam: ſed amenti mitior pœna obtigit, rigidus carcer, ideo felix, quòd captivo (quæ Dei eſt miſeratio) reddiderit rationem, quam ademerat libertas.

Mater.

Matricida.

At ubi ſe mortem attuliſſe matri intellexit, carceri addidit ſpontanea tormenta: multum precibus: multum lacrimis dedit, genibus ita nixus, vt cutis non callum ferret, ſed continuo attritu lacerata carnem in hoc officium ſubſtitueret. Hoc nempe eſt generoſè pœnitere. Allatam denique mortis ſententiam intrepidè excepit, & ad eam ſubeundam ſic ſe parauit. Advenienti Sacerdoti de genibus obviam proceſſit nudis, & vt dixi, attritu ad imam carnem conſumptis, non ſine vi ſanguinis, quo ſubjectum triclinij pavimentum imbuit. Factâ exomologeſi, divino viatico refectus eſt, & poſtero mox die paratum ingreſſus balneum, vtrumque brachium præbuit: inde per mediam

venam cum ſanguine animam emiſit.

Tertius ſupereſt frater Ladislaus, equitum Tribunus ſub Rudolpho II. in Hungaria. Hic cœpit invocare nomen Dominæ, & S. Statuam ſuo liberatam antro cognatæ fœminæ religioſiſſimæ tradidit depoſiti jure: paulò pòſt per nobilem juvenem Gerardum de Taſſis in caſtra deferri imperavit. Ibi tentorio proprio velut templo excepta eſt. Miſſæ ſacrificium diebus fermè ſingulis celebratū, momentum dedit publicæ pietati, quæ jam novo ritu eò devenit, vt, quantum per leges militares licebat, è diverſis caſtrorum partibus à milite Chriſtiano peregrinantium more viſitaretur. Quo anno Statua in caſtra venit 20. ſept. die pugnatum feliciter cum Turcis eſt: qui utique memores anni milleſimi ſexcenteſimi tertij oblivíſci non potuêre, duodecim eorū millia cæſa, plurimos quos pavor egerat in Danubium, aquis hauſtios. Nemo Chriſtanor ūfuit, qui tantum beneficium non adſcriberet Deiparæ, quæ cultum Statuæ ſuæ exhibitum ita compenſabat.

Castra. Pugna.

Victoria. Victoriam ſecuta, vt mos eſt, licentia militaris, Ladislaum ad ludum traxit, quo Generoſo Baroni de Turovvſcki Polono inferior mille ferme Vngaricorum ducatorum debitor factus eſt. Is cùm Ladislaus ſolvendo non eſſet, totius debiti loco S. Statuam popoſcit; nec difficulter obtinuit, & reverenter habitam octavo pòſt die carro impoſuit, cui clau dū, ſed præ cæteris charum equū junxit, qui eam Viennam uſque in novum forum, nullo læſi pedis indicio, alacriter devexit. Hæretica Polono conjux fuit, in quam non parum contuliſſe credo de natura ſua ſerpentem, qui Micholem Davidis conjugem mordacem fecit. Nimirum hæc & virum pariter, &, quia peior illâ fuit, etiam S. Statuam, &, quod peſſimum erat, ipſam Dei Genitricem inſectata, maritum turbavit. Is, ne paria Sternbergicis mala conjugem premerent, S. Statuam, R. P. Bonaventuræ Daumio, è D. Franciſci familia Commiſſario, dono dedit: qui ex piorum corrogatis largitionibus Statuam primùm decenter ornavit, deinde templo D. Hieronymi ex ijſdem largitionibus conſtructo, anno 1607. magnâ pompâ, intulit: ipſum altare Baro VVenſeslaus de Sternberg ære ſuo fieri curavit.

Fœmina.

Venditio. Ladislaus paruipendens, quòd Statuam Virginis vendidiſſet, immemor pœnæ, quam Eſau venditor primogenituræ luit, primùm in Bohemiam conceſſit, & conjuratis ſe miſcuit: tum in Poloniam deflexit, inde amicitiæ ſpecie in Bohemiam reductus, demum inter rebelles numeratus capite cum cæteris plectendus erat; ſed quia mitior ſententia ijs obtigit, quibus Catholica fides fuit, in carcere vitam finijt.

Ne hæc narratio Auſtriæ & Bohemiæ notiſſima, & Viennæ typis data, minorem tibi æſtimationem faciat de nobiliſſima, &

anti-

antiquiſſima Dominorum de Stellis proſapia; ſcito, paucos fuiſſe, imò non niſi unum unicúmque familiæ probum Andream. Heroum filij quandoque n xæ ſunt. Cæterùm cara Eccleſiæ debet eſſe hæc familia, è qua unus ante quatuor ſæcula Tartarorum immenſas copias delevit ad Olomucium, & propriâ manu Ducem illorum occidit Ex alia inea Petrus Melitenſis Eques ferociſſimum illum Huſſitarum Ducem Ziskam fudit: cúmque nemo eſſet, qui etiam, cælo duce, rabiem Huſſiticam multis annis graſſantem compeſceret; duo tandem Sternbergici Barones ita eorum reliquias quodam prælio de'everunt, vt ab eo tempore Taboitarum furor campum apertúmque Martem fugerit. Horum, inquam, & eorum, qui hodie vivunt, præclaram virtutem unus Andreas non obterit; quia unus eſt, & ſequaces non habet.

***

L X V I.

Imago B. V. Miraculoſa DETTLBACENSIS, *Herbipolj in Germania S.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En! pura Domus Aurea micat, almè ignita.*

1. Homo nauci & perditus.
2. Morbus pœna peccati.
3. Converſio peccatoris vera.

PRô! quantum refert, primas operis cuiuſque, quod ſuſcipitur, cogitationes cœlo dare: quod ſi fiat, felici alchimiâ velut virgulâ Midæ in aurum vertetur omne, quod facis, & non niſi cæloven di dignum. Ita nempe, ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. At verò vbi primarum cogitationum factus eſt dominus, qui circuit, leo, penè diem perdidiſti, & tantùm non perijſti. Germaniæ populis unà cum fide inſtillatum eſt, nullum exordiri omnino opus, nulli dare labori principium, quin ſolemne illud: IN NOMINE DEI, pronuntient. Ita laborē ſimul ſolantur, & pretioſum faciunt. Sed vt non ſemper parentum mores, præſertim boni, abeunt in filios, & rariùs in nepotes, ita in hocquoq; à multis jam pridem deſcitum eſt. Sic opifex à lecto ad officinam, colonus ad agrum delabitur, nullo Chriſtiani hominis indicio.

Cives Dettlbacenſes in Franconia in magnæ felicitatis parte ponunt, habuiſſe olim unum è ſuis, qui moris huius porpagandi ſtudioſus locum ante portam elegit, quem omnes ad opus manè exituri non poſſent non præterire.

Dæmon.

Hic columnam poſuit ære ſuo lapideam, eique, capitelli in vicem, decenti in loculamento Deiparæ doloroſæ ſtatuam impoſuit, prætcrituris & ad opus agrorum, vinearúmque properantibus ſolatium. Nemo fuit, qui ſine reverentia præteriret hanc Mariæ poſitam columnam; plerique flexo genu opus omne diurnum dicabant Deiparæ, ſimúlque & vires & felicem laboris ſucceſſum poſtulabant. Fuère quoque, qui longiore prece, & Deiparæ ſimul dolores, & ſuos non perfunctoriè conſiderantes, nullo operis tantiſper intermiſſi diſpendio, gratiſſimum dedère ſpectaculum. Credebantur Ægyptij omnem, quæ circumiacentibus terris è cælo debebatur, fertilitatem obeliſcis ſuis traxiſſe in ſuam. Fabula eſt. Verius dixerim, Dettlbacenſes omnem cæleſtium imbrium gratiarúmque copiam, quæ toti Franconiæ debebatur, hac columnâ ita diſpoſuiſſe, vt hîc loci, & apud Dettlbacenſes velut apertis cataractis ſcaturirent, poſthac in omnem Franconiæ agrum diſpenſandæ.

Videbatur optare Deipara, columnam exreſcere in templum, & pro cultoribus brevis Statuæ ſingulis, Anno 1504. dare debebat templum homo nauci & vilis anima, ne quis poſthac cauſari poſſet, quempiam hîc loci à Deipara vel præteriri, vel contemni. Rem Trithemius narrat, ex quo illam accepi. Fuit, inquam, ex

Nequam. infima plebe Nicolaus Lemmerus, vino plùs, quàm cenſus ferret, deditus. Hic Encæniorum feſto die, neſcio quo in pago, antemeridiano tempore vtcunque celebrato, vt dæmon quoque diviſum cum Deo haberet in ſe imperium, exantlatâ vſque ad meridiem laborioſâ pietate, cum ſui ſimilibus ad tabernam deflexit. Hic inter pocula, ad jurgia primùm, deinde temulentior factus, etiam ad rixas delapſus eſt; donec ad gladios, & pugnas devenit. Non intereſt obſcuri congreſsûs cauſas inquirere, quas leviſſimi ganeones, vt graves nunquam, ita plerumque tales habent, quarum memoriam vel ipſis auctoribus ſubtrahat temulentia, & præ alijs omnibus ipſi poſtridie quærere inſtituant, vnde in capite vulnera, in lacertis ac humeris tubera.

Cæcum prælium, quod ab amicis hoſtes non diſtinguebat, Prælium. Nicolaum ita excepit, ut ſemimortuus domum deferendus eſſet in lectum, vnde vivus nunquam eſſet ſurrecturus. Quid ijs actum ſit, qui arma capere auſi ſunt, & cladis cauſa fuère, non inquiro, ne falcem mittam in meſſem Cauſidicorum. Nicolaus annum integrum lecti unius incola ſic habuit, ut membrorum uſum exiguum, rationis rariſſimum, linguæ verò haberet omnino nullum. Ut apud cæteros homines mala nunquam ſola ſint, hic conſpiráſſe omnia contra unum videri poterant, eò ferociùs, quòd paupertas, malorum omnium primum, in hoc etiam eſſet maximum; hominis quippe mores paucorum miſericordiam ciebant.

Plùs

Plùs anno ita Nicolao dolendum fuit, dum rationis vſus ex toto rediret, inde ad Superos ſtatim, & præcipuè Deiparam converſus, dolore primùm peccatorum ſuorum, tum etiam calamitatis atrocitate flexit miſericordiæ Matrem.

Apparitio. Nocte ſiquidem ſequente videre ſibi per ſomnium viſus eſt hominem, qui ſanitatem ſponderet, ſi votum faceret, ad hanc ſe Columnam cum candela, ſanitate integratâ, acceſſurum. Profuit Nicolao non fuiſſe è ſapientum illorum tribu, qui auctoritate plùs quàm Manlianâ Superis prohibuêre, ne poſthac ulli hominum in ſomno loquerentur, ni ſibilo excipi vellent. Nicolaus præpoſteræ huius ſapientiæ, ſive ignarus, ſive incurius, quamprimùm, excuſſo ſomno, vigiliæ eſt redditus, præ omnibus veneratus eſt tam vtile ſomnium: tum, quâ potuit pietate, votum edidit, apportandæ ad Deiparæ Statuam candelæ, cùm primùm per vires poſſet.

Votum. Vim voti fuêre primi qui ſentirent chirurgi, qui non ſine admiratione conſpexêre, & pertinacia hactenus coire vulnera, & in pus maturari, cæteráque mala, quæ tot fraudâſſent pharmaca, ſine pharmaco ſenſim evaneſcere. Poſtquam verò ipſe Nicolaus brevi tempore iterum ſe hominem eſſe, & ſanum vidit, ſibi primùm, deinde & alijs in pretio eſſe cœpit: Quapropter quamprimùm empta à propolis candelâ ad Soſpitatricem Columnam properat, actíſque, vti decebat, Deiparæ gratijs, quid candelâ agendum, atque vbi locorum relinquenda ſit, deliberat. Interea feſſus de via proximo in ceſpite conſidens in ſomnũ labitur; cùm à monitore ſuo iterum jubetur candelam in urbis uſque curiam deportare, & pleno ſenatui, qui tum commodùm conveniebat, rem totam denarrare. Senatus. Nec tardum habuit monitor iſte (quisquis fuit) Nicolaum: curiam accedit, & Patribus ſomnia ſua, & quid ſive portendiſſent, ſive præſtitiſſent, intrepidâ oratione exponit.

Somnium. Somnia ſunt, & ſomnia dementis, inclamant; hoc uno beati, quòd non amplius impiè, ſed piè deliret Nicolaus. Poſtquam verò præpoſtera hæc ſapientia detonuit; fuêre, quos ordo loquendi tangebat, nonnulli, qui mitiora ſentirent. Aiebant hi, ſe à majoribus certâ fide accepiſſe, jam olim ad hanc Imaginem æris campani ſonum ſacrum auditum fuiſſe; qui vtique, ſi quidem eſſet majoribus fides, templum portendiſſet olim hîc loci Deiparæ exſtruendum. Ita diſceſſum eſt. Nicolaus, relictâ candelâ, in curia domum proficiſcitur; quæ in ſenatu audiſſet de æris campani ſono olim audito, quæque ipſe vidiſſet, audiſétque in ſomnis, denique quæ coram Senatu dixiſſet, paſſim omnibus narrat. Ita ceſſaret licèt Senatus; populus tamen ad vota, & preces converſus fecit, vt ex ære, quod divites plebis primo concurſu congeſſerant, brevi ſacellum ſtarete ligno, quod Imaginem ſacram, & appenſa munera defen-

 deret.

deret. At illo ipſo anno 1504. tantum piè contulit Franconia, vt brevi templum novum & amplum ſtaret. Iam Deipara Dettlbacenſis ob miracula integro ſeculo patrata eo loco eſt, vt etiam confinibus Franconiæ, ac longiùs poſitis pretioſa ſit.

Hiſtoriam ſcripſit Ioannes Trithemius, Abbas Spanhaimenſis, Vir doctus & religioſus: Miracula plures alij. Ad me Imaginem miſit R. P. Bartholomæus Steinſon, Rector Collegij Egrani.

***

LXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. WEYARENSIS. *Weyaræ in Germania. S.*

Prog: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Virgo veneranda ipſamet immaculata.*

1. Converſio Pomeraniæ ad fidem.
2. Puer quater mortuus.
3. Vincti mira liberatio.

Ndecenſium Bavariæ Comitum Ducalis Proſapia multos Eccleſiæ Divos dedit, quorum aliquos Summi Pontifices in Album Cœlitum ritu conſueto retulerunt. Epiſcopus. Hos inter fuit Otho, ſucceſſionis ordine octavus, Bambergenſium Præſul. Is ubi ſuos ſibi ita conſtare vidit, vt abſentiam Præſulis nullo fidei morúmque periculo tantiſper ſuſtinere poſſent, ardore fidei, & Apoſtolico ſpiritu Pomeraniam ingreſſus eſt, illaturus genti, idolis etiamnum ſubjectæ, fidem, & cum fide Chriſtianos mores. Factum hoc eſt tantâ cum Othonis gloriâ, vt, licèt patratis paſſim miraculis illuſtris eſſet, Apoſtoli tamen titulo longè factus ſit illuſtrior. Bis omnino Pomeraniam ingreſſus eſt, bis magnos in fide propaganda progreſſus fecit, vidítque arduum opus eſſe, Converſio. & Apoſtolis, id eſt, primis prædicatoribus, nunquam non difficile, fructum labori parem producere.

Multum ad hoc contulit, quòd parentes Othonem à prima infantiâ dicâſſent Deiparæ, atque ipſe Parentes. per ſe plùs Mariæ, quàm Matri devotus à puero extitiſſet. Præ cæteris tamen Virgini gratum fuit votum, quod in confinibus Franconiæ Virgini fecit, ſe ſacram ædem, quæ tunc ibi commodùm fundamenta ac. eperat, Deiparæ dedicaturum, ſi audiretur à Pomeranis, fidémque auditores ſuſciperent. Non ita multò pòſt populum ultra ſpem expertus morigerum, & in fidem pronum, ad ſuos inter mutua gaudia redux templum, quod interea ultimam manum acceperat, eâ pompâ, quam

quam illa ferebant tempora, Virgini dedicavit.

Converſio. Atque hoc primum VVeyarenſis Virginis miraculorum haberi poteſt, quando non ſine miraculo contigit, gentem barbaram ab idolis ad veram fidem tranſire, ſine ſanguine ſui Apoſtoli.

Exinde jam VVeyarenſe templum tot jam ſæculis nunquam non magnis populorum accurſibus celebratum eſt. E miraculis, quæ R. D. Fridericus Fornerus Epiſcopus Hebronenſis, & Bambergenſis Suffraganeus, magno numero conſcripſit, & edidit, duo affero: primum eſto.

Miraculum. Puer parvulus, penè infans, lethali oppreſſus morbo ter ad extrema devenit; animam egit, &, ſi parentibus credimus, ter mortuus eſt. Ter quoque parentes, voto aurei nummi facto, VVeyarenſem Deiparam invocârunt, ſemper felici ſucceſſu, niſi quòd nec primo, nec ſecundo ad vitam reditu perfecta redierit valetudo, quæ tandem ex tertia morte, cùm parentes tertium nummum voviſſent, ex integro eſt reſtituta.

Captivus. Alterum prodigium juvenis fuit, qui poſt plura ſtipendia ſub Carolo V. in Vngaria, à Turcis, dum incautiùs pugnaret, captus eſt, & Belgradum ductus, inter vincula, & compedes triſtiſſimâ expectatione ſervitutis. Primâ ſtatim nocte marcebat: quam eouſque precibus ad Divam VVeyarenſem (nam illis è terris fuit) conſumpſit, dum contenione precandi feſſus, & vinculorum pondere degravatus ſponte in terram prolaberetur in neceſſariam quietem. Interea Virgo pro eo plùs, quàm ipſe ſciret, ſolicita mandavit Angelis ſuis, vt in manibus eum portarent, nè forte offenderet ad lapidem pedem ſuum. Illi ad nutum Reginæ ſuæ promptiſſimi hominem ſuaviſſimè ſopitum Belgrado VVeyaram uſque ſine ſenſu deportant, & ad Altaris ſummi gradus deponunt vinctum, vt erat. Angeli.

Tempus erat, quò æditus monebatur, populo facere copiam templi. Is, viſo hoſpite, furem ratus, facturus officium ſuum erat, quod exhiberi furibus ſolet. At verò ubi è ſomno excitatum vinctúmque vidit, non æditus magis furem vinctum, quàm is æditū ſtupuit. Diu vterque in alterius vultu hæſit; neque æditus capere ſatis potuit, quæ miles inter lachrimas, & ſingultus referebat. Inter hæc plurimorum in oculis (nam interea populus convenerat) rumpuntur vi latente vincula: defixis admiratione omnium animis, res penè incredibilis exponitur. Nemini dubium fuit, qu in Deiparæ hoc beneficium deberet miles, quando nemo erat, qui ferrum, quod manus, collum, pedéſque conſtringebat, abſque fabrilibus inſtrumentis rumpere poſſet. Itaque rupta divinitus vincula argumento fuêre, vera quoque eſſe, quæ de Belgradenſi carcere juvenis memorabat. Mirum.

Imaginem ad me miſit, & de templo VVeyarenſi plura ad me ſcripſit R. P. Bartholom. Steinſon, R. Collegij Egrani.

LXVIII.

LXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa CONSOLATRIX AFFLICTORVM *Bambergæ in Germania. S.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Iſta Eva Regina mundo almè pura micat.*

1. *Xenium Concio Martyris.*
2. *Translatio ſtupenda.*
3. *Cole B. V. ubi ipſa vult coli.*

QUo tempore in fide Catholica VVidderna vrbs binis VVimpinâ imperiali leucis diſtans ſtabat, amorem venerationémque præter alias pietatis exercitationes in Mariam Virginem ſingularem alebat. Accepta fuiſſe Cælo gentis in Deiparam ſtudia, miracula declarârunt. Unus è vicinis montibus frequentiâ viatorum terebatur; ſeu quòd compendia eo tramite quęrerentur itineris, ſeu quòd clementiorem viam loci natura Fatigatio negaret. Cúmque in aſcenſu nulla cuipiam fatigatio, aut torpor obreperet, quin & onere ſe leuari ſentirent bajuli; admiratio, ac ſtupor aliquamdiu homines tenuit, nullâ animis ſuccurente cauſâ, cui rem tam prodigioſam contra naturæ leges adſcriberent. Habet hoc omnis novitas, vt vehementi quadam vi ad ſe trahat, rapiátque mortalium animos; quippe quibus innatus eſt ſciendi appetitus.

Tepor. Verùm vbi impetus deferbvt, cœpítque velut è tenebris promicare latens ratio, aut certè nuda experientia abire in conſuetudinem; tunc nimirum exiſtimationem paulatim vileſcere, admirationémque in contemptum quendam verti videas. VViddernenſibus ſic evenit, apud quos aſcenſus ille montis miraculo facilis, omnem ferè lapſu temporis miraculi opinionem amiſit. Advertêre ſubinde, qui locum accolebant, ſolum naturâ fæcundum, ſi cultura diligens accederet, proventus vini vberes polliceri. Igitur admotæ operi manus, mónſque à vepribus expurgari cœptus. Locus erat ipſo in vertice dumis Mons etiamnum horridus, ac nullo ſub actus ligone, ad quem quò propiùs foſſores accederent; eò recreari magis, viribúſque refici ſibi videbantur.

Primum ergo ea de re ſermonem, vt fit, inter ſe miſcere: tum curioſiùs oculos circumferre incipiunt: demum ſpinas inter ac ſentes Imaginem conſpiciunt B. V. Puerum IESVM inter brachia complectentis, mole ex alabaſtro haud grandi, nullo alio, quàm ſentium, ſpinarúmque tectam velamine. Quis hîc eis religionis injectus ardor, quæve ex dulciſſimo Imaginis aſpectu oborta ſit Imago. lætitia, nec ipſi, opinor, ſatis dicerent,

rent, ſi adeſſent; neque nos exprimere calamo poſſumus. Certè potentiſſima eſt ad commovendas mentes religio; quippe Divinitatis metum, reverentiámque ſecum vehens. Neque obſtat, quòd in profanis hominibus ſæpe non religio, ſed temerariæ, impiæque credulitatis infecta labe ſuſpicio ſit. In preces, ac vota ſolutos, pro ſe quemque ſupplici animi affectu veneratum eſſe Virginem, nullum mihi dubium relinquitur: exinde ad Magiſtratum res, vt decuit, tota delata, eum ac plebem omnem ad ſpectandum excivit. Sublatum illico de terra ſimulacrum manibus Sacerdotes reverenter excipiũt, inferúntque civitati, ac demum in parte templi veteris, dum novum, omnium jam votis atque animis deſtinatũ, conſurgat, honeſtiſſimè locant.

Templum. Electus primùm in templi fundamentum vertex ipſe montis, in quo reperta Imago fuerat. Verùm cùm is altior eſſet, quàm vt commodè à ſupplicantibus adiri poſſet; viſum eſt in adjacente è regione planitie ædificium moliri. Jam dimetiendis ſpatijs architecti, jam cædendæ comportandæque materiæ fabri operam navabant: Pietas. alij ſaxa eruere, calcem reſtinguere alij cæperant: illi jaciendis fundamentis terram egerere, iſti egeſtam avehere; verbo: omnia latè circum loca ſtrepitu ac murmure concurſantium reſonare; cùm non hunc, ſed priorem, ſtruendæ ædi locum Virginem deſignâſſe, novo prodigio commonſtratum eſt.

Noctu quiete neceſſariâ reficiebantur operæ; & ecce! trans fluvium in jugum montis vi humanâ majore omnis ferè, quæ ad manum erat, materia transfertur. Stupefacti inſolentiâ rei fabri, ſimúlque experimentum prodigij ſumpturi lignis, quæ reſtabant, Prodigium. per noctem incumbunt. Rideant, quæ narramus, incredulitatis alumni, operum Dei admirabilium ſubſannatores; non nos eorũ terret dicacitas; humano ingenio Dei metiri potentiam, & ſtultum & impium cenſemus.

Ipſi ergo fabri cum lignis in Translatio. verticem montis, in quem reliqua jam materia evolaverat, per quietem rapti ſunt; quo factum, vt perſuaſi rerum tam mirabilium eventu Magiſtratus, templum ſinemora jugo montis imponerent, in eóque piè Imaginem collocarent, in quoddam veluti gentis ſuæ aſylum, communéque vicinarum civitatum præſidium. Patuit confeſtim, quâ mente ſedem ſibi Virgo apud VViddernenſes delegiſſet. Etenim quemadmodum aperto fonte, qui ignotus agricolis ſtagnantes diu intra cavernam vndas coërcuit, vberes ac limpidi in prata rivi defluunt, quibus exſaturata æſtuans, hiánſque calore tellus copioſo mox germine luxuriat; ita in homines Mariæ ſtatim ſe bonitas diffudit. Pul- Morbi. ſæ ab humanis corporibus malignæ febres, lentâ tabe in mortem vergentibus ſalus, ſpéſque vitæ reddita, debilibus membrorum vigor, animo anxijs quies, atque tranquillitas donata. Verbo: fæ-

cundam pijſſima Virgo ſe præbuit miſericordiæ Matrem.

Invaſit inter hæc VViddernenſem agrum ſæva lues, Hæreſis ſcilicet, animis magis, quàm corporibus noxia. Itaque quod multis alijs in Germania vrbibus, hoc & VViddernæ accidit, vt jam non gradu, ſed præcipiti curſu à virtute deſciſceret, tranſirétque ad vitia hæreſis labe ſemel infecta. Negare & tunc cœpit liberalem manum hominibus, fidem negantibus Deipara Virgo, certiſſimo documento, ſtare non poſſe favorem cæli, vbi religio collabaſcit. Stetit ergo longo deinceps tempore nullo cultu, nullóque ſplendore conſpicuum Virginis templum: ſtetit & cultoribus deſtituta Statua, aut nolentibus, aut non audentibus eam loco movere hæreticis, ob veterem miraculorum, quæ patraverat, gloriam, memoriámque.

Itaque ne inhonora, ſitúque ac pulveribus obſita omnem tandem, vel dignitatis, vel religionis priſtinæ ſpeciem amitteret, aliò transferri Virgini eſt viſum. Bambergam elegit, cuius avitam in ſe pietatem, pleniſſimámque ſinceri cuiuſdam amoris venerationem ignorare non poterat. Non ſtatim tamen atque in urbem delata Imago eſt, honos ei publicè haberi cœptus. Remoram injecit civis quidam nomine Caſparus Neuhofer, Apoſtolicâ Cæſareáque Auctoritate Notarius. Is cùm Imaginem Anno 1617. ab amico quodam ſuo ex hæreticorum ereptam manibus domo ac ſacello recepiſſet, plures annos cultum ei honorémque privatum exhibuit, non ſine remorſu aliquo animi (ut ipſemet referre ſolitus eſt) conſcientiáque occultati tam diu ſplendidiſſimi ac publico nati ſideris.

Lachrymæ.

Tandem die quadam inter precandum, cùm animadvertiſſet, altero ex oculo liquorem quendã oleo, quàm aquæ ſimiliorem, profluere, territus, ac jam planè religioni ſibi ducens, moras in hoc detegendo theſauro longiores trahere, duobus è Collegio Soc. IESV Sacerdotibus, & recens ſtillantis olei miraculum, & totã, quam hactenus recenſuimus, hiſtoriam aperit, ſcriptóque prolixo, cui nomen atque inſignia ſua appreſſit, firmat. Patres Collegij ipſo feſto Purificatæ Virginis anno 1625. in templo eam exponunt, Eccleſiaſtéſque, cùm multa præclara de laudibus magnæ Matris atque huius ipſius Iconis miraculis dixiſſet, xenij loco offert populo proniſſimè audienti, acceptantíque. Atque hîc demum priſtinus, (Pietas.) alibi ei exhibitus revixit honor, redijt donariorum copia, ac ſplendor & gloria miraculorum. Ex quibus unum appono, unde cætera æſtimari queant.

Seceſſerat meſſis tempore, anno 1628. Virgo quædam ſive negotij, ſive animi causâ in vicinum oppidum: inter eundum prædantiũ equitum globum conſpicata timere cœpit notam ejus farinæ hominum petulantiam. Metum ſolitudo augebat, & vanus in ampliſſimo campo clamor; ſola quippe

pe

pe erat, neque è vicinio, ſi vis pararetur, ſpes ulla. Irruit interim è prædatrice cohorte unus haud adeò timendus, ſi nummos poſceret; ſed aliò ſcilicet ſpectabat protervia: caſtitatis florem extorquere propoſitum erat. Quid faceret omni humanâ ope deſtituta puella? Illico Bambergenſi Divæ æternam virginitatem ſpondet, ſi hoc contingat periculo fungi; dixerat, &, ecce prodigium! apparuêre quippe meſſorum quoquo verſum frequentes catervæ, qui colligendis manipulis inſtare videbantur, quibus viſis, leno ille in fugam propere actus, Virgo metu ac præſenti periculo liberata eſt. Meſſores quaſi functi officio ex oculis evanuêre.

Caſtitas.

Ex hiſt. typis cum approbatione edita Bambergæ 1647.

L X I X.

Imago B. V. Miraculoſa EVERHARDO-CLVSANA. *Cluſæ in Germania S.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Maturè nego in Deipara juſta maculam.*

1. Civilis virtus in ruſtico.
2. Periſtromata pretioſa.
3. Miraculum vini.

TErtiam tibi columnam, & tertiam quoque Imaginem Deiparæ doloroſam ex Germania affero, magno ijs ſolatio, qui Mariæ honori operantur, & magna quæque aggrediuntur.

Poſuit hanc in trivio, è quo Treviros, Coloniam, & Moguntiam, urbes præcipuas iter eſt, Everardus quiſpiam è pago Eſch, ruſticus homo: quem tamen virtutes plùs quàm civiles nobilitârunt, pietas ſincera, ſimplex patientia, &, quod caput eſt, in caſto cælibatu vita laborioſâ Deiparæ fecêre acceptum. Nec mirum: nam & ipſi quoque Deipara in corde ſemper, & ore fuit. Ipſe cùm ad opus in agrum procederet, Baſilicam ſuam, columnâ non amplius vnâ ſtructam, inviſit: preces fudit, quandoque etiam accensâ coram Imagine candelâ feſtiviùs Patronam ſuam veneratus. Nec deſtitit, uſque dum & exemplo ſuo, & hortatione, vicinos quoque hac in Virginem pietate faceret æmulos.

Ruſticus.

Exemplum.

Non diu tulit Virgo ſuos ſalutatores; quin quandoque ea, quæ humanas artes ſuperant, petentibus per miraculum annueret. Hinc tantus populi fuit accurſus, vt quandoque templorum frequentiam vel æquaret, vel etiam ſuperaret. Magna apud omnes Everardi fama: quæ tamen in auram inter cachinnos tota avolavit, quam primùm ſomnia ſua

produxit, quibus à gravi Matrona juſſus eſt columnam ſacello tegere. Et fortè, (etſi ter è cælo monitus) plebis ſcitum ſecutus, opus vel nunquam lapide poſito inchoâſſet, vel inchoatum deſtituiſſet; niſi loci parochus hominem animâſſet: quas ipſas paſtoris ſui voces acui ſentiebat, iteratis identidem per ſomnium, & penè inculcatis monitis.

Parochus.

Itaque decenti in loco, nec multùm ab architecturæ legibus aberrans foſſam, coloni potiùs quàm architecti ritu, ducit, eámque primo lapide honorat in ſacræ fabricæ fundamentum; & huic ſecundum, tertiúmque ſuperimponit, hactenus nulli regum ſupplex pecuniarum ergò; idque ſolùm memorans, ſibique identidem occinens: Siquidem, vt credo, Dei voluntas eſt, vt hæc à me templi fabrica perficiatur, ſubmittet ipſe in tempora ea, quibus opus eſt. Mos namque Dei eſt dare, quod jubet. Everarde, inquiebat, ne metue: Virgo eſt, quæ imperavit; faciet ipſa, vt facias, quod juſſit. Dictum, factum: nunc hic, nunc ille, alius atque alius, pecunias, vecturas, calcem, materiam lateritiam ita in tempore ad fabricam contulit, vt nulla non dies materiam laboranti præberet; nullâ tamen etiam die ſciret, quis in ſequentem eſſet neceſſaria allaturus. Ita fabrica denique non invenuſti ſacelli ſtetit; ad quod vndique accurrêre populi ſpectatum miracula, quæ raritate & multitudine ſuâ Everardi curas fecêre celebriores. Legitima fama eſt, jam tum cæcis, ſurdis, claudis, mutis, & leproſis hic remedium inventum. A dæmone quoque, ſive per maleficia, ſive graviùs afflictos, præter non paucos furioſos, & maniacos, divinâ virtute, ad ſe rediſſe teſtantur inter pretioſa & glorioſa anathemata viles grallæ, & infamia vincula, quæ periſtromatum loco parietes templi hodieque tegunt.

Paupertas.

Quamdiu nullius lucri ſpes affulſit, nemo fuit, qui cum poteſtate Everardo moleſtus eſſet: nemo, qui pij hominis laborioſâ, & nemini incommodam fabricam non laudaret. At vbi ſacellum flaveſcere auro cœpit; hic enim verò nihil non peſſimè actum erat ab Everardo. Quis fundum dedit? Quis veniam ſtruendæ fabricæ, & quidem ſacræ? Dum litigatur, dum cauſa trahitur, Statua quidem ſacra in templum Pieſportenſe deportatur, non ſine ſpe auri, quod Statuam comitari ſolebat. Everardus verò velut omnium ſcelerum reus in carceres & vincula compingitur. Ita ludit quoq; in orbe terrarum cum filijs ſuis Mater non alio ritu, quàm filius ſolet.

Lucrum.

Res diu, multúmque à Rhadamanto plùs quã accuratè examinata eſt; nihil tamen fingi potuit in Everardo plecti dignum. Ita litem contra Superos licet conteſtatam deſeruit hic judex &. Everardum libertati, quam nunquam merito ſuo amiſerat, reſtituit, facto beneficio, latronum more, ſuperbus. Interea Everardus jam non ſomnijs, ſed cæleſtibus ſine fraude

Examen.

Conſola-tio. de indicijs, & quidem repetitis identidem monetur, jubetúrque è ſacello facere templum. Hæc amici (quis enim ſimilia concredat inimicis?) riſu excepêre, tantùm non Tobiam occinentes, qui & ipſe à foſſione, amicorum rogatu, deſiſtere noluerat: ob quam paulò antè conjectus in carcerem penè vitam amiſerat.

Parochus Eſchenſis unus unicúſque fuit, qui hominem ſolatus, fecit, ut juſſis divinis obtemperaret. Ipſe Everardus animum nullo quidem evidenti indicio ſecurum, majorem tamen ſibi fecit, illud ſibi nunquam non ingerens: Si Dei voluntas eſt, ut per me è ſacello templum fiat, dabit ille neceſſaria pro templo, vti dedit pro ſacello. Dat enim, quod jubet. Fiducia. Vide, lector, tardam quidem in auxilia quandoque Deiparam, ſed in tempore opportuno nunquam ſuos deſerentem. Vix Everardus ſtatuerat parère imperanti Deo; cùm ecce! mutatis repentè omnium animis, nullo rogante, operam ſuam offerunt artifices & operarij, pretium laboris expectaturi, quamdiu vellet: ipſúmque fabricæ pretium offerunt ſummi, infimíque, certántq; cũ civibus coloni. Et, vt fuerit non exigua laborantium & pecunias comportantium multitudo, a tamen magnis modis aucta eſt miraculo, quod ob raritatẽ & gratiã plurimùm apud omnes valuit.

Querelæ. Æſtuabat cælum, & operarios ad querelas cum ſudore cogebat, non ſine minis, ceſſaturos ſe ad unum omnes, niſi vinum Everardus afferret, in multorum grandem ſitim ſuffecturum; quæ lagenam paulò antè apportatam jam exſiccâſſet. Everardus querulos, quantumvis ultra pactam mercedem poſtularent, bono animo eſſe juſſit. Itaque lagenam vacuam ad pedes Deiparæ abjicit; ipſe in genua proſtratus, omnibus inſpectantibus, orationem expaſſis in crucis formam brachijs orditur, & poſt breves preces lagenam optimo impletam vino, Vinum. quod Virgo miſiſſet, operarijs porrigit, quo querulæ aſperitatem linguæ rigent. Neque huius miraculi aſſerendi aptiores teſtes fuêre, quàm qui jurare poterant, & totam ſe priùs vacuâſſe vino lagenam, & neminem fuiſſe, qui ſecundo par bibiſſet.

Dulce præ cæteris portentum ad majora ſperanda populo gradum fecit. Lubet afferre verba, quibus ipſe Everardus à Virgine Oratio. petijt, & obtinuit, quibus quandoque opus erat. Ea roganti amico ſic adnumeravit. Ego, inquit amicè, quando deficiunt me neceſſaria, ad Virginem Mariam videlicet, Matrem Dei, Dominam meam, & cæli Reginam, flecto genua ad ejus clementiam, & dico: O domina mea! tu imperaſti ædificare hanc domum, ac niſi ſuccurreris mihi, dederíſque, unde vivere, & ſupplere poſſim, vt juſſiſti, cogor, & neceſſe habeo, ceſſare ab eo, quod, te jubente, incœpi. Hiſce precibus ad Virginem confidenter effuſis, ſtatim, cùm ad ſolita revertor, dat area mea panem, cella vinum, fovea arenam;

mundúſque operarios, qui gratis mihi miniſtrent, & certati Dominę ſuę ſervire contendant. Hęc ille.

Sed vt ad hiſtoriam redeamus, quam illi à me nimis fusè narrari non queerentur, qui Deiparæ negotia tractant, non ignari, ſe in Everardo deſcribi. Jam rerum dominus Everardus, ſuperatis cùm carcere contumelijs omnem diſcuſſerat nubem adverſæ fortunæ; cùm ecce! Parochus Pieſportenſis Ioannes Oronis Berncaſtellanus poſt liberatum carcere Everardum, & Statuam cum ſpe meſſis ablatam, nova bella molitur, apud Vicarium primò; deinde Capitulum Trevirenſe, denique ipſum Epiſcopum Brixinenſem, Cardinalem Cuſanum, qui tunc cum poteſtate Nuncij Apoſtolici Rheno præfuerat. Is quia vera credidit, quæ Parochus confinxerat, vetuit Everardo vlteriùs in fabrica progredi, intentato anathematis fulmine. Everardus hæc Virgini queſtus, à Cardinale veniam proſtratus petit finiundi operis: ſed coloni oratione rationes Parochi fuère valentiores. Interea Cardinalis letali repente morbo correptus, mali causâ cognitâ, omnem Everardo reſtituit poteſtatem, & auxilium quoque, ſi convaleſceret, promiſit: convaluit ille quidem; ſed alio iterum morbo in lectum abjectus, non ita multò pòſt, dum Romam repeteret, obijt.

Parochus quoque oculos aperuit, quos illi hactenus ſpes auri clauſerat. Matrona, quam ſacris Eccleſiæ ad ultimam luctam muniverat, aſſeveravit, ſe victuram, ſi ipſe in templo nondum finito ſacrificaret; & diſſuadentem obteſtata mulier eſt. Ita coactus in altari, quod vocant, portatili miſſæ SS. ſacrificium peragit, Deum precatus his verbis: (juvat ipſa, vt ſunt, afferre) Optime Deus, ſi in tuo æterno Decreto ſtatutum eſt, Sanctiſſimam Matrem tuam hoc loco honorare; oſtende id mihi hodierno die, indigno famulo tuo, manifeſto indicio, & mox redde ſanitatem per merita S. Matris tuæ ægrotanti matronæ, pro qua miſſam dico; vt ex hoc aliud & ego ſentiam de hoc loco, & meos etiam parochianos aliter de tota re inſtruam. Dictum, factum: nam mox perfecto ſacrificio ad matronam reverſus, ſanam & valentem invenit. Itaque primus ipſe miraculi præco culpam ſuam cum lacrimis deprecatus eſt.

Templum denique omni ex parte finitum, Archiepiſcopus Trevirenſis contra morem ſuum ipſe anno 1540. dedicavit, tanto hominum concurſu, vt aliunde è circùm vicinis locis annona fuerit advehenda. Everardus undecim annis iniquiſſimis adverſariorum conatibus laceratus, & fractus, annum non ampliùs unum ſupervixit. Atque vt orbi quoque conſtaret, labores cælo placuiſſe, divini deſtinatione conſilij octavo Septembris, ipſo naſcentis Virginis feſto, mundo, cui jam dudum mortuus erat, valedixit, cælóq; natus, & illatus eſt. Quam mercedē habituri ſint, qui tam prudenter, támque piè (ſi Superis placet) conati-

Cultus

Morbus.

Parochus.

Confeſſio.

Templi.

nati-

natibus Everardi obſtiterunt, tunc patebit, cùm omnia patebunt. Interim, Fili, accedens ad ſervitutem Mariæ Matris Dei, præpara animam tuam ad tentationem.

Hiſtoria typis authoritate publicâ vulgata eſt. Imaginem ad me miſit, & hæc excerpſit R. P. Ioannes Bilſtein Coloniæ.

***

L X X.

Imago B. V. Miraculoſa TODT-MOSIANA.

Todt-moſæ in Germania. S.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Lapſum ac reatum Adami nivea ignoret.*

1. Mare mortuum.
2. Templum illæſum ab Hæreſi.
3. Mirus cæci Heretici ſucceſſus.

Maximarum Germaniæ ſylvarum una eſt Hercynia, quam incolæ ob altiſſimarum arborum perpetuam umbram vocant Nigram. Hæc olim paludem habuit mari mortuo peiorem, tetrâ mephiti, quam in omnem latè regionem ſparſit, nulli animalium non lethalem. Hinc apud Germanos à morte nomen hauſit, Todtmos appellata.

Inter præaltos montes, & ſylvas nõn amæniores, collis exurgit, qui pulchri nomen adeptus eſt; ſeu quòd unus inter omnes venuſtiùs ſylveſcat, ſeu quòd miraculoſæ Imaginis ſedes eſt. Certè non averſata loci naturam Virgo, anno Chriſti 1255. Reverendo D. Theodorico Parocho Richenbacenſi per ſpeciem oblata eſt, monuitque diſertis verbis, velle ſe, vt Pulchrum Collem poſthac ſibi in habitationem deligeret, ſibíque eo loco ſerviret. Excuſſum cum ſomno cæleſte monitum toties repetijt Virgo, dum denique fidem inveniret. Sed quâ terrarum parte quærendus eſſet hic collis, non parùm habebat ſolicitum Theodoricum, ad cætera omnia jam paratum. Interim Tornio quiſpiam, quem dies ante tempus deſeruerat, à parocho ſuſceptus eſt hoſpitio.

Felix cæna, quæ duos Deiparæ tam devotos ſervos conjunxit. Tornio non ſine lætitia ſingulari Theodorici auditor, poſtquam & nominari, & ignorari pulchrũ collẽ audivit, ſe verò exclamat, & ducem viæ fore, & laboris ſocium.

Noctẽ inter Mariæ laudes penè ſine ſomno exactâ, viam exordiuntur, adjunctis ſibi nonnullis faciendo operi aptis. Locum vbi attigerunt, ſalutatâ Virgine, fruticesprimùm leviores extirpant; deinde etiam arbores nonnullas minores deijciunt, & locum parant ædiculæ, quam Theodoricus

cus brevi è ligno compactam incoluit: atque hoc primum Virgini obſequium præſtitiſſe non contentus, de ſacello non pauca eſt locutus, in quo Virgo à ſe coleretur. Sed obſtabant arbores tantæ altitudinis, quantam, qui non viderunt, mente concipere non ſolent. Hæ quia ipſum ſolem (denſæ frequentéſque) excludebant, noctem potiùs perpetuam, quàm vmbram fecêre: vnde videas, ſylvam non malè nomen accepiſſe à nigredine.

Sacellum.

Itaque Deipara iterum per ſomnium conſpecta Theodoricum docet, pinum, quam neſcio quis incisâ cruce notaverat, admotâ ſecuri in terram deijceret, ex ipſo arboris caſu viſurum, quà templi longitudo vergere debeat; cacumen verò quò pertinuiſſet, ibi altaris locum fore. Omnia bene. Nec putem, ijs in terris unquam alacrioribus animis laboratum. Cæterùm vt aliquid de Auſtriaca pietate locus haberet, tenuior domeſticæ rei fortuna fecit.

Altare.

Quapropter Rudolphum Habsburgi, & Alſatiæ tunc Comitem adit, eúmque rei totius narratione adeò ſuum facit; vt quamprimùm & ſylvam, & proventus ſcriptis rite litteris firmatos, loco tribueret. Hinc ędicula in juſti templi formam excrevit, & ab Everardo Conſtant: Epiſcopo dedicata & Parochiali jure dotata eſt anno 1268. demum à Leopoldo Auſtriaco anno 1319. Monaſterio D. Blaſij, Ordinis S. Benedicti donatione perpetuâ ceſſit.

Statua, quæ hodie colitur, illa ipſa eſt, quam Theodoricus intulit. Eſt lignea, & juſtam hominis ſtaturam æquat. Sedet, & filium genibus exceptum luget. Vultus hodieque non ſine miraculo vividus eſt, & primævi adhuc coloris retinens: quantumvis reliquum Statuæ buſtum verè buſtum ſit, ex quo olim flammis erepta eſt, & tota quanta (ſi collum cum capite excipias) in carbonem verſa. Hinc pretioſa, quibus tegitur, pallia non ornatûs modò, ſed & neceſſitatis rationem habent.

Vestis.

Crevit inter arbores etiam loci celebritas, fecítque, vt ſub annum 1628. Blaſius Abbas S. Blaſij, templum, ſive quia tantæ multitudinis non capax, ſive quia ruinæ proximum, omnino deijceret, maiúſque ac elegantius ædificaret; quod hodieque à priſtina æſtimatione non deſciſcit, plurimum ad id conferente Vigilantiſſimo Præſule, qui numeroſo Religioſorum cætui religiosè hodie, & eruditè præeſt. Copiam gratiarum cæleſtium arguunt anathemata magno numero per vaſtos templi parietes, quæ præ alijs ob raritatem ſuam merentur admirationem.

Gratiæ.

Primum eſto, militum Heterodoxorum incredibilis modeſtia, vel ideo inter mira, & miracula ponenda, quòd Deiparæ Statuis nunquam non infenſi, loco huic nunquam tot annis fuerint iniqui. Creditur timor divinitus injectus levibus animis, ne quid atrox auderent in ſacrum locum; etſi aliàs latè omnia ritu barbaro non ſemel vaſtaverint.

Adde ſecundo loco, plures per

rapa-

rapaciſſimi Rheni præcipites vortices abreptos natatu evaſiſſe, poſtquam ſe Todt-moſianæ Virgini inter vndas commendârunt.

Illud fortè rarius, quòd Materno cuipiam non magis corporis, quàm mentis oculis capto, vt quem hæreſis ab infantiâ excæcaverat, contigit. Is monitu amici orthodoxi Virginem adit, & ſine morâ oculorum vſum, obtinet. Ne ingratus eſſet, Soſpitatrici annuo reditu beneficium teſtatus eſt, dum alius quiſpiam cæcus cæco, hæreticus hæretico ſe ducem præſtitit, & votivam peregrinationem annuam diſſuaſit, nullo vtique Materni lucro, qui in priorem cæcitatem relapſus eſt, vt totus oculatus fieret. Nam poſtquã facti pœnitẽs novo voto annui redditûs ſe adſtrinxit, & errorem eiurauit, redière oculi, & oculorum vſus; &, quod caput rei eſt, ſanitas mentis, meliùs de ſuperis ſentire docta.

Conſilium.

Cuidam apparens Virgo ſcriptum morbi remedium libello precatorio impoſuit: quod ille altero die inventum, lectúmque, morbo adhibuit, & convaluit. Hæc omnia non tantùm legitimo ritu examinata pro veris habentur, ſed etiamnum hoc anno, quo ſcribo, teſtes (vt ad me perſcriptum eſt) habent ſuperſtites.

Medicina

Narrationem cum Imagine miſit ad me Conſtantiâ R.P. Georgius Gobat, Soc. IESV.

LXXI.

Imago B. V. Miraculoſa AD TILIAM. In M. S. Georgij in Germania. S.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Iurè negamus maculam in tota Deipara.*

1. Columba Sacra.

2. Conjugum ingens refugium.

3. Anima purgatorij.

Diu eſt, cùm hoc in monte ad vallem Oeni poſito è Boicâ nobilitate nonnulli vitam egere eremiticam. Initium tam arduæ virtuti dedit Dynaſta Aiblinganus Ratholdus, cuius totam, & antiquam proſapiam jam pridem delevit tempus, nimiùm quantùm proſapiarum nobilium edax. Hic repertum in ſixo ſpecum ad vſus rudi opere accomodatum incoluit, non paulò vltra ſenectutis initia; quæ tam humidi frigoris non bene cùm ſuſtineret rigorem, coëgit maximè propinquorum accedente conſilio, cellam ſibi ſtruere loco amæniore. Electus ad hoc collis perquam amænus. Fervet opus: ſed eventu minore, quoniam ex operarijs aliquos inopinus ex alto caſus afflixit; alios cæterâ non imperitos artis incautè ſublata ſecuris, aut ductus culter non perfunctoriè vulneravit. Breviter: pauca ritè, & ex arte, plura inauſpicatò gerebantur; ita vt muſſitarent inter ſe opifices, non videri è Numinis placito hic loci ſacram habitationem conſtrui. Cogita-

Specus.

gitationem hanc cælo operarijs illapſam fuiſſe, per columbas nunciatum eſt ſiquidem confeſtim rari candoris palumbes duæ nullâ reverentiâ aſtantium operariorũ, ramenta vulneratorum ſanguine imbuta abſtulerunt.

Res digna viſa eſt, cujus exploraretur exitus, juberétque ſequi avolantes columbas. Crebriùs rediêre ſacræ aves, ſublatiſq; ut ante, ramentis cruore infeſtis, relegêre viam à prima non diverſam. Credebant cum Dño operarij, velle cœlum, vt ſequerentur volantes, & inventum locum, quò ramenta depoſuiſſent columbæ, huic præferrent. Itum eſt igitur in ſilvam, & perarduo aſcenſu repertus eſt cum columbis rupis percommodæ apex. H c enim verò viæ non pœnituit curioſos, ſed pios veſtigatores. Viſum ijs eſt, hoc in jugo optare Deiparam ſibi, ſervóque ſuo Dynaſtæ Aiblingano habitationem: etenim & ramẽta à columbis huc comportata ſunt, & in tecti formam non inconcinnè compoſita, ſatis docuêre, hoc maximè loco placere Deo fabricã. Domus itaq; & ſacra ædicula Rhatoldo erigitur, & S. Georgio dedicatur. Is famâ nominis ſui alios quoq; non diſparis nobilitatis viros ad ſui imitationem traxit.

Columbæ.

Templum.

Cella cúiq; ſua fuit, adiunctáq; cellæ ædicula. Brixinenſium Epiſcopum curâ deinde vita eremitica in cœnobiticam felici conſilio mutata eſt, & D. Benedicti alumnis locus traditus. Hi ſacellum D. Georgij in templum, cellam in cœnobium vertêre. Cæteras cellas & his adiunctas ædiculas tempus abſumpſit, ſi vnam excipias, quæ D. Virgini dicata ſacello S. Georgij penè coæva etiamnum perſtat, ſed ita aucta, vt vel ipſe auctor augmentum fabricæ ſuæ mirari ſatis nequiret. De Tiliâ nomen habet, quia adſita non longè Tilia grată[?] ſam peregrinis umbram præbet.

Eremitæ.

Statua Virginis, quæ Filium genibus exceptum luget, ſanè perantiqua eſt. An illa ſit, quam Ratholdi ſocius ſacello ſuo tandem quinto abhinc ſæculo intulit, nõ habeo dicere. Concurſum populi, certo tempore ſupplicatum venientis, cient vetuſtiſſimæ Indulgentiæ ſummorum Pontificum. Illæ, quę ab Epiſcopo Milenſi, Nuntio Apoſtolico, anno 1395. datę ſunt, etiamnum in tabulario ſervantur. Illud dolendum, quòd miracula pleraq; hic patrata, majorum incuriâ, litteris tradita non ſint.

Salutem.

Hodie illi maximè opem ibi inveniunt, qui malis affliguntur, ſine quibus ſtatus conjugalis hi ſeculis rarò ſeneſcit. Fuit qui ſacrificium, neſcio cujus voti reus; huic ſacro loco deberet: hunc mors abripuit; cælo utique nondũ ſatis commodum, donec negligentiam ſuam, & negligentiæ pænas, non ſine lamentis aperuit eis, quos ſperabat à ſe omiſſum Miſſæ ſacrificium procuraturos. Cætera ad me miſſa miracula, quia à conſuetis non differunt, omitto.

Gratiæ.

Relationem ex archivio cum adjunctis pluribus hac de re tractantibus litteris ad me miſit Ampliſ. & Religioſiſ. D. D. Benedictus Abbas Monaſterij Montis S. Georgij Ord. S. Benedicti.

LXXII.

V X I I.

Imago B. V. Miraculoſa WECHENTHALLENSIS. *Rottenburgi in Germania S.*

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *En! purâ, Dei amans, & immaculata virgo.*

1. B. V. fucum, ſtibium, ceruſſam odit.

2. Columna in templo.

3. B. V. etiam malis benevola.

PEr antiquus Germanorum mos eſt, & fortaſſis vnà cum religione Chriſtiana Germaniæ illatus; quo Cælites non modò in urbium, pagorúmque templis, domibúſque colimus, ſed etiam in apertis campis. Hinc videre eſt paſſim ad regias vias tantam iconum copiam, ut perdifficile ſit, ac laborioſum, ſacrorum iſtorum Terminorum inire numerum. Columnæ ſolido è ſaxo, quibus capitelli loco loculamentum eſt: huic Divi cuiuſpiam, ſæpius tamen Deiparæ, picta, ſculpta, vel etiam ex officina lateritia opere plaſtico confecta icon; ſtatuáve imponitur, clathris quandoque ferreis, & inauratis, uti & tecto, cui crux pro faſtigio eſt, ab injurijs cœli defenditur. Vbi vivi lapidis copia non eſt, laterculus adhibetur. Coloni è trabe conficiunt, quâ terræ committitur præuſtâ, opere quandoque non ineleganti; quin etiam colore inducitur rubro, aut viridi: hinc nonnunquam ætatem ferunt, & ſæculum ſuperant.

Colu-mnæ.

Dici non poteſt, quantùm viatoribus hæ metæ proſint. Vacuus quandoque, nec tamen ad cantandum paratus viator, quia laſſus, hic inter quieſcendum vires reſtaurat, & quos fortè ſub aperto cælo Superos non cogitârat, hic etiam in viæ ſolatium invocat; quandoque etiam preces fundit & vota facit, quæ rediturus vel conjecto in appoſitam urnam nummo, vel affixâ cerâ ſolvat. Hæ pluſquàm Herculeæ columnæ viatori fidem indicant, quam ea in regione exſpectare debeat: nunquam enim malâ fide vivitur, quando hi Termini regionem definiunt; ſiquidem, quotquot Romano Catholicæ fidei bellum indixêre, in has metas prima conſumpsêre prælia, & primas vires: Hæreſis. quin ipſis in terris, vbi bonâ fide vivitur, cùm malæ fidei homo quiſpiam columnam eiuſmodi præterit, circumſpicit primùm, atque ubi ſe ſine teſte ſolum videt, Iconem ſacram vel luto conſpurcat, vel naribus auribúſque mutilat, vel pedes cum brachijs truncat. Vidimus hoc ad ipſam Templi Cathedralis portam, in ambitu templi, vbi Chriſto Crucifixo unà Crucifixus. cum latrone dextro miſerrimè

lacerato ſiniſter latro integerrimus permanſit, vt ſcias, quo cum ſenſerit vivus, quo cum futurus ſit poſt mortem, qui tam indignis modis vetuſtiſſimum è lapide monumentum tractavit.

Stetit eiuſmodi Columna ſolido è lapide Röttenburgi ad Nicrū, ea in via, quæ Remingā pagum heterodxum ducit, huic loculamento ſuó ſteterat jam dudum impoſita Deiparæ dolentis ſculpta è ligno ſtatua, Filium è cruce depoſitum genibus excipientis. Fortè Hæreticorum quiſpiam hàc tranſiens, cùm nihil à ſe coëmptum recordaretur, quo gentis more è mercatu redux familiam exhilararet, hanc Statuam conſpicatus fortuitò, abſtulit, & parvulo, quem domi mater lactabat, puppæ in vicem dono dedit, ſed poſtero die Rottenburgum cùm rediiſſet, iterum Statuam ſuo loco in columna conſiſtere videt. Miratur primùm; ſed quia non ignorabat, neminem ſervorum (cùm nullum homo ruſticus haberet) loco ſuo reſtituiſſe, ſed nec uxorem domo pedem extuliſſe, aliam à priore ratus, hanc quoque domum detulit: quia verò domi eandem eſſe, non aliam deprehendit; ne iterum vel auferretur, vel ſponte ſuâ abiret Statua, arcæ incluſit, retentâ ſecum clave ſecurior: ſed ſubſequentemox die, cùm & clauſam arcam ſciret, & jam iteratò Statuam loco ſuo ſtare videret, in ſtuporem abire homo ruſticus cœpit, & divinum quid ſubvereri in hoc iterato Statuæ reditu, nec tertiùm tentare ſcelus.

Tranſlatio.

Res cum paucis amicorum communicata poſcebat ſecreti fidem: ſed quis hanc ab Heterodoxis expectet? Ita mox Catholicis quoque innotuit, à quibus certatim celebrari accurſibus vicinorum cœpta ſacratiſſima Icon: & appenſis votis, coniectíſque in appoſitam urnam nummis ita coli, ut brevi ſacellum ſtaret è ligno quidem, accurentium tamen pietati commodum, ſtatuæque non parùm glorioſum. Aucto deinde per congeſta dona ſacelli theſauro, facile fuit molem lapideam exſtruere, in qua, ut decentiùs Deiparæ ſacra Imago conſpiceretur, juſſi pictores ſunt faciem Virginis ornare coloribus; ſed poſtero die evanuere colores, & vultum Virgo ſuum reſumpſit. Itaque ad peritiores itum eſt, qui colores admoverent, quos lignum ſuſtineret: ſed & iſtos quamprimùm reſpuit, vultu non mutato. Ita demum didicere, qui operi præerant, Virginum Reginā omne ſtibium, omnémque ceruſſam, quin & omnem denique fucum odiſſe.

Silentium.

Monet.

Præter coronam è puro auro, gemmíſque interſtinctam copia anathematum arguit miraculorum patratorum multitudinem, quorum nonpauca hæreticis quoque à Matre gratiarum obtigiſſe conſtans fama eſt. Ita & inimicis quoque benefacit, ut eos ad meliora trahat. Columnæ ſuæ lapideæ etiamnum inſiſtit ſacra Statua, ita fabricam attemperante architecto, ut medium templi obtineat, nunquam loco ſuo

Corona.

mo-

mota. E miraculis unum appono.

Fuit, qui peregrinationem, ad quam ſe voto obſtrinxerat, differret primùm, deinde etiam negligeret; demum occupatus morte omnino exequi non poſſet. Obtinuit tamen, ut è purgantibus flammis, quibus hanc ob cauſam addictus erat, liceret ſacrum locum viſere. Venit, Virginiſq; portentoſam Statuam in columna veneratus eſt; & ne præpoſteri naſutæ poſteritatis Ariſtarchi rem in dubium vocarent, vel omnino factam negarent, oppidò graves ignis notas præſentiæ ſuæ teſtes ipſa in lapidea columna reliquit. Rem totam plùs, quàm fidei hoſtes petere poſſent, examinatam probatámque majores curavere ipſis templi muris inſcribi; ut, ſi fidei hoſtes taceant, lapides magnalia Deiparæ loquantur.

De hac Statua ſcripſit mihi R. P. VVolfgangus Lieb. Rottenburgo;

LXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. BOLESLAVIENSIS. *Boleslaviæ in Boemia.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Amici, en! pura genuit Adam Saluatorem.*

1. Reverentia boum.
2. Metallum incognitum.
3. Scyphus S. Ludmillæ.

BOleslavia Bohemiæ theſaurum habet in agro inventum. Statua eſt Deiparæ, quam ruſticus homo, cùm terram aratro proſcinderet, anno 1160. in gleba conſpexit, vtiquę tranſiturus, ſi boves velut venerabundi in terram non procubuiſſent. Suſtulit ſanè, & lætus domum tulit; & ne quis eam domeſticorum vel frangeret, vel auferret, in arca recluſit. Poſtridie cùm ad opus rediſſet, reperta iterum in agro Statua, iterum à ruſtico domum delata eſt. Crediderat bonus, habere ſe nunc duas inter ſe ad amuſſim ſimiles, dum domum redux & vacuam reperiret arcam, & eandem eſſe, non aliam, totis manibus palparet. Tanto argumento convictus vtcumque colonus, aliam tamen habere ſe credidit, cùm (vt nonnulli referunt) tertiùm eandem in agro reperit. Ita ſupremo Numini, cui ſermocinatio cum ſimplicibus eſt, ludere quandoque lubet in orbe terrarum cum filijs hominum.

Tranſlatio.

Canonicus Boleslavienſis Eccleſiæ, cui hæc ruſticus homo retulit, S. Statuæ locum dedit, è quo & cultum accipere majorem poſſet, &c. ſi ita Virgini placeret, etiā beneficia rependere. Dici non poteſt, quàm citò toti Bohemiæ Miracula.

virtus Statuę thaumaturgica innotuerit. Hodie inter gemmas Imperatorias ſedem invenit. Originem Statuæ huius, ſi ex metallo uno eſſet, & artificibus cognito, nemo eſſet, qui non deprehenderet. Quia verò confuſum ex pluribus metallum eſt, viam in tenebris monſtrat ſcyphus exiguæ magnitudinis, & inſigne temperantiæ argumentum, qui hodie inter Reliquias S. VVenceslai Boleſlaviæ conſervatur, è quo Divus bibere conſuevit. Hoc; inquam, poculum, quia ex eodem, quo Statua, metallo eſt, non vanè arguit Statuam quoque, ſi non eodem artifice, certè eodem tempore juſſu VVenceslai factam; niſi fortè velis poculum hoc ad Ludmillæ vſus (neque enim maius eſt, quàm deceat habere fœminam) factum, & ad nepotem VVenceslaum deveniſſe jure hæreditatis.

Certè auctor Bohemus de hac Statua ſcribens refert, S. Ludmillam S. VVenceslai aviam, priuſquàm ſacris Chriſtianis initiaretur, idolum coluiſſe, quod Cruſina dicebatur. Suſceptâ dein cum Baptiſmo fide idolum confregiſſe, atque inde Statuam Virginis (ſi non etiam temperantiæ hoc poculum) fieri juſſiſſe. Quod ſi ita eſt, non minùs peritos ætas illa habuit ſtatuarios, & aurifabros; quàm hæc noſtra ferat.

R.P. Andreas Schambogen Provincialis & R.P. Aloyſius Bohuſlaus Balbinus hæc ad me perſcripsêre.

L X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa AVLA-REGIENSIS. *Pragæ in Boemia.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Ergo ſine macula à vita, quia Deum parit.*

1. *Statua inter ignes illæſa.*
2. *Aula regia Reginæ Cœli.*
3. *Furor Hæreticus grandis.*

AUlæ Regiæ nomen Cœnobium Religioſorum Ciſtercienſium accepit, ſive quòd olim ibi Reges quandoque diuturniorem fecêre moram; cùm non plus uno milliari Pragâ diſtet: ſive quòd ipſa fabricæ magnificentia, quæ ſumma fuit, & eorum fidem facilè ſuperavit, qui non viderunt, nomen loco dederit. Cæterùm Imaginis miraculoſæ quæ ibi eſt, originem aliam non accepi. Miraculum, quod unum unicúmque (etſi cætera deeſſent) Statuæ hunc titulum tribuere poſſet, in hunc ſenſum ad me perſcriptum eſt. Imago

Anno 1620. quo Bohemia ſpecimen vidit eius temporis, quo tabeſcentibus hominibus præ timore

more & expectatione eorum, quæ ſuper ventura ſunt vniverſo orbi mors in votis eſt & remedium malorum. Eo inquam, anno, quo quod libuit licuit myſtæ hæreticorum Taboritarum, plebeculam Pragenſem propter communia non diſparis ſectæ ſtudia, oſtenſo cum præda cœnobio, ad facinus inſtigârunt, poſteris celebrandum, quo direptâ primùm omni ſuppellectili, tot locis ignem celeberrimo ædificio iniecere; ut una flamma vaſtiſſimum cum cœnobio templum corripuerit.

Hæreſis.

Poſtquam ſatis ſibi litatum credidit enthuſiaſmus Taboriticus Calviniani & Lutherani æmulus, tam ſplendidi facinoris patrator populus domum conceſſit. Vaneſcente dein flammâ deprehenſum eſt, totum cum templo cœnobium ita in cineres redactum eſſe, vt nihil ampliùs integrum inviolatúmque reperiretur, præter unam Crucem, ad cuius pedem duo Ottocari Reges depicti & hanc, de qua loquor, Virginis Statuam, quam nec fumus quidem libavit inter medios ignes. Hæc, ſi cætera non eſſent, ſufficere pijs poſſent agnoſcendam hac icone miram Virginis tutelam, quam ſacræ quoque Statuæ cultores expectare poſſunt.

Statua.

Rem nemini in Bohemia non notiſſimam ad me perſcripſit R. P. Ioannes Tanner, S. I.

LXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
ERNESTI EPISCOPI S. I.
Glacij in Boemia.

Prog: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *O ſane claram & puram Dei vivi Gnatam.*

1. Statua averſa oranti.
2. Oleum e ſepulchro.
3. Stabulum è templo.

Templum hoc quod hodie Soc. IESV eſt, ante quadringentos annos parochiale fuiſſe certò conſtat: quot antè annis ædificatum ſit ignoratur. Hæc Statua Virginis lignea eſt, quæ IESVM puerum brachio geſtat. Vnum ex omnibus miraculis, &, quod ſciri poteſt, primum recenſeo: de quo nolim iudicare lectorem, priuſquam totum legerit.

Puer erat, minoribus ſcholis operam navans. In hoc B. V. inſigne miraculum fecit, ſoli puero notum, & quibus puer narravit. Ego rem totam fide indubitatâ credo; nec dubito, lectorem quoque crediturum, ſi totum, quod ſcribo, perlegerit. Addo ipſa verba hominis, paucis omiſſis, quæ faſtidio lectori eſſe poterant.

Ego, inquit, inter peccatores præcipuus, non nocte, ſed in die publicè ſanærationis exiſtens, vigilans

gilans vidi cùm eſſem Glaxij puer in ſcholis & una dierum, opinor Sabbatho, in veſperis, cùm cantaretur, ni fallor, Salve Regina, & caſu aſpexiſſem Imaginem ibidem ſuper maius altare collocatam B. V. ecce repente facies Matris Dei valde indignanter ſe à me avertit, & partem dorſi mihi obvertit. Attonitus ego paulò pòſt ad me redij, vehementer horrui videre illam faciei, colli, & humerorum averſionem, quæ mihi videbantur ſordida, mucida, & quaſi lacerata, vt exprimere id non poſſim. Cœpi triſtis rogare Beatam Virginem, ut dignaretur mei miſereri, & vultum ſuum ad me convertere. Cùm ſic orarem, *Puer.* deſideravi cernere, an etiam facies Imaginis Chriſti Domini ſe à me avertiſſet; quam cùm averſam non vidiſſem, ſolatium accepi, & perrexi orare. Poſt aliquod ſpacium, lentè & quaſi non bene contenta ad me vultum ſuum convertit in priſtinum ſtatum. Quo facto gratias breviter B. Virgini egi, & cum alijs ad ſcholam reverſus nulli id manifeſtavi, ne tantus peccator apparerem.

His verbis, ſi duriorem lectorem nanciſcantur, fidem conabor facere, & rem altius, id eſt, *Epiſcopus.* ab ipſis temporibus S. VVolffgangi Epiſcopi, à pluribus ſeculis exordior, è cuius vita miraculis refertа unum factum affero, quod qui hodie faceret inter heroica numeraret, atque eò libentius affero, quia ſingulare eſt. Numerabat Diœceſis Ratisbonenſis ampliſſima jam à pluribus ſeculis inter ſubjectas ſibi terras totum regnum Bohemiæ Petiere Bohemi Epiſcopum proprium: non diſſentiebat Summus Pontifex; requirebatur tamen VVolfgangi conſenſus, ſine quo Bohemi Epiſcopum alium habituri non eſſent. Is conſiderato numero ovium, qui vnius paſtoris etiam exactam diligentiam fallere poſſet, libens volens ſine vllo pretio vel ſpe pretij (quanquam poſtea à Summo Pontifice Epiſc. Ratisbonenſis exemptionis privilegio donatus eſt) totum Regnum Bohemiæ ſuæ poteſtati permiſit. Quod, an omnibus ſucceſſoribus ex animo placuerit, non inquiſivit.

Ex eo tempore Bohemia Epiſcopos, & deinde etiam Archiepiſcopos habuit, ut apud eos videre eſt, quorum eſt hæc ſcribere. Primus Archiepiſcoporum Pragenſium fuit Erneſtus, de cuius virtute & doctrina ne dubites, ſcito ab ipſo MARILE de Laudibus B. V. pereruditè ſcriptum, quòd Auguſtiſſ. Imperator Ferd. III. repertum in arce Pragenſi curavit imprimi in forma majore. *Liber.* Virtutis eximiæ fuiſſe, ex ſepulchro eius habemus; tum quòd ſæpius liquorem oleo ſimillimum ſudaverit, qui, ſic, jubente Nuncio Apoſtolico, inter Sanctorum reliquias aſſervatur; tùm quòd ſepulchro ſuo à ſe conſtructo more veteri ſtatuam ſuam opere perfecto imponi è lapide juſſerit, non parùm miraculoſam; quando illa, vt prædixerat, pro incremento hæreſeos in partes rumpitur, quas lapicidæ ſcalpris ſuis ſic divellere

non poſſent. Accedit futurorum prædictio; nam præter hoc, quod dixi de hæreſi futurum, noluit poſt mortem ſuam in templo, quod ipſe Canonicis Regularibus conſtruxit, recondi: futurum namq; aiebat, ut olim in eo equi ſtabularentur, quod Fridericus paucorũ menſium pſeudo-Rex noſtro ſeculo fecit. Quin ipſum etiam templum dirutum ijs in turbis eſt. Sed templum elegit, quod hodie Soc. IESV habet. Hic hodiéque Erneſtus, de quo loquor ſitus eſt.

Propheta.

LXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa DE PLANCTV.

Romæ in Italia.

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O Divam purè genitam ſine atra Macula.*

1. Duellum impie ſceleſtum.
2. Planctus B. Virginis.
3. Hoſtilitas infelix.

O Duras hominum mentes! ô pectora cæca! Virum Roma habuit, Gualbertum nomine, dignum, in quem conijceret oculos imago Cruci affixi IESV amore inimico occiſi parentis injuriam condonavit.

Crucifixus.

Huic non diſſimile ſpectaculum expecta e viſa eſt Deipara côram hac, de qua loquor, Imagine ſua, quam, neſcio quis, olim in muro pinxit. Etenim prioris ſæculi anno quadrageſimo ſexto, inimicorum par, vt ex opinione hominum loquar, de controverſia eo in angiportu decernere decrevit. Alter tamen, & quidem armatus, adeóq; ſuperior, veniam ab hoſte efflagitare ſuſtinuit; vtiq; poſt quã non ſine ſuſpirio Imaginem Deiparæ conſpexit. Et profuiſſet ſanè alteri beneficium oblatum, ſi illud acceptare, ac eo uti noviſſet. At ferox animus, & in ſe potiùs, quàm in ſupplicem, crudelis, omnia alia, quàm veniam crepans, furénſque, etiã ſupplicis prodigioſam humanitatẽ egit in furias, ſuo, non illius exitio: nimirũ correptis vtrinq; telis (nã impio juſta arma nõ erant) brevi congreſſu victor evaſit, qui veniam popoſcit, & hoſtem vita exuit, pudendâ prorſus victoriâ.

Imago.

Nihil hic Virgo habuit, quod ſine dolore ſpectaret. Itaq; ad lacrimas, & planctum converſa oſtendit, qu d de vtriuſq; flagitio in præſenti Imaginis ſuæ patrato ſentiret. Imago ſacra architectorum diligentiâ, vnà cum parte muri templo parochiali S. Salvatoris proximo illata, titulum ei mutavit. Vnde hodie S. Maria de Planctu vocatur. Miraculorum deinde frequentia templum effecit capacius, quia Romanorum in hanc S. Imaginem pietas, & reverentia prioribus anguſtijs capi nõ poterat.

Octav. Pancirola in ſua Roma.

LXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

LIBERATRIX.

Romæ in Italia.

Prog: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Nil purius te, mea advocata miré magna.*

1. Serpentes Romæ culti.
2. Dæmon in formâ Draconis.
3. S. Sylveſtri Miraculum.

NEſcio, quid olim Romanæ Vrbi cum ſerpentibus, quidque Dæmoni cum Romanis fuerit, quem ab ipſo vſq; Peloponeſi Epidauro ſerpentis ſub larva urbi ſuperſtitioſè importârunt. Mamillas habuiſſe refert antiquitas. Atque utinam ſolus fuiſſet. Serpſit hæc propago ſerpentum more, & vilis Romæ habitus eſt, qui ſerpentem domi ſuæ non aluiſſet; utique honores, quos totos Eva non dederat Serpens. in Orbis paradiſo, in paradiſo Vrbis Romanę Orco reſtaurante. Terroribus non vanis concuſſa Roma eſt; quia ſpecum, quem Epidauria beſtia inſedit, nemo vivus egreſſus eſt; ſi quempiam libido videndi immiſit. Credi poterant præcipitati in Lacum Curtij, qui inde non procul adhuc hiabat.

D. Sylveſtro Pontifici datum è cęlo eſt, hoc Vrbem malo reddere immunem. Itaq; poteſtate è cælo acceptâ nocere porrò Vrbi beſtiã vetuit; nève his ſedibus ſuis pulſa forte alias quæreret, in hanc ſpecum incluſit, dum Judex veniret, daturus, quam meruiſſet, cum pænã ſententiam. Ac ne poſteri ignorarent, favore Virginis hoc Romanæ Vrbi beneficium contigiſſe, ut quæ jam olim huius, non alterius ſerpentis caput calcaneo ſuo preſſiſſet, Divæ Deiparæ Liberatrici in Dæmon. loco templum ſtat, quod etiamnũ Romanis in veneratione eſt.

Octav. Pancirola in ſua Roma.

LXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE SOLE.

Romæ in Italia.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Age munda pura, tota mira ſine macula.*

1. Virgo Centum & quindecim Annorum.
2. Imago innatans aquis.
3. Fulgor Cæleſtis ex Imagine.

ARtificem huius Imaginis miraculoſæ non inquiro: quid enim intereſt ſcire hominem non magnæ artis, ut qui fortaſſe ad al-

tiora artis lucra nunquam aſcendit; Plùs ad rem meam faceret nomen, & exitus ex hac vita illius, qui hac Virginis Imagine pictâ chartam Tiberi commiſit, imperitus natura, utique neſcius, quantum abijceret theſaurum. Magni nominis heros fuit, ſive illum contemptrix ſacrorum blaſphemia, ſive orco digna incuria ad hoc facinus perpulerit; quiſquis, inquam, is fuit: rem ſibi fecit non bonam, alijs non malam; præſertim nobili cuidam fæminæ Romanæ Hieronymæ; quæ vitam cum illibata virginitate ad annum centeſimum decimum quintum produxit. Hujus frater fortè ad ripam Tiberis inambulans, explicatam hanc chartam ſuper undas ferri, ipſo in litore conſpexit.

Virgo.

Turbavit hominem devotiſſimum, Deiparæ contumelioſum facinus, nec diu cunctatus chartam, ſeu miraculo, ſeu quòd non dudum in aquam abjecta eſſet, utcunque adhuc illibatam undis eripuit, domúmque ſorori gratiſſimum munus portavit. Illa gaudijs geſtiens inter cimelia reponit in ciſta: quam ubi, neſcio quid quæſitura, paucos poſt dies aperuit, fulgor oculos perſtrinxit, quem nulla aut lampadis, aut candelæ flamma, ſed nec titionis cujuſpiam ardens carbo daret. Res ad vicinos primùm devenit, paulò pòſt plateam, & cum foris omnibus Romam implevit. Fuere, qui de re diverſâ judicarent, & oppidò præceps in contraria ſtudia vulgus ibat. Nonnulli ad aniles Hierônymæ fabulas ablegabant novum commentum. Sed anteacta virginis ætas, & moresultra ſæculum in rarâ & difficili Virginitatis virtute præpotêrant; Hærebant alij, qui rem religioſiùs penſabant. Hanc fingendi, aut voluntatem, aut neceſſitatem utique non impoſituram annis ſenilibus, ne tot luſtrorum innocentiam obliteret. Si fingere olim & mentiri Hieronyma Lentina didiciſſet, utique non dilaturam fuiſſe tantæ artis experimentum in capillorum canitiem. Itaque ſacræ Imagini multi ſupplices accidérunt, petiêrúntque à Deipara, quæ miſeri ſolent: & quia quàm plurimos voti reos fecit, ſimul etiam Hieronymam omni fraudis ſuſpicione liberavit. Domus Hieronymæ verſa in templum; Deiparæ ſedes facta eſt, quam hodiéq; magno Vrbis bono tenet. Hæc longævæ virginitatis præmia ſunt.

Fama.

Mendacium.

Octav. Pancirola in ſua Romæ.

LXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
REGIENSIS.
Regij in Italia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Age, Numen paris, o Diua ter Immaculata.*

1. *Confeſſus pictor benepingit.*
2. *Curatio muti & ſurdi.*
3. *Concurſus ad miracula.*

AD murum religioſi horti R.R. PP. Servitarum Imaginem Deiparæ cum Puero Ieſu, neſcio quis, olim pinxit, manu non indoctâ. Facilè fuit, perire nomen artificis, quando nec Imagini ampliùs reverentia conſtitit, utique poſtquā ei nec cœli quidem injuriæ pepercerunt.

Pictor. Anno 1573. civi cuipiam Regienſi (Pratiſolo nomen fuit) placuit Imaginem ſuis ſumptibus renovare, & colores novos à pictore induci. Rogatus Ioannes Biancus, pictor non incelebris, operam ſuam non invitus locavit. Sed quia Imaginem nimium quantum de raſam, & penè nullam deprehendit, unam penicilli liturâ totam correxit, & meliorem picturus, contra quàm alij ſolent, colores paravit; etenim honorem Virgini, Confeſſio. & ſibi Virginem propitiam confeſſione ſacrâ facturus, ſe quàm accuratiſſimè paravit, ne quid nubilum oculi, aut tremulum manus retineret. Itaque B. Virgo Puero IESV aſſidens, eúmque adorans (opus Lelij orſi) præ alijs placuit. Hanc Imaginem factâ, vt dixi, confeſſione pingit, non minore utique diligentiâ, quàm animi ſui voluptate. Quis tum tranſeuntium fuerit ſenſus, non habeo dicere. Hoc mihi indubitatum eſt, rarum fuiſſe; qui ſpectatam à ſe Imaginem ſine reverentiâ tranſiret. Cæterùm primum favorem, quem cum aperto miraculo ad hanc Imaginem conferre Virgo conſtituerat, in vigeſimum tertium vſque annum diſtulit. Etenim anno 1569. tanto favori recipiendo delectus eſt juvenis quispiam, Marchinus nomine, ad cujus aures de Virginis gloria nihil vnquam pervenerat, qui nè unam quidem Salutationem Angelicam Virgini honorandæ pronunciârat, utrumque prohibente duplici naturæ vitio, aurium nempe, & linguæ. Is inquam, Imaginem ſacram tranſiens, ſéq; Deiparæ officiosè commendans, repentè & aurium & linguæ officia expertus, primus fuit, qui Virginem hac in Imagine gratioſam Miraculum. & beneficam eſſe proderet. Hunc præconem ſecuti alij atque alij, ſuas quiſque miſerias cum affectu prolocuti facilem in beneficia, & prodigia Virginem experti ſunt. Hinc donaria in cumulum congeſta,

geſta, theſaurum effecêre tantum, quã tus ad magnifici templi, quod hodiéque viſitur, fabricam ſufficiebat. In quo ſacra Imago cultum eximium habet, & mira patrat.

Ioannes Bapt. Alberti. lib. 2.

L X X X.

Imago B. V. Miraculoſa DE FONTE NOVO.

Monſemani in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Age Idea ſanè clara omnium puritatum.*

1. Beneficiorum nulla memoria.
2. Imago fundens lachrimas.
3. Excæcatus equus cum equite.

MOnſemanum oppidum diſtat ab urbe Piſtoia quinque paſſuum millibus. Hîc ſub ſpineto quopiam latuit ab avorum proavorúmque memoriâ tantùm non deſertum ſacellum. In muro templi picta Deiparæ Imago, & neglecta tunc, hodie apud Monſemanos grandia patrat miracula. Imago.

Hic anno à partu Virginis 1573. quinto nonas Iunij Alexandrum quempiam, de paſtoribus unum, & præquam ſimplicem, duo de grege vituli per avia, & devia diu ſequentem fatigaverant, quin etiam ad lacrimas compulerant. Ille hanc ante Imaginem in genua proſtratus, vix ſe vnà cum vitulis Deiparæ commendavit: cùm ecce uterque coram Alexandro ſe ſiſtit; non ignaro, quis tam ferociter paulò ante vitulantes cicurâſſet. Non auſus eſt Bubulcus hæc mira pro miris effundere: námq; ſciebat, quàm exigua ſimplicibus apud ſagaces eſſet fides. At verò vbi & ſæpius vituli à grege aberrârunt, & ſæpius ab Alexandro commendati Deiparæ cùm fructu ſunt, ſemotâ tantiſper, quæ ipſum hactenus morabatur, verecundiâ, ſuis rem, vt erat, denarrat, hi alijs. Inter multos, quibus Alexander jocari viſus eſt, fuere nonnulli, qui cum fide locum acceſſere, & morbis remedium invenere. Sed hi quoque, quibus prædicandæ Virginis cura incumbebat, inter eos erant, qui apud Senecam beneficia non ſolent in Kalendario ſcribere. Bubul.

Anno deinde 1602 quarto nonas Iunij, ad clamores, & ejulatus, quin etiam ad lacrimas (nam & harum ſunt non obſcura veſtigia) Virgo verſa eſt, quæ tamen præter paſtoritiam puellam nemo audiret, nemo videret. Sed cur puellæ fides haberetur, quam ſex ante luſtris non reperiſſet Alexander? Itaque ad hos quoque clamores ſurdi accolæ, non eo adhuc honore Virginem celebrabant, quē ipſa ambiebat. Fuêre tamen, qui ſeptimo menſis Iulij die ad Miſſæ ſacrificium convenirent, raro illic loci exemplo, & vix ſemel in an- Puella

nos ſingulos viſo. Hic enim vero terrium Deipara, quâ largitate profuſura eſſet cæleſtes theſauros, in ſcaturigine fontis oſtendit, qui repentè ſub orantium pedibus erupit, & in tempore præſentem cateruam in Deiparæ laudibus congregatam eo in æſtu recreavit. Suſpicati ſagaciores ſunt, fontem hunc, quia non ſine portento erupit, ab Imagine Virginis accepiſſe vires medicas: etenim quotquot hac ſuſpicione pulſati tentârunt cum fide laticis potum, bono ſuo didicere exiſſe à Maria virtutem, quam in aquâ mirati ſunt. Hæc gratiarum fuere initia. Accurrens dein magno numero populus plura impetravit, & majora, ita vt accolæ jam non propter loquelam Alexandri, aut puellæ paſtoritiæ crederent; ſed quia ipſi ſcirent, viderént que Deiparæ in Monſemanos favorem.

Fons.

Templum.

Congeſtæ à peregrinis divitiæ in magnificum templum ſuffecêre. Cùm primus conſueta cum precatione in fundamenta deijceretur lapis, pompæ pars prima fuit ipſe magnus Dux Hetruriæ, Coſmus de Medicis, die 30. Decemb. Anno 1602. horâ ab occaſu ſolis pridiani decima nonâ, ut lapis loquitur, quem majores in titulum erexere.

Pietas.

Inter rara meritò poni poteſt, & pietas in hæc vſque tempora à primo fervore nihil dum deficiens, & nonnemo energumenus ſine ullo exorciſmo ad ſolam S. Imaginem præſentem liberatus; & denique equus unà cum equite ſine reverentia templum prætereunte excæcatus, iterúmque ſanatus; poſtquam ignobilis eques vilitatis ſuæ memor, nobiliores cogitationes admiſit, atque ad templum redux, apud Virginem honoris negati noxā deprecatus eſt.

Hæc ex narratione publicâ auctoritate impreſſa, & ex urbe Piſtorienſi ad me miſſa accepi.

LXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa DE MISERICORDIA.

Savonæ in Italia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Purè immaculata es, nam Virgo Dei Nata.*

1. *B. V. imperat Confeſſionem.*
2. *Iejunium poſt paſcha.*
3. *Flagellatio in ſupplicatione.*

Theſaurum, quem in Valle S. Bernardi Savonenſes habent; tribus milliaribus vrbe diſtantem, ruſticus reperit in aqua, non in agro. Antonius (nam hoc ei nomen erat) Anno 1536. Sabbato Palmarum, qui in 18. Martij tum inciderat, poſtquam æſtum diei, & pondus portaverat in ſeram uſque veſperam, abſterſurus amarum à vultu ſudorem, rivulum accedit, & hauſtam plenis volis aquam admovet ori. Et ecce, vocari

Fons.

cari ſe de nomine, peramænâ, & clarâ voce audit. Vix oculos levat, inquiſiturus vocantem, videt in medio rivulo non grandi ſaxo inſiſtentem Virginem veſtitu candidiſſimo; quæ ſimul ac ab Antonio conſpecta eſt, ſic eum eſt allocuta: Antoni. Ego ſum Maria, Mater Chriſti: ito, & factâ ritè noxarum confeſſione, Filium meum de manu ſacerdotis ſuſcipe: tum tribus proximè ſubſecuturis Sabbatis jejuna. Parocho ex me impera, ut ad eadem, quæ tibi impero, etiam populum adhortetur; ſi quidem imminentem Filij mei iram averti velint. Demum quarto ex hoc Sabbato eâdem horâ ad me huc redi.

Conſilium. Ruſticus non difficilia imperâti non difficulter paruit: ſacrâ confeſſione animam, non ſordidam expurgâvit, panéque cæleſti refecit. Magis arduum fuit, quod Parocho incumbebat munus. Ergóne ille ad nutum ſimpliciſſimi vinitoris omnem populum timoribus non profuturis exterreat? Gubernatorem tum Doriam adit. Confeſſionem, inquit, & ſacram Synaxin non difficulter populo perſuadebo: cras dies palmarum eſt, & Paſchalis Pœnitentiæ initium, neque primi Sabbati jejunium, quo vigiliam feſti Paſchalis ex mandato honoramus, quiſquam erit, qui non perlubenter ſit ſubiturus. Sabbatum. At verò duorum ſequentium poſt paſcha ſabbatorum jejunia quis populo perſuadeat? vt populus quandoque credulus ſit; jejunia tamen imperanti, & quidem paſchali tempore, nec Tulliana ſufficiet eloquentia: quis enim ventri inediâ quadraginta dierum exhauſto, nova jejunia indicat? fateor, quandoque eſt olitor nô importuna locutus, ſi quidem de agris & hortis ſermo eſt; de jejunijs tamen, & Superis loquenti, quis fidem habeat vinitori? Dum in ſeram noctem conſultatur, dum Antonius ipſe vocatur, certiora nunciaturus; tres conſpicui luminis cæleſtis flammæ ſupra templum urbis parochiale apparent; tres alios piſcatores poſtridie vidiſſe ſe ſupra Caſtrum, aſſeruere. Interea ſuperveniens Antonius omnia confirmat. Itaque ipſo die palmarum in RR. PP. Dominicanorum templo, pro concione indicitur jejunium duorum poſt paſcha ſabbatorum; nec Savonenſes ſe difficiles præbuere, pro Virgine etiam ad duriora parati.

Antonius quarto, quo juſſus erat, Sabbato locum repetit, iterum Virginem videt, candidiſſimo, vt nuper, veſtitu, ſed radijs cæleſtibus illuſtriorem, ſine Filio tamen: neque enim Savonenſibus conducebat iratum Filium terræ Savonenſium propiùs admovere. Et illa: Antoni, inquit, placent Savonenſium jejunia tria: ternas tamen etiam ſupplicationes volo inſtituant, & illis adeſſe ſummos, inſimóſque, atque eos præcipuè, qui cætuum ſuorum inſtituto veſtiti ſaccis in corpus ſævire flagellis ſolent: ſimul ſuſtulit cum oculis manus, & rivulo ter bene precata, ter quoque has voces inclamavit: Deipara Miſericordia, Fili, & non Iuſtitia. Tunc ex oculis inter cæleſtes odores ablata eſt. Antonius ad quæq; partis Savonenſibus, hæc etiam,

quæ

quæ à Virgine accepit, denunciat. Quis credat? ſupplicationes tanto apparatu inſtitutæ ſunt; vt periti novem hominum millia numeràſſe ferantur: è quibus fuère triginta piorum numeroſæ cohortes, in terga ſua ſævientium.

Cæterùm hunc populi concurſum non tam viſæ flammæ, quàm aquæ medica virtus accivit; utiq; poſtquam in omnes penè morbos valuit. Etenim primis diebus vix quiſquam repertus ægrorum eſt, qui potâ cum fiducia aquâ mali ſui remedium non invenerit. Et quia, qui præſentes fuere, Miſericordiam alta voce inclamavere, quoties ſanari quempiam miraculo contigit; eam ob cauſam titulus Miſericordiæ, & loco, & Imagini manſit: quam, dictante Antonio, artifex candidiſſimo ex alabaſtro fecit, ſex omnino palmis cum dimidio altam. Petentibus veniam ſtruendi ſacelli Vicarius ad id uſque tempus negavit; dum ſumptus in fabricam neceſſarij comportarentur. Moram hanc ſuſtulit Leonardus Abbas, opulentus civis: qui de ſuo ſpopondit, quod fabricæ finiendæ neceſſarium foret. Sed, ni fallor, ſuffecit ſponte offerentium liberalitas. Altare, in quo ſtatua colitur, ſaxo inſiſtit, quod Virgo preſſit. Sacello vix finito Savonenſium pietas viſa eſt capere initium; quibus ante omnia ſacellum diſplicuit, quòd multitudinem non caperet Virgini vota ferentium. Itaque opulentiorum largiore ſtipe non ita multò pòſt templum ſtetit ingens & pervenuſtum: quod hodiéque S. Statuæ, fontiſque causâ celeberrimum eſt.

Fons. *Liberalitas.*

Ioannes Bapt. Alberti. l. 2.

L X X X I I.

Imago B. V. Miraculoſa DE NVCE.

Caſtilione in Italia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Una pariet Dei Natum ergo Immaculata.*

1. Imago B. V. in marmore.
2. Imago B. V. in ligno.
3. Securis officioſa & innocens.

CAſtilionenſis ditio, B. Aloyſij S. I. patria & patrimonium, in Nuce Iliadem bonorum habet. Attuli libro primo inter primas Imagines B. V. miraculoſas unam ex inſula Tenariſte, quam natura figuravit in lapide. Cruces miro modo in medullis arborum expreſſas reperere Iapones, ut refert P. Trigautius, in ſua hiſtoria Iaponica. Ioannes Quaresmius Fràciſcanus in terra ſancta mentionem facit integri Crucifixi, ita à natura formati. Hoc Anno 1657. Auguſtæ Vindelicorũ ubi hæc ſcribo hæreticus homo, cũ ligna finderet, utrique ramento nomen Ieſu, vt com-

Crucifixus.

muniter tribus litteris, & cruce mediæ impoſitâ formari ſolet, quaſi inuſtum invenit. Reſprudentum examini ſeverè ſubjecta, judicata eſt carere fraude. Vidi quoque in fiſſi lapidis utraque cruſta piſcis formam, & extante velut opere, ſic in una expreſſam, ut alterius tabulæ brevibus foſſis accuratiſſimè committerentur hæc piſcis lapidea, & eminentia oſſa.

Piſcis.

Atque ut ſimilium animalium formas alicubi reperias in lapidibus, hominis tamen nunquam, ut puto, invenies: exceptis Chriſti, B. Virginis, & fortè SS. Imaginibus: neque enim huc pertinet Statua uxoris Loth ex ſale, Vel radix quædam ſuperſtitioſa; ut vel ex hoc raritate ſuâ ſingularis ſit ſtruma illa nucis deformiſſima, ſi corticem ſpectes, quæ Caſtilione in templo RR. PP. Capucinorum aſſervatur, quam ſi apertam inſpicias, ſeptem orbis miracula ſuperare certum tibi erit.

Struma.

Exhibet illa velut opere elevato ſigillariæ artis Virginem cum Filiolo, diſtinctè, & bene, radijs quoque, quos tenuitas ſua & gracilitas venuſtat, utrumque circumdat. Hanc arborem tulit patria Aloyſij & Gonzagarum Principum gentilitia ditio. Cœpit Faber lignarius nucem findere anno 1539. facturus, neſcio quod, è ligno conditorium, honeſto viro D. Bonetti; ſed recuſavit ſecuris peccare in S. Iconem, fugitque; quantumvis altè ſublata ferretur in ligneam verrucam & vulnus minaretur grande. Interea ligna utrinque panduntur, & ſponte divelluntur, atque hanc, de qua loquor, Deiparæ Imaginē exhibent. Sigillum crederes hinc imprimens; illinc impreſſum.

Sigillum.

Nemo fuit, qui non cum veneratione miraretur, ipſam naturam Deiparæ ancillari. Familia Bonettorum theſaurum hunc in ſeptimum uſque luſtrum domi tenuit, uſque dum anno 1602. Ioannes Baptiſta Bonetti, legum Doctor Excellentiſſ. Principi Rudolpho Gonzagæ dono dedit: nempe illi ipſi, cui ſenior frater, B. Aloyſius, Societatem IESV ingreſſus, paulò antè cum mundo Marchionatum quoque Caſtilionenſem reliquerat. Rudolphus acceptam Iconem reverenter cum ſuis habuit in annum uſque milleſimum, ſexcenteſimum decimum, ſed inter ſepta caſtri, dum anno 1610. viſa Virgo eſt ambire publicum. Elata itaque è palatij anguſtijs, & RR. PP. Capuccinis dono data, hodie ſacellum in eorum templo occupat perelegans; ubi & frequentem concurſum piorum ciet, & miracula patrat juſto examini ſubjecta, & probata.

Imaginem unà cum relatione ad me miſit R. P. Alexander Boſelli, Provincialis.

LXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa DE GRATIIS. *Faventiæ in Italia.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *I. Age pura à ſorde & munita in macula.*

1. Fracta ſagitta Cæleſtes.
2. Sat occiſorum eſt.
3. Civitatis mira felicitas.

Fœminæ fidem lectori non objicerem, niſi ei crediidiſſet cum Epiſcopo populus Faventinus, & mercedem datæ fidei tuliſſet vitam. Anno 1410. peſtifera lues afflixit urbem. Ioanna de Coſtumi, è devoto fœmineo ſexu non poſtrema, in templo D. Andreæ tantis malis conata eſt finem impetrare fuſis ad Deiparam precibus. Adeſt vocata Virgo: &, Quid, inquit, vis filia! Joanna patriam, reſpondet, videre à peſte liberam. Explicat ad hæc Virgo penè crucis in modum brachia, & confractas ambabus manibus ſagittas Ioannæ exhibens: En! inquit, quomodo iram Filij mei avertam? Viden' ſagittas? Tu interea Præſulem adi, dic, velle me à populo jejunium unum, & tridui ſupplicationes, quæ peſtiferæ lui, ut optas, finem imponent. Profuit Faventinis habuiſſe præſulem non lentum, quique fide fœminæ data, poſtero ſtatim die, & jejuniū imperavit populo, & ternas continuò ſupplicationes indixit.

Apparitio.

Epiſcopus.

Nec fefellit eventus promiſſa, evanuit lues, & ſat occiſorum fuit. Imago deinde Virginis in muro picta cum ſagittis non parùm miſeros juvit, maximè poſtquam anno 1420. fuêre, qui principium dedêre Sodalitati, quæ hodieque Deiparæ præ alijs piè famulatur. Ac ne beneficium, quod majores accepêre, poſt ſecula laberetur è memoria ſerorum nepotum, id iterum circa annum 1630. novo favore repetijt. Etenim cùm iterum lues peſtifera magnam Italiæ partem triſtiſſimis exemplis pervagaretur, Faventiam innoxiè præterijt; quia hæc coram S. Imagine triginta tribus menſibus (hoc nempe intervallum temporis fuit, quo malum timebatur) nullo non die ſacrum Chriſti Corpus in altari expoſitum monuit cives ſperare, & confidere ejus auxilio, quæ ſagittas Filio irato, ſed non invito quandoque extorquet, & confringit. Quin anno 1631. novâ pompâ, velut urbis ſoſpitatrix, celebrata à civibus, & abjectis ad pedes portarum clavibus, novis votis à magiſtratu in Patronam electa eſt.

Peſtis.

Imaginem, cui relatio appreſſa typis eſt, ad me miſit R. P. Alexander Boſelli, Provincialis.

LXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CORONA.
In M. Baldo in Italia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Munda à macula, IESVM parito & regna.*

1. Angeli ſtatuam deportant.
2. Scalæ valde pretioſæ.
3. Nundinæ in jugo montis.

MOns Baldus in agro Veronenſi prægrandis eſt, ut qui ad pedem habet montem alium in mille paſſuum ſpatium erectum. Quà orientem ſpectat, præruptus eſt, & inacceſſus. Hoc in monte natura hemicyclum ex nigro ſaxo figuravit, qualem architecti faciunt, cùm ſtatuam quampiam muro inſerunt. Non ille quidem ad amuſſim Architectonices ita factus eſt, quin opus rude cognoſcas, quod natura in rupe molita eſt; forma tamen non multùm abludit, & vel Coloſſi Rhodij capax eſt; centum quippe, & quinquaginta cubitos altum eſſe dixêre periti æſtimatores. Hic viſi de nocte ſplendores ſuſpicionem accolis ingeſſere latentis ſanctitatis. Frequentiùs deinde, & eodem ſemper loco conſpecti, deſiderium ijs injecerunt etiam inveſtigandi. Sed quis eorum locum adiret, ad quem nulla duceret ſemita, maximè cùm neminem non terreret veſtigij impatiens, & præceps ſaxum? Itaque à tergo montem aſcenderunt, quos pietatis cura tenuit, & ſuperato jugo, ipſo, quem dixi, hemicyclo ſuperiores, funem demiſerunt, per quem audax quidam lapſus Statuam D. Virginis bicubitalem invenit. Doluit bonus, negatam ſibi copiam honorandæ Virginis, quippe qui tranſverſo conto inſidens utroque brachio amplecti funem cogeretur; vix oculos recludere auſus, non ex vano vertiginem præmetuens.

Statua Deiparæ pulchrior eſt, quàm ut à natura eſſe effigiata credi poſſit: pés quoque, cui inſiſtit, ſcripturâ inſignis eſt, Melitam loquens; & neſcio quem Equitem Melitenſem. Ad hęc quis eam huc portâſſe credatur, quando nec ſemita ulla, aut ullus veſtigij patiens locus eſt, qui viatorem huc deferret? nemo itaque eſt, qui non credat, Angelorum operâ huc delatam. Conſtans ab antiquo fama eſt, quam Equites Melitenſes teſtimonio ſuo confirmant, Rhodo inſulâ Turcis traditâ, duas omnino Statuas Virginis Divinâ virtute ablatas eſſe; alteram Melitæ repertam, & Damaſcenam appellari hodie: (uti alibi fusè deſcripſi) nec à vero abludere, quin hæc ipſa ſit altera illa, quæ virtute cæleſti Turcis ſubtracta eſt; maximè quia hodie loci curam habet

Margin notes: Fons. Lux. Statua.

Equeſtris, & Nobilis Religionis Commendator Veronenſis.

Via. Viam vi fecêre architecti, quos piorum ingentia pretia ingenioſos fecerunt. Superandus tamen mons eſt: inde per ſeptuaginta ſeptem ſeu ferreos, ſeu ſaxeos gradus, per ſcopulum ſparſos, ad pontem deſcenditur, quem ſubjectæ vallis ingens vorago cum viatoribus terret. Hunc pontē ſi ſuperaveris, hemicyclū intrabis, templi capacem, & habitationis, quantum loci aſperitas fert, non incommodæ. Quanti hæc ſteterint, illi æſtimare nequeunt, qui plano in ſolo, prope artificum tabernas, & officinas erigere fabricas conſueverunt. Porrò, quà cæli plagam ſpectat hemicyclus, oriens eſt, dorſum montis reſpicit occidentem. Jugum in planitiem non modicam extenditur, quam natura in Virginis honorem fonte limpidiſſimo beavit. Vix quinque aut ſex domos, & domorum ſingularum non plures incolas ibi videas, prohibente frequentiam loci rigore. Inde tamen accurſum populi, quem fama miraculorum ciet, collige, quòd quinques in anno magno numero mercatores & propolæ in ipſo montis jugo celebrent nundinas, è quibus nunquam non ditiores domum redeunt. Tabularum argentearum Vota. non eſt, qui quondam, numerus: quia eas in calices confuderunt, qui templo cum poteſtate præſunt. Reliquarum numerus iniri non poteſt.

Hic ergo vos appello, quotquot eſtis, qui fidem nec DEO ſervatis, nec hominibus habetis. Adeſtè, & percunctanti, quis hanc Virginis Statuam in hoc antrum intulerit, edicite. Statuam, inquiunt, Papiſta quiſpiam loco importat; & ab Angelis illatam credulus popellus affirmat. At, quis ipſam huic antro intulit? Et ſi hoc tibi grave eſt: quis inferre potuit? Miracul. bicubitalis, & ex marmore, vel gypſato alabaſtro, ingentis ponderis. Si templum ibi ſtructum aſſeras, reponam, nec allatos aliunde lapides tam grandes: atque, ut factum eſſet, magnos his laboribus factos gradus ſcito, per quos ipſos hodie magnæ moles deferri tamen nequeunt. Neque aliud reſtat, quàm ut vel ab Angelis allatam credas; vel te, quia fidem non habes, pertinacem fateaaris.

Relationem hanc ex ipſo loco adferri curavit Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Ioſephus Gelff Cathedr. Eccleſ. Tridentinæ Decanus.

LXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa DE MISERICORDIA.

Neapoli in Italia.

Progr: Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Anagr. *En! Civitas alma, purè munda Regi amato.*

1. Gemma pro pane.

2. Lingua mortua loquitur.

3. Peccati Revelatio, & punitio.

SUeviæ Provinciæ nobiliſſimæ caſum quis ſine lachrimis memoret, quando illa nunquam è caſu ſuo ſurrexit; ex quo Conradinus cecidit, ampla jam quatuor penè ſeculis theatri materia, ſi lubeat paratragœdiari?

Infelix prœlium, quod Fridericum Auſtriacum, & Conradinum ultimum Suevorum Ducem agaſonum lacernâ tectos inire fugam coëgit; non infelicem, ſi eos pecunia non deſtituiſſet. Jam Nauta. nauta eos in navim receperat, jam removere à littore proram tentârat, cùm panis homini aquatico in mentem venit, quem jam coëmptum eſſe oportuerat. Neuter pecunijs inſtructus cùm eſſet, alter annulum rarâ gemmâ gravem digito detrahit, & Navarchô in pretium panis tradit; intempeſtivo, ſed neceſſario conſiliô. Ita non rarò nimis pauper eſt, qui ni-Annulus. mis dives eſt. Poſtquam enim artifex oblati annuli grande pretium miratus eſt, ipſe quoque, cæterâ craſſus, palinurus, digiti, è quo annulus pependerat, tenerrimam gracilitatem mente recolere cœpit. Facilè in ſuſpicionem uterque venit latentis majeſtatis, quam lacerna non benè tegeret. Ita non leones modò, ſed & principes ex ungue colligimus. Hinc è navi, quem pro libertate paraverant, educti in carcerem, ex hoc in theatrum, in quo DEO, An- Captivi gelis; & hominibus, ſpectaculum fierent, nulli, præterquam uni Carolo jucundum, qui alta è turri ſpectator eſſe ſuſtinuit, ne quis à vero abluſiſſe Petrum Aragoniæ Regem putaret, à quo Carolus hic Nerone Neronior, & Saracenis crudelior dictus eſt. Poſtquam enim uterque inter lictorum manus è populo ſe evolvit, & in theatrum evaſit, utriuſque vultûs ingens majeſtas reverentiam, ætatis flos amorem, innocentia nemini non nota cum lacrimis miſericordiam apud omnes invenit. Uterque pauca locutus, regnorum curis unà cum chirothecâ exutus, atque in cognatum abjectis, itineri ſe paravit, in cujus procinctu ſtabat. Prior Fridericus de genibus DEVM, Deiparámque veneratus caput machæræ ſubjecit. Ferunt caput jam reciſum, dum extremum calorem expiraret, Nomen B. V. Mariæ ſemel

iterúmque pronunciâſſe. Conradinus ſublatum è terra caput, appreſſit pectori, & amici, ſub tanti invocatione nominis, jam beati deſiderio ſponte in genua procubuit, & fato quoque ſuo ſub infami manu functus eſt.

Natans in regio ſanguine utriuſque Majeſtatis venerandum caput vix non lacrimis ſpectantium obruebatur. Supervenit interea Conradini mater Margarita magnis itineribus è Germania, Neapolim contendens, non ſine theſauris vitam filij auro gemmíſque, ſuo patriæque bono redemptura. Et perſuaſura fuiſſe creditur Carolo tanto eloquentiæ argumento, niſi poſt cataſtrophen veniſſet. Permiſſu tamen Caroli corpora alium in locum tranſtulit, ſuperextructo memoriæ Principum Sacello perpetuis cenſibus ditato. Ita à Margarita filio, cognatóque parentatum eſt. Loco ſupplicij vivo Carolo apponere lapidem cum titulo non licuit. Quanquam poſtea Principū honori etiam ipſi cædis nefandæ loco inædificata ædicula eſt, ne tectum deeſſet tanto ſanguini è terra in cælum clamanti. Certè hodieque ajunt ſanguinis notas extare.

Mater.

Templum.

Illud templum, quod Margarita filij, cognatíque cineribus ſtruxit, hodie novo templo auctum eſt, quod SS. Eligio & Martino ſacrum eſt, & magnis opibus ditatum.

Placuit Virgini, & manſit altâ mente repoſta ultima Mariani nominis invocatio, quam jam jam plectendus Fridericus, cùm conceptam mente precationem vivâ voce non poſſet, emortuâ linguâ finivit. Atque ut poſteri quoque non ignorarent, ſibi placuiſſe nominis ſui inauditam invocationem, ipſa quoque eo in loco injurias & vulnera ſuſtinere voluit, & Mater miſericordiæ appellari, ubi lingua hæc Mariano nomini ſacra animam ſuam expectat, quâ in æternum animetur, ut Mariam æternùm amare queat.

Imago.

Proſtat eo, inquam, in templo Imago B. V. in pariete depicta, antiquitate inſignis. Titulum Majores dedêre, & voluêre, ut à poſteris appellaretur Mater miſericordiæ; hoc uno nonnihil deformis, quòd aliquantum ſanguinis etiamnum in vultu appareat, quē ex inflicto vulnere impius aleator elicuit. Is perditâ luſu pecuniâ lucrum quæſiturus è Cœlo, blaſphemijs Superos petit, quas vel Turca horreret. Fuêre, qui monerent meliora; fuêre quoque, qui rogarent, vellet demum diſcere juſtitiam monitus, nec temnere Divos.

Blaſphemia.

Ille ad omnia ſurdus, arrepto pugione, templum petit, & conſpectam in muro Imaginem fœdo vulnere in facie cruentat. Teſtata dolorem Deipara eſt ſanguine, quem vulnus, velut vivo homini inflictum fuiſſet, non lapidi, abundè profudit. Et fugit ſanè impius ille, nemine perſequente; Florentiæ tamen, cùm occiſi cuiuſpiam cadaver innocens præteriret, ad carcerem velut homicida raptus inter tormenta purgato homicidio,

dio, ea, quæ Neapoli in Deiparam commiſerat, faſſus ſupplicium invenit.

Pergit hodieque Deipara eo in templo miſeris benefacere, ubi fortunæ humanæ viciſſitudo ad Principum oſſa miſeros monet ferre caſus humanos, & ſe Matri miſericordiæ totos tradere.

Bzov. Anno 1269. n. 4.

LXXXVI.
Imago B. V. Miraculoſa DE LONIGO.
Lonigi in Italia.

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Munda venis, Virgo amata, prima Electa.*

1. Situm mutat Imago.
2. Altare fit menſa Numulariorum.
3. Vulnerata & plangens Imago.

Ergóne nec vitæ amplius ſecurus erit, qui aurum habet? ut amicitia cum homine triſti faſtidioſa ſit, cum ſuperbo acerba; caye tamen avarum, ne tibi quoque ſit periculoſa. Apparitio.

Habitabant Veronæ eodem in vico tres infimę ſortis veteramentarij: vni nomen erat Antonius; alteri Petrus; tertium ignoratur hic, quanquam in exigua, nec lucroſa arte, induſtria tamen ſuâ, quinquaginta corõatos lucrifecit: cujus ipſe fortunæ non capax ſocium quoque Antonium adhibuit in partem lætitiæ. Hic admiratione pecuniarum (nam vix credenti coronatos exhibuerat præſentes) jam non ille, qui antè, optabat primùm ſuos eſſe, deinde & facere ſtatuebat: Etiamſi, inquit, amici ſanguine conſtent. Atque, ut omnis tyrannus timidus eſt, jam dimidium theſauri hujus illi deſtinabat, quiſquis operam ſuam jungeret. Placuit tertius Socij. quiſpiam, ejuſdem artis, quem etiam non difficulter ſuum fecit; quanquam hic amici ſanguinis non paulò reverentior, manus auxiliares, non machæræ ſuæ operam ſpopondit.

Eligitur dies, invitatur ad prandium Petrus, quod Antonius ultra ſortis ſuæ modum paraverat. Tunc in ambulationem condicunt, viſuri mercatum, quem Caſtrum Lonigo celebrabat. Confluebant ex vicinis mapalibus, atque Nundinæ vicis, qui vel ruſticis opibus abundabant, vel egebant urbanis. Itur, & altero manè reditur; cùm in via Petrus, exigente naturâ, quantum lapidis jactus eſt, de via decedit. Antonius, cui præter tempus, locúmque præcipuè ipſe indefenſi Petri infelix ſitus placebat, hominem ſequitur, & ſocium in articulo tanti facinoris hæſitantem ſecum trahit. nec mora; omnia alia cogitanti Petro brevem machæram

chæram (Piſtogeſam appellant Itali) immergit pectori: ſocius prehenſum capillis ad terram proſternit pronum, ubi Antonius repetitis ictibus nec diu luctanti extruſit, cætera non inimicam ſibi animam. Mox ſpoliatum pecuniâ cadaver relinquunt.

Homicidium.

Prælium.

Hoc eodem in loco olim Italiæ ſanguiſuga, impius Attila, cladem dedit non unam; & ne juſto lamento careret tantus, támque impiè effuſus ſanguis, Pontificis, neſcio cujus, juſſu, Divo Petro illo in loco templum ſtruxère Majores, quod à Lamento hodieque nomen habet; ut ſeri nepotes tantæ cladis memoriam haberent, & ſine lamento, quo cæſorum animæ juvantur, locum non præterirent. Templum, ut fit, ſæculo plùs uno deſertum, jámque penè diverſorium, nulli non patens, vix in uſus ſacros ampliùs ſerviebat, quanquam & altare aderat, & in muro picta Deiparæ pervetuſta Imago, ſub fixo in crucem Filio, junctis ad pectus manibus ſedentis; quam nonnulli prætereuntium brevi oratione quandoque ſalutabant.

Imago.

Non conveniebat, pecuniam diu manere indiviſam. Itaque templum ingreditur Antonius, daturus ſocio locatę operæ promiſſam mercedem, & commodum pro menſa altare placuit. Hic dum cruoris amici pretium numeratur, ſocius, conſpectâ Virginis Icone, facti pænitens: Prô, inquit, quàm malum factum fecimus! Quid enim, reſpondet Antonius, cùm nemo id ſciat? DEVS, reponit ſocius, ſcit, & Deipara Virgo: ſimul indice Imaginem oſtendit. Antonius tantis nominibus auditis jam ferocior: Si crederē, inquit, Deiparam facti mei conſciam eſſe, huic ego Imagini decem & ampliùs vulnera infligerem. Simul machæram nondum cruore ſiccam contra S. Iconem ſtringit, & duos ictus infert. Primus in oculo peccavit ſiniſtro, alter in pectore. Senſit conſceleratos ictus Virgo, & ſensûs in Imagine ſuâ ſigna dedit: namque inclinato primùm capite manum unam oculo admovit, deinde alteram pectori, utroque vulnere portentoſum ſanguinem reddente, cujus etiamnum nonnullæ guttæ ſuperſunt.

Pænitentia.

Vulnus.

Fuêre, qui ex eodem mercatu reduces domum, more ſuo, locum ingrederentur, Deiparam verbis Angeli ſalutaturi. Fuêre etiam, qui notas in Imagine adverterent & capitis, & manuum mutatum ſitum: denique & conſpecta vulnera, & effuſus in terram ſanguis neminem non in admirationem rapuit. Fuêre adhæc, qui invento cadavere non obſcurè tanti ſceleris auctorem notabant Antonium

Fama quamprimùm implevit Veronam. Mariani cultores ad S. Imaginem poſtridie turmatim convolârunt, viſuri cum dolore Virginis iniquam ſortem: à judicibus quæſiti rei. Antonius, quanquam conſtituto indicibus bis mille librarum pretio, inventus non eſt: raptum à dæmone rumor percrebuit. Socius meliore

Concurſus.

exitu

exitu dignus, quia pænitens facti, nullâ diligentiâ pœnam fugit: facilè captus, ſupplicio ſcelus luit, &c, ut creditur, eluit. S. Imaginis deinde cultus magno viciniæ totius bono in tantum auctus eſt, ut brevi è comportatis muneribus templum ſtaret, hodieque propter miracula celebre. Curam ejus gerunt RR. PP. Olivetani.

R. P. Franciſcus Barbaranus Cap. in Hiſt. Eccleſ. Vicentinâ l. 1. c. 95.

LXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE SORBO.

Sorbi in Italia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Ingenua, provida, Mater Immaculata es.*

1. Paſtor vnimanus bonus.

2. Docet formica pigros.

3. Alter Damaſcenus Ioannes.

Pigritia. VAde ad formicam, piger; ad porcos, impie: & diſce vel ab his reverenter habere Mariæ Imagines. Formellum Romani agri pagus eſt: hic inquilinum ſubulcum aluit unimanum. Is dum gregem ſervat, ſcropharum una fortè vicinum collem ſubijt, nullo fugæ indicio; quia & ad gregem, & cum grege domum ſponte redijt. Obſervavit hoc non indiligens cuſtos, & quia quotidie vidit, non ſine admiratione vidit quâ temporis ordo auxit: ſiquidem ſtatâ quotidie ſcropham abire horâ, ſtatâ redire non otiosâ obſervatione advertit: ſequitur proinde veſtigia abeuntis, & per loca ſenta ſitu, per mille vepreta ad locum venit, ceſpite viridi tectum, arboribúſque vacuum, ſi vnam Scropha. excipias in loci medio ſitam. Ad hanc vidit ſcropham, quod vix credas, erigi ſedentis in morem, os ſublime gerere, cælúmque tueri, pedes item anteriores ita erectos tenere, ut ſolent, qui ſuperis preces fundunt.

Interea paſtor arborem fixioribus intuens oculis, Imaginem Deiparæ conſpicit, arbori non indecorè appenſam; & mox ne porcâ eſſet irreligioſior, & procidit in genua, &, quàm poteſt piiſſimè Virginem in ſua Imagine ſalutat. Illa orantem alloquitur, &: Vade, inquit, Formellum, Imago. & pagi incolas in ſupplicationis ordinem coge, viſuros hîc grandia, quæ ipſis paro, beneficia: iis quoque, qui populo cum poteſtate præſunt, hæc refer: ſi fidem verbis tuis habere noluerint, brachium ſinui immerge, atque iterum extrahe, & novam, quam meo munere habiturus tunc es manum, in fidei pignus oſtende. Ille non tam munere, quàm muneris ſuo indicio lætus, licèt nondum viſo Heſpero, pecus cogit,

git, agítque Formellum verſus.

Fuère, qui cauſam tam feſtinati reditûs non ſine jurgio rogarent. Ille ad ruſticorum primipilos properat, circumfuſo populo ſilentium toto brachio indicit, jubétque, quod Virgo juſſerat, ſine mora coire in ordinem, & locum jam miraculo ſacrum accedere. Non ſine ſubulci gaudio accidit, quòd fides dicenti non ab omnibus haberetur. Quapropter ſi credere, inquit, quæ dixi, non lubet, brachium Virginis juſſu ſinu extraham, & novâ manu, quâ eundum ſit, oſtendam, ſimul brachium, quod tantiſper abſconderat, ſinu extrahit, manúmque novam ipſe cum cæteris, tum primùm viſam, miratus. Manus.

Illi alterum, quem Formellum genuiſſet, Damaſcenum venerati, quamprimùm ſupplicabundi locum accedunt, atque Imaginem Deiparæ, jam ſatis miraculoſam, ad templum ſuum deportant. Sed Virgo, quæ templum novum eo in loco, in quo inventa eſt, poſtulabat, nocte ſubſequente Imaginem ſuam ad arborem tranſtulit. Tranſlatio. Formellani non auſi, quod præpoſteræ ſapientiæ urbes nonnullæ fecerunt, nova miracula tentare, è primo ſtatim Imaginis reditu intellexêre Virginis voluntatem: & congeſtis celeriter, quæ ad rem erant, templum non indecorum moliti ſunt: quod hodieque miraculis celebre RR. PP. Carmelitani curant.

Ioannes Bapt. Alberti lib. 2. Felix Aſtolffi Anno 1402.

LXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa DE PILIERELLO.

Meſſinæ in Sicilia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Gaude Eva, ſpin i malorum mirè intacta.*

1. Portitores immoti.

2. S. Gregorij Papæ honor.

3. B. V. diligentes ſe diligit.

NUnquam Meſſana ſuum Gregorium, aut Gregorius Meſſanam ſuam deſeret: Nunqum vel hic, vel illa Mariam. Inter multa Meſſanę templa, per ampliſſimum agrum ſparſa, unum fuit, quod jam dudum per vetuſtam Deiparæ Imaginem tenuit, populo præ cæteris charam.

Ferdinandus Gonzaga ſub annum 1537. Siciliæ Prorex, nomen ſibi, urbem Regi ampliorem facturus, & firmiorem, omnia hæc, quæ dixi, templa ſolo æquavit. Bellum. Hinc ſacræ Imagines per urbem diverſis templis illatæ honorem, quem foris perdiderunt, intra urbem duplicato fœnore invenerunt. Ita, de qua loquor,

Dei-

Deiparæ Imago de Pilere, ſeu Columna, cui inſidet, dicta, non ita, ut cæteræ, ingreſſa eſt, multis litem moventibus, & nemine religioſorum non ſummis eam votis ambiente. Templo Sanctæ Dominicæ deſtinata eſt; jámque comitante Sodalium numeroſo cætu, huic S. Imagini jam dudum devoto; in eum uſque urbis vicum ventum erat, quem Judecam vocant; cùm procedere ultrà non auſi bajuli, prohibente virtute Imaginis thaumaturgicâ, conſtitère. Turbati, qui pompam procurabant, hortari bajulos, & increpare pigritiem; illi, nec paſſum progreſſi, ſine fraude aut fictione conſtitiſſe crediti ſunt; poſtquam alij, aliíque admoti novis viribus, non meliore ſucceſſu tentàrunt.

Pondus.

Illi, quibus S. Imago ex deſtinato, ut dixi, debebatur, conſilijs non deerant, quibus ſuadebant nunc huic, nunc illi templo, ritu depoſiti, inferendam eſſe; dum majore pompâ, ſi hæc Virgini non ſufficeret, templo Sanctæ Dominicæ inferretur. Sed ſtetit Imago, ſteterúntque pariter, quotquot ferculo ſuccollàrunt, neque aliter poterant. Interea ardenter oratum ab ijs, quibus Mariæ honor præ cæteris curæ fuit, donec unus è populo: Quid templa deſtinamus Imagini longè diſſita? Si mihi fidem habetis, hoc proximum templum Virgini petitur: hìc conſtitit: quid vetat tentare? Tentatum ſanè eſt, nemine non approbante ſolertiſſimum conſilium: & verò viſus eſt bene dixiſſe, quando nullo negotio S. Imago in hoc uſque templum promota eſt.

Oratio.

Creditum ab omnibus fuit, hoc Gregorio ſuo ſemper magno Virginem tribuiſſe; qui hoc templum olim SS. Theodoro & Theodoriano vel à fundamentis erexit, vel antiquitate ſqualidum priſtino nitori reſtituit: quod ex ipſius quadam Epiſtola ad Epiſcopum Meſſanenſem conſtat. Aucta inde thaumaturgæ Imaginis fama in tantum fuit, ut etiam templo, quod interea in auguſtiorem formam excrevit, nomen mutaret, diceretúrque S. Maria de Piliere, ſive Columna. Quia verò ejuſdem tituli Imago Deiparæ alia prope palatium regium etiam miraculoſa magno concurſu colitur; ne nominis ſimilitudine populus turbaretur, hæc voce diminutivâ de Pilierello, ſeu Columella dicta eſt. Plures Religioſi cætus obſervandâ viciſſitudine ſibi invicem hoc in loco ſucceſſerunt. Hodie RR. PP. Carmelitæ tenent, novo templo auctum, in quo tabularum numerus ingens argumento eſt, quàm frequenter B. Virgo miſeris ſit propitia.

Fama.

R. P. Placidus Samperius in ſua Iconologia Meſſan. l. 2. c. 18.

LXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa DE PORTV SALVO. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Vale pacis Mater, Virgo mundè animata.*

1. Vox è cælo delapſa.
2. Mercator Marianus pius.
3. Imago recuſat navem.

QUiſquis in Oceani impetum arma & remedia deſideras, adi nautas, quos decumani fluctus, & mirabiles *elationes maris* frequentiùs exercuêre. Non jam novum eſt, Deiparæ Imaginem quampiam in navi circumvehere, unde majora expectentur bona navigantibus.

Ingreſſa Meſſinenſem portum eſt ante trecentos, ut creditur, annos, navis Orientis onuſta divitijs, quæ tabulam, quam nunc affero, ſecum tulit, Deiparæ effigie inſignem. Titulum de Portu ſal-

Titulus. uo ideo dedêre Imagini ſacræ Domini, quòd Virginis beneficio ſalvi ſaníque, quem deſtinaverant, portum hactenus ſemper attigerint. Merces, ut fit, tempore indigent, dum ſui pretium faciant. Ita-

Depoſitum. que S. Imaginem in monaſterio S. Claræ tantiſper deponunt; ne cultu interea careat, reſumpturi, cùm diſtractâ merce repetituri eſſent Oceanum.

Grandi reverentiâ acceptata à Sanctimonalibus Imago primùm eſt; ſed paulò pòſt majorem adhuc cultum accepit, etenim privatæ pietati in cœnobio expoſita ſic culta eſt, ut publicos honores non deſideraret. Interea divenditis mercibus peregrinis, coëmptiſque novis, navis ſtabat in procinctu: ventus quoque operam dabat; nec quidquam abituris præter Imaginem ſacram in navi deſiderabatur. Et repetijt eam ſanè onerariæ Dominus, cauſatus depoſitum eſſe, non munus: ſed nec id ſanctimoniales inficiabantur; prece tamen, & pretio mercatorem aggrediuntur. Ille in hoc non parum à mercaturæ genio deflexit, quòd, cùm omnia alia venalia haberet, Imaginem tamen vendere recuſaret: illæ ad ſepta uſque monaſterij gemitibus, ſuſpirijs, lacrimis, Imaginem ſacram comitatæ, non ſponte permisêre ſibi eripi theſaurum.

Placuiſſe Virgini hoſpitium, inde palam fuit, quòd vix portu provecta navis, inſectante cælo, penè naufragium fecit. Fecêre nautæ, quod vires, quod ars ſuggerebat; ſed inſaniam furioſi maris nulla nautarum prudentia componere potuit. Unus præ omnibus inter otioſas preces conſilium paravit quo plus navi conſultum fuit, quàm tot imperantium, parentiúmque confuſiſſimæ concurſationes potuiſſent. Tempeſtas.

Sile-

Silete, inquit, & quid vox cælo delapſa imperet, audite. Et verò auditam referunt vocem: quâ S. Imaginem reducere jubebantur.

Nemo fuit, quando nec dura, nec gravia jubebantur, qui non proſtratus in terram jubenti cælo annueret. Itaque versâ prorâ Meſſinam, ridente cælo, pacatóque repente mari intuentur, portúmque proſperè faventiſſimis ventis tenent. Ubi quamprimùm accenſis cereis ipſa in navi ſupplicationis ordine inter ſe deſignato in terram exſcendunt, S. Imago monaſterio, unde eam pridie acceperant, inter ſingultus & lacrimas reſtituunt. Tum enimverò templo illata eſt, & publico cultui expoſita, populo Meſſinenſi ad colendam Virginem præ cæteris prono. Proceſſio.

Feſtum deinde, quo anni die celebrandum ſit, non parùm turbavit cunctantes. Litem piam ipſa Virgo diremit, Conſtantiæ cuidam, notæ ſanctitatis fæminæ (& ut nonnulli putant, defuncti Regis Arragoniæ viduæ) per ſomnium oblata, feſtum ſibi diem tertiam poſt Paſcha feriam delegit. Cùm que de officio quoque Eccleſiaſtico rogaret Conſtantia, aliud ſe nolle, quàm ejuſdem diei officium, reſpondit. Ipſe Epiſcopus, ut aliquid afferret de ſuo, Eccleſiaſten templi Cathedralis juſſit poſthac cum tota populi corona huc concedere; neve minor Magiſtratui videretur eſſe pietas, omnes omnino Senatores Archiepiſcopum magnificâ ſupplicatione olim ſecuti ſunt. Viget tamen adhuc hodie, floret tanti feſti celebritas. Olim anno 1493. incredibili terræ motu concuſſâ Meſſina, huc ductâ ſupplicatione quietem reperit. Tantum quoque pecuniæ, ne feſto pompâ ſua deeſſet, ab ignotis datum ſubinde eſt, quantum conſuetudo requirebat. Tabularum ingens copia muros tegit, & arguit beneficiorum frequentiam, quæ tamen literis commendata non ſunt. Officium

R. P. Placidus Samperius in Iconologia Meſſin. l. 3. c. 25.

X C.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE PILASIRO.

Meſſinæ in Sicilia.

Prog: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *En Deipara! ergo tuta, immunis à macula.*

1. Cruſta muri decidens.
2. Terræ motus terrens.
3. Templum, locus boni conſilij.

Vide, lector, quanta fuerit majorum noſtrorum in SS. Imagines reverentia. Quamdiu ſub

Imperatores. Græcis Sicilia fuit, , & Imperatores Orientis Siciliam inter regna ſua numerabant; pax alta mirè regnum totum extulit, quâ non abuſi Siculi ſummâ fide fidem colebant in Divorum; & præcipuè B. Virginis cultum proni. Supervenêre Saraceni, ſub quibus nulla Superûm reverentia; nullus Imaginum cultus locum habebat. Aureas, argenteas, æreas, &c, quæ loco moveri poterant, ſculptas, pictáſque non difficile erat furori rapientium ſubducere.

At verò, quas muri Imagines ſuſtinebant, quo ritu Maurico furori ſubduxerint, nunc intellige. Murus. Cruſtam è calce inducebant, quæ cortinæ officium tantiſper ſubiret. Harum una fuit, de qua loquor; Imago, quam ideo de Piliere dicunt Meſſanenſes, quia in columna picta fuit operis lateritij. Hanc quoque piorum cura novâ cruſtâ obduxit, ut ne furori Saracenico patêret. Fuit, cùm circa annum Chriſti 1400. neſcio quid urbis architectus refecturus, hanc quoque columnam muratam aggrederetur, cùm ecce concuſſus ictibus murus, cruſtam abjecit, quam tot ſeculis non invitus ſuſtinuit, dedítque illæſam Imaginem Deiparæ oculis Meſſanenſium.

Imago. Illi ultra picturæ venuſtatem, neſcio quam latentem majeſtatem reveriti accurrunt, & fide, quâ ſolent, in vota feruntur: quibus etiam B. Virgo non invita annuit. Plurima & grandia memorantur, tótque ſimul eodémque tempore facta miracula, vt ſcire non liceat eum, cui primus favor obtigit. Templum primum extructum eſt impenſis ærarij publici. Incrementum dedêre eorum donaria, qui ſe voti reos agnovêre, quorum multi, acciente famâ, è terris longè diſſitis per mare affluxêre. Hactenus privatis claruit beneficijs. Anno 1493. vt Meſſana ingentis terræ motûs terrorem â ſe amoveret, ſplendidiſſimâ ſupplicatione huc itum eſt. Vnde Meſſanenſes didicêre, quò turbatis rebus ad quietem impetrandam eundum ſit. Certè olim hoc templo Senatores convenêre.

Ita anno 1548. maximæ & opulentiſſimæ hoſpitalis domûs rerũ in eo agendarum fundamenta hoc in templo, ipſo Prorege præſente, jacta ſunt. Numerus tabularum ingens, quibus beneficia B. V. terra maríque accepta celebrantur, ac propè Meſſanenſium quotidiana in Virginem pietas locum facit longè celeberrimum.

R. P. Placidus Samperius Soc. IESV in ſua Iconol. Meſſan. l. 1. c. 17.

X C I.

X C I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE ALTO.

Meſſinæ in Sicilia.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva, mundi Regina, almè micas tota pura.*

1. Columba veniens ex alto.
2. Pietas inſignis Magiſtratûs.
3. Miraculum grande & inſolitum.

OLympi æmulus mons Meſſanenſium, jugum habet, cui Caperrina nomen eſt, poſtquam eum etiam urbi ſacrum fecit miraculis, & viſis, quorum unum anno à partu Virginis 1286. Nicolao cuidam, homini Anachoretæ, ſacellum S. Michaëlis Archangeli tunc cum ſocio curanti, objectum eſt. Hunc D. Virgo per ſomnium nunciare juſſit Meſſanenſis urbis Senatoribus, velle ſe illic loci templum cum titulo: S. Maria in alto. Somnium.

Fecit expergefactus è ſomno Anachoreta, quod ſapientes ſolent, quibus ſomnia prorſus omnia, nullo diſcrimine, ſub una falſitatis Imagine veniunt: & ſomnium hoc ſprevit, grandem in profunda aſceſi profectum feciſſe ſe credens, nec ſe ampliùs poſt tam nobile experimentum rudem putans. At verò nocte ſequenti rediit Virgo, ſed vultu longè diſpari, nec paulò ſeveriore, & imperio junxit minas, ita tamen; ut Nicolaò nec locus, nec animus dicendi adimeretur. Itaque ſimplicitatem ſuam cauſatus, multus erat in eo, ut Virgini perſuaderet, alio ad hæc nuncio uteretur. Perſtitit illa; & : Siquidem, inquit, fidem tibi habituri non ſunt, ſaltem jugum hoc confeſtim omnes conſcendant, viſuri columbam ex alto deſcendentem, & peritiſſimo volatu figuram templo, & murorum ambitum deſignantem. Columba.

Non auſus ampliùs recuſare infulas legationis, ad curiam primo manè properat, aulam Senatûs ingreditur, & nobilem conſeſſum convenienter ſalutatum lacernoſus ſilvicola alloquitur, & oratione ſimpliciſſimâ trahit in montis jugum. Hæc nempe Meſſanenſis urbis gloria eſt, ut præ alijs facilè ea arripiat, quæ Virginis è voluntate eſſe, vel per nutum intelligit. Vidit meridies ille tantam Nobilium frequentiam hoc in monte, Pietas. quantam prætcrita ſæcula non viderunt. Sed & vidit pia Meſſanenſis Nobilitas, quod vidiſſe non piguit, Columbam dico, ipſo meridie nulla è ſilva, ſed ex innubi & ſudo cælo deſcendentem, &, ut promiſſum erat, figuram ſacræ fabricæ diſtinctiſſimo volatu ambientem; denique velut officio ſuo functam rectà in alum ultra

fal-

falconum & aquilarum ſpatia aſcendentem, & oculis omnium ſubductam.

Satis dictum religioſiſſimæ urbis ſapientiſſimis Senatoribus. Itaque quamprimùm manus admotæ ſunt operi. Acceſſit ſubinde Conſtantiæ Reginæ aulam Nicolaus, rémque etiam illic recenſuit, & fidem reperit, non apud Reginam tantùm, ſed etiam Gynæceum, ſi unam excipias, quæ ſecum morituram utique ſapientiam credidit; hæc: Fabulam, inquit, O Domina! audivimus, & miraculum ciendo auro confictum. Dixit, &, ut ſciret, nec Anachoretam nec Virginem à ſe aurum petere, vidit ſibi torpere utrumque brachium; & verò etiam ſenſit maximè, poſtquam dolores omnem patientiam excuſſerunt, coëgerúntque canere palinodiam, & veniam petere: quam quidem unà cum reſtituto brachiorum vigore Nicolaus perlibenter dedit, poſtquam illa ſe fidem habere affirmavit ijs, quæ Nicolaus de ſomnio, de columba, de Senatoribus dixerat. Multùm hoc fabricæ inchoatæ profuit: nam ipſa Regina primum in fundamenta lapidem miſit, & plurimùm exemplo ſuo apud cæteros valuit. Rem totam perſcripſit Mathæus Rubinus Rubini, cujus parens ipſi columbæ miraculo cum alijs interfuit, ſcriptúmque hodie à Monialibus conſervatur.

Regina. Fabrica.

Columbam de cælo deſcendere nolo lectori novum eſſe, ex quo ad Jordanem ſupra Christi ſanctiſſimum verticem deſcendit. Exinde velut mos cælo invaluit, columbæ deſcendentis indicio Creatoris voluntatem inſinuare hominibus. Nam & S. Eleucadius Ravennatum Epiſcopus, & S. Fabianus ſummus Pontifex deſcendentis columbæ indicio deſignatus eſt. Ad Magni quoque Gregorij aurem frequentiſſimè viſam à ſe columbam, is, qui vidit, Petrus Diaconus literis conſignavit.

Columba.

Interea ſub annum 1295. adjunctus templo eſt Religioſarum Virginum ſacer cœtus, & locus indies celebrior factus, maximè, poſtquam ipſa quandoque Deipara terrere hoſtes, & urbem defendere ex alto viſa eſt.

Cœnobium.

Non minore miraculo Deipara miraculoſam ſuam, quæ hìc colitur, Imaginem adduxit; etenim Siculus nauta portui Meſſanenſium venuſtiſſimam Virginis Imaginem intulit, neſcio unde acceptam; illaturus etiam ipſi templo Meſſanenſium principi, ſi per Virginem licuiſſet, quæ portentoſo pondere vetuit, tabulam auferri. Itaque Epiſcopi voluntate tantiſper navis velut in templum mutata; ubi ſacra Imago inter accenſa funnalia & cætera ſacra ornamenta coleretur, dum de Virginis voluntate conſtaret: quam ipſa duos poſt dies nautæ cuipiam de plebe inter orandum denunciavit: novo in templo ſibi ſedem fore, & titulum: S. Maria in alto. Sublata protinus juſſu Epiſcopi, nec difficulter, Imago, grande ſupplicantium agmen poſt ſe trahens

Imago. Titulus.

no-

novo templo illata eſt, 12. Iunij, ipſo in meridie, hodieque magno concurſu celebratur columbæ portentoſæ apparitio.

R. P. Placidus Samperius in ſua Iconol. Meſſan. l. 3. c. 12.

XCII.

Imago B. V. Miraculoſa REINERIANA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Eia pura mundi regem amatò, ſinu lacta.*

1. Salutatio tormentaria.
2. Capella regia Meſſinæ.
3. Piſcis loco tabulæ.

HUjus miraculoſæ Imaginis origo antiquior non eſt, quàm quâ Patrum noſtrorum memoriâ Meſſanam depopulata eſt peſtifera lues, ſub annum milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimum ſextum, quo juxta noſocomium peſte infectorum erectum eſt ſacellum è ligno, in honorem Deiparæ: exacto Virginis ope contagio, omníque domo igni conſumptâ, Joannes Mantiglia, nobilis Hiſpanus, prece & pretio obtinuit, ne eodem ſupplicij genere ligneum quoque Deiparæ Sacellum aboleretur: non conceſſuram utique Virginem, ut per illius poriſſimùm trabes, velut rate, peſtis in urbem reveheretur. Sacellum

Facta itaque ei eſt ab urbe fabricandi templi poteſtas; vetitum tamen, ne ſedecim palmorum altitudinem ſuperaret, ne Regio Caſtro in vicinia officeret. Factum id eſt ſtrenuè à Joanne, atque eò alacriùs, quòd eo loco etiam filius ejus unicus tumulum haberet, cum alijs communem. Imaginem Deiparæ pingi voluit nubi inſidentem, titulúmque Imagini ſubjecit: De Gratijs: quas utiq; ſtatim experti ſunt, qui ſe Virgini impenſiùs commendârunt. Gratiæ. Cumulus donariorum intra breve tempus templum implevit. Librum ſoli naufragi facerent, narrantes pericula, quibus erepti ſunt, voto ad hanc Imaginem facto. Hinc eſt, quòd in hodiernum diem nulla omnino navis locum prætervehatur ſine conſueta ſalutatione quæ omnium tormentorum, majorum, minorúmque feſto plauſu fieri ſolet: quod tunc præter morem jucundè accidit, quando integræ claſſes in hoſtem ituræ hoc ſalutationis genere funguntur.

Philippus IV. Hiſp. Rex loco momentum addidit, quando eũ Capellis Regijs adnumeravit, & redituTrium millium ſcutorum perpetuò auxit. Pendent è templi fornice navium formæ, quibus raræ in mari gratiæ obtigerunt: quarum Rex.

una cautibus incautè alliſa rimam egit oppidò grandem. Actû aquaticis tubis, quantum ars potuit adjuta robore, viribúſque nautarũ, nullo tamen deficientis aquæ indicio; utiq; poſtquam per apertum navis hiatum plus aquæ receptũ, quàm per ſyphonem egeſtum eſt. Dum tandem voto Virgini Gratiarum facto ſentina exhauſta eſt, nemine uno ſciente, quis, quódue tomentũ in excuſſæ tabulæ rimam ſubſtituiſſet, dũ Meſſanæ ab architectis navalibus reclinatâ in arenam carinâ, deprehenſus piſcis eſt, ad menſuram foraminis à natura factus, ipſo in foramine etiamnum hærens, ſtupentibus, quotquot tam inauditum prodigium conſpexerunt. Hunc nautarum pietas ſiccatum formâ navis è ligno affixerunt, temploq; ad memoriam poſterorum intulerunt. Nulla, ut ſuprà dixi, navis impunè tranſit, quæ tormentorum fragore Virginem non ſalutat.

Sentina.

Piſcis.

Petrus de Leva octodecim triremium gubernator, ut pulveri pyrio bonus œconomus parceret, hoc genus obſequij omiſit, contentus applauſibus nautarum conſuetis ſalutare Deiparam, ante locum cum claſſe velut fixus conſtitit, nullis velis, remiſque movendus, dum, quem deſiderat Virgo, cultum exhiberet. Fuêre inſuper, quibus non tam cum tenebris, quàm cum mari luctantibus templum fuit pro lampade, ipſa Virgo pro lucerna, alterius Meſſanenſis urbi Phari æmula: cujus ductu ſub ortum ſolis in portu ſe viderunt. Ipſa nempe eſt, quæ, Charybdin, non procul ſitam, minùs noxiam, & penè navigabilem fecit.

Lampas.

R.P. Placidus Samperius l. 2. c. 18.

X C I I I.

Imago B. V. Miraculoſa DE CAMERA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Tu, O Alma ſpecie tuâ mira! regna munda.*

1. Iupiter dat B. V. templum.
2. Imago miraculo immobilis.
3. Campana ſponte ſonans.

Servatur hæc miraculoſa Deiparæ Imago in Monialium cœnobio, quod à S. Gregorio magno fundatum eſt. Templum quod hodie D. Virginis eſt, olim Jovis fuit, & longis annis in urbe præcipuum, poſtquam nempe Præfidũ una, Regio è ſanguine, & Regis Manfredi conſanguinea, auctoritate ſuâ fecit, ut & ſummi Pontifices, ſui Gregorij memores, diverſis beneficijs locum augerent.

Iupiter.

Virginis Imago operis teſſelati eſt, & antiquitatem ſpirat. A Camera nomen habet; quia hemicyclo, ut Statuæ ſolent, velut cellâ, clauditur. Alia etiam quandoque nomina, alióſque titulos admiſit. Ita à Gregorio, à

monialibus, à mœnibus, à quiete nonnunquam vocata eſt. D. Gregorij tempore titulum habuit S. Maria extra muros. Cultus, ut ſemper fuerit magnus, hodie tamen minor non eſt, quando bis apparatiſſima ſupplicatione locus honoratur, D. Gregorij feſto, & Rogationum ferijs; quaſi hic maximè Deus rogari velit.

At verò immenſis auctibus crevit Imaginis ſanctiſſimæ majeſtas, poſtquam anno Chriſti 1537. in ampliorem figuram, ſpeciémque templum erectum eſt, verente Parthenonis religioſi præſide, periturum utique cum Imagine omnem loci celebritatem; quando nec ipſi architecti ſcirent eam muri partem, cui Imago inhærebat, auferre, quin Imago fœdaretur, vel etiam in partes divelleretur. Felix ictus, quem in tot conſultantium, & Deiparam invocantium præſentia murarius præ alijs pius ipſius Deiparæ nomine interpoſito impegit muro, quem linea primùm, deinde etiam hians latè fiſſura circum Imaginem adeò feliciter ſecuta, ut ſecundum ſuper addere ictum nemo ſit auſus, Imagine ita à circumſtante muro ſejunctâ, ut omnino illæſa auferri poſſet.

Templum.

Murus.

Avecta deinde inter plauſus populi ad templum S Mariæ de Scala tantiſper ibi ritu depoſiti quietura, dum fabrica finem videret, in via ſtetit immobilis, voluitque templo D. Auguſtini, coram quo conſtitit, inferri. Res omnium oculis ſubjecta nulli non fidem fecit, quando nullis boves ſtimulis, nullâ vi Deiparæ Statua promoveri ulteriùs potuit. Illata templo Statua eoſdem honores per annos omnino quadraginta quinque (tot enim abierant) accepit; cùm repetitâ Monialibus Imago eſt. Litem moverunt, qui templo S. Auguſtini cum poteſtate præfuerunt. Vtique huic loco S. Imaginem deberi, cui Superi cum portento ante tot luſtra deſtinârant.

Diremit litem Iudex Epiſcopus, & huic templo propriam fore denunciavit: ſiquidem ſe iterum moveri loco non ſuſtineret. At verò & nullo negotio exportata templo, ingenti pompâ, & vicorum ornatu, templo Monialium poſtliminio eſt illata, applaudente cælo etenim cùm pompa templo fieret vicinior, D. Gregorij campana, nemine manum porrigente, ſponte ſuâ inſonuit, & clangore feſtivo tranſportationē probavit: quæ Dominicâ die poſt feſtum Nativitatis B. V. feſtivè celebratur.

Campana.

Vt miracula taceam, quandò vel cadens è duodecim palmorum altitudine lampas cryſtallina pyramidalem in figuram efformata, non egeſto oleo ſtetit integra, vel evacuatus oleo lecythus, renovato Eliæ portento, repletus eſt. Hoc peculiare videri poteſt, eos, qui pro ægris S. Imaginem accedunt, & lampadem accendunt, obſervâſſe ægrum moriturum, ſi nondum conſumpto oleo extinguatur; victurum porò ſanum, ſi ad ultimam uſque guttam lychnus ignem non

Mirum.

dimittat. Et omini hactenus reſpondiſſe eventum affirmat R. P. Placidus Samperius in Iconol. Meſſan. l. 3. c. 18.

XCIV.

Imago B. V. Miraculoſa DE MELECHA. *Maltæ in Inſula Malta.*

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *I Regum Patrona. En Diva immaculata es.*

1. Pictura S. Lucæ Evang.
2. Turcarum exercitus abactus.
3. Splendor cæleſtis & inſolitus.

POſtquam inſula Rhodus univerſæ Chriſtianitatis propugnaculum paucorum incuriâ in manus Turcarum venit; Melita inſula ſucceſſit, & Heroibus Hieroſolymitanis habitanda, ac defendenda tradita eſt, hactenus Turcis ſcopulus, in quem inviti magno ſuo damno, non ſemel impegerunt. Conſtat Ianizaros detrectâſſe quandoque imperiū, quando de inſula hac oppugnanda inter duces convenit. Divi Pauli nempe habitatione ſacro hodie, ne ſerpentum quidem venena timet, quæ olim viperis referta ſtragem inter homines facere ſolebat. Ipſa terra nunc ſerpentibus, etiam importatis exitialis, per omnem orbem in remedium veneni exportatur. (Turca.)

Paulo itaque debet, quidquid hodie inſula boni habet. Hic cum Luca Paulus hiemavit, otio procul, nunquam non in Gentis converſionem intentus. Lucas etiam penicillo, ut ſolebat, arrepto, Deiparæ effigiem coloribus expreſſit, ut, quæ Paulus dixerat, altiùs animis inhærerent. Cryptam ſubterraneam Pauli juſſu neophyti ſtruxerunt, anguſtam quidem, ſed tantæ pietatis capacem, quantam hodie ampliſſimæ moles non caperent. In hanc primitivæ Eccleſiæ, ut ita dicam, Baſilica D. Lucas effigiem Deiparæ coloribus expreſſit, opere propterea præ cæteris mirabili, quòd nec cruſta gypſea murum, nec colores gypſum tot ſeculis in loco maximè humido, & ſubterraneo deſeruerint. Tantâ locus in veneratione ſemper fuit, ut, quamprimum per Imperatores licuit, incolæ templum ſuperſtruxerint, cryptâ ſanctuarij locum tenente; quin ipſius templi conſecratio, à quo facta ſit, intereſt, poſteros non ignorare. (Lucas.) (Mariæ.)

Celebrabatur in Numidiæ urbe Millevio temporibus Innocentij I. Pontif. Concilium illud, noſtris hodie hæreticis tam adverſum: quo finito Epiſcopi nonnulli ex itinere huc delati navem ſtitêre eo loco, quo S. Paulus naufragium fecit, (Concilium.)

fecit, quem majores templo eleganti honorârunt, & domum S. Pauli appellârunt. In hunc uſque diem in templi odęo pictura conſpicitur in pariete, quam ij, de quibus loquor, Epiſcopi, hâc tranſeuntes ſtatuerunt, ut & D. Pauli, & naufragij hâc tranſeuntibus memoria eſſet. Hi, inquam, venerandi Præſules, ubi in terram exſcenſionem fecêre, primùm ab incolis debita cum veneratione ſalutem accepêre; deinde etiam rogati ſunt, templum, quod Imaginis ſanctæ ſacrario impoſitum erat, ritu Eccleſiæ conſecrarent. Fecêre illi. Crevit inde & loco exiſtimatio, & incolis pietas: ipſe urbis vicus, Melecha dictus, quia templo nomen dedit, exteris innotuit.

Dedicatio.

Mira recenſent incolæ beneficia, quæ ab hac Imagine acceperunt. Vt vetera præteream, noſtrâ hâc ætate anno 1614. ſexaginta triremes Turca admovit inſulæ, nunquam minùs quam tum ad ſuſtinendum hoſtem paratæ. Illud in felicitatis parte potiore ponunt Melitenſes, quòd eo loco hoſtis anchoras fixerit, quo S. Imago Melitam defendere creditur. Et verò etiam ipſi Turcæ experti ſunt damno ſuo, inſulæ præſtitum à Deipara auxilium, quando omnem illam oram ingenti peditatu, nec minore equitum numero conſpexêre refertam, & terrore perculſi, qui fugam ſuadebat, ſublatis anchoris deſeruêre inſulam, nonniſi à Cælitibus, quos Deipara in ſubſidium miſit, propugnatam. Sufficit dicere totius inſulæ hoc in templo eſſe ſacrarium, & in omni neceſſitate aſylum.

Turcæ.

Frater Ioannes Franc. Abela, Vicecancell. Melitens. l. 3. Notitiâ 4. fol. 371. Reverendiſſ. Abbas Pinus in Epiſc. Melitens, fol. 588.

R. P. Franciſcus Manthus, R. Melit. Soc. IESV hæc inde excerpta cum Imagine ad me miſit.

XCV.

Imago B. V. Miraculoſa DAMASCENA. *Valletæ in Inſula Malta.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *Iam munda es à culpa Virgo Intemerata.*

1. *Lampas cum Imagine fugit.*
2. *Fulgor Cæleſtis & mirus.*
3. *Solatium civitatis.*

SVnt, qui & hanc Imaginem D. Lucæ penicillo adſcribant. Damaſcenam ideo vocant, quia ea in urbe à primis Chriſtianis ad id uſque tempus culta eſt, quo Saracena rabies urbem totam Chriſtiano ſanguine depinxit, ex quo ſacra Imago ſine cultore relicta eſt; quia nemo Chriſtianorum

Hæreſis.

fuit, quem hæc tempeſtas illæſum præterierit.

Annus abijt, cùm faſtiditâ cum incolis urbe ſacra Imago diſceſſum paravit, nullo jumento, nullo bajulo, ipſa per ſola, ut erat, unà cum ardente lampade iter ingreſſa oppidò longum, & maritimum: quin etiam ità auctus ſplendor ardentis lychni, ut navis unà forte per illa maria errans nocte integrâ tantum fulgorem pleniſſimis velis inſecuta, denique viderit ingredi inſulæ cujuſpiam, quam nec ipſi in tenebris nôſſent, portum. Rhodus fuit, & illi felicitatem navigationis ſuæ ſtupuêre; quâ ſine ulla cæli mariſque viciſſitudine aut injuriâ, nocte non amplius unâ integra maria pertranſiſſent. *Lux.* *Rhodus.*

Quæſitus tam à nautis, quàm incolis (quia & ipſi nocturnos ignes viderant) locus, ubi præteritâ nocte divinus ſplendor conſediſſet. Et ecce in littore reperta cùm accenſa lampade S. Imago, ſtatim ad omnem venerationem incolas invitavit. Promptiſſimè præ ceteris advolavit equitum Jeroſolymitanorum in decentiſſimam ſupplicationem ordinata religio; & S. Imaginem quantâ potuit pompâ templo D. Joannis, id eſt, ſuo intulit. At verò S. Imago aliam elegerat ſacram ædem, quã Simonitriam appellant, in eámque nullo comite, nullo teſte, divinâ virtute ſe tranſtulit. Nemo fuit, qui S. Pignus auderet loco movere, dum denique etiam Rhodo à Turcis captâ Melitam cum alijs Chriſtianorum Cimelijs deducta eſt, & furori Turcico ſubtracta. Hodie tanto theſauro beatam ſe dicit Valleta Civitas Melitæ Inſulæ non poſtrema, ubi, miraculoſa hæc Imago cives ſolatur, maximè quando à Turcis imminet periculum. *Imago.* *Pietas.*

Abbas Pinus in deſcrip. Epiſc. Melitens. Vnde excerptam relationem unà cum Imagine ad me miſit R. P. Franc. Manthus.

R. Melitenſ.

***

XCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE CASTELLO.

Raguſa in Dalmatia.

Prog: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Vna Deo Immaculata es Mater puri Agni.*

1. Supplicatio mirabilis.
2. Poſt votum malatia.
3. Nautæ periculo docti.

PRò quanta ineſt homini beneficiorum oblivio! injuriæ ſcribuntur celte in ſilice, ut ætatem ferant, & perennent, ad ſeram vindictam; beneficia nec in aqua qui- *Oblivio.*

dem. Vide, lector, ex hac miraculoſa Imagine, quòd etiam Superi extorquere à nobis debeant beneficiorum ſuorum gratam memoriam.

Imago. Hæc, inquam, Imago annò à partu Virginis octingenteſimo ſupra vigeſimum octavum, ſeptimo Calend. Octob. in ædem B. V. de Caſtello Raguſeæ urbis illata eſt, non ſine ſupplicatione, in qua omnia præter conſuetudinem fuēre. Crucem, ut ſolet, prælatam fuiſſe, non habeo, cur credam, nec Sacerdotem aliquem, vèlut paſtorem oves, ſecutum, ordinem clauſiſſe. Cætera fuiſſe ordinata credibile eſt: nàm & omnes pari veſtitu incedebant, non aliâ tecti veſte, quàm ſolo induſio. Proceſſio. Pro cantu planctus fuit lacrimis junctus, quas lætitia expreſſit. Demum inter ſingultus, & gemitus, hæc, de qua loquor, Imago non incongruè ornata, in templum uſque à portu infertur, adjuncto donario centum aureorum, quibus templi fundamenta jacerentur in littore, ubi hæc Imago poſthac coli poſſet.

Multa hîc, quantumvis riſu digna nonnullis videantur, riſum tamen non movent ijs, quibus ſalis marini guſtus aliquis hæſit in faucibus. Nautæ. Nam quòd ſine Cruce, ſine Sacerdote fuerint, nautas cogita, & mores eorum, quòd ſolo tectos induſio prodire videas è navi, naufragos, vel naufragis proximos tibi imaginare. Etenim Veneta navis ab oriente ſolvens, præſidium in adverſa ſecum tulit pictam Græcâ manu Imaginem Deiparæ, undeùnde acceptam. Cæli deinde, mariſque furor, cùm nil niſi præſentem mortem intentarent, injecta vectoribus cum metu cogitatio eſt, turbatum cælum votis placare, quapropter cōcepto rite voto, ubi terram ſalvi, & incolumes attigiſſent, Imaginem deſtinant terræ, & Imagini templum, præſenteſque centum aureos, quibus poni poſſent fabricæ fundamenta. Templum. Tractas diceres undas maris, & exhauſtum ventis cælum; ita reliquum noctis quietum curſum tenuit, niſi quòd ipſi neſcirent, quò ferrentur; quouſque ſub ortum ſolis ad ipſum Raguſeæ urbis Caſtrum conſtitēre ſalvi & incolumes.

Hic enimverò nulla nec promiſſorum recordatio, nec terræ, quam paulò antè tot votis ambiebant, reverentia. Itaque cùm mare tranquillum, & aptum navigationi cernerent, utendum tempore rati dant vela ventis, atq; iterum alto ſe committunt, Italiam, Italiam conclamantes. Sed felicem diem nox diſpar ſecuta Tempeſtas. reduxit noctis prioris calamitates, quin etiam auxit: etenim, ut cætera, quæ mare ſolet in miſeros, taceam, fracto ventis malo ferebantur, non jam quò ipſi, ſed quò decumani fluctus volebant, exiguâ ſpe vitæ. Quare iterum ad preces, clamores, & vota converſi, damnant præteritæ diei ignaviam, iterúmque facto voto cælum fatigant. Hoc voluit. Et verò etiam voluiſſe adſequentis diei auroram commonſtravit.

Etenim ſub eodem, quo pridie,

die, Raguſeæ urbis Caſtello, nullo ductore, ſe quietam ſtare navis mirata eſt. Satis vectoribus dictum.

Intellexêre rudes, & rudentibus ſuis nunc ſapientiores, quid cęlum vellet, quidque Deipara. Igitur, vt erant ſolis tecti potiùs, quàm veſtiti induſijs, in terram deſcendunt, & ſupplicatione, quam ſuprà memoravi, inſtitutâ, S. Imaginem Parochiali templo infe- Templum. runt. Centum aureis templum aliud ad litus inchoatum eſt, & quia plus fabrica deſiderabat, id Raguſeorum in Deiparam pietas non invita adjunxit. Stat itaque in littore S. Imago, invitátq; periclitantes ad vota, vim, ubi rite concepta fuerint, habitura.

Hanc Imaginem cum narratione ad me miſit Laureto R. P. Ægidius Meeſe, qui eam à R. P. Rectore Raguſei Collegij accepit.

XCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE PORTA.

Raguſæ in Dalmatia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Eia ergo pura, munda, immaculata nites.*

1. Pictura S. Lucæ Evang.

2. Certum à B. V. auxilium.

3. Tabula gemmis ornata.

MUltam utique hæc ſacra Imago præberet ſcribendi materiam, niſi negligens & incuria Antiquitas litteris hæc mira ſubduxiſſet.

Stat Raguſijs in templi principis ſummo altari Imago Deiparæ, Ornatus. Jeſum brachio ſuſtinentis. Hæc ſummæ venerationis habet indicia: quippe Majores toti picturæ laminam induxêre argenteam, gemmis raris gravem: ſi utriuſque ſacrum caput excipias, quod aureâ redimitum coronâ fulget.

Unde & quando huc advectus ſit tantus urbis theſaurus, ad me perſcriptum non eſt: ſive, quia à paucis ſcitur, ſive, quia incerta pro certis aſſerere noluerunt, qui ad me perſcripſerunt. Hoc omnibus indubitatum eſt, Divi Lucæ S. Lucas. opus eſſe: nam præterquam quòd antiquitatem ſpirat, & artificis doctam manum, alio adhuc argumento ſe probat, quo vix pleræque aliæ poſſent.

Fœdârunt urbem incendia; depopulari eam cœpit lues peſtifera; fames maciem & mortem minata eſt. In hæc uſque tempora præſentiore remedio Raguſini in hæc omnia uſi non ſunt, quàm cùm ad hanc S. Imaginem confugerunt. Aſſerunt cives (& civibus Auxilium. aſſerentibus credendum eſt) nunquam ſe non remedium inveniſſe, ut primum ad hujus S. Imaginis cultum ſeriò deventum eſt. Quidni & ſperent in Turcas valituram,

exi-

exitium Dalmatiæ toti in annos penè ſingulos minitantes, quando jam ſæpius Imagines Deiparæ prædones & piratas afflixerunt? Credi non poteſt, quantopere ſpem homini calamitoſo augeat, ſemper fuiſſe exauditum.

Hæc pauca cum Imagine ad me perſcripſit R. P. Ægidius Meeſe Laureto, qui ea à R. P. Rectore Raguſino accepit.

XCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. CASIMIRIENSIS. *Cracoviæ in Poloniæ.*

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I. Virgo ſanè munda, apertè Immaculata.*

1. Ave Regina Cælorum.
2. Conventus cæleſtis Angelicus.
3. Imago illæſa inter ignes.

MUltæ Imagines miraculoſæ initium cultûs ſcelerato cuipiam debent; hæc ſancto. Is fuit Beatus Iſaias Bonar Ordinis S. Auguſtini Eremitarum, ſanctitate celebris, qui cultui Virginis promovendo hanc pingi Imaginem curavit in pariete templi exteriore, tranſituris olim profuturam. Viſa non rarò Imago eſt fulgore ſupra humanum pulchro, dum ſanctus flexis ante hanc genibus oraret: auditi quoque cantus longè vocis humanæ ſuavitatem ſuperantes, carmen illud, *Ave Regina Cælorum*, diſtinctiſſimâ pronunciatione modulantes: auditus quoque certis intervallis modulatâ voce intercinens Beatus, illud: *Monſtra te eſſe Matrem*; *Felix cæli Porta*; & alia, quæ terris erepta mens, & tunc cælis inſerta, Superiſque, addidit. Obijt Vir Beatus diem ſuum anno 1411. die octavâ Februarij: ſed poſtea cælitibus adſcriptus, & miraculis, præſertim ex mortuis ſuſcitato cive Cracovienſi clarus. Reliquit Imaginem poſteris perutilem, quæ tamen famam ſuam præterito ſæculo auxit, ex quo anno 1550. illæſa inter Imagines ſtetit, quo Cænobium cum templo conflagravit. Incendium.

Imaginem cum hac narratione ad me miſit Cracoviâ R. P. Vrbanus Vbaldini, qui eam partim ex vita B. Iſaiæ Bonar, partim ex monaſterij archivio accepit.

XCIX.

Imago B. V. Miraculoſa. LAVRETANA. *Poſtirwinti in Lituania.*

Prog: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *O Agna amata rite! evadis lupum, crimen.*

1. Hæretici materiales.
2. Statua B.V. Lauretana.
3. Mens recta recti conſcia.

QUàm bonus Iſraël DEVS iis, qui recto ſunt corde! Razivilius Princeps, Lituaniæ Mareſchallus, conjugem habuit Ducis Curlandiæ filiam. Hæc temporum, & parentum, non ſuo vitio Lutheranam hæreſin à teneris hauſerat, mentis bonæ, & rectiſſimi cordis, ſi meliorem docta fidem fuiſſet. Crede, lector, vnà mecum, millia non pauca Germaniam habere ſimilium hæreticorum, quos ſcholæ Materiales appellant, qui licet erroribus imbutam habeant mentem, errare tamen ſe neſciunt, neque in errorum cognitionem venire Doctorum inopiâ facilè poſſunt; malitiâ tamen carent, quâ contra agnitam veritatem in errore pervicaciter perſiſtant. Horum quàm multos, quámque mirabilibus modis bonus Deus in ipſo quandoque mortis articulo ad ſe convertat, inter illa numeremus oportet, quæ poſthumæ vitæ reſervantur. Hæc, inquam, Virgo, educta primùm de medio nationis pravæ, maritum rectæ fidei DEI beneficio accepit, Mareſchallum Razivilium; à quo edocta errores paternos, non difficulter veritatem amplexa eſt Catholicam.

Hæreſis.

Inde deſiderium ſubiit videndæ Romæ: nec virum in hoc difficilem habuit, quem utique ſciebat, non ignorare, quibus ſignis curioſitas muliebris diſtinguenda eſſet à pio deſiderio, quanquam adhuc neuter ſciebat, quanto Lituanorum bono hoc iter inſtitueretur. Romam, Clemente octavo clavum Eccleſiæ tenente, venit, vidit, vicítque non difficulter admiratione Maieſtatis Catholicæ; quidquid adhuc mentem obnubilabat de fœtentibus Ægypti alliis. Roma.

Id inter primas matronæ felicitates numerant Lituani, quòd Reginæ Cæli, majore, quàm à neophyta expectes, reverentiâ ſe jam pridem tota devoverat. Sed hoc ipſi Pontifici præ aliis ſpem fecit duraturæ fidei; quam ut robuſtiùs confirmaret, Statuam ei dono dedit, ad amuſſim Lauretanæ ſimilem, &, ut ſolet, plurium dierum morâ in ipſa æde ſacra conſecratam & virtute thaumaturgicâ imbutam. Ille redux in Imago.

Lituaniam, jam advecto munere felicior, vix ſufficiebat gratulantibus, & ambientibus Statuæ ſacræ venerationem.

Interea quæſita à Duce Imagini ſedes Poſtirvvintis, oppidum diœceſis Vilnenſis; cùm, qui pompam procurabant, denunciato vicinis populis die, quàm maximo licuit cultu, S. Statuam in Parochiali templo deponunt. Jam Miracula. tùm Deipara magna Lituanis bona deſtinaverat; ſed fidem priùs probare, & excercere piorum pietatem placuit, & differre tantiſper vim Imaginis thaumaturgicam; quæ ſe primùm anno 1621. exeruit, ita tamen, ut in hæc uſque tempora fons tantorum beneficiorum nondum exaruerit. Vide, lector, quàm bonus Iſraël Deus ijs, qui recto ſunt corde. Mentem bonam etiam inter errores Deus non ſpernit, quamdiu in malam, ſpreto Numine, non ipſa degenerat. Tum enimverò & ipſe hominem ſpernit Deus: & quem Deus ſpreverit, corrigere nemo poteſt.

Imaginem cum narratione ad me miſit R. P. Albertus Kojalovviz, Rector Collegij Vilnenſis

C.

Imago B. V. Miraculoſa.
RVTHENA.
Vilnæ in Lituania.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Pura à macula, eſto etiam mundi Regina.*

1. Gemmarum dives ornatus.
2. Subducendæ Imagines hoſtibus.
3. Græca & antiqua pictura.

Miraculoſæ hæc Virginis Imago Ruthena dicitur, quia ex ipſa Ruſſia allata eſt: quâ verò occaſione, quòve tempore allata Vilnam ſit, ad me perſcriptum non eſt. In têmplo D. Joannis propter famam ingentium miraculorum accurſu frequentiſſimo colitur. Præter vultum & manus piorum liberalitas omnia texit laminis argenteis, quod ſuis intervallis aurum & gemmæ decorè Ornatus. diſtinguunt. Quòd plura de hac Imagine non ſcribam, Magnus Dux Moſcoviæ vetat; qui, dum hæc pauca ad me cum Imagine ſcribuntur, Vilnæ metropoli ita propinquus eſt, ut præſtet ipſi Imagini cavere, quàm multa de ea ſcribere. R. P. Rector litteras ſuas his verbis claudit; *Multa, multa, multa D. Virgini debeo, quæ, mediante hac Imagine, accepi, quæque in æternitate videbuntur, nunc in his belli Moſcovitici turbationibus exſcribere plura non vacat. Rogo igitur, rogo R.am V.am ut in ſuo opere dignetur iſtius S. Imaginis mentionem facere: debeo enim B. V. multa, ut dixi, ac inter cætera liberationem Collegij mei Vilnenſis à peſte.*

Ita ad me R. P. Albertus Kojalovviz Rector Collegij Vilnenſis.

Habes, benigne lector, primam Centuriam jam olim tribus editionibus publicatam. Quæ ſequntur vndecim centuriæ, novæ omnino ſunt, nunquam lucem aſpexerunt, & nunc primùm prodeunt; ſat citò, ſi ſat bene. Quod non ita fuſa ſcriptione omnes hiſtorias proſequar, materiæ tribui volo, quæ non ſemper ejuſmodi fuſiore ſcriptione vel indiget, vel apta eſt. Quandoque, ſed rariſſimè, ubi neceſſarium fuit, ipſa auctorum verba appoſui. Hæc monere libuit benignum lectorem. Et tu quoque, O Virgo, fave, ut, quo favore legentium vbique per Italiam, Siciliam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Galliam, Belgium, Angliam, Germaniam, Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, Poloniam, Lituaniam, & alias Europæ partes excepta eſt prima hiſtoriarum tuarum Centuria, eodem & ſequentes vndecim excipiantur.

CEN-

CENTURIA II.

C I.

Imago B. V. Miraculoſa DE QVARTIRIO. *Parmæ in Italia.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *I, Virgo, almè amata, pura, munda niteſce.*

1. Miraculum in foro.
2. Maria liberalis.
3. Oſſa humiliata.

FOrum Parmæ eſt, quod in quinq; vias ſe exonerat. Hic Imago fuit Sanctiſſimã Triadẽ creatã IESVM, MARIAM, & IOSEPHVM repræſentans. Qui eam in muro pinxit anno 1574. vocatus eſt Mercurius Bajardus: qui picturam fieri curavit, Iacobus Bathionius. Et memoratu dignum eſt, quòd Fratres S. Franciſci tertij ordinis eo anno in urbe Parmenſi ſedem invenerint. Stetit hæc Imago nullo memorabili cultu celebris uſque ad anum 1603. quo vetula grallis per forum tranſiens, iniquitate viarum, cùm nec pedum, nec grallarum auxilio pergere porrò poſſet, conſilium in loco invenit, & proximam Virginis Iconem intuita, auxilium popoſcit è cælo. Plus repentè accepit, quàm petijt: ſiquidem & oſſa confeſtim pedibus ineſſe ſenſit, & oſſibus robur.

Grallæ.

Quapropter in tanti miraculi experimentum, abjectis, inſpectante populo, grallis, greſſu, quo juvenes ſolent, per forum inambulavit, teſtata ſanitatem, quam nec optare quidem auſa eſſet. Atque hæc 20. Martij contigêre. Ab eo tempore tantis progreſſibus aucta eſt pietas Parmenſium, ut è donarijs piorum hoc, quod hodie videtur, templum exurrexerit, Anno 1628. 21. Maij magnâ pompâ Virgini dedicatum.

R. P. Alexander Boſelli, Fran. Ven. Soc. IESV.

C I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SPELVNCA. *Vulturelli in Italia.*

Progr: AVE MARIA gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Tu Regina pia, ſumma & munda cæli ara.*

1. Rupes S. Euſtachij.
2. Pietas antiqua.
3. S. Benedicti habitatio.

Tibur inter & Præneſte, rupes illa eſt, centum palmos alta, in quam cervus ille evaſit, inter cujus cornua Chriſtus Crucifixi figurâ allocutus eſt Placidum, Romanorum nobiliſſimum, & ad fidem convertit. Non repeto nobiliſſimam S. Euſtachij hiſtoriam. Rupes hæc ad rem meam eſt, quia ad latus fiſſuram habet, quã nonnulli ortam credunt, Chriſti patientis tempore, tanquam naturæ condolentis ſignum, quo Petræ ſciſſæ ſunt, firmántque traditione perpetuâ, quæ ijs in locis invaluit.

Crypta. Hæc fiſſura virum juſtæ magnitudinis admittit, & per tres gradus in cryptam deducit, longam viginti palmos, latam quindecim, & commodè altam. In medio hujus cryptæ lapidea menſa altaris inſtar vetuſti conſtructa viſitur, in qua in hunc uſque diem Deiparæ Statua cernitur antiquiſſima. Quis locum hunc Deiparæ dedicârit, incertum eſt. Hoc indubitatum, quòd hunc locum S. Benedictus incoluerit, quamdiu ei per populorum accurſum licuit, quos fugiens, in proximum montem Sublacenſem ſe contulit. S. Benedictus.

Quiſquis ergo locum hunc Deiparæ dedicârit, ſive D. Benedictus is fuerit, ſive antiquior quiſpiam, & Imaginem Deiparæ ſive hanc ſive aliam poſuerit, dubitare non licet, Virginem honores & obſequia tam ſancti viri non ſpreviſſe, ſed miraculoſis beneficijs compenſâſſe, ita ut jure, inter miraculoſas, hanc Imaginem numerare queam, quando vel hodie à peregrinis non ſine magno pietatis ſenſu conſpicitur, præſertim quia locus octo integris ſæculis tanquam prima S. Benedicti incunabula ad RR. PP. Benedictinos pertinuit.

Hæc R. P. Athanaſius Kircher Soc. IESV in ſua hiſtoria Euſtachiana.

CIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE SPECV.

Conimbricæ in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominns tecum.

Anagr. *O magnâ Eva, mater lucida & nimis pura!*

1. Ira fæminæ.

2. Fæmina muta.

3. Lapides docent.

ALhagis Almanſor Maurus Rex Cordubæ, & Chriſtianorũ non poſtremus perſecutor, cùm omnia ferro flammiſque vaſtaret, Sisminũ quoque pervenit, quod ſacrarum Virginum Cænobium eſt. Ex hoc partem ſacrarum Virginum abduxit, reliquas vnà cum Cænobio in cineres redegit.

Incendium. Interim, neſcio quis, Deiparæ Virginis Statuam ex ipſis ignibus eripuit, & in ſpecũ vicinę rupis repoſuit. Latuit hic cæleſtis theſaurus uſque ad annum 1433. quo, occaſione ingentis prodigij, in lucem iterum extractus eſt.

Ioanna Virgo ruſticana, innocens, & muta, eo loci gregem ovium paſcebat. Contigit, ut curioſitate quapiam ſpecum ingrederetur, & hanc, de qua loquor, Statuam inveniret. Puppam initio credidit, iocis infantum deſtinatam: at verò cùm eam diligentiùs inſpiceret, Virginis Deiparæ Iconem agnovit; & læta theſaurum ſuum domum portavit, matríque oſtendit.

Cultus. Exinde omnes in eam ornandam cogitationes impendit, domeſtica munia neglexit; ovium curam omiſit, in eo tota, vt Virginis Deiparæ Statuam omnibus, quibus poſſet, modis ornaret. Hoc pium filiæ otium matri cæpit eſſe primò moleſtum, deinde ad iurgia venit. Demum (quis credat?) S. Statuam ipſa jam furore correpta arripuit, & in vicinum ignem coniecit: tantum potuit ira fæminæ, cæterà Deiparæ non parùm devotæ.

Interfuit tanto ſceleri Ioanna filia in hunc diem, naturâ vocem negante, muta, nunc verò & in lacrimas, & in voces articulatiſſimas prorupit.

Quid agis, Mater, quid agis? At verò Mater aliud habuit, quod doleret; etiamſi ei non injucunda vox filiæ acciderit, quando brachium immobile vidit, & contractos nervos ſenſit cum dolore, videre quoque majorem ignis reverentiam coacta, quàm ſuam: Pœna. ſiquidem ignis vndique recedens formavit pulchri operis hemicyclum; qui in venuſtiſſimum arcum ſuprà deſineret, & ſubtracto calore veneratus cadentem eſt: in quo ipſo caſu mirum eſt, quod accidit; nam temere projecta ſtatua ita in ſtruem titionum delapſa

Pœnitentia. eſt, ut erecta ſtaret. Tot portentis mater & ipſa reverentior rogum unà cum filia diſiecit, & in mercedem ereptæ ignibus S. Statuæ reſtitutionem brachij retulit.

Quatuor hæc miracula populũ excivêre vndique accurrentem. Optimi quique ſpecum adière, in quo tanto tempore latuiſſet theſaurus, viſuri. Et initio quidem loco ſuo reſtituta eſt S. Statua, paulòpòſt tamen magno numero, multiplicatis miraculis, tantum æris allatum eſt, ut brevi templũ ſtructum ſit tantæ amplitudinis, ut ſpecum vnà cum ſua rupe includeret: quam patronus vel ideo excludere noluit, quòd thronum habuerit Statuæ Sacræ capacem, fortè à natura, certè non humanâ artificis manu, effigiatum. Cultus. Concameratum opus eſt altaris capax: initio tamen (ita veteres memorant) altitudine carens juſtâ: nam brevioris etiam ſtaturæ ſacerdos S. hoſtiam elevare commodè non poterat, & qui communem excedebat ſtaturam, non niſi inclinato, durante miſsâ, capite ſacris operari: donec, novo, ſed tanto miraculo, lapis ſuperior ſine ulla artificis manu ſeſe in eam altitudinem libravit, vt cuiſcunque etiam altæ ſtaturæ ſacerdos decorè S. hoſtiam nunc elevet.

Miraculum. Hoc tum obſervatum eſt, hanc ſuperioris lapidis librationem in altum, non niſi longi temporis ſpatio factam, miraculo tantò majore, quantò altiùs in hanc altitudinem lapis aſcendit. Sunt, qui memorant, olim, cùm in ſpecu nondum donarijs culto, propter dicta tum miracula jam celebris conſiſteret, furto bis ablatam ab incolis, atque in pagi Quintellani templũ illatam, altariſque impoſitam, tamen ſponte ſuâ bis rediiſſe in ſuum ſpecum. Sebaſtianus Rex cum ſummi Pontificis conſenſu templum hoc Societati IESV attribuit, & bonis Collegij Conimbricenſis adiunxit. Societas IESV. Ex eo tempore cultus Virginis in dies auctus eſt, hodiéque tantâ pietate locus celebratur, vt inter præcipua Luſitaniæ totius aſyla numeretur. Ita teſtantur anathemata muros templi tegentia: ita theſauri argentei, aurei, gemmei: ita populorum affluxus, receptarum gratiarum certa indicia, feſto maximè Aſſumptæ Virginis, atque etiam Natæ.

Hæc ad me R. P. Antonius de Macedo, Soc. IESV ex auctoribus Luſitanis.

C I V.

Imago B. V. Miraculoſa KIRCHDORFFENSIS. *Kirchdorffij.*

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Verum Dei agnum intacta à malo paries.*

I. Sta-

1. Statua lapidea.
2. Statua locum mutans.
3. Concurſus.

KIrchdorffium Bavariæ pagus eſt peregrinorum multitudine celebris ob Statuam Deiparæ miraculoſam ſculptam è lapide tantò artificio vt præter amænitatem vultus quam omnes mirantur, periti etiam eam è ligno ſculptam arbitrentur. Originem Statuæ vel templi non inveni, pietatem peregrinorum ipſo templo fuiſſe majorem annus milleſimus quadringenteſimus ſeptuageſimus primus docuit quo veteri deſtructo novum & ampliùs eſt exædificatum mens quidem comiti & fundatori fuit meliorem in loco collocare ſed Statua Sacra illuc portata & identidem redeunte, ibi architectis opus faciendum fuit vbi Deipara voluit.

Pietas. Olim ſeptem ſacerdotes vix peregrinis ſuffecêre, ſed bella ſuecica interruperunt pietatem quæ tamen his annis ita iterum eſt reſtituta vt quindecim millia plus minus annuatim peregrinorum communicantium numerentur. Beneficia porro Deiparæ teſtantur Anathemata magno numero

Hæc ex Autentico accepi.

C V.

Imago B. V. Miraculoſa.
FÖCHINGENSIS.
Fœchingæ in Germania S.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Age purè animata, mirè cumulata donis.*

1. Virtus deveſte.
2. Auſtriaca pietas.
3. B. V. cogit & cogitur.

FÖchingi pagus eſt, tribus leucis Monachio diſtans. In templo hujus pagi videtur ſtatua Deiparæ doloroſæ gypſea, ſeſqui pedem alta, hodie ad invidiam cæterarum miraculoſa. Origo tanti cultûs, tantorúmque beneficiorum ſic habet, Nicolaus quidam lapicida inter rudera, neſcio cujus templi, hanc, de qua ſermo eſt, Statuam eruit, & impetratâ ab ijs, quorum intererat, licentiâ, ſuam fecit, & Monachium ſecum tulit, coluitque domi cum vxore. Hæres Nicolai, Michael, Electoralis Hoſpitalis S. Eliſabethæ Præfectus, aliquamdiu tenuit: ab hoc devenit ad Nicolai parentis ſui ſocrum Mariam. Anno denique 1645. ad Eliſabetham, cujuſdam catapullarum Magiſtri vxorem devoluta eſt jure hæreditario, quo vita functo Eliſabetha Ingolſtadio conceſſit Monachium vidua octogenaria.

Vidua. Accidit, vt brachium ita læderet, vt integro id biennio movere ad caput non poſſet, diu noctúque graves ſemper dolores perpeſſa, donec aliquando S. Statuam feſtivius veſtitura, è ſtatione ſua

ſua tolleret: tum enimverò quamprimùm omnis dolor evanuit, iuſtique brachij vſus non ſine omnium admiratione redijt.

Famâ confeſtim per omnem circumlatâ vrbem, Monacenſes cives, ut ſunt Deiparæ addictiſſimi, ita advolârunt, vt intra paucos dies videretur domus civica verſa in templum. Nam & Litaniæ plenâ muſicâ cantabantur, & vota facturi, votis ſuis damnati redibant: locum iteratò venientes implebant muneribus & cerâ, in teſtimonium recepti beneficij.

Ordinatius. Rei novitas Friſingâ accivit Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Epiſcopi Vicarium, qui rite examinatis miraculis, multa ex his approbavit. Res publicum ſpectabat, & Eliſabetha patrio templo, in pago Föchingano, tantum theſaurum deſtinabat. At Sereniſſima Maria Anna Auſtriaca, Electrix Bavariæ S. Statuam, antequàm avveheretur, in aula habere voluit. Hic per aliquot dies à toto Gynæceo piè cultam remiſit, pretioſâ veſte ditiorem. Tandem, non repugnantibus Sereniſſimis Principibus, & annuente Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo Friſingenſi, Föchingæ, non ſine honorifico comitatu, deducta, atque in templo S. Ioannis Baptiſtæ decorè collocata anno 1646. die Iulij quintâ. Princi-pes.

Peregrini. Statim peregrinantium accurſus locum celebriorem fecit, & celebritatem hanc auxêre beneficia Virginis: mille & ampliùs Pœnitentes diebus Deiparæ feſtivis numerari ſolent, ob templi anguſtias etiam extra templum ſub dio auditi. Miſſus ad me eſt catalogus miraculorum approbatorum numeroſus, qui forſan typis edetur.

Ad extremum Eliſabetha in ultimo ſenio, (nam ad nonageſimum ferè annum pervenit) piè defuncta Föchingam, in patriam ſuam, eſt delata, & ante altare Deiparæ ſepulta eſt.

Hæc ad me ex monaſterio VVeyarnenſi Canon. Reg. S. Auguſtini perſcripta ſunt.

C V I.

Imago B. V. Miraculoſa SENALENSIS.

Senalæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *O Regina ſummè nitida & pura à macula.*

1. Chorea triſtes.
2. Mundi figura.
3. Animæ purgatorij,

IN hoc pago, Tridentinæ Diœceſeos, S. Imago colitur, & à vallibus vicinis frequenti ſupplicatione viſitatur à longis retro annis; quæ tamen primi cultûs origo fuerit, ignoratur. Quiſpiam, noſtrâ memoriâ, à morbo perpetuæ

petuæ ſaltationis (Tarantulæ morſum vocavere nonnulli) certo & evidenti miraculo liberatus, non parùm auxit pietatem.

Purgatorium. Sanctimonialis quædam, integerrimo poſt mortem anno, viris fæminiſque frequenter conſpicua, poſtulavit auxilia geſtu manuum, à nullo bene intellecto; oblata ſunt pro ea in diverſis templis miſſæ ſacrificia magno numero. Illa tamen nihil ſe adjutam ſignificans, aliud petebat, ſæpius quàm antè conſpicua. Denique poſtquam hoc in altari dictum à parocho ſacrum eſt, non ampliùs comparuit, ſed, ut creditum eſt, nullius ampliùs opis indiga in Cælum abijt. Miſſa.

Ita loquitur Authenticum Inſtrumentum ad me ab Excellentiſſimo & Reverendiſſimo Principe Epiſcopo Tridentino miſſum.

C V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MONTE SANCTO.
Granatæ in Hiſpania.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Cæli merè gaudium nata pura amantis.*

1. Theatrum Crudelitatis.
2. Maria docens.
3. Libri mirabiles.

MOns eſt prope Granatam; quem tota Bætica à primis Eccleſiæ temporibus Sanctum appellavit. Porrò duas hujus nomenclaturæ cauſas habuêre majores: prima eſt, quòd mons hic fuerit olim Theatrum crudelitatis, in quo plurima Chriſtianorum millia fidem ore teſtati ſunt, & vitam pro fide inter tormenta poſuêre. Altera eſt, quod hîc loci Deipara D. Iacobo Apoſtolo apparuiſſe credatur, ejúſque labores probâſſe, inſuper prædixiſſe, quanta olim ibidem fidei firmitas, ſuique nominis cultus futurus eſſet. S. Iacobus.

Sexaginta abhinc, & quod ſuperat, annis, ex indicijs alibi repertis, quibus mira in eo monte contineri ſignificabat, effoſſus rite mons eſt, loco, quem piorum ſuſpicio deſignavit, inventúſque eſt reliquiarum ingens theſaurus, & libelli Arabico & Syr aco charactere conſcripti, characteribus & idiomate prima Chriſtianitatis tempora indubiè manifeſtantibus. Reliquiæ

Admoti ſunt, Epiſcopi juſſu, iurati Interpretes, qui Sanctè pronunciârunt, maximarum rerum plenos eſſe libros, quæ in Eccleſia vel geſtæ ſunt, vel adhuc gerendæ ſuper ſunt. Multa quoque de conceptione Deiparæ ijs in libris contineri aiebant. Adeò magna hæc ſunt, ut, quanquam approbata fuerint ab Epiſcopo Granatenſi, præcedentibus omnibus legum cautelis, ad examen Canonicum requiſitis, tamen Vrbanus VIII. Pontifex maximus poſtremum examen ad iudicium ſibi reſervaverit, iuſſerítque libros il- Conceptio.

los omnes Romam deferri, conſtitueritque Congregatione Cardinalium, in qua libri iſti vocarentur ad trutinam; interdixerit demum, ne librorum illorum teſtimonia ab ullo in confirmationem ullius doctrinæ citentur.

Libri. Plura de his libris non affero, tum quia plura ad me perſcripta non ſunt; tum etiam, & vel maximè, quia Sedes Apoſtolica nihil adhuc hac de re, quid ſentiendum ſit, declaravit. Cæterùm eo loco Canonicis Regularibus D. Auguſtini erectum eſt templum; pluráque alia ſacella per cava montis Mons. hinc inde à pijs fidelibus cernuntur, ad memoriam rerum prætcritarum fabricata: maximè autem ad eorum Martyrum honorem, quorum SS. Reliquiæ illic repertæ ſunt, ſed ijs præſertim in locis pia piorum architectura jucundiùs luſit, ubi Deiparæ Divo Apoſtolo ſe viſendam præbuiſſe creditur. Inter omnes tamen unum eminet ſacellum, ubi diuturniore colloquio eum affari eſt dignata.

Adeſt illic Imago Deiparæ, quæ Conſolatio. loci ſanctitatem proponit. Qui locum accedunt, primùm pio quodam tremore percelluntur, qui ad venerationem impellit: deinde intimâ quadam dulcedine ac devotione, quaſi excelſius aliquid quovis humano affectu, ſentiunt. In altari illo ſæpius celebrare miſſam conſuevit Archie. Petrus de Caſtro, theſauri hujus inventor, & approbator, vir Religione ſuâ, & vitæ integritate notiſſimus, Eccleſiaſticę diſciplinę & immunitatis aſſertor acerrimus, haud facilè credulus, ſed rigidiſſimus rerum Cenſor, poſtea Epiſcopus Hiſpalenſis factus.

Hæc ad me ex Hiſpaniæ vrbe Antiquera perſcripſit R. P. Alfonſus Rodriquez S. I.

CVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. BONÆ VOLVNTATIS. *Hauræ in Germania I.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Virgo planè munda ac mater Ieſu amati.*

1. Proba iuſtitiæ.
2. Tela aranearum.
3. Auxilium concionatorum.

Hanc Virginis miraculorum Iconem, quam olim ſuprà tiliam, Mariæ quiſpiam addictus cultor, in tranſeuntium ſolatium collocavit, abſconderant araneæ denſiſſimis telis. Haure pagus parochum habuit, cui datum è cælo eſt, reperire hunc theſaurum poſt tam luridum ſiparium latentem. Is, ubi in oculos incurrit ſacra ſtatua, altiorem eſſe animadvertit, quàm ut à ſe manibus prehendi poſſet. Itaque opilionem proximi gregis advocatum jubet ſcandere arborem, & porre-

cto ſtrophiolo dimovere telas.

Primus hic labor ut Virgini eſ-ſet acceptior Hymno, quo Reginam matrem misericordiæ invocamus, Deiparam ſalutavit voce in cantum deflexâ. *Hermannus.* Poſtridie Haurenſibus agricolis è pulpito theſaurum à ſe repertum indicat, hortatúrque, Virginem hac in ſtatua honorare, & frequentare tiliam velint. *Miraculum.* Valuêre paſtoris voces, & populus in vota pronus Virginem non duram reperit. Primus, qui beneficium accepit, herniâ gravi & incurabili laboravit: Is Virgini ſupplex Anno 1629. integer malíque ſui purus domum redijt. Alij demum, alijque, prout quemque ſive mala premebant, ſive in Virginem ferebat pietas, accepere miraculoſam malorum medelam. Illud præ cæteris notatu dignum, quod anno 1635. 20. Iunij accidit, vnde ſibi ſtatua prodigioſæ titulum obtinuit.

Iacobus Cleophas de plebe lignarius faber, & hæreſi Calvinianâ à puero imbutus, *Hæreſis.* concurrentis populi pietatem non ferens, ardebat tiliæ ignem ſubijcere, ſi ſperare poſſet ſimul cum tilia arſuram Virginis Statuam. Tentavit ille impium factum decimâ tertiâ Iunij menſis die, horâ poſt meridiem quartâ, ſed ut conatus maximè fuerit, movere tamen loco S. Statuam non potuit. Ne itaque, non relicto impiæ mentis ueſtigio, abſcederet, decempedam, quam ex more artis ſecum ferebat, in Virginis faciem validiſſimo ictu impegit, & genam tetigit. Hæc, ut Virginem ſenſiſſe non ignoraret, livorem duxit, & altè intumuit.

Horruit homo hæreticus, & *Pœna.* vicinos Haurenſes non vanè metuens, fugâ ſibi ſalutem quæſivit in ſilva, in qua tamen die non ampliùs vno latuit. Nam poſtridie captus, & in urbe Montenſi quæſtioni ſubjectus, crimen faſſus eſt, & juſto mortis ſupplicio pænas dedit. Interea proximus quiſque, viſâ in facie Virginis plagâ, & vultûs portentoſâ mutatione, parochum primùm, tum omnem pagum novo nuncio implet. Accurritur, & ne graviora pateretur, quâ pompâ potuit, Haurenſi pago infertur. *Miraculum.* Obſervatum eſt, capto percuſſore, detumuiſſe genam, quin dato ritè ſupplicio neminem fuiſſe ampliùs, qui vel tumoris, vel livoris veſtigia in vultu Virginis notaret. Hæc origo cultûs, qui hodieque apud Haurenſes magnus eſt.

Hanc narrationem ad me miſit R.P. Everardus Hockius S. IESV Leodio.

C I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ORATIONE.
Romæ in Italia.

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eia pura munda, tu magna electa amoris.*

1 Pollinctores gratuiti.
2. Vides initium, ſed non finem.
3. Quadraginta horæ.

Hæc Deiparæ Imago jamdudum in publico honores ſolito majores acceperat, dum muro exempta Anno 1598. huic oratorio illata eſt, cui vel initium, vel augmentum dedit nova Confraternitas, quæ anno 1527. coaluit, ſepeliendis mortuis à quodam piè inſtituta, tempore nimirum non opportuno tantùm, ſed & neceſſario: quando in illa Vrbis Romanæ vaſtatione, cui qui initium dedit, finem non vidit: ſiquidem victor licèt vrbem ingreſſus, ad portam Setignianam globo traiectus eſt: cujus veſtigium etiamnum cataphracta Statua exhibet, in Armario Pontificio Vaticano monſtrari ſolita. Arma.

Illo, inquam, in cataclismo, cæſorum vel peſte mortuorum cadaveribus tantùm non viæ ſtratæ erant, nemine vno invento, qui ea Chriſtiano ritu terræ mandaret, donec iſta, de qua loquor, Confraternitas, neſcio cujus hortatu coaluit, in hoc oratorium congregata, & ſepeliendis rite mortuis intenta. Cur autem ſibi *de Oratione* nomen indiderint, inde profectum ſcribit Octavius Pancirola, quòd orationi quadraginta horarum ipſi initium dederint; & inventores ſe dicant côlendarum illarum quadraginta horarum, quæ (ut illo ſæculo credebatur) à Chriſti morte ad uſque reſurrectionẽ interceſſerant. Denique, ne Imagine Deiparæ carerent, quæ pietatem ſemel conceptam inflammaret, obtinuêre anno 1598. iſtam, de qua ſuprà dixi, quæ hodieque apud omnes in veneratione eſt. Confraternitas. Oratio.

Octav. Pancirol.

C X.

Imago B. V. Miraculoſa.
AB ASSISTENTIA.
Inſulis in Germania Infer.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virgo antea immaculata, en! paris Deum.*

1. Merces in Corona.
2. Hæres felix.
3. Coronans Coronati.

XEnodochium Inſulenſi in vrbe olim à quadam comitiſſa exædificatum, & dotatum : hinc comitiſſæ Hoſpitale nomen ei eſt, nec aliud. Huic anno 1640. ſacellum Deiparæ à fundamentis ad junctum eſt, dedicatúmque 7. Aprilis. Hic Imago Deiparæ eſt beneficijs nobilis: originem & ſacelli & beneficiorum cæleſtium dedit ſimplex & pius bajulus, ſeu publicorum onerum geſtator, ex ijs vnus, qui maximè lucellum ſuum apud mercatores quærunt, & inveniunt: is, ut proclivem pronúmque in Virginem animum demonſtraret, Iconi huic, ad parietem aliàs neglectæ, (neque enim alium cultum ab ullo acceperat publicum, niſi quòd à neſcio quo in anguſto muri foramine ſit collocata) bina ex floribus ſerta ſolebat imponere, arida mutans recentibus. Flores.

Cur autem bina poſuerit cauſa erat, tum quia & filio Mariæ alterum dedit, tum ſe & filium, quem unicum habuit, Mariæ identidem commendavit. Spes hominem aluit futuræ mercedis: quapropter idem & filio moriens inter vltima præcepta ſeriò injunxit, ut & ipſe ſine ſertis hanc Deiparæ ſtatuam eſſe non ſineret. Filius ex aſſe, id eſt, totius pietatis paternæ (amplius non erat) hæres fecit parentis vltima placita, & Virgini ſerta poſuit è floribus agri, quos filius Mariæ appellavit lilia.

Quid Deipara ſeu patri, ſeu filio propoſitis corollis rependerit, ad me perſcriptum non eſt. Præterita certè à beneficentiſſima Regina non ſunt: quando ad alios etiam beneficia fluxêre multa, & grandia. Hinc accurſus primùm, & munera, & denique erectum ſacellum opere decoro, ubi in hodiernam uſque diem & incolis Hoſpitalariæ domûs, & accolis civibus, quin & alijs per omnem latè Inſulenſem agrum exteris benefica eſſe pergit Deipara. Cæterùm ad me nulla miracula miſit. Merces. Accurſus.

R. P. Thoſanus Bridoul Soc. IESV Inſulis.

CXI.

Imago B. V. Miraculoſa ROTVNDA.

Romæ in Italia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *I, Mater Eva, en! tu ignoras culpam Adami.*

1. Architectura Chriſtiana.
2. Fur pius.
3. Muſica ruſtica.

ROmanæ urbis magnum decus eſt templũ, quod amicis inimicíſque Romanorum Dijs omni-

mnibus ædificatûm eſt ab Agrippa cive Romano. Rotundum eſt, & vaſtum, lucem vnico cyclo, qui patet in fornicis arcuati faſtigio, admittit. Pluviales aquas hodie ſubſtructa pavimento cloaca abſorbet. Quid columnas ingentes, trabeſque olim cum tecto æreas in veſtibulo memorem, ex quo per ingentem & æream portam ingreſſus patet? Intus hemicyclis ſeptem dividitur. Anteriorem olim Iupiter, reliquos ſex reliqua errantia in Cælo Numina obtinuerunt. Inimicos hoſtium Deos ſub dio & nudos collocavit, ut aiunt, Artifex in tecti ærei ornamentum. Amicis locus fuit in templo; opus omnes docuit peritus artifex nomen ſuum reſpicere. Aiunt, ubi quæpiam ex provincijs, faſtidito Romanorum jugo, rebellis eſſe cæpiſſet; mox averſo à Iove vultu viſam conſiſtere ſtatuam Divi, quem illa provincia præ cæteris adorabat. Ita nunquam Romanis datum tempus non fuit parandis armis. Hæc templi moles olim Romanis magna viſa eſt. Nunc inter parvas habetur, ex quo Bramantus ſuperioris ſæculi architectus tholum æquali (imò & majore) cum Pantheo magnitudine; ſepulchro principum Apoſtolorum imminentem, Baſilicarum Principi impoſuit, ut vel inde videas, quantum Roma poſt tot excidia profecerit.

Idola.

Mirum.

Dedicatio. Templum Agrippæ Bonifacius quartus Deiparæ, & omnibus cælitibus dedicavit, & titulum ei eſſe voluit S. Mariæ ad Martyres, propter Sacra Martyrum oſſa, quæ magno numerô undique conquiſita, inter Romanorum acclamationes intulit. Divæ Virginis Imaginem, quæ Iovis loco principe hemicyclo marmoreo impoſita eſt, accepit aliam è ſummorum Pontificum ſacrario, quod Sancta Sanctorum appellant. Sed quis hanc Imaginem urbi Romanæ dederit, & unde, audi. Veronica dives opum, ſi Chriſtianorum theſauros, id eſt, reliquias ſpectes, auſa eſt ſperare caput orbis Tiberium ad Chriſti partes deflecti poſſe, non religionis doctrinâ, quæ & debiliori ſexui vetita eſt, & Tiberio jam pridem viluerat, ſed miraculo. Compoſitis itaque in onerariam rebus Chriſti & B. Virginis contactu ſacris; ſuperato mari Romam ingreſſa eſt; inter hos theſauros fuere S. Deiparæ Capilli, & S. Sudarium, quo Servatoris Chriſti vultum exceperat. Hoc Tiberium liberare, quâ tenebatur, ægritudine conſtituit, & fidem dare, quâ viveret ſemper.

Reliquiæ

S. Capilli B. V.

An Tiberio locuta, auditaque fuerit, non habeo dicere. Hoc certum eſt, Impium Tyrannum nec Chriſti vultum conſpexiſſe, nec ab eo reſpectum. I nunc, & quem Deus ſprevit, corrige. Ad rem noſtram eſt, hanc Deiparæ Imaginem S. Lucæ opus eſſe, à S. Veronica allatam, à S. Gregorio à ſacrario exemptam, & in ſolenni illa ſupplicatione inter ſex alias D. Lucę Icones Marianas per urbem circumlatam, iterúmque in ſacrario repoſitam, denique à Bonifacio octavo in hoc templo poſitam, ubi hodieque colitur.

S. Lucas.

Octav. Pancirola.

CXII.

C X II.

Imago B. V. Miraculoſa.

L A V R E T A N A.

Inſulis in Germania infer.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Mater Virgo pia, jam vale ſanctè munda.*

1. Ignis perpetuus.
2. Completi labores.
3. Domus alea.

FElicem præ plurimis prædico Aulicum IoannemSuffoldum, qui cùm tantæ olim apud Imp. Carolum quintum auctoritatis eſſet, ut quidlibet poſſet, ejus modi quoque locum ut apud Cæli Reginam obtineret, impensè laboravit, raro quidem, ſed facilè imitabili exemplo. Hic ære ſuo, ne in luſum abiret, & pocula, vel quæ poculis peiora ſunt, Aulicorum vitia, ædiculam hanc Virgini Annunciatæ ſtruxit, quantam eo tempore licuit, Lauretanæ ſimilem. Etenim necdum ejus ichnographia, vulgo innotuerat.

Hodie pietati antiquæ nova acceſſit: nam è deſtillante cerà Atrebatenſis cerej ſteterat jam dudum cereus quiſpiam in ſacello perantiquo & neglecto, quod ad urbis commoda diruit magiſtratus, alijs obſequijs breves muros Deiparæ compenſaturus. Cereus itaque ſacelli diruti vnicum ornamentum in hoc ſacellum translatus eſt, & ſuo & ſacellj bono, quando & hoc illi & iſte huic dat, quem priùs non habuit, accurſum, & accurſus Deiparæ beneficentiam. Candela.

P. Thoſanus Pridoul S. I. Inſulis.

C x I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E P V T E O.

Romæ in Jtalia.

Prog: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Eia Regina ſummo amanti pura dilecta.*

1. Vallis inferni.
2. Martis incommoda.
3. Roma expilata.

LOcùs Romæ eſt, qui *vallis inferni* appellatur, forſan quia, per eam vallem ingreſſus (Octavio Pancirolà auctore) Carolus Borbonius improbus Calviniſta, nullo alio facinore militari comparandus ſcipioni, niſi quòd, ut ille ab Affrica ita iſte à Roma expilátâ, & tantum non everſâ, nomen accepit, & ſecum ad vallem & Abyſſum inferni detulit. Certè ut ne-

mo Heroſtrati ſine Epheſinâ urbe meminit; ita nemo nominari audiet hunc Heröem, quin cum gemitu quoque Romanæ urbis meminerit. hac in valle jam olim puteus fuit, qui hodie extra templum videtur. In hunc ſacrilega quæpiam manus, Iconem Deiparæ, quæ hodie in altari colitur, dejecit. Supervenit fortè alius reverentior Mariæ, exemptámque domum detulit, & ablatos Mariæ honores pietate ſua reſtituit.

Imago.

Beneficium cultori collatum à Deiparâ, alios quoque ad Imaginis cultum animavit. Quæ autem fuerit illa miraculoſa è cælo gratia, propter quem populus ædificârit hoc oratorium, & B. V. dedicârit in illa urbis devaſtatione cum alijs monumentis interijſſe ait octav. Pancirola, diligentiſſimus aliàs rerum ſacrarum indagator. Prô! quantum Eccleſia theſaurum haberet, ſi à primitivâ Eccleſiâ ſcriptores fuiſſent, qui miraculoſas Deiparæ Imagines poſteritati conſignâſſent.

CXIV.

mago B. V. Miraculoſa.

DE SEPTEM DOLORIBVS.

Inſulis in Germania. Infer.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *O Vera immaculata, Dei Gnatum paries.*

1. Septem dolores B. V.
2. Hebdomas ſancta.
3. Concio triplex.

IN æde D. Stephani primariâ, hujus urbis parochiâ, ſacellum eſt, in quo viſitur Imago B. V. *à 7. Doloribus* nuncupata. Huc Incolæ deferunt dolores ſuos, non animi minùs, quàm corporis, & levamen reportant majore nonnunquam miraculo, quam ij, quibus manus pedéſque reſtituuntur. Feſtum totius anni ſolenniſſimum hìc celebratur feriâ ſextâ ante Dominicam palmarum. Concione triplici, alijſque, quæ feſto & celebritati augendæ apta ſunt. Iſthic orantibus variæ à diverſis ſummis Pontificibus Indulgentiæ conceſſæ. Inter miraculoſas paſſim habeni ſcripſit ad me R. P. Thoſanus Pridoul Soc. IESV.

Cultus.

Non omitto hic memorare & lectori revocare in memoriam, quod quemadmodum animæ neceſſitates graviores ſunt neceſſitatibus corporis, ita miracula quæ nobis has animæ affectiones tollunt majora eſſe illis per quæ nobis remedium fit in malis quæ corpus affligunt, habeo teſtes omnes eos qui digni fuerunt experiri ejus modi miraculoſa auxilia quanquam mundus ea ſemper pluris æſtimatq; oculis patent. Hic nempe hominum ſenſus eſt, hinc inter tabulas gratiarum teſtes raras eſt videre quæ prædicent beneficia miraculoſa, quibus animæ mala ſunt curata.

CXV.

CXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
A' STELLA.
Caſſiani in Italia.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu parens veri Dei, O magna immaculata.*

1. Stella domeſtica.
2. Dives non impius.
3. Inſignia familiæ.

CAſſianum, ut alibi memoro, eorum ſub ditione eſt oppidum in Apulia, qui gentilitijs armis Virginem ab antiquo ferunt ſine labe conceptam. Hic ſæculo proximo, paupere in domo fæmina, vulgarem vidit lucidiſſimæ ſtellæ æmulum. Conſtabat, tantæ ſpecie flammam incendij periculum non portendere. Ne ſola tam frueretur inſueto portento, accivit vicinos. Neminem lux (quia cæleſtis) terruit. Itaque fuêre, qui propiùs auderent accedere, palpaturi manibus, ſi poſſent tam nobilem Cæli portionem: cùm Virginis, cujus hic Ectypon propoſui, Imaginem inveniunt. Et hæc tam portentoſæ lucis radios dedit.

Mala auditis teſtibus eſt in templum ab Epiſcopo: Nec fuit qui dubitaret, fore miraculoſam, quando ipſa inventio miraculo non caruit. Ita contigit. Lucet etiamnum, & claret miraculis, nomênque ſuum, quod à Stelâ accepit, beneficiorum claritaem apud cives ſuos tuetur. Hanc narrationẽ cum Imagine miſit ad me R. P. Iulius Cæſar Fazzari R. Barienſis Soc. IESV.

CXVI.

Imago B. V. Miraculoſa
A' BENEDICTIONE.
Inſulis in Germania Infer.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Adam & Evam in macula purè ignoraſti.*

1. Benedictio Mariæ.
2. Somnium pium.
3. Preces nocturnæ.

IMago hæc eſt in ſacello Hoſpitalis S. Iacobi, & magnâ multorum pietate colitur. Originem habet ab apparitione, quam per ſomnium accepit vir quidam pius, & Deiparæ apprimè deditus. Hic poſt preces, quas Virgini, interrupto ſomno, noctu recitare ſolitus eſt, iterum in ſomnum relapſus, viſus ſibi eſt, ſtare in medio neſcio cujus magni templi &

Auguſti, facie ad venerabile Sacramentum converſâ. Ubi videre ſibi viſus eſt Deiparam, accepto è S. Cuſtodia Ciborio, Benedictionem populo impertientem. Tanto ſubinde delibutus eſt, qui hæc vidit, gaudio, ut lacrimis diffluerет. Hinc eſt, quòd pictor Deiparam cum filio pinxerit, qui manibus S. Sacramentum tenet, paratque Benedictionem impertire. Somnium eſt hujus tam magnæ pietatis origo ſed ſomnia non ſunt favores mariani, quos, qui hanc Imaginem frequentant, recipiunt, merito inter miraculoſas ponendam.

Hæc ad me R. P. Thoſanus Bridoul. Soc. IESV.

CXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PVRITATE.
Romæ in Italia.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *I. Ergo pura i ſane munda & immaculata.*

1. Fluvius cerimonioſus.
2. Proba miraculi.
3. Spes ſanat.

INter Cætera urbis damna ſub Clemente ſeptimo, etiam domus quæpiam habitatore vacua ſic concidit, ut totius viciniæ retrimenta illuc abijcerentur. Auxit Tiberina inundatio colluviem iſtam ſic, ut nec ingreſſus quidem ampliùs pateret. Viſus tamen eſt Tiberis reverentior Virginis, ſiquidem in muro pictam ejuſImaginem licèt, undis altior, nullo tamen picturæ damno eam tetigiſſe obſervatus eſt fluvius ab ijs, quibus curæ eſt omnis Deiparæ cultûs. Miraculum.

Et quia res miraculo non abſimilis habita eſt à multis, ægrorum plurimi huc ſpem ſuam deportârunt, ut inclinatam, jámque caſuram vitam erigerent. Infantium maximè utriuſque ſexus obſervata eſt pietas, diu multúmque res parentum domeſticas Deiparæ commendantium. Certa, nec pauca miracula cumulârunt tabellas, Candelas, Eleemoſynas, & auxerunt concurſum.

Hinc templum, quod hodie viſitur, licèt non maximum, nitore tamen ſuo & ſymetria viſendum. Porrò quia Imago è ſordibus extracta eſt, ei nomen de Puritate inditum eſt, quod hodiéque tenet, & novis beneficijs auget. Octav. Pancirola. Templum.

CXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. TVRZANENSIS. *Turzani in Germania Superiore.*

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *I. Alma intacta, Eva Virgo ſemper munda.*

1. Domus felix.
2. Ruſtici eruditi.
3. Labores Angelorum.

Annus agebatur ſæculi vndecimi quinquageſimus, cùm Ruſticus Turzanenſis (locus eſt prope Brünam in Moravia) Statuam hanc Deiparæ in rubo conſpexit. Quis eam ibi vel depoſuerit, vel abiecerit, incertum. Ille Statuam velut rem derelictam jure primi occupantis ſuam fecit, & domum portavit, ſed Statua poſtridie ſine comite, ſine bajulo, ad rubum redijt.

Amiſſam ſagax colonus in rubo quæſivit, moris non ignarus, quem nonnullæ Virginis Statuæ habent. Repertam iterum, jámque tantò chariorem, ſecum tulit, ſed & iterum Statua rubum repetijt. Tertium itaque in rubo repertam domum retulit, alia mente volvens, ſi tertium rediret. Sed tantâ ſimplicis coloni conſtantiâ mota Statua mutavit ſententiam, & immota domi manſit ſic nempe ſincera ſimplicitas Superos cogit. Audita hæc ſunt à ruſticis, & credita atque etiam ijs denarrata, ad quos hæc pertinent. Mirum ijs videbatur, Statuam bis tedijſſe ad rubum: miro tamen mirius, quòd vice tertiâ non redierit, ſed obſequioſæ comitati dicam, an importunitati, ſe præbuerit, & ſteterit. Stantem in ſuo pago S. Statuam pro theſauro habuere coloni.

Itaque de majorum licentia non procùl à ruſtici domo aream templo deſignant, & fabricæ neceſſaria fide bonâ, id eſt, ruſticâ, non tardè comportant. Sed non placuit Virgini locus ne itaque piorum manus in fundamentis fruſtra laborarent, nocte non ampliùs unâ omnem vim lapidum, arenæ, & lignorum ad ipſius Coloni domum Angelorum manus deportârunt. Novitas hæc doctos exercuit, quibus hæc fraudis ſuſpicionem moverunt.

Doctiùs tamen ruſtici miraculum ſtabiliuerunt; ut qui certiùs ſcirent, quot manibus, equis, curribus, quantóque tempore indiguerint, ut hæc indigeſta lapidum, arenæ, & lignorum moles in hanc congeriem poneretur. Sciebant inſuper, dormientes non laborare, neque integro pago ignaro aliunde advenire poſſe tot homines, qui tanto operi ſufficerent. Quin & canem quiſque ſuum laudibus efferebat, quibus probrum eſt, ſi vel vnum prætereire permittant inſalutatum, id eſt, non alla-

allatratum. Tandem quod ruſticis initio certum erat, his alijsque rationibus, litteratis doctiſque perſuaſum tandem eſt, divina virtute omnem materiam ad coloni domum eſſe tranſlatam. Erratum tamen non eſt: quia juſto examine ſimilia trutinari debent. Quando itaque hæc ſalus huic domui contigit, ipſe Colonus primus manum admovit, fecitque ut intra paucas horas ad Virginis honorem jaceret, paulò pòſt jucundâ metamorphoſi in templũ reſurrectura fundamenta. Neque aliter factum eſt.

Examen.

Templum hodiéque viſendum ſtat bene magnum, non alio Architecti errore quã, quòd amplum licèt ſit, capax tamen non ſit multitudinis, quæ certis anni temporibus locum inviſit. Boëmi vicini, velut ad locum miraculis clarum, magno numero confugiunt. Hæc origo eſt miraculorum, quibus ſacer locus honores ſuos debet. Magna & ſcriptu digna habentur. Sed quia *R. P. Andreas Schambogerꝰ Boemiæ Provincialis* nullum eorum ad me miſit, non habeo quod Addam.

Sedet Regina Cæli filiolum ſinu geſtans. Nec operi deeſt ſuus decor, inter pulcherimas meritò cenſeri poteſt, in throno è ſpinis confecto pingitur; quia inter Spinas reperta eſt.

Situs.

C X I X.

Imago B. V. Miraculoſa. ASTENSIS.

Aſti in Italia.

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Euge mali neſcia, pura, munda, mira tota.*

1. Remedium tempeſtatis.
2. Preces ſiccæ.
3. Auxilia periculoſa.

DE hac Imagine miraculoſâ & celebri ad eam concurſu jam olim Conſtantinopolis fatigare ſcriptorem poterat. Hinc certè in Italiam à devotis portata, ut & in Italia ubi ſedem fixiſſet, pergeret porrò, nec deſiſteret miraculoſa eſſe. Prævenit ſuorum ſpem Deipara: nam in ipſo mari fecit, quod expectabatur in terra. Etenim horenda tempeſtas Cælum miſcuit, & navi, quâ vehebatur, interitum certum denunciavit mugitibus, qui vel ſoli peritiſſimos nautas, ſpem omnem vnà cum arte cogebant abijcere. Verbo præſentem mortem omnia intentabant. Fælices tamen, quibus remedium in navi erat.

Tempeſtas.

Quid agimus, inquit, navarchus, ſi inter auxilia perimus? Proferte Deiparæ S. Iconem, quam in ſimiles caſus nobiſcum tulimus. Quid plura? preces fudêre vnà cum lacrimis, ne ſiccæ eſſent, & votum Virgini fecêre, quotquot nautas navis vehebat. paratos ad obſe-

obſequia Angelos credas fuiſſe; ita momento ſerenitas Cælo redijt: mare quoque, aliàs etiam ceſſantibus ventis triduo in quietum, ſtetit: ut ſcirent nautæ Imperatum eſſe à Virgine ventis & mari. Contigerunt hæc anno 1418. 5. Octob. Magni portò dati honores publici, quos publicis beneficijs in hodiernum uſque diem copioſè rependit.

Ioan. Bapt. Alberti.

C X X.

Imago B. V. Miraculoſa. CONSOLATA. *Taurini in Pedemontio.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Euge porta miræ lucis, animata munda.*

1. Cæcus dux viæ.

2. Artes Martis.

3. Impar matrimonium.

Gothorum & VVandalorum vaſtationes per Italiam vniverſam quis memoret? quando neminem fere reliquere vnicum, qui memorare poſteris, ne dum qui tradere litteris poſſet. Lugeant aliæ urbes ſua excidia, urbs Taurinenſis ſuum, in qua domibus ſuper ingeſtæ domus ita ſunt, ut nonnulli civium quærerent, ubi olim paterna domus ſtetiſſet. Inter cætera templa ſacellum quodpiam Deiparæ fuit ad ipſa urbis mænia, in quo ejus S. Imago tenuiſſimâ in ſindone picta colebatur.

Sacellum. Totum hoc ſacellum inter ruinas anno adhuc vndecimi ſæculi octogeſimo latebat. Ita ex oculis animiſque Taurinenſium ſacra Imago vnà cum ſuo ſacello evanuit. Utque hoc tanti theſauri Reconditorium iterum viderent Taurinenſes, cæcus quiſpiam à Deipara electus eſt, qui videntibus viam monſtraret. Brianzonus è nobili familia Ravacriorum, homo dives, & hoc ſolo infelix, quòd non ut cætera corporis membra, ita etiam oculos acceperat. Is inquam à Nativitate cæcus S. Imaginem in ſomno vidit, quin & audivit promittentem ſibi oculos, ſi templum ſub ruinis ſepultum adijſſet. Ille ſtrato ſe proripuit, & excitatis fratribus retulit non vanum ſomnium, rogavítque, ſe præbeant comites lucroſi itineris. Cæcus.

Illi ne quid graviùs dicerent, riſu & ſibilo exceperunt novi Prophetæ, & non videntis vaticinationem. Nempe ubi de ſacris rebus ſermo eſt, ſomnia recenſere credimur. Repulſam à fratribus paſſus, non ita cæcus fuit, quin videret ſpem hæreditatis, quam improlis cæcus olim eſſet relicturus, fratribus indixiſſe hujus ſomnij contemptum. Mox itaque vocatam ancillam viæ ducem rogat, mercedem operæ fore certam matrimonij ſponſionem. Somnium.

Hæc

Hæc ut nocte media viam per plateas facere non vellet, & bonâ Dominorum veniâ non poſſet, præſentior tamen erat Brianzonus & ditiſſimi matrimonij ſpes. Itur itaque nocte mediâ Taurinum verſus, jámque non plus mille paſſibus aberant urbe, cùm cæcus aperit oculos, & turrim quandam intuetur propinquam huic, de quo loquor, Sacello. Itaque lætitia, qua cæci ſolent, qui viſum recepêre, geſtiens: Hic ipſe, inquit, locus eſt, quem vidi, hîc hîc reperiendum eſt cum S. Icone Sacellum, quod quæro. Multum eſt, lætitiam, quæ cum oculis venit, cum oculis non iterum abijſſe. Nam licèt oculorum omnem vſum mox iterum amiſerit; citatis tamen paſſibus ad locum deduci voluit, quem nemo ſciret præter ipſum. Arduum fuit, cæci mentem intelligere; nunc dextram nunc ſiniſtram verſus omnes paſſus numerantis.

Cæcus.

Stetit demum, ubi ipſe Sacellum ſub ruinis eſſe credidit, flexóque genu in lacrimas & preces prorumpens, à Virgine popoſcit promiſſum oculorum uſum, quando ipſe imperata feciſſet. Nec diu orantem Virgo morata eſt. Vix ille venit, vix Virgini vota fecit, vidit. Fama populum accivit. Ipſe Epiſcopus in rem præſentem venire voluit. Brianzonus videre & videri ambiens, ante omnia fodi terram rogat, & Sacellum erui, à cujus S. Imagine tantùm beneficium accepiſſet. Omnia ipſo vigeſimo die Iunij, uti cæcus viderat, reperta ſunt anno milleſimo centeſimo quarto.

Fama.

Tot miris decorato miraculo glorioſi cives Virgini titulum de Conſolatione dederunt, & Conſolatam appellaverunt. Hoc initium ſignorum fecit Deipara hoc in loco. At ubi populorum accurſu, gratiæ, quas hîc Virgo contulit, per omnem latè regionem fidâ narratione ſunt ſparſæ, cives prioribus exactis malis, poſtliminio rediêre domum. & Taurinenſis vrbs tantiſper domus facta, civitas eſſe rurſus cæpit.

Accurſus.

Feſtus dies olim Taurinenſibus fuit ſecundus Iulij menſis, & nunc eſt. Ac licèt plus toto ſæculo, tanti beneficij memoria tacuerit; nunc tamen, quia Sodalium cætus Virginem novis animis colit, iterum ejuſdem diei ſollennia cum memoria antiqui reducta fuit. Hanc narrationem authenticam una cum Imagine miſit ad me ipſemet Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Architectus Epiſcopus Taurinenſis Antonius ſua manu ſubſcriptam.

CXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE LEGARDA;
Legardæ in Navarra.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Age Patrona mundi jure immaculata es.*

1. Pluvia.
2. Siccitas.
3. Remedium.

CElebris eſt in Navarra, quam adHiſpaniam revoco, memoria B. V. de Legarda ad Iberum amnem. Hujus templum, quoties annus ſiccitate, aut nimijs laborat pluvijs, Navarri & Caſtellani, qui trans fluvium Iberum illas terras incolunt, magno numero frequentant, nec in caſſum: Nam opem miraculoſam Deiparæ experiuntur. Neque aliam S. Iconis originem aut certum quodpiam miraculum ad me perſcripſit R. P. Ioſephus Moretus Soc. IESV. Quanta porro ſit gratia, è cælo obtinere precibus pluviam frugibus utilem non à ſcholis petendum eſt ſed à colonis, illi laborum ſuorum pretia ſciunt, quos ſi vident fructu ſuo fruſtratos, tantum non quandoque deſperant. Atque ut crudi ſunt, cerebri durioris, plus tamen cognoſcunt quantum res terrenæ à cælo dependeant, atque utinam etiam condigna gratitudine agnoſcant, plures & magni nominis miraculoſas Deiparæ Imagines afferam in ſequentibus, quæ ob hoc ſolum concurſibus magnis celebrantur quod tempeſtate à Reginâ cæli obtineant coloni frugibus utilem.

CXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
GRATIARVM.
Mantuæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu jure immaculata O magna Deiparens.*

1. Votum potens.
2. Princeps medicus.
3. Gratitudo liberalis.

QVatuor paſſuum millibus Mantuanâ ab urbe ſacellum eſt, & in ſacello Deiparæ Imago exigui operis: quam quis intulerit, ſine culpâ ignoro, quando fortaſſis nemo Mantuanorum eſt, qui ſciat. Hoc mihi certum eſt, fuiſſe ſemper, qui locum propter accepta beneficia magni facerent. Hinc ſub annum milleſimum trecenteſimum, Mantuæ Mar-

chio Franciſcus Gonzaga hoc remedium invenit peſtiferæ lui, quæ omnia Medicorum & medicinæ conſilia eluſerat.

Votum. Vovet Virgini in loco templum auguſtius, quod & mole ſua, & magnificentiâ poſteris teſtaretur, beneficium ſublati contagij in memores incidiſſe. Audita ſunt in Cælo vota Principis, & nemo vnus, poſt editum à Principe votum, repertus eſt, in quem peſtis ſæviret: ne dubitaret Mantua, ad principis ſui preces ſibi reſtitutam jam dudum perditam ſanitatem. Nec etiam lentum experta Virgo eſt Principem. Quàm potuit celerrimè manus admotæ ſunt operi, ſeptennio tamen integro opus fuit, ut tanta moles exurgeret. Quin etiam plus præſtitit, quàm promiſit. Virginum namque Religioſarum cœtum adjunxit ex ordine D. Franciſci. Pius II. P. M.

Locum præſentiâ ſuâ honoravit, & gratijs, quibus Pontifices ſoli poſſunt, auxit. Cæterum miraculorum copiam inde colligere lector poteſt, quòd Felix Aſtolfi in opere ſuo Mariano diſertè affirmet, neminem cum fide gratiam à Virgine hìc loci petere, quam non obtineat. Indulgentiæ.

Io. Bapt. Alberti l. 2. Felix Aſtolfi l. 10.

CXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa TORAFFICENSIS. *Toraffæ in Hiſpania.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *En! tu immaculata es nam Virgo Deipara.*

1. *Salus periculo quæſita.*
2. *Fluvius cerimonioſus.*
3. *Pietas imprudens.*

IN Regno & Diœceſi (vulgo Iaen) oppidum eſt Toraffa prope vrbem Villanovam. Tempore Maurici furoris filia Regis Toraffenſis, ab Eremita quodam, edocta fidem, Baptiſmum optavit. Eum in finem, ſub noctem è paternâ domo aulâ Regiâ tantiſper fugitiva ad Eremitam devenit. Mille paſſibus hoc iter ſtetit, magnum ſanè & periculoſum, ſi tempus, ſi ſexum, ſi patrem ſpectes, & quod omnibus his ampliùs eſt, famam. Baptiſmus.

Redeundum Virgini erat ante diem, & quidem ſine baptiſmo. Aqua enim in paupere casâ non erat, alijs mille paſſibus petenda. Viſum utrique eſt, precibus à Deiparâ exorandam, Orant itaque obtinent limpidiſſimam ſcaturiginem, quæ in hodiernum diem feliciſſimo profluente fatigatos recreat, niſi quòd certo anni tempore torrentis inſtar exareſcat, ut fortiùs Feſto Deiparæ natæ incipiat fluere. Majores hoc in loco jam ante plura ſæcula ſtruxêre ſacellum, & prout ferebant tempora, hiſtoriam deſcripsêre peni-

penicillo. Quin & hic olim neſcio quis Baſilianis Religioſis Cænobium adjunxit, qui tamen propter auram inſalubrem in urbe ſedem habent, uno ſemper ad obſequia relicto Confeſſionis tantū causâ, omnes, cum opus, adſunt.

R. P. Alfonſus Rodriquez S.I.

C X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PACE.

Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Magna Deipara vnicè tuta, è morſu mali.*

1. Pax templo empta.
2. Furore infelix.
3. Alea mala.

PorticUs ex antiquis una fuit; ubi hodie templum pacis Marianâ Imagine viſendum magnificâ mole conſiſtit, & ſub porticu luſorum è plebe colluvies, nullâ S. Imaginis reverentiâ: eorum vnus cùm nihil haberet ampliùs, quòd perderet præter ſeipſum, auſus eſt facinus, quod ipſum dæmonem nunquam auſum eſſe lego: auſus eſt, inquam, præter blaſphemias etiam ſaxa plenis jactibus in S. Imaginem vibrare, dum copioſus ſequeretur ſanguis, cujus non obſcura veſtigia hodiéque in genarum altera, in mento, in collo & pectore apparent. Quid actum reo ſit, à nemine, quam ſciam, traditum eſt. Alupai Cultum, ut ſolet, Roma exhibuit, & injuriam obſequio abolevit. Placuit Virgini, fecítque ut ægri quamplurimi Imaginem experiantur ſaluberrimè miraculoſam. Summus Pontifex Sixtus IV. locum acceſſit, Virginíque pacem Chriſtianorum Principum commendavit, & templum ſpopondit exoratâ pace, templum, quod hodie videtur ſtruxit, Virginíque titulum *pacis* dedit: quam hodie illi præcipuè venerantur, qui pacem domi ſuæ habere nequeunt.

Oct. Pancir. in ſua Roma.

C X X V.

Imago B. V. Miraculoſa. SANCTIMONTANA.

In Monte Sancto in Boemia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva ſecunda pura mater Agni immaculati.*

1. Equus fortis.
2. Ioſephus æconomus.
3. Fulmen vindex.

PRibna Bohemiæ civitas templum habet B. V. in colle vicino, qui ſancti montis nomen jam ab antiquo habet; ſive quia ad hunc collem materia templi mariani divinâ virtute advecta eſt, ut nonnulli non obſcuris fundamentis nixi probant; ſive quia Eques nobilis, nec ſuâ, nec equi virtute in hunc collem evaſit; jamjam ab hoſtibus circundatus, & necandus, ſed voto Virgini facto. Hinc colli nomen obveniſſe aiunt ut ſanctus appellaretur: & ut hoc verius primo ſit, verum tamen & primum eſſe non negârim. Struxit Eques Deiparæ ſacellum, & noſtrâ adhuc ætate viſa in pariete pictura eſt, quæ hiſtoriam exhibet penicillo deſcriptam, adjuncto nomine Equitis, & familiæ. Nunc quia tantū litteræ primæ apparent, cognitio accurata haberi non poteſt.

Opinio eſt, ante hæreſin Hußiticam S. Statuam claram miraculis fuiſſe. quis enim, ne ſeveræ probationi ſuccumbat, è faucibus Hydræ Hæreticæ eruat ſacros libros, quos per omnem late Boëmiam devoravit: Certè templum hoc Huſſiticam rabiem, imò & Lutheranam non evaſiſſe, argumento ſunt Sanctorum Imagines, quibus per omne templum pictis hæreticus eremita (nam & hanc veſtem non horret dæmon) oculos eruit. Poſt exactam hæreſin, templum ita ut erat, ſed neglectum ſtetit, ut in eo quandoque & iumenta ſtabularentur. Rediiſſe Maria Bethlemum credi poterat; donec ſenex quidam ſi IOSEPHVS non fuit, cæco cuidam ſe viſendum præbuit per ſomnium, identidem oculos & oculorum vſum promittens, ſi ſacelli illius curam ſuſciperet. Is, obtentâ ad id à maioribus facultate, nepotulo duce officium recuſante vxore, ad locum pervenit, atque inter pios cantus, & accenſas preces, coram ſacra hac & hodiéque miraculoſa Virginis Statua ad laborem ſe accinxit: quo vix inchoato cum lævi primùm dein paulò pòſt etiam dextri oculi vſum visùmque, uti cęleſtis ſenex ſpoponderat, recepit. Apparitio.

Mira hodie veneratio loci multum aucta eſt; ex quo Philoſophi Pragenſes eam S. Statuam arte calcographicâ incidi cupro curârant. Coronidis loco adjungo; quod anno 1629. Iulio menſe contigiſſe; certâ fide ad me perſcriptum eſt. Senatus anno, quo dixi Statuam Virginis locaverat pictori, inductis coloribus renovandam, ſumptibus Nobilis cujuſdam, & precibus Parochi permotus. Pictor hæreticus cùm eſſet, multa de ſanctorum, & præcipuè Virginis Statuis iocosè, nonnulla etiam blaſphemè effutiit. Parochus hominem cùm aliter non poſſet monuit, ceſſaret temnere Divos, ni vellet experiri, quid apud Deum Virgo poſſit. Ille pergere, & ſacrilegos iocos cumulare obſcænis, quos Virgo nunquam, quod ſciam, patienter tulit. Ter ſubitò intonuit, ſed infelici pictoris auſpicio, nam (ne lævum intonuiſſe

nuiſſe putaret) dextram ejus in Statua tunc laborantem, dejecto fulmine, ita momento aduſſit, ut carbonem referret; ſanè diſcurrit fulmen per aulam, per atrium, & penè per domus majorem partem, nullo ullius rei nocumento, ſi ſceleſtam manum excipias, quâ pictor, palpare doctus, quid Virgo poſſit, linguam meliora loqui docuit, & fidei catholicæ manus dedit. Hanc narrationem partim ex hiſtoria loci, partim ex M. S. R. P. Alberti Chanovvikhi excerptam, ad me miſit R. P. Ioann. Tanner Soc. IESV Pragâ.

Fulmen.

C X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DOMINA AFFLICTORVM.

Inſulis in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Nites Virgo pura tamen è maculâ Adami.*

1. Aula ſancta

2. Sacellum aulicum.

3. Aula miraculoſa.

AD Templum D. Petri ſacellum eſt, D. Michaëli Archangelo ſacrum, in hoc Imago VirgoDeiparæ magnâ frequentiâ & veneratione colitur à miſeris, quia titulum habet *Domina afflictorum.* Jam olim in honore fuiſſe, nemini dubium eſt: pleríque uſque ad ſacelli originem deducunt, quod iuxta palatium ſuum ædificari curavit Theodoricus Elſatius Flandriæ Comes, quo tempore certum eſt, magnum fuiſſe pro Virginis honore concurſum.

Comes.

Hinc aulam ſanctam fuiſſe non vanè auguror, quia totus loco cultus ab aula venit: etenim hâc aliò translatâ: deſierunt loco fieri honores. Hoc ſæculo reſtituti, populum agminatim huc trahunt. Et verò etiam Virgo clauſam tantiſper beneficiorum Cæleſtium arcam iterum reſeravit, ut ſæculum antiquum referat, & Virginis pietas in afflictos, & populi obſequium in Virginem.

Miracula

R. P. Toſſanus Bridoul S. I Inſul.

C X X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa

MOTTENSIS.

Mottæ in Foro Iulio.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Tu Regia purè munda anima amicta ſole.*

1. Fo-

1. Forum maximum.
2. Vigilia felix.
3. Labor ornatus.

QVis credat, ſe per forum ire, quando per valles horridas, itur latronibus aptas, niſi frequentia impediret tranſeuntium, valles, inquam, quas ad perpendiculum penè erectæ rupes montibus altiores, faciunt, ut ſolem rarò, nec diu videas. Augent horrorem viæ anguſtæ & præcipites, inter nives præſertim, quæ ad nolæ quandoque ſonum, aut vocis clamoſæ, editum, ſummo in jugo conglobatæ momento citiùs, decidunt, & cum equis integros currus, in abyſſum adhuc profundiorem præcipitant, unde nunquã eos ampliùs videri contingat.

Germania. His terminis olim natura, quæ nihil fruſtra facit, Germaniam ab Italiâ diſtinxit. Hodie forum eſt, fori nomen ſive Iulius Cæſar, ut putant, dedit, ſive mercium ingens modus, quas per has vias Germania Italiæ tranſmittit, æs cupreum & campanum, ferrum, ſtannum, plumbum, argentum vivum propè totum, quod Italia habet, per hanc viam è Germania accipit, uti & lanam linúmque, ut taceam arte facta: quanquam & per Atheſin non pauca inferat Germania Italiæ, quæ per eaſdem vias fructus rependit, & ſericum non illud infectum quidem, ſed in omnes formas figuráſque à Textoribus elaboratum. Hic inter minora oppida vnum eſt, quod motta appellatur, quod civem habuit anno 1509. Ioannem Liganum, quem virtus præ cæteris cælo commendavit. Is, rerum ſuarum ita ſatagens fuit ut animæ virtutúmque ſuarũ nullum caperet detrimentum.

Martius menſis erat, & hortus Ioannis non magnus cultorem poſcebat non indiligentem. Talem inquiſiturus, domo ſe ſummò manè proripit, neve, quod aliàs conſueverat, Virginem inſalutatam præteriret, templum, quod non longè aberat, ingreſſus preces fudit: quas Virgini placuiſſe, inde conſtat, quod vix egreſſo ſpectabilem ſe præbuit, formâ, quæ cæleſtem decebat, & cælitum Reginam. Apparitio. Viſâ ſuprà humanam majeſtate, non diu dubium reliquit Ioannem Virgo, quin ſciret cui loquendũ eſſet. Itaque in terram proſtratus, excuſat debitæ reverentiæ, vel negligentiam, vel ignorantiam. Illa poſt amicam ſalutationem non pauca interrogat, loquitúrque pellendo timori apta. Denique bono, inquit, animo eſto Ioannes.

Templum hoc, in quo me paulò antè ſalutâſti, paulò pòſt per beneficia mea celebre efficiam promiſſa deín totius agri Mottenſis tutelâ, cœnobium hic fore S. Franciſci Alumnis, prædixit, non imperavit, nec aliud, quod ſciam, Ioanni in mandatis dedit. Ille poſtquam cælo litavit, caſtrum quoque felicibus novis implevit. Hic, ut ſolet, ſcindebatur incertum vulgus in contraria ſtudia. Doctiores ſpreverunt cum Ioanne viſum. Vulgus. Simplex quorundam pietas credidit, ne inutile ſuis rebus

bus

bus experta eſt. Siquidem miſeri ſuas ibi miſerias Virgini, ægriq́ue ægritudines cum fide expoſuerunt, & contrà quàm periti expectabant, rediêre domum, hi incolumes, illi felices.

Hinc accurſus, hinc congeſta in grati animi ſignum donaria brevi templo ſuffecêre in fabricæ & altaris ornamenta. Jámque inter tot divitias alia loci facies erat, quæ poſtularet; qui S. Imaginem curarent, quíque accurrentis populi pietatem animarent. Nihil melius viſum eſt, quàm ijs, quos Virgo per Ioannem nominatim elegerat, Cænobium ſtruere. Státque hodie magno cum Virginis honore S. Franciſci inſigne monaſterium magno Motteſis agri bono, qui jam habet, vnde miſeri ſolamen ægri & ſanitatem petant. Cænobium.

Felix Aſtolffi l. n.

CXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE VTERA.

Vteræ in Hiſpania.

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Eia munda parens & immaculata Virgo.*

1. *Catenæ ſigna libertatis.*
2. *Aulæa è ferro.*
3. *Mare inſidum.*

Vtera vrbs, quæ alio etiam nomine vocatur Utricola, tribus non ampliùs horis Hiſpali diſtat. Templum Deiparæ habet mille paſſibus extra mænia, cui RR. PP. Paulini adjunctum habent Cænobium, in quo bipalmaris Deiparæ Statua in veneratione eſt. Cænobium. Concurſus ex omni latè viciniâ magnus toto anno ut ſit, maximus tamen eſt per octavam Nativitatis Deiparæ.

Pro aulæis templo ſunt Anathemata, quibus omnes propè muri veſtiuntur. Anathemata. Pendent ibi Crocodili, & navium breves formæ, pericula maris loquentes. Et quis catenas compedéſque numeret depoſitæ ſervitutis indices, nec plura ad me R. P. Alfonſ. Rodriquez Soc. IESV quã quod quædam captivorum liberatorum miracula memoret, digna ſane ſcriptu ſed quia magis exotica & rariora ſuis locis afferam, non eſt quod hic in ordinarijs deſcribendis Lectorem morer diutius, itaque ijs omiſſis ad ulteriora propero.

CXXIX.

CXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MONTIBVS. *Romæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum:
Anagr. *Tu è ſummo data pura à nece amati ligni.*

1. Principium difficile.
2. Hortus ineptus.
3. Fecit ſacrum.

DIvi Franciſci Seraphici numeroſiſſima familia vrbem & orbem ita replevit virtute & exemplo, ut in omnem penè terram exiverit ſonus eorum, Franciſco adhuc vivente. Roma caput orbis plura habuit hujus inſtituti cœnobia, hoc in loco Virginum cœtus fuit ad Divæ Claræ regulam inſtitutus, qui à montibus vicinis nomen jam tum habuit. At res virginibus non parùm incommoda accidit, totis diebus curioſorum (ſi malitia ſpectantium ab fuit) oculis obijci, quis enim muros erigat, quos vicini colles non ſuperent, nunquam non otioſorum juvenum excubijs obſeſſi, quibus omnes propè Monialium greſſus obſervabantur. Moniales.

Sed hæc initio ut plurimùm ijs devoranda ſunt, qui primas ſedes quærunt, nec vivo Franciſco, qui anno 1226. mortuus ſcribitur, remedium aut quæſitum, aut inventum eſt. At verò ubi ſanctus Patriarcha in cælum receptus eſt, fæliciorem ſororibus ſtationem curavit ad S. Laurentium in Panis perna. Ita cum loco Imago quoque in muro picta, deſerta fuit, poſtquam ex habitatione factum eſt fœnile, in annum uſque 1579. Incognita certè ſtetit Imago, dum 26. menſis Aprilis placuit Deiparæ Imaginem ſuam publico dare. Itaque ſplendoribus è cælo auctam, facile fuit, à concurrente populo, & in omnia nova prono deprehendere, & eiectis quisqui lijs decentiùs habere.

Fulgorem miraculoſum ſecutæ piorum preces, has portenta & miracula: quæ ubi per vrbem palàm facta ſunt, liberalitati datum initium eſt, ea etiam, ut in dies augmentum accepit, pervenuſto templo adſtructa eſt fabrica, quæ theſaurum tueretur: demum etiam ſacerdotum cœtus acceſſit, qui quia altari ſervit, de altari quoque vivit. Inter primas eſt, quæ miraculis claret, hodiéque jucundum videre eſt pericula terræ mariſque penicillo deſcripta, quæ incolumes evasêre huic loco devoti. Cæterùm Feſtus præcipuè hic dies eſt 26. Aprilis, ut ait Octav. Pancirola. Læt.

CXXX.

CXXX.

Imago B. V. Miraculoſa. STEINENSIS. *Steinæ in Boemia.*

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Tu vera, primogenita ſine macula Adam.*

1. Imago non timida.
2. Pallor miraculoſus.
3. Febris cura.

Recentis, ut ad me perſcriptũ eſt, annis hoc in loco colitur Deiparæ Statua, neque unquam aliò tranſlata eſt. Tentatum id quidem belli tempore ab incolis; qui conati ſunt eam in Vrbem uſque Niſſenſem tantiſper bellico furori ſubducere, ſed conatu irrito: ſteterunt quippe in ipſis confinibus equi, & ita reſtiterunt, ut nullis verberibus agi ſe vltra paſſi ſint. Quapropter inito conſilio ad ſuam ædem reducta eſt nihil repugnantibus iumentis.

Ab Illuſtriſſima manu ad me perſcriptum eſt, S. Statuam venuſtum faciei ruborem perdere, & omninò palleſcere ad ingreſſum magni alicuius peccatoris: qui ſi poſt exomologeſin iterum ingrediatur, iterum reſtitui S. Statuæ ruborem tantiſper ablatum: an verò hoc ſemper & omnibus contingat, non habeo dicere. Addunt, contra febres non aliud certius remedium eſſe, quàm huic loco ſe devovere. His annis poſt bella redijt etiam ſacro loco cultus, qui olim erat, & peregrinorum acturſus quotidie facit celebriorem. Hæc ad me R. P. Ioan. Scheſtak Soc. IESV. Febr.

CXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE GRATIIS. *Pinnæ Billorum in Jtalia.*

Prog. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu, O mater almi IESV! inde pura ac magna.*

1. Timor non neceſſarius.
2. Riſus peccatori.
3. Lacrima B. V.

Pinnæ Billorum, quæ in Vrbinate ditione ſedes Epiſcopi eſt Feretani, colitur in templo Parochali S. Chriſtophori antiquiſſimo; quod RR. PP. Auguſtiniani incolunt, Imago Deiparæ in muro depicta, quæ dicitur *S. Maria, Noviſſima de Gratijs.* Ejus altare conſecratum fuit anno 1222. ab Hono-

rio III. hac tranſeunte, conceſſis etiam Indulgentijs. Eadem Imago Anno 1489. 20. Martij, qui ejuſdem menſis tertius dies Veneris fuit, lacrimas effudit ex oculo dextro, quod teſtibus idoneis, & ocularis ritè probatum, credidêre majores, & nobis abundè probãt, quæ ſuperſunt, lacrimarum veſtigia, & denique oculus dexter, qui lacrimas dedit, ſiniſtro non parùm ſtrictior.

Lachrimæ.

Ad hanc quoque urbs confugit hoſtibus preſſa primùm Anno 1517. die Febr. 25. quo die Deipara hoſtium oculos ignitis ex aëre radijs ita perſtrinxit, ut murorum defenſores videri ab ijs non poſſent, adeóque receptui canerent, & aſſultum jam inchoatum intermittere cogerentur. Porrò anno 1522. iterum 23. Febr. quo die hoſtium Duci ſupremo ipſa B. V. apparuit, ſicque hominem terruit, ut & illi, & omnibus militibus diſceſſum perſuaſerit.

Adeſt demum gratitudo civiũ tanta, ut eam inter mira, ſi non inter miracula numeres. Namque & tertio die Veneris menſis Martij Feſtum Lachrimationis celebrant, & 23. Febr. pro duplici urbis liberatione multiplices Deiparæ Virgini gratias feſtâ celebritate perſolvunt. Hæc ad me ex Magnano, gravi Auctore, & Hiſtorico hujus S. Statuæ.

Feſtum.

R. P. Alexander Hoſelli Provinc. Soc. IESV.

CXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. PVLCHRI AMORIS. *Libaduni in Lotharingia.*

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O mater agni Dei amati! pura venis ad lucem.*

1. Novendialis devotio.
2. Corona florea.
3. Fides habetur infanti.

Libadunũ oppidum Lotharingiæ urbi Nanzeiano vicinum eſt. Hìc ante ſexaginta circiter annos ad portam oppidi crux erecta eſt, ad cujus pedem in loculo ſtetit Imago Deiparæ, coronam geſtans in capite, ſceptrum in ſiniſtra, Ieſulum in dextra. Hæc hodie vocatur *Virgo pulchri amoris.* Ex eo, ut dixi, tempore, plurimi ante eam Crucem & Imaginem proſtrati preces Deo offerre conſueverunt. Auditúmque non rarò obtineri petitas gratias, quas tamen ſive timore, ſive verecundiâ vulgare prohibebat.

Anno 1643. Imago illa tam evidenti prodigio veneratione populi auxit, ut deinceps miraculoſa beneficia propalare nemo ſit veritus. Prima omnium fuit Claudia quædam, ægra è plebe fæmina, quæ, corollâ floreâ S. Statuæ impoſitâ, cum impenſiùs oraret, faciem Virginis, cæli iniurijs denigratam, vi-

vidit in ſingula momenta ſenſim mutari, & mirâ albedine coruſcare, quin etiam ipſam albedinem in totam veſtem diffluere.

Portento hoc attonita vicinos clamoribus advocat, qui omnes portenti teſtes, rem pro miraculo habuere, omnis denique accurrens populus voce unâ, hic eſſe locum gratiarum, conclamat. Claudia verò, ut, memoravi primum favorem accepit ſanationem à plaga, quam annos jam quinque apertam ſummis cum doloribus circum ferebat: nempe poſtquam novendialem precationem finivit. Inde beneficia cæleſtia etiam in alios atque alios abiêre. Nec ingrati Libadunenſes, tot Virgini attulêre munera, ut denique templum erigeretur, quod hodiéque Virgini glorioſum apud circumiacentes in veneratione eſt. Hæc ad me.

R. P. Thomas le blanc Soc. IESV.

CXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
CONSOLATRIX AFFLICTORVM.
Lizzani in Germania. Sup.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Tu alma (duce amoris igne) purè animata.*

1. Labor gratuitus.

2. Columnæ juxta viam.

3. Inimici domeſtici.

NOn procul à templo Lizzanenſis pagi, qui in Diæceſi Tridentina eſt, Capitellum ſeu columna ſtetit lateritij operis, ſtátque hodie dum, Imagine Deiparentis inſigne: pictura certè non ruſtica, ſpectantes allicit, quis prima pietate permotus, hujus operis auctor fuerit, non conſtat, fortè nec ſciri voluit: ſed neq; fuit, cui cui æ eſſet, ſi fortè quid pateretur S. Imago, ita dumis vepribúſque circumcreſcentibus, tantùm non omnino ipſa cum Imagine Columna fuit oculis ſubducta.

Gallæ. Cavit hoc Andreas quidam Roſſius, utroque pede captus, & grallis incedens, qui ad locum ſe, ut potuit, conferens, vovit ſe purgaturum importuna virgulta, & ære ſuo renovaturum colores jam jam evaneſcentes, ſiquidem ope Deiparæ reſtitueretur valetudini. Non vanum fuiſſe inſtinctum, quem tamen domeſtici ſprevêre, probavit reſtituta repentè ſanitas, & appenſæ ad Columnam promiſſæ grallæ. Itaque Jonam pictorem Rovoretanum ære ſuo conductum advocat, ſedis ipſe ob contractos nervos manibus captus, víxque penicillo tenendo ſufficiens opus inchoat, in quo plus pietatis quàm artis ſpectaretur. Sed ut primum manum admovit, ipſe quoque reſtitutas ſibi manus ſenſit, jam ſecundus hujus S. Imagini honorarius præco. Pictor.

Audijt hæc Domina Dominica Millana Roboretanæ Nobilitatis fæmina jam dudum cæca, & huc à ſuis adducta intenſiſſimis precibus viſum oravit, & exoravit, atque urbem Rovoretanam, quàm longa latáque eſt, vno clamore implevit oculata teſtis tam magni miraculi. Contigerunt hæc anno 1602. quo tria hoc omni exceptione majora miracula omnem latè populum excivêre. Gratiarum multitudo, & accurſus populi majorem Imaginis reverentiam poſtulantis, maximè cum allatæ opes indies creſcerent, coëgit Reverendiſſimum Dominum ſilvium grati, Vicarium Tridentinum, ut Alexium Thomaſium Archipresbyterum Lezzanenſem Columnæ ſacræ præponeret cum titulo Commiſſarij, qui primo die Iunij menſis purgavit locum, & opere ſumptibus oblatis pari, ſacellum è ligno ſtruxit, & juſto juris proceſſu conſcripta tria prima miracula Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Carolo madruzio Epiſcopo Tridentino dedít: quibus ritè approbatis loci pietas plurimùm aucta eſt, hinc non ita multò pòſt operis lateritij templum juſtæ magnitudinis ſtetit, quod anno 1626. menſe Maio, celebritate conſuetâ conſecratum eſt.

In altari principe ſtat columna cum ſua Imagine miraculoſa, atque ut altaris formam referat, artifex alas appoſuit ligneas & inauratas, quæ S. Imaginem & ornarent, & cùm opus eſt, valuarum officium facerent, & S. Imaginem tegerent. Ipſe ego illàc tranſiens locum vidi, & in hoc altari S. miſſæ officium Deiparæ obtuli. Cæterùm hæc omnia litteris authenticis Confirmata accepi ab Excellentiſſimo & Reverendiſſimo Principe Epiſcopo Tridentino Carolo Madruzio.

CXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VIRTVTIBVS. *Villanovæ in Hiſpania.*

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Primatum tenes O Diva ignara maculæ.*

1. Pœna impar.
2. Miraculum pecuniæ.
3. Fœmina Taumaturga.

ANno 1450. in hoc pago fæmina fuit, quam Deiparę ſuo conſpectu dignata, ſic allocuta eſt: vade quamprimùm, & incolis filij mei iram denuncia, peccatis veſtris debitam: Is peſtem, quæ pagum omnem, è vivis expungeret, miſſurus erat, niſi precibus meis delinitus, mutâſſet ſententiam. Cæterùm ſi mihi hoc in loco, ubi te alloquor, templum ædificaverint, noménque templo dederint *De virtutibus*, im- Appari-tio

múne-

munem pagum ſervabo à lue, quæ circum jacentem regionem corripiet.

Retulit ſanè pia mulier, quæ vidit, quæque audivit bonâ fide; ſed fidem non invenit, nonnullis ſimplicitatem vetulæ, cauſantibus nonnullis ſexûs aſtutiam, quis enim ad omnem vetulæ cujuſcunque vociferationem templorū ſatis ſtruat? Nempe loquendum Superis eſt ad hominū leges, nec ampliùs licet eis, quam quod ipſi volunt, eloqui, & cum quibus.

Apparitio. Paucos poſt dies aranti, iterum ſe videndam Virgo præbet, & quid, inquit, eſt quod nemo manum templo admovet, quod nuper petij? Dixi, reponit fæmina, ſedut antè ominabar; dictis meis nulla fides fuit. Redi, inquit Deipara, & eis oſtende ſignum filij mei, ſimúlque crucem in fæminæ pectore format ſplendidiſſimo colore fulgentem: quin addit; eam hoc ipſo die hoc in pago grande miraculum in horum confirmationem eſſe viſuram. Mulier, abeunte Deiparâ, & ipſa in pagum abit, & clamoribus incolas ad crucem miraculoſam accitos iterum monet, ſe fabulas non afferre, crederent ſanè; ſi ſalvi eſſe vellent.

Fama. Intererat, tantum miraculum etiam ſcire accolas, quapropter juvenis aliquis conſcenſâ turri campanę ſono provocat viciniam omnem repetitis fortiſſimè ictibus. Iacobus de Herrere famulus Gonzali de Alba, rerum ignarus temeritatem juvenis fuſte caſtigaturus, turrim & ipſe aſcendit. Puer furioſum hominem metuens, ſe per turris feneſtram præcipitat in ſubiectam plateam, & animam elidit.

Sublatus circumſtantium clamor ad aures pervenit mulieris, quæ accurrens flexo ante cadaver genu, O Domina, inquit, quæ unum hodie hic loci miraculum promiſiſti, duplicâ beneficium, & puerum à mortuis reſuſcita, ita incolæ & fidem meis verbis dabunt, & tibi, quod poſtulas, templum. Hæc illa: cùm puer velut è ſuavi ſomno expergiſcens, ſurrexit, nullo doloris ſigno, nullo tam alti casûs veſtigio. Duplex miraculum incolas ad locum apparitionis pepulit, ubi Statuam Deiparæ repererunt Spitamâ unâ non altiorem; nec ipſi fæminæ antea viſam. Fæmina.

Materiam Statuæ quis ruſticorum agnoſceret, quando nec peritiores quidem divinare poterant. Nec mora: ſacello datum principium eſt: materiâ longè lateque aduectâ, ſed ubi aqua, inquiunt, in his arenis? Iterum fæmina etiam hunc removit Dæmonis obicem; tantùm non impedientis cæptam jam fabricam, ſiquidem in genua procidens non longâ prece exoravit fontem: pulſatâ baculo terrâ ad mulieris fidem; fontem dedit in fabricam ſuffecturum. Fons.

Paucis diebus ſacellum ſtetit, & fæmina illa curam Sacelli habuit uſque in annum 1463 quæ piè mortua in Sacello ſepulchrum invenit. Tum Religioſis patribus SS. Trinitatis ædificato Cænobio

ſacer locus commiſſus eſt, ut peregrinis accurrentibus ſacerdotum ope ſucurreretur. Inde omnis pietas aucta, ita ut non inter celebria tantùm Hiſpaniæ ſacraria ſed, inter præcipua jam tunc numeraretur. Miracula rara & authentica hoc loco facta intellexi; nullum autem eorum ad me perſcriptum eſt.

A R. P. Michaele de Arbicu S. I. à quo cætera habeo.

C X X X V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MONTE SERRATO. *Romæ in Italia.*

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu paries Virgo mundè ac almè animata.*

1. Patria extra patriam.
2. Monsſerratus.
3. Doce quod didiciſti.

MOntis Serrati miraculoſiſſimam Statuam non eſt quòd, memorem hoc loco, quando eam fusè inter primas poſui, uti revera eſt. Ad hoc prototypon Ectypon habet vnà cum templo, ne Hiſpani Romæ degentes extra patriam ſe eſſe crederent, cum Patronæ ſuæ S. Iconem quotidie ante oculos habere poſſint.

Templum hoc erexerunt, qui creſcenti potentiæ Hiſpanæ applausêre, eo tempore, quo regno Caſtellæ minora quædam regna acceſſione ſuâ faſces dedêre majores. Id memorabile eſt, quod S. Ignatius. cùm præterito ſæculo S. Ignatius cum ſuis novem ſocijs Romana quædam templa à Paulo III. ſummo Pontifice acceperunt, in quibus ſpiritûs ſui & doctrinæ periculum facerent, & ad Romanos dicerent è pulpito Stola armati, ſuperpellicio tecti, & quadrato pileo decori, novâ Romanis & gratâ formâ, ut qui à ſæculis Clericos concionantes vix vidiſſent, Ignatius S. Laurentium in Damaſo, Xaverio, cæteris ſocijs cætera S. Xaverius. templa deſignârit, ſibi hoc, de quo loquor, reſervârit; in quo ſpiritum, quem à Deipara in monte Serrato Hiſpaniæ acceperat, in hoc monte Serrato Romam effunderet, Feſto præſertim Annuntiationis, quod in templo proprium eſt, & ſolenne. Octav Panc.

C X X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

S A R E N S I S.

Saris in Boemia.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virgo ſemper munda, intacta à væ mali.*

1. Mina infantis.
2. Tyrannis ingrata.
3. Statua horret.

ZIska improbus latro, plùs quàm ſatis eſt, per hiſtorias notus, totius Nationis Boëmicæ probrum & dedecus, Cœnobiorum templorúmque vaſtator crudelis, neminem Religioſorum aut ſacerdotum pertranſijt, quem non ad Neronis & Diocletiani ritum ſalutaret. Senſêre hoc maximè Moniales, quas miſerrimis tormentis excarnificavit, ſiquidem caſtra ſequi ad quoſcunque vſus recuſarent. Anno 1421. Brixiam cum exercitu venit, caſtra metatus juxta Cœnobium Sanctimonialium, cui Sares nomen.

Templum perfractis aſſulatim foribus ingreſſi milites, ſeptem ſacras Deo Virgines ordinis S. Mariæ Magdalenæ ad ipſum altare trucidârunt, non ſimplici vulnere, ſed quantum inſana ferocia dictavit (ſi modò libido abfuit) laceratas. Hinc terræmotus illic non uſitatus. Ipſa Deiparæ Statua Ieſulum brachio tenentis plus ſatis oſtendit, ſibi diſplicere, quod milites patrabant: ſiquidem & caput movit, & in hæc verba linguam ſoluit: Amice mi, quid facis? His in uno milite omnes allocuta eſt, quin imò IESVLVS ipſe manum ſuſtulit, & digitum ori impoſuit, malum minatus facinoroſis, ut ſolemus infantibus. S. Statua hodie dum hoc geſtu videtur, & in honoribus eſt: ut ait *Georgius Bartholomæus Pontanus* in ſua hiſtoria: idem habetur in libro Monaſterij perantiquo, vnde ad me hæc deſcriptio miſſa eſt *à R. P. Ioan. Scheſtatl Soc. IESV.*, ſubſcriptis ſeptem teſtibus in dignitate tum Eccleſiaſtica, tum ſæculari conſtitutis.

C X X X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

P I Z I G E T O N E N S I S.

Pizigetonæ in Italia.

Progr. Ave Maria, grat i plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virgo in macula Adæ patenter immunis.*

1. Ne-

1. Neceſſitas quærit.
2. Miracula correlativa pietati.
3. Ornati muri.

IMago Deiparæ apud Pizigetonenſes in Lombardia prope Mediolanum, cujus manu depicta ſit, non eſt, quòd lector quærat: ignobilem fuiſſe manum argumento eſt murus, cæli injurijs expoſitus, quem peritior artifex nunquam colore texiſſet. Cæterùm ut in via regia fuerit, quà Milinum itur, & publico expoſita; nihil tamen unquam auditum eſt, vel ſingularem Imagini cultum, vel cultoribus gratiam eveniſſe.

Credi poterat, nullo ſingulari eventu memorabilem, tandem injuriâ temporum perituram: uſque dum anno 1630. lues contagioſa omnem latè viciniam affligeret. Ad hanc S. Imaginem, neſcio quo duce, ab infectis recurſum eſt, tanto vota & votorum ſigna ferentium affluxu, ut breviſſimo temporis ſpacio ſumptuoſum templum è comportatis pecunijs erectum ſit, ſacerdotum reditibus perpetuis opulentum, adjunctum quoque piorum liberalitate hoſpitium eſt, quo advolantes peregrini Chriſtianâ charitate excipiantur. Imaginem ad me miſit, hæcque ad me perſcripſit R. P. Petrus Maria Ricius Rector Societatis IESV Cremonenſis.

CXXXVIII.
Imago B. V. Miraculoſa. GRATIARVM, *Laudæ in Germania Infer.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu es mater Agni Dei, pura à macula omni.*

1. Pietas coacta.
2. Rumores obſcuri.
3. Non omnia creduntur.

PRimo ab vrbe Inſulenſi lapide pagus Laudenſis eſt, & in hoc Imago Deiparæ miraculoſa, quæ *A gratijs*, quas præſtat, nomen eſt ſortita. Fuit brevis hæc Statua ſub annum 1580. fixa ad arborem: rumor quoque percrebuit, ſed obſcurus, miraculoſam eſſe & invocantibus propitiam. Ioannes à Boſco civis Inſulenſis ſimul apoplexiâ tactus eſt, tactus quoque eſt pietate inſolitâ in hanc Deiparæ Imaginem: quapropter votum fecit; nec fruſtra: nàm ſanitate quamprimum receptâ voti ſe reum vidit, & verò etiam ſe ſtitit. Vulgato hoc jam non vulgari miraculo, tantus è toto penè Belgio concurſus eſt factus, ut vix celebrior illo anno per omne Belgium eſſet: hodiéque par Foienſi eſt. Ita ad me *R. P. Toſanus Pridoul.* non dubito plurima, imò Centurias miraculorum eſſe notatas, & fortaſſe etiam typo impreſſas: nullum eorũ tamen ad me pervenit, quod lectori exhiberem.

Apoplexia.

CXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. INCORONATA.

Avellini in Italia.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *Sana & mira: en! procul à Te jugum Adami.*

1. Meliores bonis præponendi.
2. Argumentum diſputabile.
3. Tempeſtas tremenda.

Hæc Deiparæ lignea Statua in ſacello, quod à Felluchia nobili fœmina olim Deiparæ exædificatum eſt, colitur in via, quâ ex urbe Nola in vrbem Avellinum itur. Olim jam fuit in honore habita Nolæ, memorántque huc devenisſe in hunc modum. Cives Nolani beneficium à Deipara petituri, ad hoc templum inſtituêre ſupplicationem, in qua & hanc, de qua loquor, Deiparæ Statuam (utique domi ſuæ, id eſt, in urbe Nolana jam honoribus ſublimē) deportârunt, eam tantiſper in hoc templo honoraturi, dum abſolutis votis precibúſque regrederentur, & de more hoc S. Pignus reportarent.

Miracula. At verò Virgini aliter viſum eſt, nec ſe moveri loco paſſa eſt Statua, vel ſi ſemel iterúmque eſferri ſe templo ſuſtinuit, ſubiti turbines & tempeſtatas bajulos non perfunctoriè terrefactos reijciebant in templum, dum demum de voluntate Virginis certi, domum vacui receſsêre. Nomen *Incoronatæ* vnde acceperit, dicam. RR. PP. Camaldulenſes S. Romualdi, inter primos conventus habuêre illum, qui hodieque durat in monte Corona: ex hoc vocati ad hoc templum, ſedem ſibi poſuêre: & ipſi quoque S. Statuæ nomen vulgus dedit *De Corona*, eam incoronatam appellans propter coronam, quam hi RR. PP. de monte Corona S. Statuæ impoſuêre. Corona. Pro miraculoſa ſemper habita eſt, habetúrque in hodiernum diem: de miraculis tamen ad me nihil miſſum eſt. Hæc, quæ attuli, ad me perſcripſit

R. P. Ioan Filomarinus, Rector Beneventanus S. I. ex Chronicis Camaldulenſibus.

CXXXX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SCAPHA.

Finis terræ in Hiſpania.

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Angelorum Diva & pure animat a micas.*

1. Finis terræ principium Cæli.
2. Crux in arena.
3 Lorica mirabilis.

LOcus ad mare eſt, quià Majoribus navigationũ ignaris nomen acquiſivit, *Finis terræ*: Crediderunt nempe, nullas ampliùs ultra pontum ſupereſſe terras: quin ipſi quoque promontorio, quod ad Indos navigaturi radunt, hoc nomen adhæſit, antiquæ ſimplicitatis ingens teſtimonium. Huc appulit Deiparæ Statua, nemine vno ſcapham, in qua decorè collocata advenit, dirigente.

Excepta ab incolis Patrona eſt, digna quæri, eíque templum elegans exſtructum. Titulus ei manſit, *De Scapha*, ſeu, ut Hiſpani loquuntur, *De Varca*, Cùm à piratis periculum eſt, optimi cives denſatâ acie mutuò ſe ita amplectuntur, ut loricam annularem miris nexibus conjunctam repræſentent. Ita S. rupem, in qua templum ſtat, circumſtant, & defendunt: nempe ut & ipſi à Deipara viciſſim defendantur. Quis hunc ſine armis defendendi modum invenerit, non habeo dicere.

Piratæ.

Cæterùm eo loci vis ingens cochlearum à mari ejicitur, quas alibi non reperiri aiunt: hæ in littoris tenuiſſima & planiſſima arena crucis ſignum imprimunt, impreſſúmque ita, nec in abitu obtritũ relinquunt. Porrò crucis forma ad invidiam artificum tantâ venuſtate atque proportione elaborata eſt, ut à natura artem ſuperari conſtet. Hæc ad me

R. P. Benedictus velaſquez S. I.

CXXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN MONTE CÆLIO.
Romæ, in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eja pura munda es, O Regina! à tactu mali.*

1. Salutatio pluſquàm Angelica.
2. Dæmon veridicus.
3. Lux differt à tenebris.

HÆc ab uſque temporibus S. Gregorij celebritate ſuâ multas alias præcedit; creditur enim S. Gregorium tranſeuntem allocuta, non ſine amica increpatione, quòd hanc ſolam Imaginem Deiparę, ſine conſueta ſalutatione, alijs exhiberi ſolita, præteriret. Credibile eſt, jam ante S. Gregorij tempora in honore fuiſſe. Hujus ſæculi jubilæo primo, id eſt, anno 1625. Emin. Card. Maria Antonius Salviati ſacellum hoc ære ſuo ſtruxit, ut filij hujus ſæculi filij lucis eſſent, id eſt, Majoribus ſuis pietate in Virginem non cederent. Plura *Octav. Pancirola*. ex quo hæc accepi, non memorat. Sacellum

Plures ſunt per orbem Chriſtianum Deiparæ Virginis Imagines

&

& Statuæ, quæ ſalutantes ſe reſalutârunt, aut etiam, non expectatâ ſalutatione tranſeuntis, eum ſalutatione ſuaviſſimâ prævenerunt, inter quas meritò numeranda & memoranda eſt illa Spirenſis in Germania ſuperiore, quæ ſanctum Bernardum tunc Apoſtolicum Legatum voce clarâ & à tota primaria Germaniæ nobilitate auditâ ſalutavit: de qua ſuo loco dicam.

CXXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
STREGENSIS.
Stregæ in Boemia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Tu magna, almè pura, Diva emicas nitore.*

1. *Sceptrum loquens.*
2. *Reverentia ignis.*
3. *Stella index.*

APud Moniales S. Benedicti jam quatuor & ampliùs ſæculis colitur hæc Deiparæ S. Statua: quomodo huc allata ſit, quíſque auctor pietatis fuerit, illi nobis inviderunt hoſtes, qui Cænobium incendio vaſtârunt. Traditio eſt, aliquamdiu propter bellorum conſuetos metus muro incluſam delituiſſe, & anno 1303. repertam eſſe ſtellæ indicio, quæ intra & extra templum indicaverat tunc theſaurum. Integerrimo anno aiunt apparuiſſe ſtellam, nemine uno intelligente, quid portenderet. Iterum tempore Huſſiticæ vaſtationis muro incluſam à conſcijs traditum eſt, nec ipſis quidem incolis ſcientibus, quò deveniſſet: ceſſatū tamen non eſt ab accolis, quin locum ſacrum antiquo more ordinatis ſupplicationibus accederent.

Stella.

Priore ſæculo ſenex inventus, harum Traditionum, quas à parentibus acceperat, memor: Is Moniales ad tentandos muros, ſi quà fortè ſuſpicio eſſet, animavit. Ita iterum S. Statuam publico omnium gaudio luci & venerationi antiquæ eſt reddita. Fama inſuper eſt, imminente belli periculo, motu ſceptri, vel alio modo à S. Statua incolas moneri. Et verò famam verum dicere, legitimis teſtibus, & authentico inſtrumento, ad me perſcriptum eſt

A R. P. Ioan. Scheſtatl Soc. IESV.

CXLIII.
Imago B. V. Miraculoſa.
ARICINA.
Aricini in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O intemerata! mira viges, munda à culpa.*

1. Spes miraculorum menſura.
2. Prima gratia.
3. Vicini participes.

Hæc S. Deiparæ Imago reperta anno 1623. ceſpite, muſco, & denſatarum arborum ramis obſita: ut mirum fuerit, videri potuiſſe. Incolæ Aricini Romanæ urbis propè cives, ideóque rerum ſacrarum non rudes, impigre advolârunt. Primas quiſque Virginis gratias ambiebat, & ne ſpe ſuâ fruſtrarentur, felix quiſque ſibi viſus eſt, ſi Statuam modò vidiſſet. Ea brevi titulum miraculoſæ obtinuit, ſed & qui avorum dicta ad mentem revocabant, affirmâſſe feruntur, centum ab hinc annis miracula ad hanc Imaginem facta eſſe. Sed quæ tunc Aricinorum negligentia fuit, nulli illata templo eſt, ſed huic ſilveſtri ſqualori relicta, & derelicta. In quo quia nepotes avorum ſuorum damnârunt incuriam, Sanctæ Imagini templum pervenuſtum & ſumptuoſumà fundamentis ædificârunt. Vidi ipſe ego locum bis: primâ vice anno 1655. alterâ anno 1665. & multa de pietate accurrentium intellexi: quæ quamdiu durat, metuendum non eſt, ne Virgo Aricinos deſerat. Negligentia.

CXLIV.
Imago B. V. Miraculoſa.
DE TAXO.
Moyæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Nævum & maculam ignoraſti Deipara.*

1. Maritus malus bonæ uxoris.
2. Exauditæ orationis ſignum.
3. Lapis loquens.

QVid miramur matrem paſtoribus amicam, quando eis inimicus eſſe non potuit filius, vix natus. Etiam hæc Deiparæ ſtatua in arbore reperta eſt, &, qui eam inveniret, paſtor electus, & octo noctium ſplendore cæleſti invitatus. Deipara venerabundum, & in genua abiectum allocuta eſt, quin & lapidem ei dedit ſigno crucis decorum, iuſſítque Epiſcopo Conchenſi dicere, velle ſe, ut Religioſi, qui hoc

Crux ſignum Crucis tali modo figuratum in pectore portant, hic ſibi templum extruunt, in quo poſthac decentiùs coli queat. Nempe ubi homines ceſſant, lapides loquuntur. Certè plus lapidi tam venuſtâ cruce ſignato creditum eſt, quàm deformi ruſtico. Crux nullâ manu, quantumvis peritâ, formari potuit: & ea fuit, quam RR. PP. de Mercede geſtant, qui juſſa Deiparæ fecêre, & collectis undique pecunijs brevi templum poſuêre, quod hominibus placeret, nec diſpliceret Superis. Inſolitum miraculum; ad me perſcriptum eſt.

Miraculum. Margarita, honeſta fæmina in ſuburbio civitatis Moyæ à Virgine monita eſt, quotidie lumen ad locum portaret, dum daretur ædificio finis. Fecit illa: maritus omnia alia ſuſpicatus, vxorem jugulavit, & ſemimortuam paucis à domo ſua paſſibus in platea reliquit. Alterâ die ſanam ſaluámque vidit. Aiebat illa, ſe à Deipara curatam; maritúmque ad pænitentiam & vitam meliorem permovit. Fluvius. Longis pòſt annis exundans fluvius Ojus, unà cum monaſterio, templum quoque abſtulit. Unus natando S. Statuam aſſecutus eſt, & medijs in undis prehenſam, ſaluus ſanúſque ad ſuos, qui eum in colle proximo præſtolabantur, detulit.

Marchio de Moya quamprimum aliud templum loco ſecuriore ſtruxit, in quo hodie S. Statua colitur. Certè ex toto regno Valentiæ accurſus eſt, feſto præſertim Deiparæ natæ, quod toto anno hic loci celeberrimum eſt, ubi quatuor quandoque millia peregrinorum conveniunt: quod illis in terris aliàs non populoſis rarum eſt. Fuit, cùm cælum æneū eſſet, & terra ferrea, ridebat ſanè cælum, terrâ nequicquam optante, ut lacrimaretur. Cives Moyenſes ad Statuam ſuam confugêre, eámque per agros inſtitutâ ſupplicatione circumtulêre: citiúſque, quàm voluêre, obtinuerunt pluvias; ſiquidem opus fuit, S. Statuam, ne quid detrimenti caperet ab imbre copioſiſſimo, templo ruſtico inferre. Anno illo tantus frugum proventus fuit, ut nec ipſi, qui poſtulabant, majorem deſiderarent.

Cæterùm, dum per novem omnino dies abeſt S. Statua, nonnemo Religioſorum mœſtus ſubdubitare cæpit, ne fortè S. Statua locum mutâſſet, nunquam ad antiquos ſedes reditura. Itaque velum altaris aperuit, ut vel ſedem Divæ intueretur, & ecce! ipſa apparuit, teſtata ſervo ſuo, etiam abſente Statuâ, ſe loci Præſidem adeſſe. Porrò miracula quoque ad me nonnulla perſcripta ſunt, magna quidem, ſed cum alijs communia: quapropter ea ad cavendam ſatietatem lectoris omitto. Hæc ad me R. P. Michael de Arbicu Soc. IESV.

CXLV.

Imago B. V. Miraculoſa. LINSELLENSIS.

Linſellæ in Germania Infer.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Diva mater genita, pura omnis maculæ.*

1. Regina Cæli.
2. Pluvia in tempore.
3. Velox exauditrix.

Linſellæ duabus ab urbe Inſulenſi leucis colitur impensè Virginis Deiparæ Statua, cultu non novo, ſed à longæva antiquitate in hæcuſque tempora propagato. Fama eſt, olim jam populos miraculorum præſtantiâ huc tractos. Nunc verò in eo maximè toti viciniæ utilitatem præſtat præ cæteris ejuſmodi SS. Imaginibus, quæ magno numero per eam viciniam ſunt in honore, Pluvia. quòd, quando cælum pluvias negat, frugibus neceſſarias, huc currant tam ex urbe, quàm è pagis vicinis ſupplicabundi: & plerumque, priuſquam domum redeant, obtinent, quam petiêre, pluviam. Ita ad me R. P. Toſſanus Bridoul Soc. IESV.

Plurimas paſſim per omne hoc opus ejuſmodi ſacras & miraculoſas ſtatuas afferam, ad quas facilè obtinentur vel pluviæ, vel etiam ſerena tempeſtas, non aliâ credo ob cauſam, quàm ut miſeri mortales intelligant, libentiùs nobis Superos largiri cæleſtia, quàm terrena. Atque ut diſcamus non tantū ob terrena fatigare Superos, ſed etiam propter cæleſtia; piget enim quandoque Superos largiri nobis terrena, quia pudet eos, quòd non petamus ab eis cæleſtia.

CXLVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MIRACVLIS.

Romæ in Italia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *O IESV digna mater! pura, immaculata.*

1. Aqua Tiberina innoxia.
2. Stella maris Maria.
3. Aqua lacrimarum.

Nomen à *Miraculis* habet hæc S. Imago, & honores ſuos hauſit ex aquis Tiberinis. Non procul à mænibus, quæ Tiberim reſpiciunt, arcus fuit, ſub quo picta hæc Deiparæ Imago ſtetit. Fæmina ſeptenni comitata filiolo, hic

hic loci ad oram Tiberis ramenta colligere cœpit, alendo in hyemem igni. Dum quærit, & unà cũ manibus mens tota incurvato corpore operi inſtat, voce filij ad aures allapsâ ad præſentiorem neceſſitatem convertitur.

Tiberis. Tiberis rapido abreptum vortice puerum hauſerat, nullâ aſtantium ope eripiendum. Intellexit mater è populi vociferatione, conclamatum eſſe de puero, & ad Virginem converſa, quæ ſub arcu picta non procul erat, lacrimas fundit, & cum vndis certat, utri aquæ filius debeatur. Evaſit tandem puer, & ad littus incolumis delatus eſt, omnibus ad miraculum ſtupentibus. Innocentis pueri teſtimonio miraculum confirmationẽ accepit, qui aſſeruit, à matrona, quam veſtis candore ſuo ornaverat, ſe infra aquas retentum, nec unquam ad fundũ perveniſſe. Apparitio.

Imaginem itaque majore honore dignam templo è fundamentis erecto honoravit cætus ſodalium, qui curam incurabiliũ, & D. Iacobum Apoſtolum pro Patrono habent. Hoc in templo hodie Imago ſacra colitur, & non fruſtra titulum *De miraculis* habet.

Octav. Pancirola in ſua Roma.

CXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa. IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS. *Ravæ in Boemia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *O munda à macula per merita IESV Gnati!*

1. Scalæ furibus ubique infauſta.
2. Mors è caſu.
3. Qui templum ſpernit, S. ſpernit.

EST Ravæ in Collegio Societatis templum Immaculatæ Conceptioni Deiparæ ſacrum. Statua ejus, quæ in ſummo altari colitur, coronam in capite habet elegantis operis, inauratam. Hanc Suecicus miles optavit: ſuam itaque ut faceret, admotis ſcalis aſcendit, ſed priuſquam impiam manum ſacræ coronæ admovet, fallente pede delabitur in terram, & fractâ cervice moritur. Fortuitò hoc, & caſu factum, (ut caſui omnia tribuunt) commilito ejus credidit, & licèt ſcalas tam infelices non auſus ſit aſcendere, auſus tamen eſt conſcendere proximum altari odeum, inde piſcaturus coronam, cui ſocius inhiaverat. Caſus.

At verò dum ſe nimium ultra cancellos explicat, capite præponderante deorſum cecidit, pavimento ita alliſus, ut paulò pòſt animam exhalaret. Suffecère hæc duo exempla, ne quis cæterorum ambiret coronam. Hoc inter cætera ad me perſcripſit R. P. Bohuslaus Aloyſius Balbinus Soc. IESV.

CXLVIII.

C X L V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PONTE. *Porretæ in Italia.*

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Te puram ſine macula genitam adoravi.*

1, Securitas ab hoſtibus.
2, Ponti-fragium.
3, Aſpectus templi.

AD Rhenum fluvium, qui Apenninum montem præterlabitur, pons eſt, Bononienſi ab urbe triginta millibus paſſuum diſtans, vivo è lapide factus, & arcum habet non ampliùs unum. Ad hujus caput Virgo ſacellum habet, & in ſacello Imaginem, quam ipſa jam dudum miraculis celebrem fecit, hæc tum in ponte, tum à vicinis acidulis Porretanis nomen habet.

Et verò etiam habet hîc Deipara, qui pro acceptis gratijs divinis rependunt humanas. Etenim Rogationum diebus, quibus ad feſtum Aſcenſionis velut pervigilijs præparamur, ſex ſeptémue pagi unam in ſupplicationem ſub ſignis quiſque ſuis conveniunt, acceptámque Virginis Iconem, inter ruſticos quidem, ſed bonæ mentis & ſinceros applauſus, velut triumphantem, per agros & vineas circumportant, cæteríſque anni feſtis frequentes accurrunt.

Rogationes.

Ut perantiquo hæc in Virginem pietas ſit, crediderim tamen, augmentum accepiſſe anno præteriti ſæculi ultimo, quando, qui pontem malè coagmentatum quadraginta viri fœminæque onerabant, unà cum rupto ponte in Rhenũ cecidêre. Fluebant cum trabibus ſaxíſque homines, certabántque, quis prior ad fundum deveniret; ruebant ſaxis miſſi viri fœminæque. Nullum in ſpectante populo, qui littus impleverat, auxilium, minus in ſocijs natantibus, quorum unus alterum, quin & plures quandoque unum trudebant. Unum unicúmque omnibus ad Virginem refugium fuit, quam ponti ideo Majores præpoſuerant, ut in periculis fluminum rite ab ea protegerentur, qui rite eam invocaſſent. Et verò etiam in ea auxilium fuit, quando ex omnibus quadraginta (nam totidem aqua receperat) omnes, nemine uno excepto, ſalvi ſaníque per ſaxa, per aquas, ripæ reſtituti ſunt: Virginis ſolius beneficio, miraculum fuiſſe aſſeruerunt, tam qui litteras noverunt, quàm etiam illi, qui didicerunt natare. Ita Virgo honores, quos in ponte accipit, in flumine abundè rependit: patrona ut eſt in periculis fluminum, ita etiam eſt in periculis latronum.

Pons.

Novum eſt, quod affero, ſed quod fide conſtat virorum, qui fidem merentur, aiunt enim, neminem

minem hic ab armatis etiam hoſtibus periculum ſubire, ubi in ſacelli conſpectum venerit, miriſque modis ſubduci hoſtibus, cætera certò periturum. Et ne putes, rarò hæc & caſu contingere, ſcito, illis in terris facilè deveniri ad arma, & hîc loci præcipuè, ubi Etruriæ & Bononienſis agri confines ſunt termini, quorum ſecuritas multos provocat ad rixas. Hæc ad me miſit unà cum Imaginis Ectypo R. P. Franciſcus Adornus Bononien. Soc. IESV.

CXLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
CYZICANA.
Cyzici in Helleſponto.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ, Dominus tecum.
Anagr. *Roma, en! Diva parens immaculata viget.*

1. Dæmon veridicus.
2. Argonautæ.
3. Nominum origines.

POſt Cyzicum metropolim domitam Argonautæ ſub principe Iaſone Rheæ matri deorum ædificârunt templum, de quo interrogatus Apollo reſpondit, non Rheæ, ſed Mariæ Virgini, quæ Deum genitura eſſet, olim dedicandum. Verba oraculi habet Cedrenus, quæ quia obſcurè ex Græco vertit Xylander, omitto. Veritatem oraculi probavit eventus: ſiquidem ſub Zenone Imperatore Chriſtianorum uſibus accommodatum & conſecratum Virgini Deiparæ eſt, ut videre eſt apud Cedrenum, & alios.

De Iaſone & Argonautis plura ſuo loco dicemus, &, an non his ipſis temporibus antiquius aliquod templum vel certè aliquid templo ſimile extiterit honorandæ Deiparæ, indagabimus. Dæmonem divinâ poteſtate coactû laudes Deiparæ quales quales dixiſſe, novum non eſt: ut paſſim per omnem librum patebit. Itaque hîc hîc ampliùs non detineo, ſed ad ulteriora pergo.

CL.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MICHALITIA.
Amanteæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Agnita pura; macula à montium ſidere.*

1. *Potens remora.*
2. *S. Michaelis lætitia.*
3. *Civitas ſecura.*

DIſtat in regno Neapolitano ab urbe Amantea mille paſſibus Deiparæ S. Imago, & in templo nō admodùm magno magnis honoribus afficitur à circumjacente Calabria. Nominum vocúmque è Grammatica indagatores exiſtimant, Majores dixiſſe *Michaelis lætitiam*, non adeò ineptè, ſi tamen verè. Adveniſſe creditur S. Imago ex oriente, tradúntque detinuiſſe navem, quantumvis tumentibus velis iturientem in altum, quapropter hìc collocatam, non alio voluntatis divinæ ſigno expectato. Imago.

Famam hanc non parùm iuvat, quòd ejuſdem prorſus formæ figuræque ſit, ſi non etiam ejuſdem & artificis, & penè dixerim penicilli opus, cujus eſt illa Deiparæ Imago, quæ de *Romania* vocatur. Revertor ad templum, quod olim concurſu ſuo non caruit; quanquam hodie plures per annum ſupplicationes à circumjacentibus accolis inſtituantur.

Cæterùm notatu digna eſt illa miſſio, quam Patres Soc. IESU huc fecêre anno *1663.* menſe Ianuario, quæ, cum ingenti animarum fructu, etiam pietatem loci hujus vehementer auxit. Contigit, ut, patribus noſtris ambulationem illuc ex urbe facientibus, unus è pauperioribus ruſticis, cum filiolo moribundo, gemens accurreret, conſulturus urbis Amanteæ medicos, quem noſtri meliore conſilio ad hanc B. V. ædem amandârunt, ingenti fiduciâ confortatum. Commodùm ſacerdos cum quibuſdam hortulanis Deiparæ roſarium cantando percurrebat, cùm gemens agricola filiolum moribundum Deiparæ coram altari genuflexus commendat, & ecce! oculos primùm aperire puer cæpit, & ſpirare, & penè dicto citiùs omnino convaleſcere. Miraculum exclamant omnes, & latè per omnem viciniam ſpargunt; hinc accurſus & priſtinæ pietatis inſtauratio, quæ in dies creſcit. Ita ad me Miraculum.

R. P. Iulius Cæſar Fazzari Rector Amanteæ Soc. IESU.

C L I.

Imago B. V. Miraculoſa.

ATHENIENSIS.

Athenis in Oriente.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Iterum dico: Salve anima pura & magna.*

1. *Athenienſes Mariani.*
2. *Hæretici debiles.*
3. *Dæmon veridicus.*

MIlle ducentis annis ante Virginis Deiparæ nativitatem Iaſon princeps Argonautarum, poſt ædi-

ædificatum unà cum ſuis conjunctâ operâ templum Cyzicenum, ſolus ipſe ſuo ære Athenis Minervæ magnificum ſtruere templum voluit, cúmque Apollinem Delphicum conſuluiſſet, reſponſum accepit quod S. Procopius Martyr, judici ſuo & Tyranno Flaviano in faciem obtruſit. Placet referre verba Sancti apud Surium 8. Iulij.

Iaſon. *Cùm Iaſon*, inquiebat Martyr, *Princeps Argonautarum de templo, quod Athenis primùm conſtructum eſt in arce, ſciſcitatus eſſet Delphicum Apollinem, & dixiſſet: Prædic nobis, propheta Phœbe Apollo, cujuſnam erit hæc ædes, & ad quid futura impoſterum? Sic reſpondit: Quæcunque ad virtutem quidem, & honeſtum invitant, facite. Ego autem tres cupio: Deum unum regnantem apud Superos, cujus verbum ab interitu alienum, conceptum in ſimplici Virgine, qui tanquam ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens, eos adducet domum patris. Hujus erit hæc ædes; Maria autem erit nomen ejus Virginis.* Hæc S. Procopius Martyr obiecit Flaviano judici & Tyranno ſuo apud Surium.

C L I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E B A R R I E R E.

Marquetæ in Germania Infer.

Prog. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Salve, pia, te agni amor mundam creavit.*

1. Obex.
2. Fama.
3. Miraculum.

Nomen ab obice ſeu repagulo hæc Imago habet. Hic ad ingreſſum Monaſterij Marquetenſis Ordinis Ciſtercienſis in muro picta diu ſtetit, nullo ſingulari aut honore aut beneficio celebris. Fuit, cùm neſcio quis præſentis opis indigens ad hanc Deiparæ Imaginem poſtularet opem, & inveniret.

Fama. Res in plures, ut fit, abiens plures accivit. Demum Cœnobij Margarita (hoc nomen Abbatiſſæ fuit) ædiculam ſtruxit, quæ hodie eleganter devotam pietatem adventantium conſervat augétque. Nec plura ad me R. P. Toſſanus Bridoul. Prô! quantum refert, quis templo præſit, quando favores cæleſtes per quampiam Deiparæ Imaginem aut Statuam ſe produnt. Fontes è terra erumpentes ſæpe incautâ etiam diligentiâ ne dicam negligentiâ obſtruuntur, ita quamplurimi favores Mariæ in principijs ſuis avertuntur. Quod abundè paſſim in hoc libro lector deprehendet, ut è ſpeculo ſemper manus manui porrigitur, ita è cælo manus Mariæ ei porrigitur, qui ad eam manus ſuas erigit.

CLIII.

Imago B. V. Miraculoſa. IN TEMPLO CATHEDRALI. *Granatæ in Hiſpania.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Virgo, an deturpata à macula? minimè.*

1. Regia humilitas.
2. Dignum rege inventum.
3. Ave Maria.

TRium cubitorum hæc Statua eſt, ſervatúrque in magnifico Cathedralis templi ſacello, concurſu populi toto anno continuo, maximè tamen ipsâ Aſſumptæ Virginis die octavâ, quâ præcipuum feſtum celebratur. A Ferdinando & Iſabella regibus Catholicis hîc ſedem accepit. Circumuehi ſolitam in caſtris, traditio eſt.

Reges. Hoc certum, cùm metropolis regni Granata capta eſſet, militéſque ad caſtrum, quod ſupererat, expugnandum properarent, Reges cum hac S. Statua conſtitiſſe ad pontem Sigilis fluvij: cúmque victores ſuper muros circumactis per aërem vexillis ſolenne illud contentiſſimâ voce ingeminarent: Granata, Granata, pro Ferdinando & Iſabella, Reges in terram ſe abieciſſe coram IESV & Mariæ hac Statua his verbis ſæpius repetitis: *Non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam.* Reginæ inventum creditur, quòd in regno Granatenſi, horâ tertiâ poſt meridiem; ad ſalutandam Virginem pulſu æris campani cives admoneantur, perinde ac manè, meridie, & Veſperi fieri ſolet.

In Reginæ inſuper libello precatorio, qui in Collegio Soc. IESU aſſervatur, frequenter leguntur hæc verba: *Ora pro me famula tua Regina Iſabella* (idem, quod Eliſabetha) *S. Dei Genitrix*: Rex item novo invento, quovis die per omnem annum; novos diverſóſque cultûs S. Statuæ decrevit, qui in hodiernum diem accuratè obſervantur: uti ad me perſcripſit R. P. Alfonſus Rodriquez Soc. IESV. Liber.

CLIV.

Imago B. V. Miraculoſa. S. MARIÆ NOVÆ. *Romæ in Italia.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Palam niteſce, Virgo amata, jure munda.*

1. Ica-

1. Icari rivalis.
2. Viſio pueri.
3 Ars magica.

QUas putas fuiſſe Romana in urbe tenebras, quam mentium caliginoſam cæcitatem; cùm à civibus divini honores fierent morioni Neronis Imperatoris? Simon magus magorum princeps, quem alter Simon, Apoſtolorum item princeps, de regno in regnum, de urbe in urbem ſecutus, & perſecutus eſt. Is Romæ ma in urbe cælos petere volatu in omnium conſpectu inſtituit; cùm Princeps Apoſtolorum genibus in terram defixis IESVM ſuum obteſtatus eſt, urbi oſtendere dignaretur, quibus ille viribus altum peteret, ne fides nova detrimentum caperet. Lapis veſtigia genuum portentosè recepit, quem adjuncto titulo Majores conſervaverunt.

Simon magus. Interea volatu lento ille cælum petebat, & nubibus par, intuentium oculos jam fugiens; eneruatis Apoſtoli oratione malorum dæmonum viribus, relictus eſt ſuis, & præcipiti lapſu novus Icarus conſed t in terra, præcipitato ſimilior, quàm cadenti. Ruptos pedes; & concuſſum per omnia membra corpus, vita in loco defeciſſet, niſi duriora fata meritum manſiſſent. Namque cum riſu & ſibilo Romanorum delatus domum ad ſuos eſt, nec ampliùs aut prò Deo, aut Deorum amico habitus. Ita inter populi contumelias; aulæque riſus, animam paulò pòſt privatus evomuit. Locum primi Chriſtiani noluerunt à poſteris ignorari; quem Imago Deiparæ miraculoſa illuſtriorem reddit. Hæc labenti fabricæ ut (dum nova exurgeret illuſtrior) ſubduceretur, depoſiti jure tantiſper in templum S. Adriani delata eſt.

Templo in auguſtiorem formam redacto, repetitum eſt depoſitum: quod dum, neſcio quas ob cauſas, Præfecti recuſarent; vellentque ibi perpetuò ſedem habere S. Iconem, ad arma deventum eſt, gente Frangipanâ depoſitum repetente, nec paucioribus prò S. Adriano ſtantibus. Noluit pacifici Servatoris Mater arm s cauſam ſuam decidi, quam ipſa, ſine ſanguine, non laborioſo portento poſſet. Miraculum.

Jam ſignum partes expectabant, cùm puer è turba pacem furentibus indicit; & deſiſtere porrò à rixa non profutura iubet. Imago, inquit, jam in templo ſuo eſt: vidi eam hiſce meis oculis redeuntem. Ut nemo puero fidem habuerit, fuêre tamen, qui templum peterent, viſuri portentoſo reditu celebratam Imaginem. Venerunt, viderunt in principe altari depoſitam. Hinc partium armatarum amica pax, & populi in locum pietas, quam Imago miraculis auxit. *Hanc Imaginem Anaſtaſius Bibliothec. Antiquam appellat, Alii ad S. Silveſtri tempora reducunt; Victorellus apud Octav. Pancirol. unde hæc accepi, aſſerit à quodam Angelo Frangipani ex Aſia allatam.* Prælium.

C L V.

Imago B. V. Miraculoſa.
ROSENTALENSIS.
Roſentalij in Boemia.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Dic ita, Virgo, en! almè amata, en! pura ſum.*

1. Patriæ Amor.
2. Terror morientis.
3. Patriæ Amor.

LVſatiæ pagus eſt in amœniſſima valle, qui *à Roſis* nomen habet, *& vallis Roſarum* Latinè appellatur. Hic in magna veneratione eſt B. Virginis Imago perantiqua. Fama eſt, olim in tilia inventam eſſe, & ad hoc templum portatam manſiſſe, hinc verò ad vicinum Monialium monaſterium delatam, redijſſe in locum, ubi nunc eſt. Scripta ſi quæ fuerunt, aboleverunt more ſuo milites, medio penè ſæculo nunquam quieti.

Inter alia, quæ tradi poſteris poſſunt, eſt, quòd cum cætera ſupellectili ſacra etiam hæc Imago à Suecis abducta ſit, ſed cùm poſt confectam exiguam viam progredi ultrà non pôſſent, eam proximo parocho integram conſignaverunt: utique poſtquam à quopiam admoniti ſunt, Sanctorum, & præſertim Deiparæ Imagines plura operari, quàm ipſi crederent. Monuêre inſuper parochum, eam loco ſuo reſtitueret: ita nõ impediti iter ſuum proſecuti ſunt. Prædicans miniſter hæreticus è cathedra in hanc S. Imaginem detonuit, & repentè mortuus concidit. Hæreticorum alius id ſolùm in morte conqueſtus eſt, quòd eum mulier, quæ honoratur in pago Roſentalenſi, torqueret.

Cæcus natus Georgius Smiez puer coram hac S. Imagine viſum accepit, quem antè nunquam habuit. Manus fœminæ cujuſdam honeſtæ, cui Vrſula nomen, jam jam à chirurgo abſcindenda, monitu ignoti ſenis, in fonte Roſentalenſi, ſtatim ex integro convaluit. Hæreticus candelas ardentes extinxit, & ſecum abſtulit: ſed in via in rabiem actus, domi catenis conſtrictus eſt, nec unquam perfectæ ſanitati reſtitutus. Hæc ad me ex legitimis tabulis R. P. Ioan. Scheſtadl Societatis IESV.

Sueci. Cæcus.

***

C L V I.

CLVI.

Imago B. V. Miraculoſa. EISYMONTENSIS. *Eiſymonti in Lithuania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura animata ſum, nam Virgo Dei electa.*

1. *Mercatio infelix.*
2. *Veſtis funebris.*
3. *Vxor maritum reprehendit.*

EIſymontum pagus eſt in territorio Granatenſi Palatinatûs Trocenſis, Vilnenſis Diæceſeos. Ex hoc affero Imaginem, quæ magna expectantibus placere omnino non poteſt, ſi ſpectes magnitudinem materiæ: minima eſt enim omnium miraculoſarum, quas unquam vidi, vel legi; ſi miracula conſideres, inter poſtremas non erit. Materia gemma eſt incogniti nominis, mole non ſuperat gemmam ſigillarem annulo incluſam, quam virorum quiſpiam procerus geſtare ſolet in pollice.

Anna quædam nobilis viri filia in pago Svviak miſſa à matre eſt cum ancilla ad reconditorium annonæ. Ancillâ laborante, Anna flexis genibus orationes ſuas è libello precatorio recitat: cùm ecce! ſplendorem videt è ligneo pavimento emicantem: verita ignem & incendia, inclamat ancillam: accurrit, & diſparente lumine, neutraq; quidquã ampliùs vidit. Redit ancilla ad laborem; iterũ Anna videt lucẽ eodẽ loco, & omnino inſolitam, revocátque abeuntem: ſed nec hac vice vel hæc, vel illa, quidquam ampliùs conſpexit luminis. Sed & tertiâ vice idem contigit; ut divina plerumque ſolent.

Nihildum divinum ſibi imaginata Anna, theſauri latentis ſuſpicionem habuit, utique poſtquam olim audivit, ſepultos theſauros ignem quandoque ſpirare. Vigilem itaque domûs advocatum iubet aliquot removere lapides, & ecce! hæc S. Imago prodit cum theca ſua aurea, quam Anna ita ſtatim honoravit, ut in præcipua domûs aula arulam conſtrueret, & ſacram gemmam decorè ſuperimponeret, parentes quoque, & ſervi, exemplo dominorum, hanc aram habuêre pro templo: anni abiere, cùm Anna nobili viro nupſit ingenti dote locata. Sed cùm nuper & hanc Imaginem jure inventionis ſuam poſtularet, invenit parentes ultrà, quàm ſibi imaginari poſſet, contrarios. Exemplum.

Hinc Anna in morbum incidit, duobus incommodis gravem; nam & omnino muta ſiluit, & nullum prorſus cibum capere potuit: hæc graviora adhuc fecit tempus; pluribus enim hebdomadibus malum duravit. Sacerdos è S. Franciſci familia fecit, ut

&

parentes mutarent ſententiam, & filiæ deſideratam concederent imaginem, quam ſimul àc capiti ægræ impoſuêre, triuṁ horarum ſpatio perfectè convaluit. Ex eo tempore collo appenſam geſtare ſolita, ſemel cum marito à quodom palatino ad menſam invitata invenit Imaginis licitatorem. Aſſidebat filia palatini ſuperbè veſtita, & tantùm non auro & gemmis onerata. Hunc omnem mundum muliebrem Annæ offert aſſidentis filiæ pater palatinus. Sed Anna poſtquam rotundè negavit, ad alia ſermonem divertit.

Tentatio.

Non deſperat palatinus, & adortus maritum Annæ: Mille, inquit, & ducentes florenos, quos mihi debes, expungo, & pagum, quem mihi pignoris loco dediſti, reſtituo; ſi mihi Imaginem Deiparæ præſtas. Victus hac ſponſione Paulus (hoc viro nomen) Imaginis ſpem fecit, ipsáque Anna non renuit, ſiquidem ſignum quodpiam voluntatis divinæ videret, non tamen ullo pretio. Reverſa domum muliebri eloquentiâ viro exprobravit vilem, nec ſatis virilem animum, & venditionem familię certò nocituram. Sollicita de eventu ad proximam menſam cubito innixa conſidet, & ecce matronam irato vultu aſſidentem ſibi videt. Interrogat Anna, quantum per terrorem licuit, iræ cauſam; & quæ eſſet; & unde?

Rixa.

Apparitio.

Tum illa: juſtam inquit, iræ cauſam habeo, quòd me pro muliebri mundo, & paucis pecunijs vendas, quæ ampliùs viginti annis vobiſcum fui, & ſi ornari aliâ veſtè cupis, in qua mihi placeas, ecce veſtem! ſimul è manibus pediſſequæ ſuæ rudiſſima è tela nigram veſtem funeribus Polonicis aptam accipit, & Annæ dat. Anna in lacrimas verſa, pro ſe & marito rogavit veniam Tum illa: Quandoquidem, inquit, ita ſupplicas, & minùs rea es, nunc ceſſo: ſed non ita multò pòſt hac veſte veſtieris. Acta ſunt hæc circa medium Ianuarij 1655. vix elapſo anno Paulus maritus moritur, & Anna veſtem more Polono, quam ita averſata erat, induere coacta eſt: ſucceſſit deinde totius prope domûs conflagratio.

Mors.

Anno ſequente contigit, ut Anna vidua amicorum quendam viſitaret, collo geſtans ſuam Imaginem. Fuêre duo nobiles, fortè & cognati, Petrus & Sigiſmundus, qui Imaginis Ectypon piè optabant, &, ut ingenioſa eſt pietas, allatâ Hiſpanicâ cerâ, modulum inde cogitabant formare, unde plures formari poſſent. Sed Imago has ſordes perpæſa, mutavit colorem, antequam tangeretur, non ſine terrore Petri & Sigiſmundi, qui gemmam quamprimùm dominæ reſtituerunt. Illa colorem mirata, & non parùm queſta, audivit cum juramento aſſerentes, nullis adhuc ceris tactam mutâſſe colorem ſponte, & ſanè non niſi poſt decimum diem redijt gemmæ color nativus.

Miraculum.

Grandius eſt, quod ſequitur. Paucos poſt menſes, neſcio quis com-

commilitonum, Baſilium, Annę generum occiſurus, domū Annæ cum ſuis ingreditur, hoſtis more, & ſpoliat: quin etiam gemmam Annæ de collo rapit. Illa gemmam cum lacrimis repetit, omnia domûs cimelia offerens; & ſanè extorquet: ſed apertâ thecâ aureâ, vidit abeſſe S. Imaginem. Triſtitiam nullo ſolatio domandam ſolata eſt vox ad aures ejus allapſa: Sum eo in loco, ubi me ſoles reponere, & verò magno ſolatio ſuo eā ibidem repeiit.

Anno 1658. Nicolaus quidam æger per ſomnum monitus eſt, ut ad hanc S, Imaginem voto facto optaret ſanitatem fecit, quod monebatur, & morbus quoque deficere quamprimùm cœpit; ita ut ſeptimo die omnino evanuerit. Nicolaus peregrinatione ſuſceptâ, & anathemate appenſo, beneficium in loco teſtatus eſt. Hinc plura à pluribus vota concepta, & exaudita ſunt. Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo Vilnenſi viſa res eſt examine digna: omnia legitimis teſtibus probata, & approbata ſunt, & templo novo exædificato, & adjuncto parochiali ſacerdotio, S. Imago ab ipſo Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo Ioanne templo illata eſt anno *1660* 21. Novemb. ubi hodie cultum accipit, quem Imagines miraculoſæ ſolent. Hæc ad me R. P. Albertus Koialovviz Rector Vilnenſis Societatis IESU.

Somnium.

CLVII.

Imago B. V. Miraculoſa. GRÆCA.

Ravennæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Almè munda iræ jam tero caput anguis.*

1. Amor partialis.

2. Natans ſaxum.

3. Manus profana.

IN templo Canonicorum S. Auguſtini operis magnifici ſacellum eſt, in quo viſitur altare, cujus in medio colitur Imago Deiparæ, Græco lapidi in ſuperficie inſculpta, tres non omnino palmos lata, plus quinque alta. Græcæ nomen Imagini dedêre verba Græcis litteris adſcripta, è quibus Matrem Dei eſſe intelligas. Olim ſub annum milleſimum centeſimum, cùm ad portam ùrbis ripæ vicinam Religioſi ſedem cum templo haberent, quod à porta nomen acceperat, Petrus quidam Religioſo cœtui præfuit, nobilis Ravennas; is poſtquam ære ſuo templum in meliorem formam reduxit, in hoc cænobium conceſſit. Virtus eum evexit ad primam Cænobij dignitatem, quantum vis ſe peccatorem ſemper & diceret, & ſcriberet. Hic ſub annum 1118. Paſchalis II. Pontificis auxilio, diſciplinam regularem inſtauravit.

Templum.

Flumen. Hoc itaque ſub Petro cùm leges Religioſæ quàm optimè obſervarentur, nunciatum eſt, marmoream Deiparæ Statuam in littore conſediſſe. Adfuit properè ſimul ad tanti prodigij nuncium urbs penè tota ad littus effuſa, & ſanè religioſiſſimus quiſque civium eam eripere aquis contendit: mirâ tamen lubricitate, ex omnium manibus elapſa ſemper eſt. Itaque vox omnium una: Virgo manus profanas dedignatur; vult ſacras: & venerunt ſanè Religioſorum Clericorúmque non pauci, qui tentarent, num ſacram Statuam vel trudere, vel trahere poſſent: ſed & horum manibus æquè ac ſæcularium ſemper ſubtracta eſt, irrito conatu.

Abbas. Omnium votis Petrus proximi monaſterij Archimandrita expetitur: Vir ſanctus eſt, inquiunt; huic debetur, quam Virgo miſit, Statua. Vocatur, nec renuit, ſed indictâ ſuis ſupplicatione ad portum progreditur, Virginem flexis genibus rogat, peccatoris manus ne averſetur: auditæ preces ſunt, decumanus fluctus jam oculis ereptam Statuam ad littus, & ad ipſius pedes, inſpectante populo, devolvit. Illata templo Statua honores accepit à populo, & nomen moretæ, quòd ſubfuſco colore eſſet imbuta facies.

Miracula hìc à Virgine patrata, cænobium ita divitijs auxerunt, ut novis & perpetuis reditibus juſto numero Religioſi alantur. Anno 1503. novum templum acceſſit in urbe, quo ſe cum theſauro excurſionibus hoſtium ſubducerent: nam & templo cænobium adjunxêre, ut jam duas ſedes habeant. Ultimum altare, quod Thaumaturga Imago accepit, anno 1630. factum eſt; nec hodie deſinit Virgo eſſe Ravennantibus propitia. Ita ad me R. P. Alexander Boſelli Provincialis Societatis IESU.

CLIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

RIVOVILLANA.

Rivovillæ in Germania Infer.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *Munda ac alma vitis vitæ germen paro.*

1. Ignis perpetuus.
2. Remedium morbornm.
3. Cera mirabilis.

Rivovilla (incolis Ruiſſeauville) vicus eſt inter Heſdinum & Rentracum; hic ante quadringentos annos ſacellum Deiparæ ſtruxerunt D. Auguſtini Canonici, non longè à Cænobio, quod hîc habent, concurſu populi in hæc uſque tempora perdurante. Inter cætera, quæ raritate ſuâ advenis hîc loci placent, cereus eſt ex ſtillata cera cerei Atrebatenſis confectus,

conſectus, atque eodem, quo ille, prodigio ſemper ardens, & nunquam deficiens.

Nuper 1623. Statuam Virginis materiâ & formâ Foyenſi ſimilem loco tot prodigijs præparato intulêre, magno omnium ordinum concurſu, nec minùs favente cælo: tantis quippe ſtatim miraculis luxit, ut populos non ex Belgio tantùm, ſed ipſâ ex vicinâ Gallia acciret, nullo morborũ genere excluſo, quamdiu per bella licuit. Tum enimverò militum licentiæ ſubductâ S. Imago Atiam tranſlata eſt. Anno 1631. miraculorum rite approbatorum librum edidit *A.R. D. Auguſtinus des mons Cænobij Abbas:* quem tamen non vidi. Cæterùm Imaginem, & hæc, quæ ſc ipſi, habeo à *R. P. Antonio Boulogne Rectore Arienſi Societatis IESU*, qui plurimùm in hac cauſa Mariana laboravit.

Miraculi.

C L I X.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE ANGELIS

Aſſiſij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Sana ac pura; en! tuli gremio Dei amatum.*

1. Portiuncula gaudij cæleſtis.
2. Fornix templi.
3. Mons miraculoſus.

Aſſiſij, ò lector, Annunciatæ Virgini dedicatum ſacellum videbis auguſtiſſimum, templo quoque maximo clauſum, & agro Aſſiſiano honorificum. Quis ſanctuario, quod in templo medio ſtat, initium dederit, ignorant mecum omnes: quis verò pietate & ſtupendis beneficijs locum initiaverit, ſcimus. Franciſcus is fuit Seraphicus, hoc in ſacello & cælo natus & mundo, quin & omnibus delitijs denatus. Quidquid numeroſiſſimus & ſacer cætus tot filiorum Franciſco ſuo debet, huic Imagini debet, coram qua à Virgine majorem partem, ſi non omnia, accepit, quæ ſuis traderet; hic quoque Claræ Sanctiſſimæ Virgini, & Aſſiſinatis poſteà urbis prodigioſæ auxiliatrici, habitum induit monaſticum.

S. Franciſcus.

Plurima per Aſſiſinatem agrum videbis loca, quæ Franciſcus virtute ſuâ imbuit; vidi ego ipſa in urbe ſacellum, quod olim ſtabulum fuiſſe aſſerunt, in quo Franciſcus natus eſt. Sunt ibidem tria templa periti ſſimâ Architecturâ jam olim Sancto ijſdem fundamentis ſuperædificata, quorum infimum, in quo Sancti corpus integrum ſtare fertur, totum ſub terra eſt, cujus acceſſus non niſi pauciſſimis notus.

Templum.

Quod huic ſuperſtructum eſt, magnificum eſt, & grande, atque in eo cæteris per Italiam celebrius, quòd vaſtiſſimus fornix imbutus ſit totus, quantus eſt, colore cæruleo, quem ultra marinum vocant,

ipſo argenteo pretioſior eſt. Hunc Regina quædam Cypri attuliſſe dicitur, cujus ſepulchrum è regione altaris hodie videtur, unâ cum marmorea & vaſta urna, in qua colorem attulit. Cæterùm chorus ſecundi hujus templi adhuc infra terram eſt, ita Architecto montem dispertiente, ut tertium huic ſuperſtructum, & ingreſſum è plano habeat, & chori feneſtras ſupra templi ſecundi fornicem, è quibus ad pedem portæ templi interioris præcipitum deſpicientibus minatur.

Chorus.

Adeſt quoque vicinus mons Aluerniæ, Divi veſtigijs tritus, cujus penè dixerim omnes lapides miraculo videntibus ſunt. Eiectam putes in altum totam montis molem, casúque ſuo ita fruſtillatim disjectam, ut intrantibus congeries lapidum temerè comportata, non mons videatur. Hîc quinque Sancto vulnera arte ſigillariâ (ut D. Bonaventuræ termino utar) à Seraphino impreſſa, & quanquam multò plura hoc in monte à Deo beneficia Sanctus accepit, grandiora tamen accepiſſe in illo, de quo ſuprà dixi, ſacello de Angelis, ideo crediderim, quòd ibi extremum diem obire Sanctus decreverit, & inde viam ordiri, quâ cælum peteret: hic locus eſt, quem de *Portiuncula* vocant, Indulgentijs à Christo datis celebris, quas tamen à ſummo Pontifice approbari voluit.

S. Franciſcus.

Locus hodieque celeberrimus eſt. Quòd in eo ſacrum celebrare potuerim, pro gratia accepi. Omnis penè Septentrio, visâ Româ, huc deflectit, ne Franciſcum prætereat, Italiæ Gemmam. Exiguum, & vix altaris capax ſacellum, primum Religionis templum fuit, quod vicini monaſterij Abbatiſſa Franciſco donavit. Creditur Aſſiſium, ſi hoſtis ingruat, defenſoribus non egere, quamdiu Franciſcum ſuum, & Claram habet. Denique Indulgentiarum de *Portiuncula* tanta fama eſt, ut multi è remotiſſimis terris ob unam hanc cauſam illo die huc confluāt.

Sacellum.

C L X.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CABOZA. *Anduſariæ in Hiſpania.*

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Ceu turris animata ego, pia, almè munda.*

1. *Quem princeps eligit, dignus eſt.*
2. *Humilitas Hiſpani.*
3. *Nudipedes nobiles.*

ANduſar hodie appellatur civitas, quam Antiqui Illiturgim vocavêre. Hinc illud: Illiturgi nulla præſtantior. Fluvijs duobus alluitur Bæti & Xandulâ: ad Septentrionem habet montem, in cujus uertice templum Deiparæ eſt totâ Bæticâ celeberrimum, quod de Caboza, ſeu capite montis, in

quo ſtat, nomen habet. S. Statua cubito major non eſt. Nullum totâ Bæticâ oppidum eſt, in quo non ſit Confraternitas B. Virginis de Caboza. Majus menſis præ cæteris eſt ſolennis, quo totam pænè Bæticam ſub vexillis videre eſt. Quando, cogente neceſſitate, in urbem deportatur, primi quique certatim advolant, & nudis pedibus ſacrum pignus per confragoſa, & per ipſum amnem Xandulam deportant, ſuccollantibus viciſſim, cùm opus eſt, alijs aliiſque.

Congregatio.

Cæterùm paſtori hujus pietatis origo debetur, qui tintinnabuli ſono inſolito ad arborem ductus eſt, in qua unà cum ipſo tintinnabulo hanc Deiparæ Statuam invenit. Juſſus à Deipara eſt paſtor monere cives, ut templum exſtruerent; paruêre illi, ſervato in rei memoriam tintinnabulo, quod, migrante S. Statuâ, ſimul aſportari ſemper ſolet. Plurima in hac hiſtoria invenio, quæ raritate ſuâ multas alias ſuperant.

Paſtor.

Quòd in montis jugo ſtare Statua voluerit, rarum non eſt: ipſa ſæpe montes elegit, quæ eſt *Deſiderium collium æternorum.* Nec rarum eſt, quòd à paſtore inventa ſit: jam notus eſt amor Virginis, & familiaritas erga paſtores; quam, ni fallor, ad præſepe cum ijs contraxit; nec illud novum, quòd pro legato ad cives & magnates utatur Deipara ruſtico: ipſa causā ſcit, & ſi eā mihi diceret, ægrè ſcriberem: quia utique apud pleroſque offenderem non mediocriter, tam mali nuncij bajulus: ipſa, inquam, ſcit, cur ruſticos eligat, non alios. At verò rarum eſt, campanam in loco cum Imagine inveniri: quanquam rarum non ſit, campanas, nemine pulſante, ſonum edere.

Mons.

Campana.

Rarum verò eſt, quòd civitas nulla, nec oppidum ſit toto in regno Bætico, in quo non ſit Confraternitas huic S. Imagini dedicata: hoc non magnum modò, ſed univerſalem totius regni affectum arguit. Unde etiam lector arguere non imperitè poteſt hanc totius regni præcipuam, & miraculoſam præ cæteris eſſe: Illud omnino non rarum tantùm, ſed inauditum, quòd primi quique certatim advolent, eámque humeris impoſitam nudis pedibus deportent.

Hoc ſi ruſtici facerent, non careret admiratione: quòd verò primi quique, id eſt, etiam nobiles, hoc ſupra admirationem eſt apud eos, qui ſciunt, quantæ ſit ſervitutis ſignum, vel ſine pallio coram alio apparere. Hinc pro magnæ & inſignis ſubjectionis ſigno acceptum eſt à Clemente VIII. cùm juſſu regis Hiſpaniæ Philippi II. Legatus in publico quodam actu ſummo Pontifici adſtitit ſine pallio. Tantę ſubjectionis exemplum multi audierunt cum lacrymis, gaudentes, regem quempiam eſſe in Eccleſia, qui tantum honorem faciat Vicario Chriſti. Plus adhuc eſt, nudis pedibus nobiles ire ſine pallio, per montes, per valles, utique etiam ſine ullo capitis tegmine, ita quidem, ut gratis id faciant, certéntque

Nobilitas

Pallium.

que, quis longiùs S. Statuam portet. Hoc nempe eſt ire ad cælum. Cum gaudio hæc legi, ex litteris ad me datis à R. P. Alfonſo Rodriquez Societatis IESU.

CLXI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CASTRO. *Dieſthemij in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Per agni dona mirè tuta evaſi maculam.*

1. *Aula virtuoſa.*
2. *Septennium felix.*
3. *Reliquiæ oſtenduntur.*

DE Caſtro nomen habet, diciturque *Capella de Caſtro*, quin vicina Palatio *Dominorum de Dieſt*, quorum ære olim ſtructa eſt, ut plùs quàm probabiliter opinatur auctor. Fuit à multis ſæculis cultu Deiparæ celeberrima, & plurimis Sanctorum Reliquijs inſtructiſſima, quod ex concurſu populorum ſingulis ſeptennijs argui poteſt, videre volentium has SS. Reliquias, quæ cum pompa oſtendebantur. Sed, prô dolor! major earum pars in excidio Belgicę pietatis per hęreticorū manus perijt, quando & ipſum templum, amplum planè & elegans dirutum eſt: quod hodie tamen priſtino ſplendori & antiquæ pietati reſtitutum eſt. Curam ejus habent RR. PP. Norbertinj, Miſmani.

Hæreſis.

Hic lectorem monitum volo, me quandoque hîc inſerere Statuas & Imagines Beatiſſimæ Virginis, quæ olim propter miracula fuêre in pretio, quantumvis propter Iconoclaſtas hæreticos jam non ampliùs extent, cur enim ab hoc numero miraculoſarum Imaginum excludantur, ideo ſolùm, quòd nos ijs beneficijs frui ampliùs non poſſumus. Maneat igitur etiam illis ſua laus, quæ olim Hiſtorijs ſimilia ſcribentibus materiam præbuiſſent, præſertim quando poſt excidium Iconoclaſtarum iterum, ut iſta, è buſto ſuo & cineribus reſurgunt. Quod lectori inſinuandum judicavi.

Antiquitas.

CLXII.

Imago B. V. Miraculoſa. QVINENSIS. *Quinæ in Boemia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Io! en! Agna Dei ſum, ter pura, immaculata.*

1. *Pie-*

1. Pietas invenit imitatores.
2. Supplicatio ſolennis.
3. Peſtis abacta.

QUin pagus eſt exiguus, vix novem ruſticanis caſis conſtans, eſtque ſitus ad radicem collis, in quo hæc S. Deiparæ ædicula viſitur, uno non ampliùs milliari ab urbe Commodovienſi, quà Miſniæ confinia reſpicit. Statua B. Virginis ulnam cum dimidia (ſi tamen adæquat) non excedit, auro tota illita. Infra cingulum cavitas, quam artifex fecit, vitro quadrangulo oblongo tegitur, ut infantis IESU ſculpta icuncula de matris Virgineo ventre videri queat. Sic pia Majorum ſimplicitas, nondum ſæculi noſtri malitiam induta, pietati ſuæ conſuluit.

Originem hujus Statuæ, quia ad me perſcripta non eſt, credo ignorari. Viſitationis feſtum præ cæteris hîc celebre eſt, quia Virginem Statua repræſentat, qualis fuit, cùm per montana ad cognatam properaret Deo plena. Commodovienſis ſupplicatio, quæ annis ſingulis hoc feſto numeroſiſſima eſt, originem debet uni ſtudioſorum, qui Commodovij Aſſumptæ Virginis Congregationem magno numero in Collegio Societatis frequentant. Is, quâ Divinus Spiritus mentes tangit energiâ, hanc pietatem ſodalibus ſuaſit, nec difficulter perſuaſit: ſtetitque pietas hæc aliquot annis intra non multos, nullo ſingulari incremento notabilis: dũ maligna lues totam cum Commodovienſi urbe viciniam ad præſentiora conſilia adegit. Votum.

Suadentibus votum annuæ ſupplicationis aſſenſit urbis magiſtratus, totáque urbs, cujus exemplum ſecutæ urbes vicinæ Kuttenberga & Gorcovia: hæ non difficulter in ſocietatem tam piæ peregrinationis traxêre vicinos pagos, utique poſtquam divulgante famâ innotuit, dato in tam ſalubre conſilium conſenſu, redditam urbi fuiſſe ſanitatem. Ita ad me R. P. Andreas Kachmann Commodov. Collegij Rector Soc. IESU.

CLXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. BVDANA.

Budæ in Lithuania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Magna oliva pacis mater, & jure munda.*

1. Silva populoſa.
2. Converſio.
3. Donum Pontificis.

VIde, Lector, fidei Catholicæ portenta: ſive enim eum conſiderès, qui hanc Imaginem dedit, ſive eum, cui data eſt, fidei Romano-Catholicę miracula deprehendes.

des. Is, cui data dono eſt, Palatinus eſt, Miſcenſis, *Ioannes Pax*, ab hæreſi ad fidem Romano-Catholicam converſus: qui ei dedit, Romanus Pontifex eſt, Eccleſię caput, *Clemens VIII.* Ita nempe Deus ſolatur, confirmátque ad fidem Romanam reductos. Atque ut ſtupeas magis, jam alteram miraculoſam Lithuani Neophiti à *Clemente VIII.* acceperunt: nam præter hanc illa Poſtirvvintenſis eſt, quam idem Pontifex conjugi Principis Razivilij dono dedit, cùm, ſuſceptâ fide Catholicâ, Romam viſeret.

Neophyti.

Imago Budana nunc in templo S. Franciſci eſt medijs in ſilvis. Accurrit huc tota Lithuania, & alba Ruſſia, propter ingentem famam miraculorum, quorum utique aliqua ad me perſcripſiſſet R. P. Albertus Koialovviz Rector Vilnenſis Societatis IESU, niſi imminens cum exercitu Moſcus eum ad alia divertiſſet.

CLXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
VVIMPASINGENSIS.
Wimpaſingæ in Germania Sup.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Caro IESV almi Gnati mea, pura & munda.*

1. Turca pius.
2. Munus Turcæ.
3. Diu malus quis?

WImpaſinga pagûs eſt in Auſtria ad Leutham fluvium. Incolas habuit non malos, quia B. Virgini charos, à quibus, neſcio quo ſuo merito, inventa eſt in ripa Statua Deiparæ, à nemine incolarum eò deportatâ, anno 1496. Unde huc venerit, in hanc uſque diem ignoratur. Statim ab incolis S. Statuæ facti honores, cultúſque debiti, qui contumeliam, ſi quæ fortè illata fuiſſet, corrigerent, quin & Virgo honorari in Icone ſua gratis non ſuſtinuit; hinc beneficia illa, quæ jure miracula nominantur, incolas ad molitionem facelli non grandis permoverunt: nec fortaſſe ſe ultra porrexiſſet, cum pietate, vicinorum liberalitas. Sed Turca non infimæ ſortis fuit, qui grandioris fabricæ, atque accursûs, quin & miraculorum ſive cauſam, ſive occaſionem præbuit.

Inventio

Is, priori ſæculo, cùm vnà cum exercitu Turcico viennam obſideret, ſacræ Statuæ caput abſcidit, ſedâ tribuno repreſſus, pænas dedit. Tribunus Statuam ſecum in Turciam abduxit. Dedignata Virgo fędatam Paganiſmo regionem, reviſere patriam, & avitam domum conſtituit. Itaque morbus ſubitaneus hominem in via adortus eſt, nemine reperto, qui vel malû nôſſet, vel mali remedium, donec Chriſtianus quiſpiam moneret, rediturum certò valetudinem, ſi ſacram Deiparæ Statuam remit-

Occaſio

Turca.

remitteret eum in locum ubi eam acceperit.

Nec conſilium diſplicuit: ocyùs acciti ſunt, qui viam relegerent, atque in ipſum uſque pagum venirent, ſtatuámque ſuis ſedibus reſtituerent, itineris cauſam, non ſine admiratione audientium, memorantes, quam peritiores ad Azotiorum referebant genium qui ob non diſſimilem eventum fœderis arcam remiſerunt: nam nec munera deerant, niſi quòd hi bobus, ille bubulco tanti momenti negotium commiſerit. Credi non poteſt, quantùm creverit per omnem Auſtriam pietas videre volentium Statuam decapitatam, exilium paſſam, quæque viâ ire & redire uſque in Turcicam poſſet. Auctæ quoque ſunt Virginis gratiæ ſingulares, & miracula diu numerata, ſunt penè quotidiana.

Hinc è ſacello factum templū, additúmque templo pro RR. PP. Franciſcanis Cœnobium: duràntque etiamnum hodie favores, quos peregrini unà cum aqua imbibunt; fons etenim, qui ipſa ſub Imagine ſcaturit, & à peregrinis cum pietate bibitur, pérque omnem latè Auſtriam aſportatur, potatútque, malis cætera medicamenta ſuperantibus ſaluberrimus. Datæ quoque à diverſis Pontificibus Indulgentiæ locum faciunt celebriorem, feſtis præſertim B. Virginis, quibus ex indulto *Sixti V. Pont. max.* plenaria peccatorum indulgentia, frequentiore numero, pompáque accurritur. Hæc ad me R. P. VVolffgangus Förgh Soc. IESU. Viennâ. Miracula.

CLXV.

Imago B. V. Miraculoſa.

ROOFBEQVANA;

Roofbequæ in Germania Inf.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *A culpa & ignominia Adam re eruta ſum.*

1. *Veſtis annua.*
2. *Opus ſequitur artificem.*
3. *Italia præfertur Græciæ.*

ROſebequa, vel ut alijs, Rooſbequa Flandriæ pagus celebris eſt jam ab anno 1380. ob victoriam Malliani Flandriæ Comitis, ex Gandavenſium quadraginta millibus reportatam, haud procul ab æde Mariana.

Victoria. Ne tanti beneficij aut memoria periret, aut debita gratitudo, votivam quotannis ſupplicationem Brugenſes inſtituerunt: quæ novam Virgini veſtem apportet; quâ S. Statua induatur. Fiunt hæc hodieque: ad hæc ſi totius anni concurſum ſpectes, etiamnum ſingularem Virginis opem hîc loci & quæri & inveniri teſtaberis; R. P. Toſſanus Bridoul Soc. IESU.

Pro obtenta victoria Deiparæ templum ſtrui antiquorum mos

pius fuit, quæ templa plerumque miraculoſas habere Statuas legimus: nempe Deipara nobiſcum pugnat, rependendo beneficia magna levibus donarijs mos iſte quantumvis hodieque ſit apud quoſdam in vſu, ut templa voveant, ſi victoriâ contra hoſtes potiantur, non tamē eſt ita frequens. Plurima ejuſmodi templa paſſim afferam omnia miraculoſis Deiparæ Statuis vel Imaginibus inſignia.

***

CLXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MONTE GVARDIÆ. *Bononiæ in Italiâ.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Almè intacta à morſu Adami, purè genui.*

1. *Opus ſequitur artificem.*
2. *Prophetiæ credibiles.*
3. *Scriptor primus Marianus.*

HOc D. Lucæ opus quando templó S. Sophiæ, quod Conſtantinopóli eſt, illatum ſit, quiſque intulerit, incognitum eſt. Opus D. Lucæ eſſe, docet inſcriptio, quam uti temeritas non poſuit, ita faſtus litterarius negare non debet, quod titulus aſſerit. *Hoc*, inquiunt Græcæ litteræ, *eſt opus S. Lucæ Evangeliſtæ, quod debet portari ad templum S. Lucæ, quod eſt in monte Guardiæ, ibique collocari in altari.*

Eremita. Hanc itaque Imaginem eremita quidam, à ſpiritu ductus è deſerto Conſtantinopolim, inter alia in templo S. Sophiæ conſpexit: móxque, lecto titulo, incitari ſe ad longiora itinera non obſcurè ſenſit. Bajulum ſe Virgini offerebat, ſi per eam liceret: interim adfuit de templi miniſtris, qui percunctantem de tabula monachum audiret. Is, hoc ipſum, inquit, jam diu, quotquot templi curam habent, fatigat. Nemo noſtrū eſt, qui de loco dubitet, nemo tamen eſt, qui ubi terrarum locus ille ſit, ſciat. Nec ego, reponit Eremita, quo in orbe quærendus hic mōs ſit, perſpicio. Cęterùm, ſi mihi fidem habetis, ego me Virgini in bajulum jam devovi: ibo, & quamdiu me vita nō deſeret, ibo, dum, quo loco relinquenda ſit tabula, inveniam: date modò Sacroſanctum pignus. Nec difficiles habuit templo præfectos. Ille tabulam ligneam duos pedes altam, & pedem dimidium latam ſic componit, ut ærumnæ impoſita ab injurijs cæli ſecura eſſet: deinde Romam iter inſtituit, in capite Eccleſiæ accepturus oculos, quibus montem videret, & in monte templum, cui Imago eſſet inferenda. Roma.

Dum maria monachus ſulcat, vellus aureum allaturus felicibus terris, intelligere lectorem volo, bella fuiſſe Bononiæ cum Mutinenſibus: quæ quia obſcuris præ-

lijs

lijs geſta ſunt, non intereſt referre, id ſolùm ad rem facit; quòd cauti Bononienſes in proximo monte excubias egêre, quibus de adventu hoſtium monerentur, à quibus mons *Guardiæ*, ſeu excubiarum, nomen acceperit.

Hoc in monte Angelica quædam Bononienſis virgo ære ſuo D. Lucæ templum erexit, addidítque Cænobium, in quo cum viginti duabus ejuſdem inſtituti virginibus ad D. Auguſtini regulas ipſa quoque vitam egit. Et ſanè mirum eſt, quòd à Marianis Cultoribus ſic S. Lucas prætereatur, cùm tamen calamo plùs quàm omnes hiſtorici, penicillo plùs quàm omnes pictores Mariam laudârit. Hæc Bononiæ, at verò Romæ ſive Legati, ſive *Reſidentis*, ut vocant, nomine tunc agebat Bononienſium unus ex equeſtri ordine, (de familia *Paſcipoveri* fuiſſe aiunt) qui patriæ negotia apud Pontificem promoveret, cùm ad oram Italiæ Eremitam cum theſauro ſuo Græca navis expoſuit.

S. Lucas.

Ille circumactû pelagi erroribus caput primùm compoſuit neceſſariâ quiete, deinde Romam ire pedes inſtituit, ſuavi, ſed in ſpeciem incommodâ gravatus ærumnâ. Superûm voluntate, quibus curæ fuit Imago, contigit ut eam urbis regionem obiret, quâ Legatus domum habebat: nec minùs curæ Superis ijſdem fuit, ne quodpiam negotium domo eriperet hominem; quin etiam ut per feneſtram proſpiceret, & curioſè noſſe vellet, quid homo Græcus dorſo ingeſtum ferret. Ad hæc ingreſſus domum Eremita, unde unde erroris ſui quæſitus filum, oſtensâ Legato Imagine, titulum explicat, & quibus in terris mons ille quærendus ſit, rogat.

Providentia.

At Legato ad mentionem patriæ ſuæ lacrimæ exciderunt: Ergóne D. Virgo per tot ambages Bononienſium potiſſimùm pietatem ſequitur? An verò, quod magis crediderim, pictura artificem? Utrum ſit, bene eſt. Refecto liberaliter Eremitâ (nam hoc familiæ illius decus eſt) bonóque animo eſſe juſſo, ſervum cum litteris ei adjungit, quibus Bononiæ proceres de S. Imaginis adventu, déque inſigni Virginis favore certiores facit. Illi, quâ potuêre pompâ, templo D. Lucæ S. pignus intulerunt, hodiéque Bononiæ theſaurus eſſe non deſinit ob miraculorũ frequentiam. Ioan. Bapt. Albertil 2.

C L X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
S V B T E R R A N E A.
Seviglia in Hiſpania.

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eva è prægrandi macula totâ immunis.*

1. *Lingua infantium diſerta.*
2. *B. V. humilia reſpicit.*
3. *Congregatio S. Iacobi.*

STatua hæc Dei-paræ cubitalis ſculpturæ opus eſt perelegans, utriuſque tam filij, quàm Virginis facies ſubruſa, ſed venuſta eſt. *Subterranea* vocatur, tum quia ſub terra inventa dicitur, tum quia, cùm altiore loco collocaretur, ſemel iterúmque ad hunc locum Subterraneum ſponte ſuâ rediiſſe juſtis teſtimonijs docetur: ſunt etiam, qui vulgent, totum templi illius pavimentum, cum compitis circumjacentibus, æqualiter ſubſediſſe in hanc ſpeciem, quæ hodie videtur.

Miraculoſam eſſe, arguunt innumera per omne templum Anathemata: unum ad me ex miraculis perſcriptum eſt, quod credo lectori non fore injucundū. Schola. Eſt in vicinia ſchola trivialis puerorum Alphabetaria ante portam ſcholæ cùm more ſuo ſederent in platea parvuli, diſcerént que injunctam à præceptore lectionem, duo equi in currum aptati, ſive abjecto, ſive aliàs abſente equiſone, in rabiem aguntur, & plateam ferociſſimè ſemel iterúmque decurrunt, unúmque è parvulis (mirum, quod non plures) proſtratum calcibus proterunt. Subitò una omnium puerorum vox audita eſt: *Virgo Subterranea.* Illæſi omnes, ſed & ille, quem Miraculum. vel oculatiſſimi ſub equorum pedibus viderunt, protritúmque crediderunt, nullo vulnere ſaucius ſalvus ſanúſque ad ſocios rediit.

Nunquam poſthac pueri è ludo redire conſueverunt, priuſquā Pueri. Virginem *Subterraneam* ſcholæ vicinam ſalutarent. Fidem habeo huic narrationi: nam præterquam quòd picta in ipſo templo conſpiciatur, eam is ad me perſcripſit, qui, cùm hæc fierent, ejuſdem ſe ſcholæ diſcipulum fuiſſe aſſerit, R. P. Alfonſus Rodriquez S. I.

CLXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
LAVRETANA.
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Integra, mera munda placui IESV amato.*

1. *Architectus Lauretanus.*
2. *Pagus urbes ſuperans.*
3. *Fructus magnus è labore parvo.*

LAuretanam ædem cùm ſua Statua ubi lector legit, audítque, Ectypon ſibi imaginetur ad illud Prototypon ex architecturæ ac ſtatuariæ legibus perquàm accuratè factum. Ita eſt, neque decipitur, ſi à loci temporíſque ratione non aberret. Etenim ſi de hujus nominis æde, hoc ſæculo, atque extra Italiam exſtructa ſermo ſit, verum dicit; ſecus, ſi de

Italia loquamur, aut de prioribus ſæculis. Rem accipe, quæ aliquibus nova eſt, & à me jam ſecundâ vice repetitur.

Fuit Laureti in officio Pænitentiarij Pontificij ſacræ Domûs, pro lingua Germanica *R. P. Chriſtophorus Bachamer*, mihi optimè notus. Is propagandæ gloriæ Marianæ mirè intentus, ampliorem mente cogitationem verſabat, quàm ulli unquam, quod ſciam, incidiſſet. Is acceptâ, ubi oportebat, licentiâ, noctes integras in S. Domo ipſe conſumpſit, non orando, ſed omnem orationem altiore conatu ſuperando, ibat angulos per omnes menſoriâ Virgâ inſtructus, palmos omnes & uncias deſcribens, non murorum tantùm; ſed & omnium cæterarum partium ſimmetriam.

Certare ſuperis viſus eſt cum Angelo Ezechielis. Rem ubi omnem, quantum humanâ fieri diligentiâ potuit, ſua in charta abſolvit, chalcographi operâ per omnem latè Germaniam vulgavit, quos ſciebat ſuæ cogitationis veros germanóſque fore & imitatores, & Marianæ pietatis propagatores. I nunc, & numera per omnẽ Catholicam Germaniam templa ad hanc formam erecta, & refer, quâ pietate pagi, oppida, urbéſque juſtis ſupplicantium ordinibus accurrant, colántque Virginem in hoc S. ædis ſimulacro.

Tantâ celeritate hunc ſumptuoſum cultum arripuêre, ut nemo ſit, qui ſciat, quæ, poſt advectam deſignatæ fabricæ chartam, omnium in Germania fuerit prima ex ædibus Lauretanis.

Præter plurimas alias ædes, Lauretanæ ſimiles, duas ego vidi, quas ad S. Domûs proportiones ex hac, de qua loquor, charta, ſummâ diligentiâ factas, ſcio: unam Ratiſponæ, quæ anno 1643. ſpatio trimeſtri facta à fundamentis eſt; alteram Friburgi Helvetiorum, quæ anno 1648. undecimâ Octobris dedicata octodecim menſium labore ſtetit. Secuta Germaniam ſuperiorem inferior Auſtria; hanc Boëmia, Moravia: inde ulterius protenſa pietas eſt in Poloniam, & Lithuaniam Moſco vicinam. Cæterùm hæc, de qua loquor, deſignatio circa annum 1625. facta eſt; vidi antiquiores, & penes me habeo quatuor in Italia factas, nulla tamen, quod ſciam, ad eas deſignata eſt S. Ædicula, etiam antequam (quod miror) ab Vrbano VIII. hoc fabricę genus per Italiam prohiberetur.

Prohibendi verò per Italiam cauſa fuit, ne fortè Lauretana veraìnde caperet detrimentum, aut diminuto accurrentiũ numero aut muneribus doníſque ad Ectypa translatis, quæ Prototypo deſtinabantur: quod ut apud Germanos timendum non erat, ita pietati jam inchoatæ hactenus nemo cum poteſtate obſtitit. Quin, quod mireris, ædiculæ iſtæ illicia ſunt, quibus ad ipſam Domum Sanctam viſitandam quamplurimi incitentur. Neque ulla Ma orum ætas plures Lauretanos peregrinos numeravit, quàm hæc noſtra: ut operæ pretium videatur, alicubi Congregationem inſtituere, in quam nemo recipiatur, qui

Margin notes: Titulus. Archetibus. Occaſio. Pietas. Prohibitio. Peregrini.

Laureti non fuerit, quemadmodum propè *Friburgum Nuitonum* in pago *Davers* Congregationē S. Iacobi Apoſtoli vidi, in quam nemo recipitur, niſi hujus pagi incola ſit, & Compoſtellæ in Hiſpania D. Iacobum Apoſtolum ſalutaverit; quódque mireris, ultra fidem numeroſus fuit ille ſacer Cætus: Siquidem plures triginta eſſe à fide dignis accepi.

Templum Lauretanum, quod Romæ eſt, apud me hanc prærogativa meretur; quod omnium primum hunc titulum ſuſcepit; quanquam nullâ ſui parte ſacræ Domui ſimile Anno 1500. à fundamentis erectum eſt; fabrica eſt ampla & ſumptuoſa; tẽpore opus fuit: ipſo namque, ut dixi, anno Iubileo ſub Alexandro VI. inchoatū, quinquageſimo tertio ſequentis ſæculi finitum, pretium operis maius 53000. aureorum fuit, ut ait Octavius Panzirola. Cæterùm conſtat Imagini ſacræ & perantiquæ (neſcio unde acceptæ) ſuus cultus hodieque, & accurſu populi gravis & munerum numero glorioſus, non dubio argumento beneficiorum, quæ Mariani Cultores hîc petunt, & accipiunt. Plura de hoc templo non intellexi, non incurioſus indagator. Impenſæ

CLXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. PRISNENSIS. *Priſnæ in Boemia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Cognita ſum nivea pura, alma Dei Mater.*
1. *Theſaurus in foſſa.*
2. *Via ad gloriam.*
3. *Sanguis miraculoſus.*

Etiam Virginis Deiparæ Statuis, & Imaginibus via ad gloriam eſt per contemptum. Ut paucæ ſint, quas hanc miraculorum famam ſine vulnere, aut contemptu Virgo evexit, ita quàm plurimæ ſunt, quæ poſt inſignem injuriam miraculis claruerunt. Ex his una eſt Briſnenſis in Boëmia, quam Iconoclaſta, neſcio quis, in foſſam abiecit. Quamdiu ibi latuerit, ſciri nequit.

Parochus loci *Iacobus Mayr*, quem gradû ſuô virtus dignum fecit, fortè obambulans conſpectam Statuam, ſublatámque templo ſuo parochiali intulit, ſanguinis non dubias notas videre eſt in facie, & manibus: ſuntque, qui credant, miraculosè effuſum, cùm hæreticus injurias, & verbera infligeret. Quia tamen hoc certò non conſtat, pro certo theſauro habent, & in adverſis unicum & ultimum hîc refugium quærunt, & verò etiam inveniunt. Ita ad me R. P. Andreas Schambogen Provincialis Societatis IESU. Sanguis.

C L X X.
Imago B. V. Miraculoſa.
VV A L D R A S T A N A.
Waldraſtæ in Germania Sup.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Prævia Cæli mater agnita mundâ ſum.*

1. Aurium tinnitus felix.
2. Sonus campanarum.
3. Tres paſtores.

Iterum Virgo ſilvas, & ſilvicolas reſpicit, exoſa urbium pompas. *Lutſchius* quiſpiam (nam de proſapia quæſtionem quis inſtituat?) è colonis Tyrolenſibus unus, cælo charior, prope ſilvam feſſis membris quietem quærens, ſoporem invenit, cæleſti viſo nobilem. Hic ei Deipara ſe ſpectabilem præbuit, & templum popoſcit hic loci ſibi ſtrui, dicarique. Hæc viſus eſt ſibi audire in ſomno *Lutſchius*, ſed ipſe ſomnus reflexâ, ut aiunt, cogitatione, dubium tam inſolens viſum, ut ſe ſomniaret ſomniare, plus auribus in ſomno credit, quàm oculis; poſtquam campanas duas clariſſimo ſono ſibi vicinas audire ſomniavit. Apparitio.

Evigilat *Lutſchius*, & ut de viſa Deipara dubitaret, ſonus tamen non dubius campanarum aures obtundebat. *Lutſchius* homo fuit ex ijs unus, qui, cùm agi ſe patiantur ab auctore naturæ, non errant, eámque ob cauſam nulli ſubjectus, nulli incommodus, templi non ruſtici ambitum deſignat novâ pompâ; etenim dum ingenium promit, dum Templum. menſuras capit, & regulam applicat, campanæ duæ ſine turri, ſine ſono hominem in ſpes erexerunt, fune (ſi tamen campanæ fuerunt) feſtivo ruſtico ſublimiores.

In hoc pagi urbibus præſtant; quòd hæ impunè non ferant, quandoque Deo imperanti ſi quis obſequatur. Pugnandum eſt, ut victor veniam obtineas benefaciendi. Hic labor ruſticos ut plurimùm non fatigat, ita *Lutſchius* cives non ſuos fecit, quia jam habuit, & quidem faventes: omnes enim omnem operam promiſêre, omnémque mouere lapidem ſpoponderunt in Virginis honorem, bis liberales, quia citò. Sed quæ Virginis, inquiunt, Imago, quæ Statua novo templo progemma erit? Dum hæc illi inter ſe, duo paſtores ſuperveniunt, feliciſſimi nuncij bajuli, pervenuſtam Virginis Statuam ſe in larice reperiſſe nunciantes. Pietas.

Currunt proximi quique, & conferta in turba nemo eſt, qui Statuam videre primus non velit, cui cælum tam opportunè templum deſtinâſſet. Itaque ruſtico primùm, ſed ſincero cultu, in terram proni Statuam venerantur, deinde in ordinem ſupplicantium redactis, loci parochus templo ſuo cæleſte pignus primùm, deinde Cultus.

de novo, pompâ, quàm licuit maximâ, intulit. Hæc hodieque peregrinos legitimis votis huc properantes ſine beneficio nòn dimittit. Gemmis & unionibus nunc veſtitur, unde beneficiorum pretia æſtimare poſſit, qui locum viſitat, tam obſcurâ, id eſt, ruſticâ origine celebrem. Hodie Tyrolenſis Comitatus inter majores theſauros hunc ſacrum locum numerat. Relatio impreſſa.

C L X X I.

Imago B. V. Miraculoſa. ZYROVVICENSIS. *Zyrowicij in Lithuania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâplena, Dominus tecum.

Anagr. *Almo pede irrui, mactavi anguem Satan.*

1. Vultus B V. par meritis intuentiū.
2. Supplicatio.
3. Concurſus mirus.

ZYrovvicium pagus eſt Palatinatûs Novogradienſis in Lituaniæ magno Ducatu. Eſt hìc Statua Deiparæ, miraculis longè lateque clariſſimâ, lapideâ, & molis exiguæ, atque, ut nonnulli exiſtimant, è Iaſpide griſeo. Hanc ſub annum 1576. invenêre paſtores piro inſiſtentem, abſque fulcro, & fulgentiſſimâluce radiantem; unde huc allata ſit, putem ego ignorari.

Paſtores. Cæterùm tanto portento moti, proximorum pagorum accolæ, eam numerosâ ſupplicatione ad templum uſque Zyrovvicenſe comitati ſunt, ubi in hæc uſque tempora famâ miraculorum longè magis, quàm tunc in piro fulgore cæleſti coruſcat, trahit namque non modò Lithuaniam, ſed & Lithuaniæ contiguam Poloniam, quin etiam diſparis fidei Ruſſiam. De miraculis unum ad me perſcriptum eſt, unde cætera colligas. Hæreſi, vel alterius criminis labe infectis, nunquam ſe ſuo colore videndam S. Statua præbet.

Fuſco illam colore infectam, vel etiam nigro aiunt, quibus tantum miraculum eſt ignotum, ſi crimine quopiam ſunt infecti. Quidam velo obtectam, & quidam denſo, putant. Templum pro gentis more venuſtum eſt & grande, cum Cænobio, quod Regulam Divi Baſilij profeſſi, ſed fidei Romanæ uniti Cænobitæ incolunt. Plura ſcribere, ut aliàs dixi, vetuit imminens Vilnenſi urbi hoſtilis Moſcorum exercitus. Ita R. P. Albertus Koialovviz Rector Vilnenſis Soc. IESU. Color.

CLXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE PLANCTV.

Rovetæ in Sabaudia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena Dominus tecum.

Anagr. *Gemma divinitus emanata pura clareo.*

1. Roſa inter ſpinas.

2. Pium furtum.

3. Gemma in annulo.

GEnevenſi urbi datum è cælo eſt, quod Calvino ſuo opponere poſſit, ſi velit, Imaginum ſuarum unam paſſa eſt Deipara abijci in ſpinas, dum paſtorum quiſpiam adeſſet, dignus audire cæleſtes planctus: & audijt ſanè: ſed ſive latronum veritus inſidias, ſive naturâ inſolitis non aſſuetâ portentum contempſerit, ſpineti vicinitatem vitavit, vis demum cæleſtis hominem ad ſpinetum adduxit, in quo, ubi plangentem Deiparæ Imaginem conſpexit, auſus tamen non eſt prodigium tangere, contentus fuſis precibus honorâſſe Virginem in tabulâ. Spinetū.

Abijt tamen, & RR. PP. Carmelitis viſa atque audita retulit. Illi ridere primùm hominem, & tardè fidem habere, juêre tamen, & paſtorem ſecuti, audivêre planctum, & Imaginem inter vepreta abjectam etiam viderunt. Sublatam inde illi templo ſuo inferre conati ſunt, ſed nemo fuit, qui eam loco movere poſſet. Factum itaque è trabibus ſacellum, ſtatim accivit populum, qui S. Imagini primos honores daret. Fuit qui ex Delphinatu adveniens, auderet S. Iconem auferre & ſuo templo, quod in Delphinatu erat, inferre. Metus Genevenſium hæreticorum, hanc pij furti cogitationem homini non malo ingeſſit. Sacellum.

Tulit hoc Virgo, & auferri ſe ſuſtinuit, nempe ut cum majore portento rediret: nam iterum in templo ſuo reperta eſt. Crevit interea viciniæ totius de Thaumaturgâ Icone æſtimatio, quam marchio Ciambtenſis Sabaudus multùm auxit, quando paucis pòſt annis templum ſtruxit, quod hodie à RR. PP. Carmelitis curatur, & à vicinis catholicis inter theſauros Patriæ numeratur. Felix Geneva eſſet, ſi fortunam ſuam non perfidè ignoraret, & ipſa quoque hunc theſaurum agnoſceret. Felix Aſtolfi l. 11. Miraculum.

CLXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BARACANO. *Bononiæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Avita macula pura gemma ridens niteo.*

1. Luſor officio ſuo fungitur.
2. Fulmen officio ſuo fungitur.
3. Spes alit luſores.

PErmultæ ſanè Imagines Deiparæ, miraculis illuſtriſſimæ negligendæ ſunt, & poſteritati abſcondendæ, ſi luſores, & blaſphemos ſilentio prætereamus. Jam olim Bononienſium quiſpiam (ut eſt illa urbs Deiparæ addictiſſima) ad mœnia urbis ſuo ære ſacellum erexerat, huic, de qua loquor Imagini honorandæ.

Nomen de *Baracano* ideo habet, quia magnam mœnibus ſubſtructam molem, (ſive columnā voces, ſive barbarâ voce pilaſtrum, aut barbacanum) vicinam habet. Hic anno ſæculi decimiquinti quarto accidit, ut milites duo præſidiarij ipſo in meridie apricarentur, & in otio meridiarentur, ne otio perirent, ad fritillum & talos reſpexêre. Fortuna, ut fit aliquantum vacillans, nunc huic, nunc illi favebat, dum unius in partes, tota concedens victoriam dedit plenam. Ita brevi tempore alter præſentes divitias ſuas, quæ non multis nummis conſtabant, infelix perdidit: nec deſtitit tamen, ut hoc hominum genus ſpe ultra genus agricolarum alitur; itaque pretium ponit futurum, quod nunquam fortè habiturus eſſet, ſed & illud futurum perdit. Mœnia.

Hinc ad conſuetum Luſoribus perditis remedium delapſus, blaſphemias evomuit relatu indignas, quibus velut Claſſico evocatus è viciniâ quiſpiam non diſparis genij commilito, hominem non magis blaſphemare, quàm ludere doctum, cum ſtomacho removet, utriuſque artis mox feliciora daturus ſpecimina. Pergitur in ludo, ſed quia alterum fortuna nondum deſtituerat, etiam iſte inter blaſphemias perdidit, & largioribus debitis ſocium immerſit, cujus nomine ludebat. Ille jam totus perditus, cùm nec pecuniam nec blaſphemiam ampliùs haberet, quam perderet, correpto ſaxo Imaginem Deiparæ muro appictam in pectore vulnerat, quanquam ſint, qui putent, exonerato Sclopeto vulnus ab excuſſo plumbo factum. Luſor.

Senſiſſe Virginem tam atrocem injuriam inter contumelias allatam inde conſtabat, quòd ex oculis, lacrymas, & ſaucio è pectore ſanguinem dederit, eâ copiâ, quam vivus quiſpiam dediſſet. Stetit Sacrilegus non tam terrore, quam virtute divinâ, & immotus. Injuria.

motus. Interea qui infelici aleâ tantimali cauſa fuit, cùm & ipſe nō imparibus blaſphemijs paria cantaret, occulto fulmine ictus, in veſtigio concidit, corpore vi fulminis ita diſcerpto, ut viſcera paterent. Ut Virgini reſtitueretur ſuus honor, vivus qui ſuperfuit tantiſper, dum ſupervenirent judices, in loco hæſit immotus, paucis deinde à loco paſſibus, unà cum cadavere ſocij ſuſpenſus in patibulo eſt. Inde cultus Imagini à populo datus.

Vmbra. Mirum eſt, quod referunt Bononienſes, apparere in muro umbra duorum ſuſpenſorum, qui ne picti quidem ibi ſunt, ipſe ego, qui hæc ſcribo, per longas urbis vias portam exivi, & longum mœnium tractum ſecutus, perveni ad locum, ubi omninò nihil vidi: paulùm tamen inde progreſſus, unius pendentis ſpeciem optimè aſſecutus ſum, pendet ille, & more eorum, qui pendent, ſole meridiano ita quorundam lapidum, negligentiâ murarij eminentium, auxilio (non hic artem induſtriamque interceſſiſſe credibile non eſt) umbram proijciente, ut mihi videbatur ad ſpacium centum paſſuum. Murus.

Quidquid ſit, ſi miraculum non eſt, inter eos certè caſus numerandum eſt, qui intra centum ſæcula vix ſemel, & non niſi ex deſtinatione ſingulari divini Numinis accidunt. Ex miraculis refero unum: quod habet *Felix Aſtolphi* aitque contigiſſe anno 1509. bello, quo tunc Italia concutiebatur. Bononia obſeſſa eſt, & cuniculi petebant muri partem huic templo proximam. Et ſanè rupti quoque muri quantumvis craſſi templum oppreſſiſſent, ni Deipara pro aris ſuis contra focos hoſtium pugnâſſet. Voluit illa, ut & urbs ſine clade eſſet, & cladem ſuam, quam paſſura fuiſſet, ipſis oculis videret, concepto namque igne nitratum ſulfur officium ſuum fecit, totúmque murum à fundamentis ita in altum excuſſit, ut hiatus relinqueretur inter murum & terram, per quem civis hoſtem intueri poſſet. Ne caſu quopiam humano id factum eſſe crederet, vel aſſerentium timori minor fides haberetur, ter eodem die id factum aſſerit dictus auctor, murúmque totum illæſum ita ſemper conſediſſe, ac ſi loco nunquam motus fuiſſet. Ita Felix Aſtolfi l. 11. Miraculum.

CLXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
ÆGRORVM.
Tornaci, in Germania Inf.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Amata Dei gemma una, pura necis rutila.*

1. Morbus incurabilis.
2. Fætor innoxius.
3. Origo incognita ſæpe.

ANno poſt milleſimũ nonageſimo ſecundo Tornaci morbus, qui à *S. Igne* nomen habet, graſſari cœpit ultra medicorum artem, jam toti urbi formidandus, quia ſine remedio. Correptus hoc morbo, jam ſacer erat. Fuêre, qui, neſcio, cujus aut conſilio aut impulſu, ad templum Cathedrale confugerent, Deiparæ conſecratũ: ibi quia opem, quã quærebant, re-
Peſtis. perere, per omnem latè regionẽ diſperſa fama, quotquot hanc lucẽ vel metuebant, vel habebant, accivit. Templum cęterà vaſtum, recipiendis ægris non ſufficiebat. Hinc fætor ad peſtem ciendam Miraculum. aptus, quanquam innoxius. Iuſſi tamen exceſſe ſunt, quibus malum manus pedéſque putrefecerat, ne tamen ſolatio, quod quæſitum advenerant, nimiâ hâc Canonicorum ſolicitudine privarentur, ipſa Deiparæ Statua exportata, & ſub Dio omnium oculis eſt expoſita, ad cujus conſpectum, ſanitatem recepêre perinde ac illi, quibus templum intrare conceſſum fuit. Hinc S. Iconi nomen ab *ægrotantibus* inditum eſt, *nostra dame des malades.* Ita ad me

R. P. Matthæus de Schamp,
Rector Tornac. Soc.
IESU.

CLXXV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE FVENCISLA. *Segoviæ in Hiſpania.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *Sicut lana pura amata gemma renideo.*

1. Hic Rhodus hic ſalta.
2. Adulterium Iudæorum.
3. Officium Clericorum.

QUo tempore Maurorum furor Hiſpanos ad montes coëgit, pietatem videre erat in Deiparam, & ejus ſacras Statuas. Hanc, de qua nunc ſermonem inſtituo, ſacerdos quidam ad montes detulit, qui à fontibus nomen habent, quin & iidem etiam à graculis magno numero ibi nidulantibus vocantur *Cautes Gra-*
Imago. *culariæ.* Quamdiu intra montes latuerit, quóve tempore iterum repertaſit, atque in hoc templum dea ta, *Colmenarius* hujus hiſtoriæ autor non memorat, ſummo in honore ſemper fuiſſe, arguit miraculum prorſus exoticum, quod ex Autore refero. Hebræa mulier jam dudum animo Chriſtiana, Virginíque devota, adulterij ſuſpicione apud maritum laboravit. Ad lapidationem legibus antiquis dãmnabatur.

Nunc Iudæi Segovienſes, quos piget, pudétque lapidum, mitioribus ſententijs ſcelus puniunt, quia frequentius: quis enim Iudæo-

dæorum, otio cætera marcentium, toties ad iactus lapidum proſiliret, quoties Hebræa fidem fefellit, quam nunquam habuit? Sententia. Hæc arbitrio viri, communibus ſententijs, relicta eſt: Ipſe vitæ mortiſque dominus eſſet, ipſe carnificem ageret, ubi luberet.

Ducta à Zelotypo ad hunc montem eſt, quà per præceps jugum in profundiſſimam vallem proſpectus eſt, non ſine vertigine. In hanc juſſa eſt ſe præcipitem agere, aderat, diverſis affectibus, penè quidquid erat Iudæorum in urbe, non pauci quoque Chriſtiani. Illa voto jam Chriſtiana ad templum reſpexit, &, O Bona, inquit, quæ Chriſtianis auxilio tuo adeſſe ſoles, Iudæã toto corde jã Chriſtianam non deſpice: meque innocentem tuâ ope ſaluam conſerva, Saltus. ſimul cum dicto, confidentiſſimo ſaltu ſe librat, non tam in voraginem, quàm Deiparæ pallium delapſura. Reſpondit ſpei eventus: adfuit nempe Deipara non lenta ad preces, & manibus prehenſam ſuaviſſimè per aërem deportavit, & quàm molliſſimè in terra collocavit: nec videri antè deſijt, quàm ſana & ſalva in omnium conſpectu in virenti ceſpite conſideret. Accurrere illico Chriſtiani, & jam non Iudæam, ſed Chriſtianã, è valle per notas ſemitas educunt, volentémq; baptizant, & nomen ei indunt *Maria de ſaltu*.

Nec ingrata fuit Soſpitatrici ſuæ Maria vitam omnem velut Gratitudo. templi cuſtos hîc tranſegit, dum anno 1235. ut vixit, ita piè mortua eſt, atque ipſo in templo ſepulta juxta parietem, cui majoribus placuit inſcribere quæ hic memoravi. Hinc loco major cultus acceſſit. Ita *Didacus de Colmenar.* Segovienſium monumentorum ſcriptor, c. 10. qui ait, prædictum ſacerdotem vocatum *Sacarum* hoc ipſo in templo, in rupe excisâ, S. Iconem abſcondiſſe, anno 852. Ita ad me R. P. Rector Segovienſis Soc. IESU.

CLXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE HORTO.
Romæ in Italia.

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Dei gemma & rutila una, pura, mico.*

1. Muſica in luctu.
2. Periculum ſirenum.
3. Virtus ſecura ubi.

PArs Romanæ urbis Tranſtiberina hortum habuit inter alios unum, quem ambiens murus ſecurum, picta in muro Virginis Imago in omnem longè poſteritatem glorioſum fecit, ſub annum Chriſti 1488. pictam eſſe ferunt. Qui ſacræ Imagini Sacellum in loco extruxit, ne is beneficium quodpiam grande à Virgine impetravit: certè pietatis

ſuæ ſocios invenit, quando ſacellum ſeptem annorum ſpacio ita muneribus auctum eſt, ut anno 1495. Cætus ſodalium ſit inſtitutus qui S. Iconis cultum jam per omnem urbem aliàs magnum promoveret. Adjunctum pro ægris eſt hoſpitium, perpetuíſque cenſibus dotatum, utique eorum liberalitate, qui ſibi à Virgine ſanitatem obtinuêre.

Congregatio.

Muſici. Feſtum, quod octavo Iunij ſummi Pontificis Muſici celebrant, ex voto eſt: votum ex hac origine. Anno 1584. Roma Legatos regum ab ultimâ Iaponiâ expectabat; excipiendis his ad oſtia uſque Tiberina Gregorius XIII. turbam cantorum, ſeu ut vocant *Capellàm Pontificiam*, obviam miſit, qui regios Iuvenes inter cæteros ex aulâ delectos regiè exciperent in littore. Hi Tiberi ſe commiſêre, brevem viam inter jucundas confabulationes facturi: ſed illi vix portu ſolverant, cùm inter ſabuloſæ aquæ fatalia pericula penè ſui obliti, Deiparam *de Horto* (nam proxima erat) voce unâ invocârunt, nemine diſcordante, votóque, ſe obſtrinxêre, diem hunc in templo feſtum habituros, cantùque ſuo quàm feſtiviſſimè poſſent celebraturos. Pacatæ mox undæ ſignum dedêre, placuiſſe Virgini votum. Fecêre illi ſanè, dùm vixêre. Hodierni Pontificis cantores, quia ad ſe quoque majorum vota pertinere exiſtimant, votum curant, & diem octavum Junij Feſtum faciunt Virgini, quæ ex horto ſubſidium tulit in aqua perituris. Hæc Octavius Pancirola in ſua Roma fuſius deſcribit. Votum.

C L X X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa. IN MONTICVLO. *Olomucij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *En! ut pura gemma ita Iris amanda lùceo.*

1. Virtutis oblivio in divitijs.

2. Dilatio periculoſa.

3. Sanctitas pecuniâ indiget.

NOn longè hoc templum diſtat Olomucio urbe Epiſcopali, & Accademicâ nobili. Sal s, Mercator fuit, qui hoc Deiparæ templum ſtruxit. Origo iſta eſt, Viennam ibat in curru duobus aurigis comitatus, in viâ cùm eſſet, neſcio in quo pago feſtum Nativitatis Chriſti piè devotéque celebravit, & die illo integro in reverentiam tantæ Solennitatis conſtitit.

Deſiderium. E templo egreſſum, ingens deſiderium tenuit, templi aliquando Deiparæ ædificandi: Sed vana fuerunt ſine pecunijs deſideria, narrat tamen hoc aurigis, &; Nos, inquiunt illi, ſi Deus juverit, neceſſaria convehemus paulò pòſt uxo-

uxorem duxit, & ditior factus propoſiti ſui,non ampliùs meminit. Revocavit ei, quod ipſa homini ingeſſerat, propoſitumDeipara, luculento ſomnio. Videbatur ſibi in ſilva videre Deiparam ad arborem quandam pluvia & lacrimis perfuſam, rogantémque defendi ab imbribus, ille pietate, quâ pollebat, quàm primùm è proximis ramis omni ſtudio domum fecit, pro qua ei Virgo gratias egit, & cum ſomnio ſomno quoque finem dedit.

Conſi-
lium.

Conſuluit ille poſt aliquot dies Patrem è Soc. IESU. Is ſuadet, iret Radikam verſùs & locum amœnum eligeret: videri ex alijs quoque indicijs illic Deiparam templum velle; paruit ille & conſcenſo equo regionem luſtrat, monticulum hunc præ cæteris amænitate ſuâ aptiorem conſcendit & quæ divinorum ratio eſt, horrore inſolito concutitur, in ſuavem pietatis ſenſum deſinente.

Hoc ille pro ſigno accepit, & accepta ab ijs, quorum intereſt, licentiâ, hoc quod hodie ſtat, ſacellum ſtruxit. Comparuêre quoque illi ipſi famuli aurigæ, qui ei operã ſuam olim in itinere Viennenſi comites promisêre, quos tóto tempore, quo ædificatio duravit, magno ſuo ſolatio tanquam cæteris fideliores adhibuit, & bene etiam ultra debitam mercedem donatos, domum remiſit. Hæc origo templi eſt hodie admodum celebris, affluxu peregrinorum, & gratiarum largiſſimâ profuſione. Ita ad me R.P. VVenſeſlaus Schivertler S. I.

CLXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. MOSCOVVITICA. *Vilnæ in Lithuania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Divina gemma pura reatu alma niteſco.*

1. Trapezitæ verũ de gemmâ judiciũ.
2. Litrum Captivorum.
3. Pro dote Imago B. V.

HÆc Virginis Deiparæ Imago ideo præ omnibus ſingularis eſt, quia pars dotis fuit, quæ regiæ ſponſæ data eſt. Advecta, inquam, eſt in Lithuaniam è contiguâ Moſcoviâ anno decimi quarti ſæculi quarto & nonageſimo; cùm Helena Iuani Baſilidæ magni ducis Moſcoviæ filia Alexandro magno duci Lithuaniæ nuberet, inter dotalia, pretioſiſſimi theſauro loco, à parente annumerata. Opinio apud Moſcos, atque inde apud Ruſſos & Lithuanos propagata conſtans eſt, hanc Imaginem à S. Luca pictam, olim S. Lucas. apud Imperatores Græcos cultam, poſtea ad reges Haliciæ in Ruſſiam, tandem in Moſcoviam delatam, eam ob cauſam in maxima ſemper æſtimatione apud

Moſcos fuit: ut anno ſæculi prioris ſexageſimo nono, cum de perpetuis fœderibus Moſcos inter & Lithuanos ageretur, Moſci inter fœderum pacta hanc Imaginem repeterent, promiſſa viciſſim quinquaginta nobilium Polonorum, quos captivos habebant, liberatione.

Imago. Acta Moſcoviticæ hujus legationis legit, qui hæc ad me perſcripſit, in quibus hoc legitur. Hanc ſacram Imaginem tam ij, qui Græcos ritus habent, quàm qui latinos, impensè colunt: uti apparet ex tabulis magno numero appenſis. Ita ad me R. P. Albertus Koialovvitz Rector Societatis IESU.

***

CLXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

VVERDENSTEINENSIS.

VVerdenſteinij in Germania Sup.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Ponas Dei Virginem à rea macula tutam.*

1. Chorus Angelorum.
2. Somnus felix.
3. Fluvius aurifer.

IN Rotenburgenſi Comitatu Ditionis Lucernenſis ad fluviũ Emmam collis quidam abruptus eſt, olim arce inſignis cujus fundamenta non contemnenda adhuc apparent: nomen tamen integrum hodiéque manet *VVerdenſtein*. Radicem collis hujus Emma flumen allabitur, & auro alluit, quod ſenex quidam Belga circa annum 1500. ſecernensè ſabulo, victum quæſivit, & invenit, ſæpius hominem diligentem nox oppreſſit, coëgítque dormire ad ipſam rupem, ſomno, nonnunquam precibus ad Deiparam interrupto, quas flexis genibus ſoluebat, grata hæc Virgini pietas ſymphoniâ cæleſti honorata eſt, quam ſenex ut audivit, erectus in pedes cicumſpexit, vidítque collem totum inter denſas arbores coruſcare, ſenſit inſuper ex ea ipſa luce allabi cantum humano dulciorem.

Ille in grati animi ſignum, tabulam curavit, quæ coronationem B. Virginis referret, eámque pirui arbori quàm decentiſſimè & fortiſſimè affixit in laboris ſui ſolatium. Nec diu privata hæc pietas fuit: cauſam enim affixæ tabellæ ab amicis coactus edicere fidem invenit ipſe, & fama deinde populos undique accivit, petituros gratias ſine miraculis non obtinendas: Obtinuêre quàm plurimi. Hinc quamprimum extructum ſacellum eſt, & paulò pòſt affluentibus beneficijs cæleſtibus affluxerunt etiam pecuniæ, hinc ex ſacello factum eſt templum, quod hodie in venuſtiſſimam pulchritudinem excrevit. Curant hoc RR. PP. Conventuales S. Franciſci.

Hanc

Hanc Templi originem typis edidit anno 1618. *Nicolaus Razenhofer* ſenator Lucernenſis, miracula licèt grandia & approbata, quia communia ſunt, non exſcripſi. Eſt locus hîc unus è primis in totâ Helvetiâ, accurſus undique magnus: creſcúntque donaria numero & pretio in dies, vidi locum, atque ad honorem Deiparæ ſacrum feci.

C L X X X.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LAMINIBVS. *Sanſeverini in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *En! ſummâ via lactea merito digna, pura.*

1. Lumina cæleſtia non ſunt Phanòmena.

2. Talpa mundana.

3. Imago ſupra portam.

Miraculoſiſſimæ Imagini apud Sanſeverinales primum cultum dedêre Angeli. *Lucas ferratonius* honeſtus civis, anno 1560. ſupra partam ſuam B. Virginis Imaginem locavit pictori. Porrò pictor *Ioannes Gentilis* vocabatur, homo non malus, ſed pictor non bonus, ut ex ipsâ imagine apparet artificis non multùm deprædicanda mediocritas. Viginti quatuor ipſos annos omnibus aëris injurijs expoſita, ſtetit illibata; Nullo cæterà vel cultu, vel miraculo inſignis: quanquam dubitandum non ſit, inter mira, ſi non miracula, numerandum eſſe, quòd quidam juramento interpoſito teſtatus eſt, nunquam ſe auſum fuiſſe illac iter facere, dum mortiferâ labe conſcientiam haberet infectam, ob ſtimulos omni tormento acriores: quapropter longas ambages quæſiviſſe, non ſine negotiorum detrimento.

Anno 1584. 16. Ianuarij die, viſa lumina ſunt circa imaginem è cælo delapſa, nunc radij, nunc facis figuram referentia. Res altero manè per urbem Deiparæ devotam à civibus ſparſa, coëgit populum ad venerationem & preces. Inde non modò vrbici, ſed etiam accolæ advolârunt. Nec defuêre miracula, quæ Virgo petentibus dedit, omnem vel vanitatis vel falſitatis ſuſpicionem facilè ſuperantia. At verò incredulæ poſteritati conſulturus *Lucas Tardoli* Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Epiſcopi Vicarius, ad juris normam eos examinavit, qui conſpectorum luminum teſtes ſe obtulêre. Unde firmata egregiè veritas eſt teſtibus omnium ordinum permultis, & exceptione omni maioribus, qui conſpecta à ſe lumina nunc è cælo, nunc è Lauretanâ orâ ad imaginem prope rantia aſſerebant. Teſtium plerorúmque effata ad me miſſa ſunt, quæ longum duxi huc apponere. Lux. Lauretum.

Nec minùs feliciter ſucceſſit in

perpetrata miracula inquiſitio, quorum & numerus, & illic loci raritas momentum ſanè maximum addunt; ſi quiſpiam fortè homo Philoſophus conſpectorum luminum ſplendorem inter Phænomena aëris numerare velit. Certè qui ad has cæli faces cæcutiunt, næ illi non tantùm cæcutire creduntur, ſed ad hæc cæli lumina cæci eſſe ab omnibus cæteris videntur. Hæc cum longo teſtium examine accepi à R. P. Io. Bap. Tartaglia, olim mihi notiſſimo, Rectore Anconitano Soc. IESU.

CLXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE SOLIBVS.

Avilæ in Hiſpania.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr: *Pange Divam, at jure ſine maculâ ortam.*

1. *Cælum habet unum ſolem Maria plures.*
2. *Plus obtinetur quam petitur.*
3. *Simplex eloquentia.*

TRaditio, ſed fida & incorrupta, habet, ſculptam hanc Deiparæ Lux. IESULUM tenentis ſtatuam defoſſam eo in loco fuiſſe, ubi nunc elegantis architecturæ templum ſtat, & frequenter eodem in loco duo lumina, velut ſoles duos, paſtorem è melioribus unum conſpexiſſe; qui eàdem, quâ olim Moyſes, fiduciâ locum accedere ſit auſus, quin etiam prehenſo ligone tentare foſſionem, reperturus quidquid cælum his luminibus portenderet. Cùm ſe poſt exiguam eruderationem obtulit Statua Deiparæ, ex materia in hanc uſq; diem incognita, & quod mirabatur colonus, nullâ terræ injuriâ, aut humore ſqualida.

Ille ante omnia in genua procidens eam veneratus, quam ſtatua repræſentabat. Dein Avilam contendens mediâ Leucâ diſtantem, jactat felicitatem, nunc uni nunc alteri, nunc omnibus recenſens ex ordine, quomodo ſæpius ſoles duos vidiſſet, quomodo terram operâ nec operoſâ, nec longâ, tentâſſet ligone, & hanc S. Statuam nihilo deteriorem, quàm ipſi nunc eam viderent, inveniſſet. Fecère hæc ſimplicis eloquentiæ non otioſa verba, ut brevi congeſtis pecunijs ſtaret in loco ſacellum, quod deinde an- Sacellum. no 1504. in elegantis formæ templum excrevit. Acceſſit quoque hoſpitium peregrinis excipiendis, eo denique extulit urbs Abulenſis hunc Mariæ theſaurum, ut è civibus neſcio quo duce, Confraternitas coaleſceret, quæ S. Statuæ totiuſque tam pretioſæ pietatis curam haberet.

E plurimis miraculis hoc ſingulare eſt, quòd ſacerdos apud Algerianos captivus, inter carceris miſerias & pedores perijſſet, niſi tam

tam enixè Deiparam *de ſolibus* invocâſſet. Illa homini plus, quàm optaverat, largita eſt: etenim triſtitiâ ſomnóque gravatum, adusque hoc templum Angelicis manibus deportari fecit. Reperto ante ipſum altare Virginis adempta ſunt vincula, & Deiparæ appenſa, teſtimonium datura poſteris accepti beneficij. Finio, ſi, quod alibi nunquam legi, adjunxero perpetuum miraculum.

Deportatio.

Aiunt, imminentibus Hiſpaniæ pericul s ſtationem ſuam deſerere hanc S. Statuam, & alio migrare, veluti negotio magis neceſſario alibi detenta, res Hiſpaniæ curaret, an id hoc Anno 1669. quo hæc ſcribo, contingat, non habeo dicere. Bis hoc contigiſſe, legitimis teſtibus probatum eſt, primum in receptione civitatis Barcinonæ deinde cùm liberata eſt ab obſidione Fonterabia. Primus labor trium dierum fuit: hic poſterior uno die confectus eſt: neque enim plus temporis ab fuit. Magna hæc ſunt, nec alijs regionibus audita, fidem tamen merentur, quia qui ad me perſcripſit. *R. P. Michael de Arbicu* ex Archivio Eccleſiæ illius accepit.

Fuga. Tres.

CLXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE GROTA PINTA *Romæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O Mera & munda Cæli vivis porta.*

1. *Refugium Chriſtianorum.*
2. *Prima Eccleſiæ pietas.*
3. *Annui ludi.*

CAmpus Floræ nomen habet *à Flora* Pompeij M. meretrice infami, quæ theſauros populo Romano poſt impiam mortem, reliquit; quibus ludi Floræ in annos ſingulos defloratiſſimis modis celebrarentur. Hic loci crypta fuit antiqua, in quam ſe recipiebant Chriſtiani mortem evaſuri, qui varijs imaginibus in muro pictis locum fecêre ſacrum, prima inter has, & præcipua eſt Deiparæ Imago, rudi ſed piâ manu picta. Redditâ Eccleſiæ pace ſub Conſtantino magno, Imago hæc elata, templum vicinum nil de cryptâ retinuit præter nomen, appellatúrque de *Cryptâ* picta.

Anno 1599. Altare maius in meliorem formam redactum eſt. Repertæ tunc litteræ fuêre à templi protectore *Reverend. Domino Iacobo Toſi de Fornello*, in quibus legebatur, templum hoc anno 1343. in novam formam redactum, & conſecratum fuiſſe 8. Decemb. in feſto Immaculatę Cóceptionis Deiparæ. Imaginem porrò ipſam templo S. Laurentij in Damaſo illatam eſſe, ibíque coli cæptam. Ita *Octav. Pancirola in ſuâ Româ.* Imago hodiéque in cultu eſt in templo S. Laurentij in Damaſo. Litteras, quas citat Octavius non vidi.

Crypta. Conceptio B. V.

Pp 2 *CXLXXIII.*

CLXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GRATIIS.
Romæ in Italia.

Progr: Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O nega maculam in matre Dei pura, juſta.*

1. Diſcordia Deorum.
2 Virginitatis honor.
3. Veſtalium Caſtitas qualis.

QUomodo in Romano Cælo Veſtæ Deæ convenerit cum Venere, Chriſtiana Theologia non docet. Studia utriuſque tam diverſa, ſacra tam diſſimilia, aliud efficere non potuêre, quàm ut illa huic, hæc illi litem, ruinam, bellum moveret, viribus non æquis nam Veſtalium Virginum pauciſſimæ erant, nec in omnem vitam durabant in officio. Pro Venere pugnabat tota Roma: quis enim ſacris ejus non ſuperſtitioſiſſimè imbutus erat? Virginitati tamen ſua ſemper reverentia ſtetit Romanâ in urbe.

Hoc in loco, qui olim Veſtalium, fuit, hodie hæc Deiparæ Virginis Imago in veneratione eſt, & miraculis clara. Hinc à *Gratijs* nomen habet; dum autem originem miraculorum invenimus, credere interea juvat, Virginem vel adeo hîc loci proniorem ad beneficia eſſe, quia hoc in loco præ cæteris omnibus ea virtus etiam à Gentilibus culta eſt, quæ poſt humilitatem in Deipara fuit maxima Tanti refert etiam à loco miraculorum, & beneficiorum cæleſtium, cauſam & originem invenire. Veſta.

Octav. Pancirola in ſua Roma.

CLXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
VVEICHELINDANA.
Weichelindæ in Germania S.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *Agna pia munda IESVM creatorem aluit.*

1. Faciunt promiſſa nepotes.
2. Nix cerimonioſa.
3. Pagus ſecurus.

IN pago *Hoeglingen*, non multis milliaribus Monacenſi ab urbe, Bavariæ metropoli, diſtante, hortus eſt longus centum pedes ultrà duodecim, latus octoginta ſex, ſimplici ſepe cinctus, dictus ab antiquis temporibus, ut è cenſualibus litteris conſtat, *Hortus Weichelindanus* à duabus tilijs, quæ olim

olim latiſſimis brachijs ramoſæ umbram fecêre ſepulchris tribus, magnorum virorum, ut conſtans majorum traditio habet.

Nec mirum hic jacere, qui hic ceciderunt, quicunque illi ſint. Siquidem Anno 635. magna hic loci cum Hunnis (Vngaris) Bavariæ infeſtiſſimis prælia fuere. Certùm in ſuper eſt, S. Marinum Epiſcopum, natione Hibernum, ab Hunnis hic loci crudeliter occiſum eſſe, ut habetur ex proprio Feſtorum Monaſterij Rottenſis ad Oenum fluvium, ubi ſanctus hic pro Tutelari Sãcto colitur.

Senum traditio eſt, ruptâ per negligentiam æditui ſepe, animalia, quæ inde gramen carpebant, contagioſâ lue perijſſe, grandinéque è cælo omnem viciniam illo anno vaſtatam eſſe. Locus jam à ſæculis ſanctus ſacello honoratus à pagi incolis eſt: anno 1632. quò Suecicus furor Bavariam vaſtavit, ſacelli Patrona electa Deipara. Ita nempe cogimur majorum vota, & promiſſa, ſeri nepotes perficere, voverunt etenim hoc ſacellum incolæ pagi, eâ conditione, ſi indemnes præterirentur, & voto facto fugâ ſe furori ſubduxerunt. Abeuntibus è Bavariâ Suecis redière inquilini, & omnes pagi hujus incolæ domos ſuas intactas reperêre, ſed & anno 1634. à peſte totius Patriæ Höglingenſes fuêre immunes, & hactenus, ut & longis annis poſtea, undecim, inquam omnino annis, promiſſum ſacellum nondum ſtetit. Tandem, obtentâ Ordinarij facultate, rotundum exurrexit non invenuſtum ſacellum. Nunc de Statuâ Virginis ligneâ loquor, quæ duos pedes cum dimidio altâ eſt. Stabat hæc in parochia Höglingenſis pagi in alto pariete olim, ut ferunt, culta, tunc verò nullo honore celebris.

Accidit, ut Vexillifer ſupplicationis ruſticanæ, ſacrum altúmque vexillum ſupplicantibus prælaturus, labore ingenióque erectum imperitiùs vibraret, ſtatuámque de ſuo loco deturbaret: q; quia ex tantâ altitudine in ſtratum lapide pavimentũ violenter præcipitata illæſa tamẽ omnino permanſit, populo pius Majorũ cultus in mentem redijt. Votu igitur omnium fuit, columnam erigere juxta ſacellum hortenſe, ſtatuámque columnæ imponere ad frugum ſecuritatem contra grandines. Conceſſit Parochus, nec diſplicuit Deiparæ, vigilem, ſe creatam à ruſticis Höglingenſibus, fatentur certè, nunquam eam ſe vidiſſe S. Statuam nivibus coopertam, afferebantur quoque anathemata accepti beneficij certa teſtimonia. Interea pro ſacello Sacellum meliore, advectâ jam omni materiâ, quærebatur aqua miſcendæ calci, & poſt facilem foſſionem quamprimùm reperta eſt. Facilitas repertæ aquæ occaſionem dedit ſperandi majora etenim ægris aqua pota profuit ad ſalutem, quin etiam ad balneum aptata majus loco nomen fecit, è terris etiam remotis concurſum eſt, nec itineris pænituit, quos vera fides adduxit: redeunt namque ſani, quos venientes mala premebant.

bant, Miracula ritu Eccleſiæ ab Ordinario approbata, & ſcriptu digna numerantur centum & triginta ab anno 1645. ad annum 1660.

Templum. Porrò ſupra ſacellum fabricatum eſt templum, ingens, quod Cænobio VVeiarenſi unitum eſt. Jám tandem peregrinis Sacramenta petentibus ſatis fieri poteſt, jámque intra paucos annos 30000, numerata ſunt Communicantium, novem altaribus hæc peraguntur, quæ anno 1657. Kalendis Iulij ab Ordinario loci conſecrata ſunt. Templum viſitârunt piè, præter Ferdinandum III. Imperatorem, ejuſdem cognati Sereniſſimi Archiduces Auſtriaci Ferdinandus, & Sigiſmundus. Imperatrix Eleonora lampadem argenteam dono dedit, alia alij. Hæc ad me ex VVeiarenſi Monaſterio perſcripta ſunt.

CLXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
LAVRETANA.
Niklſpurgi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virginem adora è Spinæ macula tutam.*

1. Cardinalis Marianus.
2. Templum bis ædificatum.
3. Architectura bona.

TEmplum hoc Lauretanæ domus ad amuſſim æquale imò etiam ſimile, ſi partem interiorem ſpectes: ſi verò architecturam exteriorem, forma eſt, quæ cum templis Italicis optimæ formæ conferri poſſit. Finem Fabricæ auctor, *Emin. Card. Princeps de Dietrichſtain* dedit anno 1630.

Celeberrimum crediderim eſſe inter omnia, quæ Lauretanæ ædis formam figurámque præ ſe ferunt, atque etiam pulcherrimum. Concurſus adiacentium populorum jamà triginta novem annis magnus eſt: & adhuc indeficiens, magnâ Moravorum gloriâ: arguítque Anathematum multitudo gratiarum copiam, quas inde ſupplices reportant, nec plura ad me R. P. Ioannes Tanner Soc. IESU.

Jam ſupra de templis Lauretanis memoravi ſi non omnia certè pleraque miraculis clarere; & mirum eſſe & rarum caſum ſi miraculoſa non ſint, quod eo plerúmque caſu contingit quando ejuſmodi. Lauretana ſacella ideo ædificantur ut ex oblationibus vivant qui ea curant quod ſi munera quæ offeruntur ad Deiparæ honorem augendum ipſi templo applicantur, beneficijs etiam miraculoſis non deſtituentur qui eâ cum fide à Deiparâ poſcunt.

CLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CONSORTIA Savonæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Agite cæli en! adoramus unicam puram.*

1. Columna loricata.
2. Gratitudo non dilata.
3. Teſtimonium forte.

HIc novarum fraudum appello architectos, qui ſupra duas petras, Lutherum & Calvinum, ædificaverunt Eccleſias ſuas, eorúmque in tantâ arte ſententias poſco, & expecto. Savonenſis templi ruinoſa vetuſtas cives coëgit, ut caſuros paulò pòſt lapides ipſi dirverent; pietas, ut ampliorem formam darent novo. Jamque anno 1607. nil ampliùs ſuperſerat, quod curioſus inſpector fortè de antiqui templi ruderibus inveniret, præter unam rotundi operis columnam, duodecim adhuc pedes altam: quam ideo nemo murariorum hactenus demoliri auſus eſt, quod venuſtiſſima Virginis Imago molliret pios, terreret auſteros.

Imago. Decimus quartus Martij dies illuxerat, & in decimam uſque octavam diei horam ſeu meridie, progreſſus dies, cùm & hæc quoque columna juſſa ab architecto eſt in terram deijci. Jam ad opus promptæ ſtabant operæ, & ad ſpectandum, præter templi multos Canonicos, non pauci cives: ſed quis primus ictum contra S. Virginis Iconem deſtinaret? quemque ſua abſterrebat in Virginem pietas, ac reverentia. Cúmque non eſſet, qui cunctanteſurgeret imperio, nemo ſponte ſuâ primus manum operi admovere voluit, & Deiparam in figurâ offendere. Admiratione S. picturæ columnam coronabant. Columna. Ecce oculis omnium viſa eſt nullo ictu tentata muri cruſta, digitum non ampliùs unum craſſa à muro divelli totam ſecum Imaginem ferens, ſex palmos altam, tres latam, non ſine ingenti intuentium lætitia: quam tamen penè totam metus abſtulit, quò timebatur tenuiſſima muri pars abitura in partes, ubi vel terram lapſu tetigiſſet, vel manibus excepta murarij inconcinnius fuiſſet tractata. Dum aſpicitur, dum conſulitur, dum denique nihil, quod ad rem eſt, in medium affertur, proximus operarum, abjecto ligone, in genua procidens, brevibus verbis excuſat Virgini neceſſariam temeritatem, rogátque ſuis manibus excipi dignetur. Miraculum. Hæc effatus, labentem cruſtam utroque brachio molliter excipit, locoque decenti, nemine unò juvante, infert.

Quis omnium ſenſus tunc fuerit, ex his, quibus nunc vivimus, annis,

annis collige, quibus miraculoſa hæc Imago adhuc majore, quàm antè honore colitur. Ipſa columna, licèt loricam ſuam amiſerit, intacta permanſit, & hodie in ſacello locum ſuum obtinet, aſſerturà poſteris factum de veritate rei dubitantibus. *Petrus Franciſcus à Coſta* Epiſcopus æris campani feſto ſono cives ad obſequia Virginis accivit, die altero ſupplicationem, quâ potuit, pompâ inſtituit, rogavítque cum ovibus paſtor Virginem, ut primum hoc, non ultimum beneficium eſſe vellet, pro quo urbs Savonenſis gratias deberet. Gratitudo.

Annuit Virgo, & quidem in tempore, magno eorum gaudio, qui fabricæ præfecti præſentes inſpexerunt. Etenim, exhauſto ærario, diu fortaſſis ſtetiſſet, quod hactenus architecti fecerant, niſi Virgo beneficijs Savonenſes coegiſſet liberaliùs gratos eſſe. Ita & honori S. Imaginis, & civium ſaluti, & fabricæ integritati conſultum fuit. Nec hodie ceſſant Deiparæ beneficia, uti nec ceſſat urbs Savonenſis eſſe grata Deiparæ. Ioann. Baptiſt. Alſ. l. 2.

***

CLXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. TROCENSIS. *Trocæ in Lithuania.*

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Agite en! roſa pura dumi en! immaculata.*

1. Chriſtianis mi felicia principia.
2. Nomen Mariæ laudabile.
3. Concurſus magnus.

Lithuanis populis, ſi naſci contigiſſet Chriſtianis, cùm Chriſti fides adhuc in cunis eſſet, quid non facturos fuiſſe putem integris ſedecim ſæculis quando quatuor, & ſiquid amplius, ſæculis tanta fecêre, & à ſuperis accepêre? Imago B. Virginis, quæ in civitate Trocenſi, in arâ minore templi majoris, colitur, jam à temporibus *Alexandri Vitoldi* magni ducis miraculoſa eſt.

Tantus hodiéque concurſus eſt, integræ propè civitatis totius ferè Lithuaniæ, pro feſtis Deiparæ, à millliaribus Polonicis quatuordecim ſupplicantium ritu effundantur ad hunc locum viſendum. Hæc non ideo affero, quod Italiæ æmulam in Virginis cultu Lithuaniam putem, ſed ut videat lector, non tantùm à ſolis ortu uſque ad occaſum, ſed etiam à meridie ad ultimum uſque Septentrionem laudabile eſſe nomen Mariæ. Adderem miracula rara, ſi ad me ea perſcribere potuiſſet *R. P. Albertus Koialovviz Rector Vilnenſis*: potuiſſet autem, & voluiſſet, niſi Moſcoviticus exercitus Vilnenſes colligere vaſa juſſiſſet, & migrare aliò, in quâ fugâ etiam SS. imaginibus Conſultum fuit. Cultus.

CLXXXVIII.

CLXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BVZZANO.

Buzani in Italia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *A communi lapſu Adæ jurate integram.*

1. Mare facit duros.

2. Suavis obedientia.

3. Craſſa impietas.

BVzzanum non multùm ab urbe Nolâ diſtat; ibi in templo RR. PP. S. Franciſci de Paula Imago eſt B. Virginis, à quingentis fere annis clara miraculis. Cultûs tanti, tótque beneficiorum origo hæc eſt, Nautis quibuſdam juxta puteum, qui hodie in templo videtur, colloquentibus B. Virgo ſe videndam præbuit, juſſitque expreſſis verbis, purgare puteum: laboris mercedem fore Imaginem, quam reperturi eſſent, olim gratias daturam, & beneficia. Nautæ. Non placuit merces nautis, quia argentea non erat, ſæpius itaque, & crudis hominibus, apparendum Virgini fuit, ut eos cogeret ad imperata facienda, nihil tamen apud Nautas, etiam ſæpius apparens, majoráque promittens, quàm ut in vulgus ſpargerent, quæ viderant. Quæri ſtatim cæpta eſt à pijs civibus intra putres aquas Imago, non ſine accenſis facibus, opus itaque aggreſſi, nec multùm progreſſi, in venêre ſanctam Imaginem, de qua ipſa Deipara Nautis locuta eſt. Quæ ſubitò, vt ab ijs conſpecta eſt, honorem ſuum habuit, & paulò pòſt etiam templum: ſiquidem accurrentium munera in fundamenta ſuffecêre. Templum. Duraverunt beneficia Virginis tribus integris ſæculis, dúm templum Divo *Franciſco de Paula* ceſſit, qui, adjuncto ſui ordinis Monaſterio, omnem cultum in eam celebritatem erexit: quæ hodie videtur.

Hæc ad me R. P. Iulius Cæſar Fazzari Soc. IESU. Nolâ.

CLXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE REMEDIIS.

Thenis in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena Dominus tecum.

Anagr. *O laudate eia Virginem puram Sanctam.*

1. Vrbs è cineribus ut Phenix.

2. Chriſtiani medijs abundant.

3. Vrbis bonum.

NOn lubet nunc triſtiſſima Thenenſium fata, memorare, quibus velut altera Troia flammis ita

ita conſumpta eſt, ut dubij cives hæſerint, quo quisque loco domum ſuam ſtetiſſe credere deberet. Hoc ſolo Troiâ felicior, quòd remedium illa non habuerit; hæc invenerit.

Remedium. E cineribus itaque eadem, & alia, ſurrectura, de remedijs cogitare inſtituit, ſtatuæque Virginis Thaumaturgæ, quæ titulum hunc vel habuit antè, vel tunc primùm acquiſivit, ſe cives mancipia poſt hæc Virginis futuros ſolenni cerimoniâ teſtati ſunt. Verſus ſequentes Imagini ſculptæ appreſſos appono.

Leva caput de ruinis,
Vrbs contrita quaſi cinis.
Ecce! fert remedia.
Mater, Natus: Natus crucem,
Ut per iſta ſperent lucem
Virginis mancipia.

C X C.

Imago B.V. Miraculoſa.
DE GRATIIS.
Avilæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ait Angelus, Matrem dici puram à nævo.*

1. Diſcipula cæli.
2. Labor durabilis.
3. Angelicum opus.

R R. PP. Carmelitæ diſcalceati in eo Sanctimonialium conventu, qui *De Incarnatione* nomen habet, Statuam Deiparæ habent inter celebres celebriorem. Hæc Angelis cincta nonnunquam viſa eſt, & ab eis honorata: viſionis hujus teſtem habemus omni exceptione majorem *S. Thereſiam*, quæ hanc in vitâ ſuâ, quam ipſa ſcribere juſſa eſt, fusè refert.

Apparitio. Feſtum hujus apparitionis non ſine ſolennitate celebrant Moniales pridie S. Sebaſtiani. Munera adſunt ex ipſâ India, ab ijs ſubmiſſa, qui aulam patriam habent.

Una Monialium neſcia laboris Phrygij, hanc à Deiparâ artem popoſcit, & obtinuit. Adeſt frontale altari tegendo miris mæandris ornatum. quódque manus magnorum artificum ad certamen provocet, opus artis, quam Deipara Monialem docuit. Centum & plures anni abiêre, nec vetuſtatem labor induit; opus heri confectum credas. Ut cæteri taceant, certè artis periti miraculo adſcribunt tantæ novitatis conſervationem. Vetuſta. Cætera miracula ut magna ſint, communia tamen ſunt, hoc quia exoticum, & ſingulare eſt; ad me perſcripſit R. P. Michaël de Arbicu.

C X C I.

CXCI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE INSVLA.
Camingæ in Luſitania.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Unà ergo, unà dicite eam ſat mali puram.*

1. *Inſula religioſa.*
2. *Fons aquarum.*
3. *Fons beneficiorum.*

Caminga oppidum eſt Luſitaniæ maritimum: non longè ab hinc in mari eſt exigua Inſula, cui propter exiguitatem majores nomē non indiderunt, in hâc primi hominū habitare cœperunt RR. PP. Franciſcani, quibus cum templo cœnobium ædificatum eſt ſub titulo *S. Mariæ de Inſula*, miraculoſa Virgo, cœlo ſereno, & mari tranquillo, nunquā non habuit, qui ſe in hoc templo viſitarent: at verò, mari irato, fratres fame laborabant, nunquam non ſiti; quis enim hîc aquam dulcem ſperaret? Speravere tamen Fratres poſt fatigatam precibus matrem, quæ eſt puteus aquarum viventium. Nec defuit illa. Nam *F. Didaco Ariæ* per ſomnum apparens locum Inſulæ oſtendit, quo aqua eſſet quærenda.

Non ſprevit felix ſomnium Didacus: ſuis fratrúmque manibus fontem quæſivit, & invenit aquæ dulciſſimæ; non obſcuro indicio alterius quoque fontis, è quo beneficia miraculoſa profluerent: qui & paulò pòſt apertus eſt, & S. Virginis miraculoſæ nomen acquiſivit. Gonzaga p. 3.

(Margin notes: Fames. — Somnium.)

CXCII.

Imago B. V. Miraculoſa.
SCHAFFENSIS.
Dieſthemij in Germania I.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virginem adeò puram ita altè canamus.*

1. *Puteus impetratur.*
2. *Votum annuum perpetuum.*
3. *Poſteritas grata.*

Ad dimidium lapidem extra muros Dieſthemij pagus eſt, cui nomen *Schaffen*: in cujus templo parochiali Mariæ quædam Statua viſitur ex alabaſtro in peculiari ſacello. Celebris hîc concurſus propter miraculorum copiam.

Fama eſt, dictam Statuam à Duciſſa quadam Lotharingiæ hîc eſſe repoſitam, ſolita ſingulis Sabbatinis diebus Dieſthemio huc peregrinationē inſtituere. Ut cætera miracula interierint; manet tamen hodiéque puteus ab inco-

ſis facto voto impetratus, & dulciſſimâ aquâ celebris. Veritas beneficij hujus miraculoſi probatur annuâ pecuniâ, quam incolæ è voto parentum Deiparæ in annos ſingulos ſolvunt, ne memoria beneficij pereat: quod templi paſtor quàm diligentiſſimè curat, locus hic jam ab anno 745. celebris eſt, cúmque frequenter viſitâſſe *Blanca S. Ludovici regis Galliæ* mater traditur. VVixmans. l. 2.

Votum.

CXCIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

THIELETANA.

Thieleti in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Solum agna Dei mater pura nævi micat.*

1. Peccator leproſus.

2. Lepræ felix cura.

3. Utraque cura à B. V. eſt.

THieleta pagus eſt non multùm Arſcoto diſtans. Deiparæ Statua, quæ in templo eſt, jam ab antiquo peregrinorum affluxu celebris eſt, quia miraculis clara è plurimis miraculis hoc celebre & perenne, quod ij, ſi quibus à leprâ periculum eſt, ſi maturè veniant, ſanitas certa ſit; ſiquidem ipſi obicem non ponant VVikmans l. 2.

Lepræ curam medicis impoſſibilem plures Statuæ Marianæ præſtant, ut videbimus, nec immerito etenim nullus omnium morborum tantam cum peccato ſimilitudinem habet ac lepra. Vtrumque malum contagioſum eſt, & hæreditarium ſerpit, auget, vitalia conſumit, curam reſpuit, & gaudet negli. Id mirum quod cum pro miraculo habeatur ſi quis ope Virginis curetur à lepra, tam pauci mirentur ſi ope Virginis peccator à leprâ peccatorum annoſa curetur.

CXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.

S. M. MINORIS.

Hannuti in Germania I.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr: *Pia & mera Eva Adam ignorans luctum.*

1. Tituli contrarij.

2. B. V. reſpicit humilitatem.

3. Miraculi humilitati amica.

HAnnutum exiguum Belgij oppidum in templo parochiali tria Deiparæ ſacella habet tribus titulis inſignia, primum dicitur altare B. Virginis *in Crypta*. Secundum *S. Mariæ Majoris*, tertium *S. Mariæ Minoris*. Vide lector miraculum humilitatis! ad hoc ultimum Virgo benefica eſt; quia

quia ei titulus, placet: hic quoque Roſarij Congregatio inſtituta, gratias Virginis auget. Et quia Deus reſpexit humilitatem Virginis, idcirco & illa ſub titulo humili invocata largiùs beneficia diſtribuit. VVikmanns l. 2.

Prô: quid mundus titulis non tribuit, relinque hæc crepundia quisquis Mariam amas, & ipſius exemplo humilibus eſto contentus, quando ab ipsâ ex ipſo cælo habemus tantum humilitatis exemplum.

CXCV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CONSILIIS. *Nivellæ in Germania I.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Pura ignoravit ſentem maculæ Adami.*

1. Conſilium è cælo.
2. Angelus magni conſilij.
3. Miracula interna.

Extra Nivellam ab antiquo celebris fuit memoria, & magno affluxu populi inſignis, noſtra Domina *à Conſilijs* nuncupata, ſacellum vetuſtate ſuâ corruit: ſed anno 1625. iterum nobilius ſurrexit, *Gerardi comitis Grimbergenſis* ſumptibus. Hic conſilia petuntur, & inveniuntur, nempe à Matre, quæ magni conſilij Angelum peperit. Huc ſcilicet veniendum eſt, cùm in anguſtijs verſamur, cúmque ignoremus, ô Mater, quid agere debeamus; hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te VVikmans l. 2. miſerrimi hominum ſunt qui anguſtijs & miſerijs preſſi omni conſilio & auxilio deſtituuntur. Nemo Chriſtianorum talis, eſt niſi ipſe optet eſſe infelix quisquis es, huc fuge ad fontem felicium conſiliorum Mariam.

CXCVI.

Imago B. V. Miraculoſa. NIVELLENSIS. *Nivellæ in Germania I.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ea ſummo mane clara nitida pura viget.*

1. Principes Sancti.
2. Abbatiſſa juvenis.
3. Gertrudis Sanctitas.

Nivella Gallicana Brabantiæ vetus oppidum eſt: in eo anno 650. Itta, marito Pipino defuncto, hortatu S. Amandi Epiſcopi ſe & ſua devovens, Monaſteriū fundavit Virginum, quibus *Gertrudem* filiam ſuam pręfecit. Hoc S. Gertrudis Sanctitas. in loco jam à mille annis ſummus fuit cultus Deiparæ, refertu-

in M. S. perantiquo, S. Gertrudem infirmam quandam ſororem ad altare B. Virginis ſanitatis causâ adduxiſſe, ibidémque coram ejus Imagine preces fudiſſe, & impetrâſſe. VVikmans.

Viduarum divitum & nobilium pietas olim fuit fundare cœnobia, ſiquidem liberis carebant, per quos propagari debebat familia. Pleraque cœnobia tam ſuperioris quàm inferioris Germaniæ, vel hanc vel ſimilem habent originem.

CXCVII.

Imago B. V. Miraculoſa. S. MATRIS DEI. *Lucenæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ignoravit Adæ culpam, nam Mater IESV.*

1. Suſpicio pernicioſa.
2. Factum crudele.
3. Innocentia liberata.

LUcena, Illicias latinè, civitas Hiſpaniæ eſt in Aragonia. Hic anno 1558. templum Deiparæ, ſeu matri Dei, erectum eſt à *Ludovico de Corduba* Marchione, & RR. PP. Franciſcanis datum: quibus & monaſterium ædificavit. Inter miraculoſas meritò hæc S. Imago numeratur: ex omnibus unum, quod habeo, adduco.

Anno 1582. circa medium Auguſtum nobiles duo fratres duas ſorores ſuas Virgines criminis peſſimi reas habuêre. quia ex frequenti colloquio, quod cum quodam ſæculari ſacerdote miſcebant, ſuſpicionem moverunt ſceleris non ſemel peracti. Jámque certi, ut putabant, de facinore, utramque uterque ſpaciatum duxêre in proximam ſilvam ad ſextum ab urbe lapidem, ibíque turpiter denudatas ad arbores duas funibus alligârunt, flagríſque crudeliſſimè cæſas deſeruerunt.

Fratres.

Scelus.

Diē cum dimidio inter preces & vota ad Matrem Dei, cui erant addictiſſimæ, conſumpſêrunt, ſpe tamen non abſumptâ: cùm Virgo S. Franciſcum, & S. Antonium de Padua habitu ſuo miſit, qui innocentes liberarent. Hi eas primùm vinculis liberatas pallijs ſuis texerunt: deinde ſummo ſilentio ad urbis uſque portas duxêre, quin & ad ipſam tertiæ ſororis ſuæ domum: ibi qui eſſent, faſſi, diſparuerunt, & ſorores tres unà cum domeſticis cæleſti conſolatione imbutas reliquerunt. Fratrum uno paucos poſt dies repentinâ morte ſublato, altero infra annum mortuo; ipſæ Cordubæ Monialium Cænobium ingreſſæ ſunt. Gonzaga.

S. Antonius de Padua.

CXCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GRATIA:
Alacanti in Hiſpania.

Progr. Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Turris Evæ communita in Adæ plagam.*

1. Lapicidina inventa.
2. Pluvia impetrata.
3. Cæcus illuminatus.

ALacantum urbs eſt in regno Valentino: ad hujus muros RR. PP. Franciſcani Cænobium habent & templum, cui propter miraculoſam Deiparæ Statuam titulum dedêre *S. Maria de Gratia.* Et ſanè ipſi primi fuêre, qui gratiam Deiparæ ſtatim in exordio fabricæ experti ſunt, cùm enim difficile ac laborioſũ omnino eſſet, è longinquiore lapicidina effoſſos lapides ad hunc uſque locum advehere, dum templi fundamenta murarij fodiunt, tam abundans lapidum vena ex inſperato apparuit, ut materiam templo ſufficientem præberet. Lapicidina. Imago ſancta miraculis claret: anno 1579. in proceſſione circumlata pluvias miraculoſas, & oppido neceſſarias è cælo deduxit. Pluvia. Oleum è lampade cæco viſum reſtituit. Gonzaga p. 3.

CXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MOSTEIRO.
Moſteiri in Luſitania.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Roſa punicea, munda, mira & alma viget.*

1. E ſacello templum.
2. Incendium ſilvæ.
3. Fores templi illæſæ.

TEmplum hoc Deiparæ anno 1392. conditum eſt eo loco, quo ſtetit antiquiſſimum Deiparæ ſacellum, miraculis & concurſu celeberrimum, & datum cum S. Imagine Mariana RR. PP. Franciſcanis: quibus & ibidem tanquam curatoribus S. Imaginis, & pietatis propagatoribus datum eſt. Monaſterium. Placuiſſe hos Virgini curatores, miraculo demonſtratum eſt: cùm enim omni ex parte ſilva proxima ingenti incendio conflagaret, ubi flamma fores templi attigit, nullo illato detrimento, extincta eſt; nec plura Gonzaga p. 3.

Plures in hoc opere dabimus cum templis Statuas Marianas inter incendia illæſas, & quanquam Statuæ nonnunquam fumo infectæ aut etiam aliquâ parte ſunt ambuſtæ, non tamen id contigit ſine aliquo miraculo; quod ipſum S. Statuam facit magis celebrem.

C C.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE BONA FORTVNA:
Coloniæ in Germania Sup.

Progr: Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr: *Mane viva certè ignorat lapſum Adami.*

1. Statua B. V. argentea.
2. Principes Præfecti.
3. Donaria pretioſa.

ARgenteam Deiparæ Statuam poſuêre tripedalem, & gemmis undique ornatiſſimam Sodales Congregationis majoris in Collegio Soc. IESV Coloniæ, ſi pretium ſpectes Statuæ, cum adjunctis donarijs, ingens eſt, ſi artem, talis, (ſiquidem Calcographus non expreſſit pulchriorem) qualem vidiſſe me non memini; præter Trepanitanam in Siciliâ.

Cultores habet eximios etenim hâc in Congregatiōe Præfecti fuêre plures Electores Imperij, aliquot Cardinales, non pauci Principes: inter quos *Sereniſſimus Wolffgangus Wilhelmus Neoburgicus* bis. Congregatio. Miraculoſa beneficia teſtantur munera gemmea, quæ de collo pendent, & quanquam *R. P. Ioannes Bilſtein* nullum in particulari ad me perſcripſerit; aſſeruit tamen, meritò inter eas miraculoſas poni poſſe, quæ ſine publico & populoſo concurſu beneficia in ſupptices ſpargunt. Ita R. P. Ioannes Bilſtein.

CEN-

CENTURIA III.

C C I.

Imago B. V. Miraculoſa.

VNDERKOCHENSIS.

Hochen-Rechbergæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.

Anagr. *Virgo prudens, ea immaculatè animata.*

1. Compaſſio miraculoſa.

2. Oratio mirabilis.

3. Angeli architecti.

VNderkochenſis pagus, Auguſtanæ Diæceſeos juxta Eluacum, templum habet parochiale pulchrum ſanè & amplum, in hoc Deiparæ Statua colitur, cui ſculptor juſti hominis altitudinem dedit, & amænitatem vultui ſingularem, matri quoque IESVLVM in brachio Præſagium. poſuit. Fama fidelium eſt, belli temporibus vultum mutâſſe, & triſtitiâ ſuâ calamitatem venturam portendiſſe: ſed ad venuſtatem & amænitatem ſuam rediſſe poſt abitum hoſtium.

Perantiquæ & votivæ circumjacentium locorum peregrinationes, beneficia & miracula jam olim facta arguunt. Adhuc noſtris temporibus feſto S. Vdalrici tantus eſt ſupplicantium numerus, ut vix tertia eorum pars in ædibus, cæterà ampliſſimi pagi locùm inveniat, cogantúrque erigere tabernacula, ne ſub dio per- Miracula. noctent peregrini. Miraculorum multitudinem arguit ingens vis grallarum, quas integratis membris hîc reliquerunt, qui beneficium accepêre, quáſque Sueci milites magnam partem excuſſerunt. Tabularum quoque numerus magnus parietibus affixus, uti & ſupellex argentea, veſtéſque ſacræ magni pretij, nobilium donaria.

Ardebant hîc cerei grandiores quadraginta, candelabro quiſque ſuo ſuſtentati, in quorum uno Ducum VVirtenbergicorum inſignia adhuc videntur, Luthero antiquiora. Traditio inſuper eſt, templum infra montem ab incolis Angeli. deſignatum fuiſſe, ſed omnem murorum materiam operâ Angelorum ſub noctem in hunc collem fuiſſe tranſlatam. Denique ipſa templi veſtigia, quæ hodie videntur, abundè docent, primum templum ſemel atque iterum propter accurſum populorum in ampliorem formam extenſum fuiſſe. Hæc ad me Illuſtriſſimus Dominus Ioannes Erneſtus Baro de Hochen Rechberg, qui hæc ex Archivijs accepta ad me perſcripſit.

CCII.

Imago B. V. Miraculoſa.
MARTYRVM.
Tarenti in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ea purè ſanctè ignoravit malum Adami.*

1. Ardens aqua.
2. Lampas domeſtica.
3. Miracula neglecta.

ETiam hæc Deiparæ Imago, in tabulâ depicta, è domo in templum delata à Tarentinis eſt, civibus in Virginis cultum pronis: quis eam curaverit, quiſue pictor artem ſuam impenderit, fortaſſis civis ille ipſe neſcivit, qui eam domi diu inter ſuas, & cum ſuis coluit, etiam lampade, quam nunquam non ardenter vigilare maximè noctu voluit, ut Virgo quoque dormientium ſecuritati vigilaret. Ita cubitum eunti, poſt peractas preces, unica cura fuit, curare lampadem, aptare lychnum, & oleum addere, quantum nocturnæ horæ poſcerent: ſemel hominem, aut exacta negotia, vel ſuperveniens ſopor, poſt peractas preces, ad cubile compulerunt, neglectâ lampadis curâ. Manè poſtero indoluit ſanè, conſuetum à ſe Virgini honorem non exhibitum, ubi tamen cellam ingreſſus, quæ Imaginem cuſtodiebat, lampadémque ardentem conſpicatus eſt, attentiùs, quid flammam aleret, indagavit; ſed aquam tantùm deprehendit, quæ modicum pridianæ veſperæ oleum, ut ſolet, ſuſtinebat. Vix oculis ſuis credidit: itaque & vxorem & familiam advocat, néve de tanto portento dubitandi locum paucitas teſtium ſciolis relinqueret, vicinos quoque, & quotquot voluêre, admiſit: cunctantes etiam admovit propiùs, viderent ſanè, quàm Virgini placeret hæc luminum veneratio. Imago, Præſulis juſſu, templo illata, lucem urbi univerſæ patratis miraculis dedit. Ita ad me R. P. Rector Tarentinus.

Lampas. Aqua.

CCIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
CERVIANA.
Cervijs in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mater Virgo, pia munda, eat ſine maculâ.*

1. Cura podagra.
2. Antiquitatis privilegium.
3. Hortus Marianus.

CErvianum Virginis ſacrarium non procùl diſtat ab altera miraculoſa Imagine, quæ in Camberonen-

rohenſi Cœnobio eſt. Nempe Marianorum fructuum ferax Belgium eſt, & paradiſus Mariæ: dat enim fructus æquè miraculoſos, quibus omnis anni pars pro autumno eſt. Plura ſunt, quæ locum celebrant; primum omnium eſt S. Imaginis inventio, quæ ſambuci folijs ramiſque implexa, cultum, quem olim à tranſeuntibus habebat, jam totum amiſerat. Venuſtate ſuâ inventorem movit, ut, ſqualore deterſo, Iddæ nobili matronæ ferret, tunc loci Dominæ.

Imago. Illa, ut Virgini devota fuit, Imagini antiquæ novum ſacellum molita eſt Anno 1130. ipſo in ſambuci loco, quem limpidiſſima ſcaturigo non parùm reddidit amœniorem, ut nemo eſt, ſi me non fallit opinio qui credat, quemquam Virgini gratis ſervire, ita nemo quoque erit, qui dubitet, præter loci

Cultus. dominam eos quoque operæ pretium accepiſſe, qui venerabundi locum inviſerunt. Vetuſtiſiſſimum, non tamen, ut opinor, primum, quod nobis litteræ tradiderunt, miraculum anno 1326. accidit, quo, invocatâ Virgine, podagricus perfectæ & conſtanti ſanitati reſtitutus eſt, raro utique miraculo, & quod medici præ cæteris æſtimare ſciant.

Plus apud nonnullos admirationis inveniet, quod aliunde advenit hoc ipſo anno, quo civis Pariſienſis in ipſa patriâ ſuâ, paralyſi, quæ Medicorum artem ſuperavit, lecto, affixus divino monitu juſſus eſt, hoc in loco quærere mali ſui remedium. Itaque ab urbe uſque Pariſienſi, magno ſuo, baiulorúmque labore, ad locum delatus, reperit, quam quæſivit ſanitatem, nec diſtulit animi grati ſigna: nam ædem ſacram in ampliorem formam ære ſuo redegit. Quæ deinde conſecuta ſunt, longâ ſerie, miracula locum in eam celebritatem extulerunt, quæ hodie videtur. Ita R. P. Everardus Hochius Soc. IESU. videri etiam poteſt Ferreolus Locrius, fol. 543. Inſtinctus.

CCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
ROSARVM.
Tarenti in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Magna & pura mali canduit amore IESV.*

1. Titulus floridus.
2. Fœmina fidem invenit.
3. Lucroſa pietas.

A*Ntonia* Tarentina fœmina peregrinationem inſtituit ad templum quodpiam Virginis jamdudū collapſum, atque eam ob cauſam deſertum. Aſſulatim hinc inde jacebant, inter ſqualores, quæ olim in veneratione erant, Imagines. Inventio Illa cùm publici juris hæc eſſent (quia derelictæ) attentiùs ſcrutatur, tabulæque fragmentum reperit, quæ vultum Virginis cum modicâ corporis parte adhuc referebat, hanc domum tulit, & in

cellæ hemicyclo, quem in muro architectus ex arte reliquerat, decoré collocavit: Virginem enim in abiectâ, & confractâ tabulâ, fuſis frequenter precibus honorans, & quia illis in terris tabula quæque Deiparæ ex more nomen ſuum habet, ipſáque Antonia & huic quoque Iconi nomen optaret id ab ipſa Virgine expetijt. Virgo *à Roſis* ſibi nomen placere, per viſum ſupplici indicavit, ſeu quòd Roſæ Iconi appictæ ſint, ſeu quòd ipſa Virgo ſecretiores ob cauſas hunc titulum ambierit. Addidit Virgo, velle ſe tabulam publico dari, & templo inferri.

Pictori. Fæmina fidem invenit apud eas quas hac ſuper re compellare juſſa eſt. Pictor Iconem ſacram, quæ ablatis ramentis aliquid paſſa erat, coloribus novis, ut potuit, refecit. Populus ſupplicatione è domo in templum delatam comitatus eſt, puerpera certè, cum fœtu moritura, prima votum feciſſe ſcribitur, & voti rea facta; poſtquam fœtum ſanum ipſa ſana enixa eſt. Hæc Imagini appingi fecit IESVLVM. Fidem horum Tarentini à lectore non peterent, niſi fæminarum ſermonem Deipara confirmâſſet ſequentibus ſignis, quæ uti Tarentinis frequentia & utilia ſunt, ita rectè etiam probant, fæminas nec decepiſſe, nec deceptas fuiſſe. Ita ad me Rector Tarentinus Soc. IESU, qui adjungit, hodiéque eſſe in ſumma veneratione. Miracula.

C C V.

Imago B. V. Miraculoſa.
D E N A Z A R E T H.
Pederneiræ in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *En Virgo, ſane tuta è macula primi Adam.*

1. Veſtigium equi.
2. Peſtis terribilis.
3. Temperamentum dolorum.

NOn procùl à Pederneira urbe à multis jam ſæculis ſummâ Religione colitur B. V. Imago, cui nomen *à Nazareth*, quod ex illa quondam urbe, ſæviente Iconomachorum perſecutione, à quodam Cyriaco Monacho in Hiſpaniam delata ſit, & in Cænobio *Cauliano*, collocata. Diu honores ſuos accepit, uſque dum Mauri Hiſpaniam invaderent, & *Rodericum* regem ſubjugarent, regnóque exverent. Is mutato habitu ad Cænobium *Caulianum* fugit, totius vitæ peccata depoſuit apud Monachum, *Romanum* nomine, litteris ac pietate conſpicuum, & amiſſi regni dedecus, dolorémque ſancti viri colloquijs non parùm levavit. Et quia res plena periculi erat, diu moram hîc facere, jam jam undique omnia vaſtantibus Mauris, & nullo diſcrimine ſævientibus, *Romanus* Monachus, aſſumptâ hâc B. V. Statuâ, & capsâ alijs reliquijs refertâ, ſocio rege *Roderico* Occidentem verſus iter arripuit, & Pederneiram pervenit: ubi in monte *Seano* annum integrum deli-

delituit inter duas rupes, excitato Deiparæ ſacello, in quo circa finem anni illius præſente rege *Roderico* piè mortuus eſt. Jam ſolus rex, relictus reliquijs cum Statuâ Deiparæ, interiora Luſitaniæ penetravit, & prope Viſeum urbem conſedit, & denique, vitâ cum virtute exactâ, ibidem piè obijt. Datum eſt regi epitaphium Gothico charactere ſcriptum in lapide, quod hâc ætate inventum eſt. Latuit S. Deiparę effigies in *Seani* montis ſpecu ad *Alfonſi primi* tempora: quo regnante in Luſitaniâ, Fuaſius Roupinius, ſpectatæ fortitudinis ac pietatis Dynaſta, Virginis ſacellum ſqualore obſitum, & ſilvis circùm horrentibus abſconditum invenit, dum cervos per avia deviáque perſequeretur. Bonum ſacro loco fuit, talem habuiſſe inventorem. Ita enim, eo jubente, perpurgatus eſt, ut ſacellum apud vicinos in honoribus eſſet, & frequentibus peregrinis celebre, crevit religio, & miris modis aucta eſt; poſtquam Deiparæ placuit, inaudito miraculo celebrare locum Inſequebatur aliquando Fuaſius eques effuſis habenis cervum âd rupis altiſſimæ in mare uſque extenſæ præcipitium, loci non ignarus, periculum tamē non vidit, niſi cùm ſe in Oceanum jam jam præcipitandum deprehendit, jámque priores equi pedes in ſaltum erecti in mare porrigebantur: cùm eques Virginem Nazarethanam inclamat. Momento auditus eſt: ſiquidem equus effuſo in ſaltu ſe retrò vertit poſterioribus tantùm nixus pedibus, quorum veſtigia ipsâ in rupe non ſine miraculo reliquit: quæ hodie religiosè tanguntur ab ijs, qui per eam planitiem repere audent, & in mare proſpicere. Ne ingratus eſſet Fuaſius Roupinius, ſacellum extruxit priore nobilius. Stetit hoc, uſque dum Rex *Ferdinandus* Anno 1377. juſtæ magnitudinis templum curaret. Hodie adhuc auguſtior S. Imaginis ſedes eſt. Illa è ligno eſt, nec ſeſqui pedem excedit, colore ſubfuſco, facie venuſtiſſimâ, & divinam quandam modeſtiam præferente: IESVLVM in germio habet. Non ſine miraculo eſt, quod, cùm tot ſæculis duret, integra tamen & illæſa ad hæc uſque tempora perſeveret. Hodie dum miraculis claret, & peregrinantium affluxu celebris eſt. Ita ad me R. P. Antonius de macedo Soc. IESU.

CCCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

N V C E R I N A.

Nuceriæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Agna evadit, lupi morſum ea necat iram.*

1. Fœmina ſilens.
2. SS. Capilli B. V.
3. Divina ſunt peregrina.

VAllis Nuceria eſt Solano & Albino montibus media in regno Neapolitano. In hac mulier vixit,

quam mores probi commendabant. Hæc ſomnium habuit, via fuit marmoribus ſtrata, in multos porrecta paſſus: quin etiam vidit eam, quæ per hanc viam ad ſe venit, incognitam ſibi: nec territa rogat, quæ ſit, unde domo, illa non cunctata; *Ego inquit, ſum Regina omnium, & locus hic totus meus eſt:* ſimúlque extenſis latè brachijs locum deſignat. Evigilans feliciſſima ſomniatrix ſomnium marito narrat, & tacere quàm primùm jubetur.

Appari-
tio.

Quis arguat ſimplicis viri imprudentiã, quando hoc doctiſſimi quique paſſim ſine rubore faciunt, difficulter credentes, quando loquitur per ſimplices Deus: cum tamen non ignorent, converſationem ejus eſſe cum ſimplicibus. Quàm certum eſt, uxorem ad imperium viri bene tacuiſſe; tam certum eſt, maritum ſtultè imperâſſe. Certè S. Deipara ſpreta non redijt.

Fœmina.

Biennio opus fuit, ut ad ingratos Angelum mitteret, eadem fortiùs dicentem: quem eadem mulier vidit in ſomnis, tres ignes eodem in loco excitantem, & thus inijcientem: quin etiam loquentem audivit. *Hàc ad cælum itur: hæ ſunt orationes ſanctorum; hìc porta cæli patet: orantibus hìc Dei aures inclinantur ad preces: dic populo, ut fodiat, & latentis ſacrarij indicia inveniet; ſiquidem evadere velit, quæ illi mala è cælo imminet.* Simul, his dictis, in virgulam fumi mutatus, in cælum abijt.

Somni-
um.

Fæmina viſis juſſiſque territa, tacuit ſanè, ſed viro, ne iterum tacere juberetur, At verò per compita paſſim omnibus & hæc, quæ nunc vidit, & illa, quæ olim negotioſiſſimâ denarratione edixit. Et fidem invenit apud plurimos. Iuit confertim populus ad locum. Erat ibi quercus annoſa, & ramis latè expâſſis ampla, laboris principium: nam hæc eradicanda funditus erat. Non injucundum fuit, audire rationes diſſuadentium tam venuſtæ arboris excidium, tanti eſt vel unius fruticis terreni damnum apud eos quibus omnia divina peregrina ſunt.

Fides.

Vicit pars populi ſanior, & brevi procubuit, quæ forte plus uno ſæculo ſtetit quercus. Evulſa cum radicibus ſuis arbor non niſi ciſternæ veteris oſtium oſtendit. Ita populus mulieris ſomnio deceptus redijt, victoriâ penes illos ſtante, qui primùm mulieris ſomnium riſerant. Sed hoc ubi Deiparæ queſta eſt mulier, iterum apparens, gemmam de annulo, quem digito geſtabat, excutiens, in fidei pignus dat, jubétque quærere locum. Et ſanè alterâ die invenit, egeſtâ terrâ, antiqui templi rudera, in quo & lampadum fragmenta, aliáque poſtea inventa ſunt. Reperta quoque eſt Deiparæ Imago, poſtea altari principi inſerta, unà cum plurimis Sanctorum reliquijs.

Arbor.

Appono verba inſtrumenti authentici, quæ ita ſonant. *Item in quâdam capſulâ eburneâ, in quâ ſunt venerandi Capilli capitis Beatæ & glorioſæ Virginis Mariæ, item de cingulo ejus. Item de veſtimentis ejus. Item quædam ampulla vitrea plena de lacte ipſius Virginis, &c.* Annum reperti hujus templi non inveni. Inveni tamẽ à *Nicolao Papâ* datas Indul-

Reli-
quiæ.

dulgentias anno 1061. ab *Alexandro Papâ* 1076. à *Gregorio Papâ* anno 1079. à *Victorio Papâ* anno 1086. ab *Vrbano Papâ* anno 1093.

Hæc omnia ex Inſtrumento Notarij Iurati Nucerini, ad me miſſo, excerpſi.

CCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
KRUPNENSIS.
Krupnæ in Boemia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Dulcis amor manè avertit à pia Anguem.*

1. Serpentis ſibilus.
2. Pietas opes; & bæ illam augent.
3. Conſilia Dei differunt à noſtris.

HÆreticorum labor eſt, ut in terire faciant, quidquid Deo ſacrum eſt: & ex omni hominum memoriâ expungant, quidquid divinitatis Imaginem habet. Licèt itaque in tumultu Boëmico, quem hæreſis excitavit, ſcripta majorum aboleantur; fida tamen & fidelis traditio, quæ ſemper in Eccleſia magnâ auctoritate pollebat, non ſemper aboleri poteſt. In hac ſacrâ Statua deſcribenda totum Traditio. traditioni fidelium datur, quidquid in lucem proferimus. Silva itaque arboribus denſa fuit, ubi nunc templum ſtat, hócque in loco Deo conſecrata Monialis è cœnobio Schvvezenſi, petitâ & obtentâ licentiâ, vitam vixit eremiticam, hac ſacrâ Statuâ ſecum è Cænobio aſportatâ; vitæ rigor, paulò pòſt Morbus. eam afflixit ægritudine: hinc coacta redire ad Monaſterium, & quia, recuperatâ valetudine, iterum erat reditura ad dulcia ſolitudinis ſolatia, S. Statuam reliquit velut loci cuſtodem.

Sed quæ Dei ſunt judicia, propoſitis noſtris non ſemper reſpondentia, dicta Virgo in Monaſterio piè mortem obijt, nemine uno reperto, qui S. Statuam ad Cænobium referret. Feſto natæ Deiparæ, ancilla ruſtica cum in locum devenit, gramen ſectura pecoribus: cùm repentè ſerpens ſe ejus brachio circumvolvit, terrétque ſibilo. Ruſtica, Divos hominéſque inclamans, auxilium poſcit: cùm ecce ſerpens capite verſus arborem Serpens. vicinam porrecto, poſtquam ſibilando ſatis, quod voluerat, elocutus eſt, ſe evolvit ſponte, & in proximum ceſpitem dilapſus abijt, nec ampliùs comparuit. Vidiſſe ſerpentem aliquid, quod ipſa non vidiſſet, certum erat ancillæ, itaque curioſiùs arborem intuita, hanc, de qua loquimur, Statuam Deiparæ invenit; Timent nempe capiti ſuo ſerpentes, & calcari à Deiparâ metuunt. Ancilla Krupnam ad Parochum properat, omnémq; rei peractæ ſeriem tam eloquenter proponit, ut Parochus S. Statuam, conveniente comitatu populi coacto, ad urbis templum deportaverit.

Non defuêre ex prudentioribus, quêis omnis Deiparæ honor ſudes in oculis eſt, qui Parocho exprobrarent;

rent; *Ergóne uni fæminæ credendum, & quidem ruſticæ.* Addidêre inſuper, quiquid ſtulta contra Deiparam eloquentia huic hominum fæci ſuggerit. Sed altero die Parochi religionem Deiparæ non fuiſſe ingratam apparuit: ſiquidem S. Statua ad ſilvam redijſſe viſa eſt; quod etiam, ut aiunt, ſæpius factum, necquidquam ringentibus, quibus exiguum pietatis ſtudium eſt, in Virginem. Hinc in hodiernum diem feſto natæ Virginis multorum millium accurſus. Ejus cauſam aliam porrigant Mariomaſtiges: interim nos eam credimus, quam narravimus.

Fæmina.

Feſtum.

Non dubium, quin eo in loco ſacellum ſit quamprimùm erectũ. Juſtæ tamen magnitudinis & arte ſuâ viſendum templum anno 1558. ędificatum, & altare ſummũ collocatum, ubi arbor ſteterat. Auctâ pietate, etiam auctæ ſunt templi divitiæ. Vnde repertus, qui templum amplo muro velut mænibus circumdaret, & ne turres deeſſent, ſeptem ſacella juſtis intervallis poſuit, in quibus ſacrificium miſſæ tanto populo celebrari poſſit, ijs porrò in ſacellis ſeptem Deiparæ dolores in altaribus picti honorantur. Hæc ad me R. P. Ioan. Scheſtak Soc. IESU.

CCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SCLAVONIA.
Corigliani in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Proſtravit Anguem alma amica Dei.*

1. Peregrinatio naualis.
2. B. V. in littore.
3. Templa miraculoſa.

Corigliani Calabriæ oppidum eſt, Archiepiſcopo Raſſavenſi ſubjectum, & ad mare ſitum, malè ſecurum, & non ſatis munitum, multas hoc in littore prædas agunt infeſti piratæ, & infeſtiores piratis ſicarij, & prope domeſtici latrones. Eam ob cauſam junior ætas plerumque per plures annos vigilum munere fungitur: & quia ampla ſunt littoris ſpacia, ex æquo officiũ ſuum faciunt, omnémque illic arenam nocte totâ obequitant. Horum unus, cui *Antonio* nomen, vidit nocte quadam lumen ingens non multis paſſibus à littore.

Poſito timore, primò acceſſit, viditque Virginem ſedentem in throno, jámque ſibi divinum quidpiam imaginatus, audivit etiam ſe alloquentem in hæc verba: *Ego ſum Deipara de Sclavonia, & volo mihi fieri Imaginem in hanc formam, ut vides, & Imagini templum extrui.* Profuit Calabris neglecta Antonij pietas: ſiquidem & iteratâ apparitione fraudum ſuſpiciones excuſſæ, & Antonio plus temporis datum, quo viſam Imaginem meliùs memoriæ commendaret. Itaque Archiepiſcopo Raſſavenſi re omni quàm fideliſſimè narratâ, datum eſt principium Imagini, dictante Antonio, &, quantùm licebat, obſequente pictoris penicillo: nec

Timor.

multò

Ædes. multò pòſt templo quoque ſua fundamenta jacta ſunt. Qui hæc ad ad me perſcripſit, ipſe fabricam templi capacis vidit, quæ terram multis jam palmis ſuperabat.

Porrò unum ſupereſt, quod lectorem ſcire intereſt, cur Deipara ſe vocaverit *De Sclavonia*. Sciat itaque, è regione Conglisni oppidi, ultra mare Adriaticum in Sclavoniâ perantiquam Deiparæ Imaginem coli; quæ non de loco, ubi eſt, ſed de tota Sclavoniâ nomen ſuum apud Calâbros habet, quámque ipſi Calabri maritima peregrinatione hactenus venerabundi accedere ſolebant. Hanc laborioſam Peregrinis. & periculi plenam pietatem compenſatura Virgo, & tam infidi maris tam periculoſo trajectu, Tropæanos cæteróſque Calabros liberatura, Antonio huic ſe ſtitit, eâ formâ, quâ ibidem in Calabriâ picta eſt. Hæc omnia non ante multos annos contigêre, & ut horum temporum mos eſt, rigidiſſimæ Iudicum ſolertiæ ſubjecta fidem ſuam probârunt. Cum hæc ad me perſcriberet *R. P. Iulius Cæſar Fazzari Rector Collegij Amanteani*, adjunxit, prima pietatis officia fervere, & Deiparam venientibus ad ſe ſingularibus modis propitiam eſſe.

CCIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GRATIA.
Archidonæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum.
Anagr. *Pura à luto ira Adæ cingat immenſum.*

1. Scutum in altari.
2. Templa montana.
3. B. V. ſuſcitat de terrâ inopes.

*A*Rchidona oppidum eſt Ducum Oſſunenſium, duabus leucis Antiquariâ urbe diſtans. Celebre reddunt hoc oppidum aquæ, horti, paſcva, latiùs tamen innotuit ob Imaginem Deiparæ, quam incolæ colunt in templo ipſi dicato. Hæc in Caſtello ſervatur, quod montis verticem occupat. Rudis pannus colores etiamnum ſervat, ac ſi vel hodie pictor ultimam impoſuiſſet manum. Quod ſi vivaciſſimorum colorum pars quæpiam decidat, reponi novos recuſat: avelluntur namque & ſponte ſuâ defluunt. Altitudo ſacræ Iconis duorum pe- Imago. dum eſt. Ipſâ Deiparâ ſcamno inſidens puerum tenet, puer aviculam unâ, alterâ manu pirum. Ita nempe libuit pictori iocari. Nec pium jocum aſpernata eſt aut mater, aut filius, venuſtas vultuum obſcura cùm ſit, & fuſca, tanta tamen eſt, ut multis jucundas lachrimas exprimat origo ex antiquis monumentis hæc eſt. Poſtquam eiectis Mauris anno 1461. Archidona in manus Chriſtianorum conceſſit, præſidium urbi impoſitum eſt è militibus Chriſtianis.

Horum aliquibus libuit aliquando meridiari, & ne otiarentur, tempus ludo fallere. Ecce præ foribus urbis *(porta ſolis* hodie vocatur*)* eques adeſt, fulgentiſſimis armis, Eques.

talariſque habitu præſignis, quem Aſturco, cui inſidebat, reddidit gratiorem, ſiniſtrum latus gladij loco ornabat crux rubra, ordinis S. Iacobi perantiquum inſigne; dexteram armabat lancea, & ſcuti loco hanc, de qua loquor, Imaginem ferebat, nec multùm moratus præſidiarios, quos præterijt, ad templum properat (quod paulò antè fuerat *Meſquita* Maurorum) ſacerdotem evocat, eique ſcutum ſuum tradit, jubétque in altari collocatum, poſt hac appellari *Dominam noſtram de gratiâ*. Demum rediens pleno curſu, unde venerat, ex ocu-
S.Lucas. lis omnium evanuit. Imaginem à S. Lucâ pictam, & à S. Iacobo Apoſtolo allatam, credidére hactenus Hiſpani.

Feſto Aſſumptæ Virginis exponitur populorum conſpectui. Quis porrò concurſum memoret quis miracula? Annis ſuperioribus lues peſtifera Antiquariæ viginti millia hominum unico trimeſtri abſtulit, idémque in alijs urbibus Archidonæ vicinis fecit; nullo tamen Archidonenſis urbis damno, quam indemnem præterijt. Anno *1572*. eâdem die & horâ, quâ pugna ad Naupactum, & victoria Pro Chriſtianis contra Turcas ſtetit, Duce *Ioanne Auſtriaco* ſudare hæc S. Imago viſa eſt, vixit adhuc anno *1655*. vir nonagenarius, oculatus teſtis. Sed & *Petrus de gratia* hoc ipſo anno in vivis fuit, quem vitâ functum anno ætatis decimo quinto mater terræ mandare noluit, dum maritus rediret ex neſcio quo itinere. Funus.

Redijt die tertio pater: ſed & hic perſuaderi non potuit, ut fœtentem licèt filium etiam quatriduanum domo exigeret, & ſepeliret. Hanc S. Iconem accedit, filio vitam rogat, & impetrat: vivítque adhuc ſeptuagenarius, & nomen gratiæ, quod ob miraculum ſibi aſcivit retinet. Sed & illud prorſus exoticum eſt: *Frater Ioannes de Aſtudillo* ex ordine S. Franciſci de Paula crus fregit. Chirurgus tibiam Tibia. in duodecim omnino partes fruſtillatim diſiectam eduxit. Hæc oſſa vir pius ad Imaginem appendi voluit, pendéntque hodie, dum ille hodie quadrageſimum ſeptimum annum poſt miraculum vivit, ambulátq; ſine tibiâ, facítq; iter ut cæteri, nullo dolore, nemine tam neceſſarij oſſis defectum advertente; niſi quem ille de miraculo inſtructum ad pedis tactum admittit. Hæc ad me R. P. Ferdinandus de Acevedo Soc. IESV.

C C X.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN S. COSMATO.
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ruit Anguis coram eâ piâ, & almè mundâ.*

1. Inter gemmas nemo ſecurus.
2. Imago natans.
3. Fures.

HOc templum Divorum Coſmæ & Damiani Coſmatum ap-

appellant Romani, vocis originem non inquiro, niſi fortè ut ab illo, quod inforo eſt, diſtinguatur. Hujus in theſauro Imago eſt B. Virginis, quam cæleſti manu factam ab antiquo credunt. Olim inter cimelia S. Petri numerabatur, in cujus templo inter gemmas, quibus abundabat, cultum ſuum à populo accepit. Vide, quātū divitijs paupertas præſtet, quandonec ipſis Superis inter divitias licet eſſe ſecuris. Theſaurus.

Fures reperti Romæ ſunt, apud quos S. Imago propter gemmas periclitabatur: nam raptam Imaginem mox ſpoliārunt, & ne ipſi Iudicibus ſacri fierent, S. Imaginem abijcere in Tiberim decreverūnt; ſed natabit, inquiunt, & fortè reddita littori facinus primum, deinde & nos prodet. Quapropter viſum eſt conſilium priore melius, ſi ſaxo alligatam aquis mergerent, nunquam amplius emerſuram, & ſui indicium facturam. Dictum factum, ſed quod, Auguſtino teſte, ulli Sanctorum è cælo datum eſt, id omne (ſi aliud non obſit) credendum eſt, Deiparę quoq; conceſſum eſſe: addo ego; & ejus quandoq; Imaginibus & Statuis. Innatārunt nonnunquā aquis Martyres, & cum ijs ſaxa & anchoræ: natavit hæc quoque S. Virginis Imago, & natandi finem fecit, cùm ad Palatinum pontem devenit. Imago

Pijſſimus quiſque accurrit, & ſacrum pignus è flumine extulit, imperitiam prædonum, parſimoniam non parùm mirati, qui paucarum gemmularum theſauro contenti, majorem abiecisſent. Excitatum in loco ſacellum Imagini ſacrum fuit, & Deiparæ dicatum. Ponti quoque nomen dedit, quem plerique jam non palatinum ſed S. Mariæ vocant. Romani Transtiberini propter Contribules vicinos Iudęos non parùm ſagaces, veriti alios fures, qui majore pietate quàm primi S. Pignus aufferent, non bene exiguo ſacello cuſtoditam, & minùs publico in ponte ſecuram, eam noctu in templum S. Salvatoris detulerunt: hinc demum in hunc, ubi nunc eſt, locum devenit, ubi famâ celebris. Octavius Panzirola. Iudæi.

CCXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
SOCIETATIS IESV.
Viennæ in Germania Sup.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Eva munda evaſit capturam originalem.*

1. Graſſatoris felicitas.
2. Pænitentia ſera ſed vera.
3. Studioſus infelix.

Libet adjungere cæteris B. V. Imaginibus Imaginem ejuſdem antiquiſſimam, Studioſorum cultui expoſitam in Collegio Societatis IESU Viennenſi. Erat iſta, Collegio necdum extructo, medio in fornice, in ſacello antiquo, ubi modò Collegij Triclinium viſitur pendula: quo diruto, in varios portata angulos, multis annis nullo ſingulari honore culta fuit. Tandem

demeam *R. P. Carolus Muſart* in lucem extraxit, & ad proxima, quæ Collegij foribus adjacent, cubicula detulit.

Accidit fortè, ut anno labentis ſæculi quadrageſimo quarto, quidam juris Diſcipulus, Olomucenſis Conſulis filius, graviſſimo vulnere adipſum propè cor peteretur: Is ſerâ jam nocte ad Collegium properat, & cadendo, viribus jam deficientibus, campanæ, funem arripuit, Confeſſarium inter campanæ tinnitus inclamans. Adeſt, antequam vocaretur *P. Carolus Muſart*: adeſt quoque janitor cum clavibus à ſuperiore petitis ſaucium brachio excipit, & in cubiculum proximum deportat, vocati medici & chirurgi imminentem ei mortem denunciant. Itaque *R. P. Rector Bernardus Geyer* confeſſionem Agonizantis excipit. *P. Carolus* Studioſus. interea ſacrum ceroma affert. Factâ ritè confeſſione, ſacro unctus eſt oleo, jam mori paratus. Cùm, viſâ ad murum Statuâ, Deiparæ votum fecit æger, ſi convaleſceret.

Voto vix emiſſo, meliùs habere cæpit, primùm ita, ut alterâ die medicorum nullus eſſet, qui vitæ Gratitudo. periculum inveniret. Paucis pòſt diebus integerrimæ ſanitati reſtitutus eſt, nec ingratus Virgini Adoleſcens fuit: quoties ſequentibus annis Collegium adibat, coram hac S. Imagine proſtratus preces fudit, diſertè faſſus, vitam ſanitatémque ſe à Deiparâ per hanc Imaginem accepiſſe. Iterum S. Statua in varijs Collegij angulis integro decennio repoſita eſt, decorè quidem, nullo tamen cultu: cum dirutis illis Collegij cubiculis aliam fecêre portam Architecti Anno 1654.

Tum noſtrorum Patrum humeris apportata, muro ſcalis proximo decenter inſerta eſt, ut omnium pietati pateret. Hic primùm floribus, Cultus. varijſque ſertis ceratim ornari cæpta eſt, poſtea etiam argento auróque, veſte inſuper Phrygio opere pictâ nituit. Epigraphe adſcripta ſic habet. *Per Immaculatam Conceptionem tuam, à peſte, & igne libera Collegium, & viciniam noſtram, ô Maria!* Cancellis Statua includitur, pavimentum marmore ſternitur, muri gypſatis parergis ornantur, lampas quoque addita, quæ ſabbatis, & pervigilijs Deiparæ, & Salvatoris noſtri, pietatem magis illuſtret. De privatorum pietate quid memorem? Quando nemo fere Cultus. eſt, qui non ſæpius in die proſtratus in genua Virginem hîc colat, majoribus feſtis Litaniæ hic dicuntur à toto Collegio, eo fructu, ut certiſſimis ignium peſtiſque periculis Collegium ſit liberatum. Hæc ad me R. P. Bernardus Geyer Provincialis Societatis IESU in Auſtria.

C C X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
SOCIETATIS IESV.
Forolivij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eva iſta maculam primæ nudè ignorat.*

1. Vena-

1. Venator pius.
2. Solatium itineris.
3. Manica B. V.

QUot ſæcula abierint, ex quo in arbore reperta hæc Statua ſit, defectu litterarum ignoramus, quas impia hæreſis Vulcano dedit, ſuperſtite tamen, ut ſolet, firmâ conſtantéque traditione. Nobilis venator in Ducatu Brunſvvicenſi, & opulentus, ſilvam dum peragrat, hanc S. Statuam in arbore ſtantem conſpexit, & ut majoribus dignam honoribus domum ſecum abſtulit, ſed illa iterum loco ſuo reſtituta, iterum ab equite domum reportata eſt, donec tertiùm loco ſuo reſtitutam movere pius venator auſus non eſt, perſuaſus, non dubio miraculo hic Deiparam poſtulare templum. Ille non tardus opes dedit, quibus venuſtiſſimum templum ſtrueretur, cui & adjunxit ſanctimonialium Cænobium. Factum id ſtrenuè ad annum 1584. quo rabies Iconoclaſtarum, quæ omnem pene Germaniam vaſtavit, in hunc quoque Ducatum ingreſſa eſt, & crudeliter graſſata. Eodem anno Duciſſa Brunſvvicenſis Catholica Henrici duci ; conjux Lauretum inſtituit peregrinationem, ſecúmque hanc S. Statuam in viæ ſolatium accepit, meliùs alibi collocatura tantum theſaurum, cui ampliùs domus non eſſet in Patriâ.

Arbor. — Peregrinorum.

Itaque cum Forolivij Societatis noſtræ templum inviſeret, ſubijt repentè inopinata mentem cogitatio hic loci S. Statuæ ſecuriorem fore ſedem, & Deiparæ gratam, quapropter eam, donatione ritè conſcriptâ, Societatis Collegio Foroliviensi tradidit. Et quia unà cum agro donatur, quidquid in agro eſt, majorem ſibi theſaurum Patres donatum viderunt, quam vel ipſi, vel Duciſſa initio cogitabant ; ſiquidem, cùm poſt aliquot hebdomadas ad ſolennem ſupplicationem omnia eſſent comparata, quâ ritè loco ſuo reponeretur S. Statua, curioſior quiſpiam è noſtris Patribus à tergo Statuæ crucis figuram reperit, quam non bene coagmentatus aſſerculus fiſſurâ ſuâ figurabat. Rati Patres ſubeſſe aliquid reliquiarum, manus abſtinuerunt, dum Epiſcopus, Vicarius, & penè totum Canonicorum Capitulum vocaretur: in quorum præſentia conſpectúque aſſerculus jam duobus & ampliùs ſæculis S. Statuæ firmo glutino inſertus, doctâ artificis manu cautè exemptus eſt.

Donatio.

Apparuit civitas quæ decore ſuo portendebat latentem theſaurum: & verò etiam hic inventus eſt, ſiquidem in perantiquâ capſâ inventa eſt *manica dextera S. Mariæ Matris Dei:* nam hæc ipſa verba adjecta inſcriptio dedit. Res tota ritè litteris concepta inchoatæ ſupplicationi ingens incrementum dedit, & populi præſentis pietatem ingentibus modis auxit, quæ hodiéque durat, nec Forolivienſes theſaurum unquam majorem habuêre Ioan. Bapt. Alberti typis edidit.

Reliquiæ. — Populus.

CCXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DADISELLANA.

Dadiſellæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Deum parit Virgo mea, nata ſine maculâ.*

1. Templum filo cinctum.
2. Filum miraculoſum.
3. Victoria miraculoſa.

Templum. DAdiſella pagus eſt in Flandriâ, quatuor leucis ab urbe Inſulenſi diſtans, colitur hic Deiparæ Imago in templo, quod ipſa ſacrum fecit indicio licij ſerici, & nodo & termino carentis, quo templum circumcinxerat. Miraculoſa in hanc uſque diem eſt; quin etiam Principum viſitatione vota ferentium celebris. Et in ore omnium etiamnum eſt victoria Maximiliani primi Imperatoris in agro quinegatenſi à Gallis reportata anno 1497. 7. Auguſti quam præter Imperatorem etiam exercitus B. Virgini Dadiſellanæ adſcripſit. Ita R. P. Toſſanus Bridoul Societatis IESU.

Filorum iſtorum quibus B. Virgo templa cinxit, faciam mentionem frequentius, quandoque etiam extenſo per plateas filo, ambitum deſignavit qui tenendus poſteris fuit & obſervandus in ſupplicatione annuâ quam ipſa imperavit per eos quibus apparuit, ita ut hæc novitas lectorem terrere non debeat.

***

CCXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE NAVICVLA.

Chiozzæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eſt Eva ignara mali mundè purè emicat.*

1. Olitor non importuna locutus.
2. Boni ſunt piè curioſi.
3. Grando in pœnam peccatorum.

CHiozza Venetæ Ditionis urbs, viginti quinq; milliaribus Venetijs ſejuncta, hodie Virginis Imaginem colit, quæ urbis nomen latiùs quàm mercatura propagat. Imagini nomen fecit olitor, quem ipſo D. Ioannis Præcurſoris feſto, ſpes timórque laborum ſuorum coëgit urbe exire, viſum numquid detrimenti cepiſſet res hortenſis, quam largo ſudore curaverat.

Suſpicionem damni non vanam fecit tempeſtas ingens, quæ grandinem inter aquas fudit, illic locorum nunquam viſam, nunquam auditam, vix primam ingreſſus pergulam, vocem audijt, quâ Balthaſar (nec alius quàm ipſe aderat) vocabatur. Circumſpexit ille, Olitor.

nec

nec diu inquirens, Virginem vidit lugubri amictam pallio, & mæſto vultu, non procul conſidentem. Salutavit ille mæſtam, at illa primas inter ſuſpiria voces elocuta, *vidiſtine* inquit, *iratum Cælum?* Annuente illo, cùm ipſa; *Inſtant*, inqvit, *alia urbi & graviora, ni cives finem faciant vitijs, quibus in ſua mala Cælum trahunt.* Quid blaſphemiæ, & perjuria, & profanati laboribus dies feſti poſſint, in grandine, vidiſtis: hæc pars promeritæ pœnæ fuit. Ceſſent ſanè, ni, quæ, Cælum jam in pervicaces paravit, experiri velint: nam quid eis profuit, ita filium meum habuiſſe? Simul ſubductâ laciniâ, filium genibus incumbentem, & mortuum oſtendit, qualem de cruce depoſitum accepit. Neque aliud ſubiunxit, quàm ut quæ ſituris, à quo accepiſſet, quæ urbi dicturus erat, reponeret, *Advocatam peccatorum* ſibi locutam; ſic locuta, relicto, cui inſederat, trunco, intrare cymbam viſa eſt, & oculis Balthaſaris ſubduci.

Blaſphemia.

Peccatorum.

Olitor ne importuna loqueretur, in diem uſque tertium preſſit ſilentio, quæ viderat: non tamen auſus celare rem diutiùs, ne ſuper venturæ calamitatis olim pœnas lueret, Tribuno militum exponit, rogátque, ipſe loco ſuo exequeretur, quæ ſibi imperata erant. Ille rerum, quas audiſſet, narratione urbem implevit, vix fuit, qui ad locum non properaret: multi accenſis luminibus truncum altaris loco habebant, Virginem, quæ in eo conſederat, honoraturi; plures ramenta abſtulêre, velut Virginis contactu ſacra: alij ægros per confertum populum intulêre, factis Virgini votis, ſi ſanitas, quam amiſerant reſtitueretur. Et verò facta hæc gratia eſt omnibus, quotquot primo illo populi concurſu adfuêre miſeri: ut videas, quantum interſit, eſſe inter primos Virginis cultores.

Miſer.

Truncus jam nemini non ſacer, ne mari paucas poſt horas littus inundaturo cederet, in altiorem locum ſublatus eſt, locus quamprimum ligneis tabulis juſſu Epiſcopi clauſus, venerationem auxit: dum demum à civibus templum, quod hodie videmus, erectum eſt. Truncus ipſe neminem non hodie in admirationem rapit, publico expoſitus, ramenta præſcindentibus ſponte relinquitur & quod mirum eſt, avorum memoria conſtat, nihil de mole ſua unquam amiſiſſe. Tabularũ ingens modus eſt. Nautis præcipuè locus in veneratione eſt, quos Virgo de naviculâ (hoc Imagini nomẽ) ritè invocata nunquam non ſervat. Felix Aſtolfil. 15.

Truncus.

CCXV.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE LVCE.

Vlyſſipone in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eva Virgo, pia mater, Sanctè munda mali.*

1. Cen-

1. Centrum lucis Maria.
2. Solatium Captivi.
3. Curioſitas punita.

TErtio ab urbe lapide Deiparæ templum exurgit, ſtructura magnificum, religione auguſtum: ita dictum *à Luce*, propter cæleſtem flammam longè latéque diffuſam, quæ noctu illi incubabat loco, multis, qui eam ſæpe viderant, ignaris, quid hic cæleſtis ignis portenderet: donec, regnante in Luſitaniâ Alfonſo quinto, B. Virgo pulcherrimâ nitens luce, ſe ſpectandam præbuit cuidam Petro Martinez Luſitano, viro bono, & tunc Maurorum captivo, vinculiſque in carcere compedito.

Captivus.

Hunc inſolita lux primùm, deinde ipſa Deipara ingenti gaudio & ſpe libertatis implevit, eâ tamen conditione, ut templum ſibi ſtrueret eo in loco, ubi ſplendorem cæleſtem viſurus eſſet, ac nomen *de Luce* imponeret, vix Virgo his dictis diſparuit, & Alfonſus ſe non in Africæ ergaſtulo vinctum, ſed in Luſitaniâ, patriâ ſuâ, liberum eſſe miratus eſt, vix ſibi, vix oculis ſuis crediſiſſet, ſe unquam vinctum fuiſſe; niſi compedes ſimul veniſſent, quas utique Virgo ſibi appendi voluit, nec multùm quærendo loco & inveniendo, opus erat, quem ſplendor cœleſtis jam dudum omnibus deſignavit.

Compedes.

Ille, ſpretis lucis radijs, ipſum lucis centrum, fontémque, per teſqua in hoſpitæ ſilvæ ſecutus, locum templo deſignat. Et ecce ſub prægrandi ſaxo Iconem Deiparæ palmarem invenit, candidiſſimo amiculo è ſerico coopertam; quod ad hunc uſque diem, ita perſtat recens & illæſum, ac ſi nunc primùm è veſtiariâ officinâ prodiret. Statuæ materia hactenus incognita, inter paucos, quibus major curioſitas erat, non pauci cæcitate, aut morbo gravi pænas dederunt. Petrus deſiderij ſui compos, & voti reus, ſuo ære templum inchoavit, & piorum eleemoſynis finivit anno 1463. quo anno ab Alfonſo de Nogara Vlyſipponenſi Epiſcopo, dedicatione ſolenni ritu peractâ, ſodalitas inſtituta eſt; cui ipſe Rex, deinde etiam multi Principes, nomen dedêre. Ioannes III. Cænobium adjunxit, Sereniſſima Maria, Emmanuelis regis filia, templum marmoribus exornavit, & ſuppellectili argenteâ; ibíque ſibi ſepulturam poſuit. R. P. Antonius de macedo Soc. IESV ex R. P. Antonio Vaſconcelli Hiſt. Luſit. ſcriptore ad me perſcripſit.

Imago.

Eleemoſynæ.

C C X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ARCV.
Nolæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mater almi agni, ea ipſa vocetur munda.*

1. Luſor omnino perditus.
2. Pæna in loco delicti.
3. Pedes miraculo amiſſi.

AD pedem Veſuuij arcus eſt, ex quo Viator diſcat mo m ædificij,

tij. cujus nulla præter hunc arcum pars ſupereſt. Fuit, qui jam olim monti flammivomo opponeret Virgini dedicatum ſacellum: quod quia ab hoc arcu parùm diſtat, ab *Arcu* nomen accepit, quod hodiéque retinet. Loco venerationem dedit ſanguis è ſiniſtrâ Virginis genâ copiosè erumpens: quem pilâ ligneâ in picturam projectâ elicuit blaſphemus luſor. Etenim cùm globis nonnulli tempus fallerent, qui malleolis in multos paſſus promoventur, unus eorum in fortunatior, emotâ bile, in blaſphemias prorupit, & Imaginem ſacram, & cùm ipſam Virginem non poſſet, deſtinato jactu ferire auſus eſt, ſiniſtram, ut dixi, Imaginis genam audax globus perſtrinxit, & in terram recidit, ſtante adhuc, ſed immoto, ſceleris patratore, & ob decurrentis ſanguinis miraculum non parùm ſtupente.

Luſor.

Adfuêre mox, qui ablatum Virgini honorem ferventibus votis reddere, qui iratam placare precibus & lacrymis contenderent: ad fuêre quoq; qui in vincula reum & carcer[illegible]arent, in quo poſtridie, tertiâ Paſchatis feriam religioſiùs celebraret, néve Veſuvius Virginis amore vindictam cum ignibus ſpiraret, ſpargerétque, in totam latè viciniam. Iudex vindicem manum Virgini porrexit, & reum unà cum luſorijs inſtrumentis, erecto ante templi portam patibulo, ſuſpendi curavit. Hinc ipſum ſacellum piorum liberalitate in ampliorem formam redactum eſt. At verò longè maximum accepit augmentum è concurſu, qui factus eſt anno 1590. ob ingens & inauditum miraculum.

Concur.

Tranſijt hoc templum ruſtica mulier cum marito; quem pari paſſu cùm ſequi nequiret, quandoque ceſpitavit, quandoque etiã cecidit, quod cum ante ipſum etiam templum accidiſſet, improba Xantippe & Pictoribus, & murarijs, & quotquot hoc in templo operam ſuam collocâſſent, malum repetitis vicibus imprecata eſt, nequidquam marito ſuo divinante, hoc ipſo poſt annum die (quí Paſchæ ſecundus erat) ambos in pænam pedes amiſſuram. Factum: nam & integro anno dolores in pedibus paſſa eſt artem ſuperantes, & ſecundo poſt Paſcha die pes dexter: ſequenti pes ſiniſter ſine omni ſanguinis effuſione de corpore decidit, pendet etiamnum (inquit *Spinellus* in *Throno Deiparæ*) pes uterque è tholo templi, terrétque blaſphemos. Hodie duodecim Sacerdotes templo ſerviunt. Ita R. P. Antonius Spinellus S. I. in Throno Deiparæ.

Fœmina.

CCXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CONGO.
Congi in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Invicta Virago alma eat, ſemper munda.*

1. Afflictio pro B. V. honore.
2. B. V. cogi poteſt.
3. B. V. habet jus Patronatus.

Mille paſſibus ab urbe Pontevedra effigies Deiparæ frequentatur, cui nomen à loco eſt vulgò *noſtra Domina de conjo, ſive Congo.* Olim Sanctimoniales locum incolebant, honorémque Deiparæ modis ſingularibus promovebant; unde & accurſus peregrinorum & munera & ab ipſa Virgine beneficia. Fama religioſiſſimæ vitæ, & nobilitas fecit, ut Sanctimonialium parentes compoſtellæ Cænobium cum templo à fundamentis extruerent, in quod tranſlatæ, S. Benedicti regulam in hoc æque atque in altero religioſè obſervârunt.

Cænobium.

Inde locus prior deſertus, nullâ ampliùs pietate inſignis fuit. Afflixit res *Reverendum Dominum Didacum de ſaldana*, Sanctimonialium Confeſſarium: & placuit afflictio hæc Deiparæ, quapropter ei aliquando per viſum clarâ diemonſtravit Religioſos habitu candido ad inſtar RR. Patrum de mercede, qui templi quaſi curam gererent, viſum hoc homini viſum eſt portendere, gratum B. Virgini fore, ſi huic Religioni locus conſignaretur. Itaque Religionis Superiorem adit, ſuſcipi ipſe poſtulat, facítque, ut Sanctimoniales locum, quem ipſæ ampliùs celebrem facere nequirent, alijs concederent, qui hoc præſtare vellent & poſſent. Sic templum cum ſuâ S. Statuâ ad hanc Religionem devenit: ſic celebritas intermiſſa poſtliminio reſumpta eſt, ipſaque Deipara iterum cæpit eſſe miraculoſè liberalis. Ita ad me R. P. Benedictus Vaſquez Soc. IESU.

Apparitio.

CCXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CONSOLATIONE. *Romæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo Diva, ſane permanet immaculata.*

1. Fortes lacrimæ.
2. Reorum ſolatium.
3. Iuſtus Iudex.

Vix ab aliâ virtute Tarpeiam rupem laudari video, quàm à iuſtitiâ, quando non Ethnicorum modò, ſed & Chriſtianorum ævo, reis hic datum eſt, quod meriti ſunt, ſupplicium, hoc ſolo diſcrimine, quòd Ethnici olim non perinde, ut poſtea Chriſtiani, obvium in viâ ſolatium habuêre, quo mortem æquiore animo ferrent. Hâc ſe coram Imagine, Virginis filio, & ipſi Virgini, commendant, qui ad eum locum vadunt, unde pauci redeunt, eámque ob cauſam *de Conſolatione* nomen accepit. Plura, ni fallor, nobis dicerent, quos cælo intulit ultima hæc, & fortè unica Virginis Conſolatio.

Ducebâ

Cæterùm quod duobus penè ſæculis in ore hominum eſt, Virgini præ alijs hoc in loco profuit,

anno 1460. juvenis ob quædam flagitia in vincula conjectus eſt, is tormentis ad verum adactus dixit falſum, faſsúſque eſt feciſſe ſe flagitia, quæ nunquam cogitavit ſcelus furcæ debebatur, & hæc illi, qui ſcelus commiſerat. Et verò, datâ ſententiâ, inſtituta eſt ultima profectio ab his carceribus ad has metas, & plùs quàm Herculis columnas, quas ultra progredi, funis vetat. Ille coram hac S. Deiparæ Imagine Virgini ſe ſuámque innocentiam, inter fortes gemitus, & fortiores adhuc lacrymas memorans, brevi peroravit: fuêre enim, qui properare juberent. Interea ad crucē venitur; conſcenduntur ſcalæ, capiſtrum fatale collo induitur, & ex alto per ſcalas reus præcipitatur, ille vivere, & clamoribus invocare Virginem. Oratio.

Carnifex ſibi ſuóque honori conſulturus, inſilire in humeros, hos, quin & ipſum caput pedibus premere, & nihil efficere. Certum populo fuit, hominem, ſi naturam ſpectes, vivere non poſſe. Certum Iudici: vivere etiam debere, quandoquidem jam, quod ſententia decreverat, ſuſtinuiſſet. Itaque, ſoluto fune, ſalvus ſanúſque, & innocentiam ſuam, & Virginis gratiam ſtupentibus cum gaudio retulit, locúmque ideo celebriorem fecit; quòd ſolatio Virginis egentes crebriùs huc ad Virginem accedant. Cum ſolatio pleróſque rediiſſe inde patet, quòd piorum liberalitate è ſacello factum ſit templum, quod hodiéque *de Conſolatione* nomen habet, & Virginis miraculoſam Imaginem tuetur. Miracula hic fieri à pluribus, ipſe ego audivi, & dubitare non ſinunt tabellæ magno numero appenſæ. Cæterùm ad me nullum ex ijs pervenit. Reliqua accepi ex Octav. Panzirola. Iudex.

CCXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PORTILLO.
Cæſarauguſtæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Parit ne IESVM? Ita Ergo mundâ à maculâ.*

1. B. V. defendit ignavos.
2. Duo millia templorum B. V.
3. Milites templis templa militibus obſunt.

TEmplum hoc Deiparæ cum ſua Statua hodiedum miraculoſa in ipſis mœnibus urbis ita ædificatum eſt, ut & rebus militaribus nil obſit, & devotione civium plurimùm proſit. Huc curritur, quando ab hoſtibus periculum eſt. hujus fabricæ cauſam ipſa Virgo civibus dedit. Obſidebatur à Mauris urbs Cæſarauguſtana dicam, an Mariana, anno 1135. atque etiam fortiſſimè premebatur, certè machinis partem muri ita aggreſſi ſunt, ut corrueret, præberetque hoſtibus viam, ſi nemo obſiſteret, urbis non aggrediendæ modò, ſed & ingrediendæ. Pietas.

Et verò ceſſatum à civibus eſt

tantâ ſocórdiâ, ut nemo vigilum adverteret advenientes,& jam jam ingreſſuros. Cùm ecce vigilans pro ſuâ domo Deipara, inter fulgores cæleſtes terribilis ut Caſtrorum acies ordinata, ſe conſpicuam præbuit eo ipſo in muri hiatu, quo ſe denſæ hoſtium turmæ contulerant, ut dato ſigno irrumperent, & urbem ſuam facerent. Sed territi tantâ Majeſtate pedem retulêre, non ſine mutuâ cæde, fugámque inſtituêre ſine lege ſine tubæ ſigno. Defuncti periculo cives evigilârunt: quæque contigerant, è captivis intellexêre. Quapropter ſolutâ tandem obſidione, eo ipſo in muri hiatu Deiparæ jam ſacro templũ hoc exſtructum eſt, nec dubitant cives, loco turris fortiſſimæ ornamento mœnibus, non oneri eſſe. Ita Hiſpanus Auctor *Planca* in comment. rerum Aragoniæ anno 1134. ubi ait in ſolâ Aragoniâ fuiſſe bis mille templa B. Virginis Mariæ. Obſidio.

C C X X.

Imago B. V. Miraculoſa.
T R E V I S A N A.
Treviſij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr *Primogenita data ſine væ macularum.*

1. Duellorum miſeria.

2. Sæculum ferreum.

3. Ultima ratio regum.

Ultima ratio regum, gladius eſt: quomodo enim, quod ſuum eſt, Rex à Rege repetat, qui judicem non habet, & Superiorem non agnoſcit? Itaque qui lites horum decernit, Gladius eſt, in quo creditum antiquis eſt ineſſe quiddam divinitatis, nunquam non efficientis, quin ſaltem in fine bona cauſa triumphet. Atque utinam ex licentiâ non facta eſſet libertas pugnandi non tantùm, cùm neceſſe eſt, ſed cùm lubet.

Duellum. Nobile viſum eſt, & velut certum veræque nobilitatis ſpecimen, quemvis ad ſingulare certamen provocare, & cuivis provocanti ſe ſiſtere, vidiſſes quoſdam ad prælia tanquam ad ludos euntes, alios in ludis fortiùs pugnantes, quàm ſi eos prælium commiſiſſet; ut neſcirès, an in campo luderent, an verò in arenâ præliatentur. Hoc Nobilium ſerio ludo Principes regéſque excipiebantur, ſi quam urbem Nobilium côpiâ inſignem intrâſſent. Præ alijs Henricus III. Imperator his ludis ſe oblectabat. Itaque Treviſani, apud quos Imperator cum aulâ aliquamdiu ſubſtitit, arenam paravêre, in quâ ſuam quoque virtutem Principi probarent. Et ſtetiſſet ſanè virtuti ſuus locus, ſi ludos inter ſtetiſſent civium vota. Ioſt

At verò ubi privatis litibus dirimendis gladius aptatus eſt, ſolis Regibus conceſſus, & ad rixas adhiberi cæpit, qui ſolis bellis debetur, paulatim mos invaluit, ut ex ludicrâ pugnâ ſeria fieret. Nobilitati datum eſt, pugnam ſic capeſſere: concitare calcaribus armatum

tum ferro equum, & lanceam in hoſtem dirigere, qui non minùs avidè certamini ſe offerret. Spectatum non rarò eſt, ut contrario ictu per parmam uterque transfixus, duabus hærentes haſtis moribundi ex equis delaberentur, quod de Arunte & Bruto conſule memorat Livius. At inter Chriſtianos, qui cælo nati ſunt, hoc fieri, præter Spectatores, ipſis quoque pugnantibus diſplicuit, fecitque, ut victis condolerent bis miſeris. Hæc apud Treviſanos fiebant penè dixerim quotidie: nec ſemper ex equo pugna tam iniqua committebatur, etenim præceps quandoque furor in arenâ diſſidentes conjunxit non equo ſublimes, ſed pedites, non ferro armatos, ſed pene nudos, quibus breve ferrum, quo latus cinxerant, pro lanceâ eſſe debuit. Non rarò mutuis ictibus uterque cecidit.

Non parùm acerbiorem reddidit rem totam tantæ ſtragis cauſa, quæ non niſi levibus gravis viſa eſt, verbulum vnicum ſiniſtrè intellectum ſufficiebat, imò neceſſitatem imponebat, provocandi injuriæ auctorem, nihil cunctantem. Timor. Pro timido, hoc eſt, infami habitus eſt, qui dicti interpretem vel poſtularet, vel admitteret, ſanguine hoſtis, confictæ maculæ umbra abluenda fuit. Et hoſtis fuit, quem ipſe ſibi fecit. Tantùm eo tempore juſtitia laborabat, ut ad ferrum eundum eſſet, & novo ſortilegij genere quærenda veritas ex tam fero metallo; quinè ferro fuſa credebantur oracula, cùm ſanguinem fundebat, & pro juſtitiâ ſtetiſſe, malam verò cauſam habuiſſe creditus eſt, quem vinci contigit; & omnium opinione cauſa bona triumphabat cum ſtante. Hic nempe ferrei ſæculi genius erat inter Chriſtianos, quibus debebatur aurum.

Fuit, qui miſerorum ſortem miſeratus, optaret animis meliora: quando corporibus non poterat. Eum in finem proximè locum tumultuario opere D. Virginis Imaginem poſuit, cujus aſpectu tam Imago. malè pereuntibus bene conſuleretur, ſuaderetúrque, ut tum ſaltem inciperent bene cogitare, quando ampliùs malè facere non poſſent: ſucceſſu non caruit ingenioſa pietas: quanquam initio dubitaretur, an perire volentes vellet non perire Virgo. Factum tamen ſatis voto eſt à Virgine non rarò, quando non pauci eorum de animæ ſalute nihil ſperantes, aſpectu Virginis cadente corpore, ſic animo erecti ſunt; ut non obſcurè ſignificarent, ſpem inter metúmque ex hâc ſe vitâ diſcedere, quod inter portenta numerari merebatur, quando tam projectæ temeritatis homunciones non alio in hæc uſque tempora, quàm metu comite, viam univerſæ carnis ex hoc loco inibant. Sed cur Virgo ijs tantùm, qui mi- Miracula nimè mererentur, opitularetur; eos verò præteriret, quorum pietas meliora poſcebat?

Et verò fuere, qui morbis afflicti auxilium Virginis non jam flagitarent, ſed poſtularent, ſpe in fiduciam verſâ, deberi ſibi favorem Virginis, qui in immerentes tam prodigè profunderetur. Juvaret ſanè indignos, meminiſſet tamen etiam ſuorum. Et qui perenni

obſequio ſe digniores feciſſent non præteriret. Auditæ ſunt juſtæ preces tam potenter perorantium, & præter monomachos etiam alij à Virgine beneficia accepêre. Hinc Imagini cum donarijs tum precibus cultus exhiberi cæpit opulentiò, & Imagini factum eſt ſacellum, & ex ſacello bis térve in majorem formam diducto factum templum, quod in hodiernum diem Trevіſani ornare non deſinunt: quia Virgo Treviſanis benefacere pergit. *Ioannes Bonifacius* in hiſtoria Treviſana l. 3, unde, quæ dixi, excerpta ſunt à R. P. Vincentio Ficherello Soc. IESU Rector Coll. Piſtojenſis, & ad me miſſa.

Cultus.

C C X X I.

Imago B. V. Miraculoſa. HEINDORFFENSIS.

Heindorffij in Boemia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En! Virgo pia re munda immaculata eſt.*

1. Cultus B. V. & religio Catholicorum, ſemper ſimul ſunt.
2. Emptio imperata à B. V.
3. Statua in Tilia.

IN Ducatu Fridlandiæ pagus Heindorffenſis ab immemoriali tempore accurſum circumjacentium populorum accivit Deiparæ Statua miraculoſa. Inventum in tabulis perantiquis eſt, bis eſſe in majorem formam diductum ſacellum, quod olim majores ſtruxerant. Inde temporibus *Rudolphi II. Imperato:* ad hæreticum dominum deveniens Pagus pietatem omnem amiſit, utique poſtquam ipſum templum ſpoliatum eſt, illæsâ tamen ſemper Statuâ: quod miraculo non caruit. Rediit ſub *Ferdinando II.* Religio Catholica, & cum Religione cultus Deiparæ.

Ad originem ipſam quod attinet, fama conſtans & antiqua eſt, & legitimè à pluribus præſente Notario teſtata, ex avorum narratis haberi, hominem pauperem, uxore & liberis domi languentibus, ſub Tilia, quæ hic in densâ ſilvâ ſteterat, obdormiſſe, in ſomno à Deipara monitum Statuam emiſſe, & in hâc Tilia collocâſſe, ſuóſque ad venerationem S. Imaginis adduxiſſe, ſanóſque & ſalvos domum reduxiſſe. Hinc primus ad hanc S. Statuam accurſus, qui in hodiernum diem (ſi tempora hæretica excipias) durat & indies augetur ab Illuſtriſſimo Domino Galaſſio qui hodiè loci dominus eſt.

C C X X X I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE TORNO.

Torno in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva it Virgo munda, emicat alma parens.*

1. Latro

1. Latro omnes timet præter Deum.
2. Mali malis remedijs curantur.
3. Rudimentum ſapientiæ adverſitas.

FOrno, ſeu forum novum, non multùm Forolivio diſtat. Hîc Deiparæ miraculoſa Imago jàm ab annò 1450. meritos accipit honores. *Petrus Biachbi*; pirata non poſtremus, terrâ maríque notiſſimus fuit, quem ſolum mare tulit: ſiquidem, ubicúnque eum terra excepiſſet, ſupplicijs carnificum, celebrem ſibi ex hâc vitâ exitum feciſſet, quando ſuâ morte plurimorum mortes & rapinas, quas fecerat, luiſſet, parùm ille de Deo, plurimum Deus de illo cogitabat: nec aliter ſaluari anima hujus *Petri* potuit, niſi naufraga. Naufragium itaque dedêre, juſſi è cælo venti & mare, in uniusanimæ ſalutem conſpirantes, néve reſpicere ad ſcelera poſſet, navis in partes rupta nihil ad littus detulit, præter ipſum Petrum, & quidem nudum. Ita Petrus initium & rudimenta dedit ſapientiæ ſuæ, qui cùm hactenus omnes timeret præter Deum, nunc, quod mirum, etiam Deum timere cæpit, conſilio mille naufragijs emendo.

Pirata.

Converſio.

Itaque eremitam mentitus Forolivij ſeriâ non fictâ pænitentiâ vitam egit, civibus propter exemplum utilem gratámque, quin & ſanctam. Nec infeliciter latuit, quis enim piratam latêre ſub tantis virtutibus crederet? Sed ei Deipara per ſomnium aliam ſedem monſtravit, iréque juſſit *Fornò*, ſeu ad *forum novum*. Ibi alio ſomnio recreatus eſt: viſus enim ſibi eſt, Deiparæ Imaginem reperiſſe, è quercu pendentem. Quærit Itaque evigilans in ſilvâ proximâ, & omnes quercus ad examen vocat; dum ea occurreret, quæ promiſſæ Imaginis bajula eſſet. Inter eas una erat cæteris frondoſior: in hâc theſaurum, quem quærebat, invenit.

Duo hîc Petrus ædificia auſpicatus eſt: primum erat, Virgini conſtruere è comportatis ramis ſacellum, alterum è ramentis, quæ ſupererant, ſibi tugurium. Hîc ſibi ipſe & Virgini Theatrum, futurus; non alios ſpectatores ambiebat, ſed cives Forolivienſes, antiquum ſuum civem Petrum invenêre, ſimúlque Imagini in novo oratorio dedêre honores, ita ut non multò pòſt ligneum & peranguſtum oratorium, in lapideum & amplum excreverit. Miracula hîc ſanè magna patravit: maximum fuit ipſa Petri converſio, & conſtans uſque ad mortem virtus, nemine inſtitutore, nullo præter Virginem directore: quod ultimis demum annis ab ipſo reſcitum eſt. Scribit hæc Ioan. Baptiſta Alberti.

Sacellum.

CCXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
TRAVNKIRCHENSIS.
Traunkirchij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Caſta Virgo, pura mali e a munda eminet.*

1. Hoſtis

1. Hoſtis incautus.
2. Ficta fuga.
3. Natura non ſuperatur.

ANno Chriſti 700. Ottocarus & Luitholdus Marchiones Auſtriæ & Styriæ, locum hunc Deiparæ armis ſuis ſacrum fecêre, templum hic dolorum ſtetit, ſtátque hodie S. Nicolao dedicatum. Aderant latrones Ethnici, totam penè circumjacentem regionem latrociniјs vaſtantes. Eorum multitudo bella poſcebat & prælia. Locus itaque, quem incolebant, naturâ & arte munitus, à Marchionibus obſidione cinctus, non tamen captus eſt. Itaque poſt irritos labores, dies altera decreta, quâ, ſolutâ obſidione, rediret exercitus, ſed nocte illâ ſupra templum viſa eſt Deipara, quæ victoriam promiſit, & finem bello. Sub auroram itaque ſimulatâ fugâ, militari tamen ordine recedunt, inſequuntur ſine ſignis hoſtes, quos ubi noſtri per planitiem ſine lege ſparſos vident, vertêre gradum, &, ſtrage factâ, finem fecêre bello, in annos duraturo; niſi Deipara juviſſet conſilio, & auxilio.

Hoſtium Caſtrum eo in loco fuit, ubi hodie monticulo nomen eſt à *S. Ioanne*. Marchiones beneficij memores, Deiparæ aſſumptæ templum in loco ſtruxêre, & templo Virgini Cænobium ſub regulâ S. Benedicti adjunxêre. Prima in hoc Abbatiſſa fuit Itta Ottocari Marchionis chariſſima, quia unica, filia. Porrò pro dote multum è circumjacente regione Monaſterio datum eſt, ut & ſalis montes. Noſtris temporibus hæreſis, unà cum templo Cænobium vaſtavit Monialium. Nulla earum toto penè ſæculo illic viſa: adeóque omnis in Deiparam pietas finem habuit, donec, petente *Ferdinando II.* Imperatore ſummus Pontifex Collegio Societatis IESV Paſſavienſi tradidit. Templum.

Statim à fundamentis novum templum erectum eſt, & cultus Marianus magno accolarum gaudio poſtliminio reductus. Statua ſancta, quæ nunc colitur, non illa eſt, quæ olim in ſummo altari colebatur, ſed alia perantiqua in aliquo muri angulo venuſtate non minùs ac vetuſtate venerabilis. Inſuper Confraternitas Deiparæ aſſumptæ erecta, locum facit celebriorem, miracula, cùm ſint ordinaria, omitto. Hæc ad me ſcripſit excerpta ex perantiquis ſcripturis R. P. Ioan. Eiſſert Soc. IESU. Statua.

CCXXIV.

Imago B.V. Miraculoſa.
AD SS. COSMAM ET DAMIANVM.
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Erit Amans pudica ignorat Eva malum.*

1. Deipara ſalutari amat.
2. Teſtes nobiles.
3. Legatus Sanctus.

MOs ſalutandi Virginem in Imagine ſua heri non increbuit, antiquior eſt, quàm Novatores gra-

putent. Spirenſis Statua Bernardum ſalutavit, teſte nobilitate Imperij Romani; quæ magnam partem ipſi facto interfuit: negant tamen heri nati magiſtelli novatores. Quod ſi hæc illis nova ſunt, antiquiora damus, S. Gregorium ipſis inviſum, quia non faventem, ſummum Pontificem produco: hic ſolitus Virginem ea in tabula præteriens ſalutare, ſemel id omiſit, alijs intentus cogitationibus, ſenſit Virgo amici non culpabilem incuriam, & elata voce (quæ tamen amantis fuit) queſta, inſoliti ſilentij cauſam popoſcit. Ex quo tempore Gregorio, & populo, veneratio in hanc S. Iconem major fuit. De alijs miraculis, quorum utique non pauca contigere, nihil accepi.

Ave Maria.

Cæterùm mihi certum eſt, Gregorium vix ullam Virginis Imaginem præterijſſe; quin eam ſalutaret. Atque ut lector minùs dubitet, ſciat, alias quoque duas Romæ coli, quæ cum Gregorio ſermonem inſtituerunt; ſi majorem fidei fidem habemus. Harum una in monte Cælio eſt, altera eo in templo, quod S. Mariæ Imperatrici dicatum eſt. Octav. Panzirola.

Imago.

C. C X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.

F R A V H O F I E N S I S.

Frauhofij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Electa anima ita pura in ſumma gradu.*

1. Aula B. V.
2. Cantus Catholicus in ore hæreticorũ.
3. Amor proprinns.

IN medio Marchionatûs Moravienſis, collis eſt ſitu amæniſſimo, in modum coronæ filius cinctus, diſtátq; duabus levicis Brunâ. Hic templum eſt Deiparæ, quod *Aulam Dominæ* vocant, miraculis celeberrimum. Curam templi in adjuncto Cænobio habent RR. PP. S. Franciſci de Paula. Virginem hujus Marianæ Pietatis ſic accipe.

Apparitio.

Apparuit Deipara cuidam Nobili *Wilhelmo*, qui erat ſupremus Mareſcalcus Moraviæ Anno 1240. quo Moravia adhuc Reges habebat. Videre Virginem ante ſe ſtantem pluribus annis non potuit Wilhelmus, quia cæcus: audijt tamen ſe ab ea vocari, quia ſurdus non fuit. Verba porrò, quæ audijt, hæc fuêre: *Vis ſanus fieri?* dubites, an Virgo locuta ſit, an verò filius. At ille attonitus quærit, quocum ipſe, vel illa loqueretur: jam enim ex voce fæminam ſuſpicabatur. Tum Virgo, ſe Mariam eſſe, faſſa, templum, inquit, in Vrana villa, filio meo, & mihi, ædifica. VVilhelmus non aliud virgini reſponſum dedit, quàm quod templum promitteret, & promiſſa voto firmaret. Nec mora quàm primùm cæſæ magnô numerô arbores; lapides, & cum calce, arenâ vecturas onerabant & vecturæ vias implebant publicas, Vrana villa ſermonũ materia erat. Sed ubi prima manus operi data, jactúſq; in funda-

Arbor.

mēta eſt ſacer lapis;altero mox die omnis congeſta operarum materia Angelorū manibus eſt translata in collem, non ſine ingenti gaudio VVilhelmi, quòd ipſa Virgo ſibi locum elegerit, quem propter difficiliorē aſcenſum Vranani ruſtici ſpreverant. Nempe vel in ipſo Dei obſequio noſtris commodis invigilans.

Cognitâ Deiparæ voluntate, tanto prodigio monſtratâ, celeriùs adhuc, & majoribus animis opus aggreſſi ſunt, quotquot aderant artifices: ſtetitque ſacellum Anno 1140. Hinc populorum accurſus, & vota, & gratiæ, & gratiarum acceptarum teſtes tabulæ. Hæc omnia quàm diligentiſsimè annotata: Utique ad nos perveniſſent; niſi hæreſis edax ſacrarum rerum plus quàm tempus omnia aboleviſſet. Temporibus Ferd: II. ſtetit ſanè ſacellum adhuc; ſed ab hæreticis turpiter profanatum. Splendidum itaque templum à fundamentis erexit *Illuſtriſsimus Princeps Maximilianus à Dietrichſtein*, adjuncto S. Franciſci de Paula Cœnobio. Itaque non tantùm reducta majorum pietas eſt, ſed & aucta. E miraculis impreſsis quam plurimis jucundum eſt illud, in quod Lutheranus hæreticus impegit. Templo profanato, hæretici officium B. Virginis quot diebus ritu Chori Catholici cecinēre, avaritiæ, non pietatis ſtudio? nempe largam penſionem ab antiquo ſtatutam prenſantes. Ingreſſus templum homo cæcus, è Croatia oriundus, preces fudit pro viſu recuperando, non dubius, quin in Templo Catholico, ut ex cantu arguebat, Deo & Deiparæ laudes diceret. Riſu primum à modeſtioribus exceptus eſt; à cæteris crudioribus verbis exceſſe templo juſſus: dum demum unus impacta ſcuticâ viam cæco monſtraret, quà exeundum eſſet. At verò cæcus ipſe videntibus ſocijs repentè attonitus ſtetit: & ne deeſſet teſtis Catholicus, vidit ille apertiſsimis oculis, qui cæcus advenerat, quique tam inhumana ſalutatione exceptus erat. Filius autē patrem cæcum inter lamenta & terrores domum duxit, & domi bis cæcum reliquit, ipſe ad Catholicos profugus lumen animæ invenit. Ita filius patre oculatior factus, & alieno periculo cautus, ſibi & multis alijs exemplo ſuo profuit. Ex relatione impreſſa Viennæ 1658.

Sacellum. *Hæreſis.* *Cæcus.*

CCXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VITA. *Carbonarij in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Sanè evadit pomum lutum agna mirè cara.*

1. *Felix Venatio.*
2. *Antiquita venerabilis.*
3. *Fucus fœminarum.*

CArbonarum oppidum eſt, tribus millibus paſſuum Bario urbe diſtans, celebris hic eſt B. Virginis Imago *à Vita*, quæ olim provinciam hanc totam à graſſante lue libera-

beravit, unde & à Vita, quam populo dedit, nuncupata eſt. Quam antiqua ſit, ignoratur: conſtans fama habet ſæculis præteritis à primarijs quibuſdam viris, qui ſe venatum contulerant, ingentis ſplendoris indicio ſæpius viſo inventam.

Venatio.

HodieCarbonarij in templo RR. PP. Diſcalceatorum S. Auguſtini colitur, populo ex tota Apuliâ propter miraculorum famam accurrente: ſicque celebris memoria ejus eſt, ut ejus anniverſaria dies ad 13. Kalend. Iunias ab Eccleſiâ metropolitanâ, & universâ Diœceſi, quódque majus eſt, ab ipſo Regio templo S. Nicolai Barienſis ſub ritu duplici quot annis ex pervetuſtâ, ut ipſi aiunt, conſuetudine celebretur. Illud in hac ſacrâ Imagine notatu dignum cernitur, quòd cùm ex parte ſuperiore dextri ſupercilij injuria temporum aliquantùm carioſa ſit nullâ tamen pictorum arte reſtitui hactenus unquam potuerit. Reſpuit colores novos in hâc tabulâ Virgo, ut fœminas doceat reſpuere mundum muliebrem. Ita ad me R. P. Iulius Cæſar Fazzari Rector Barienſis.

CCXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
VVLNERATA:
Valliſoleti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Nil creatum amo puriùs, eà dignè amatâ.*

1. *E Patriâ ejectâ ſequitur Patriotas.*
2. *Novendium.*
3. *Rabies hæretica.*

IMago hæc eſt in Collegio Anglorum Valliſoletano, quomodo illuc, & unde venerit, dicam. Irrupêre vi bellicâ in Gaditanum Emporium Angli anno 1596. fecerúntque, quod hoſtis, & quidem hæreticus pôteſt. Ex omnibus, quia ad rem meam eſt, memoro, quid cum Imagine Deiparæ egerint, quam coli audierant præ cæteris propter famam miraculorum. Hancè ſede ſua, quam in Cathedrali habebat, ſacrilegè non minùs, quàm furioſè abreptam, ad forum traxêre funibus, ibi erectam ritu Catholicorum, ſed ironico, aliquamdiu cultam demum contumelijs, quas hæreſis dictabat, affectam habuerunt ludibrio: ex jocis ad iras ventum: gladijs petita Statua, brachia cubito tenus amputata, frons ſeptenis non minùs ictibus devenuſtata.

Hæreſis.

Caſtellæ Præfectus Comes Búendianus, vehementer indoluit, & quia vindicare facinus non potuit, S. Statuam præſenti, nec exigua pecuniâ, ſuam fecit, atque domeſtico ſacello decorè repoſitam cum familia coluit. Angli in Collegio alumni rati, ad ſe pertinere, ut S. Statuæ honorem reſtituant, quam ſuæ nationis hæretici Deiparæ per tot injurias ademerunt, Madritum mittunt qui S. Statuam repeteret: nec infeliciter, viſum enim eſt proceribus, decere, ut ab ea-

dem natione honor Deiparæ reſtitueretur, à qua prius paſſa contumelias erat.

Cultus. Duo menſes interim abiêre, cùm S. Statua curru quàm ornatiſſimo, propridie feſti nativitatis B. V. Madrito deducta eſt Valliſoletum. Ingreſſus in urbem fuit magnificus: in ipſo verò templo omnia ad ſummam ſolennitatem compoſita, populo ante decimam noctis horam ægrè domum redeunte. Altera die pompa adhuc major, cujus pars magna fuêre omnium Ordinum Religioſi, Supplicatio, quæ ab hoc in Anglorum templum S. Statuam vehiculo argenteo deduxit, tanta fuit, ut ſenes celebriorem non meminerint. Aderat in templo regina Catholica *Margarita Auſtriaca*. Novem diebus novem officia, de novem B. V. feſtis cantata, ſub veſperam diei nonæ Epiſcopus facta ad populum adhortatione S. Statuæ nomen impoſuit; *S. Maria Vulnerata*, tunc ex altari Titulus. ſummo, ubi novem diebus ſtetit, ad locum ſuum, ubi hodie eſt, cum pompa eſt delata; miracula memorantur quàm plurima. Illud rarum; quòd qui vel lites habent intricatas, vel ad dignitates & officia honorifica juſto titulo aſpirant, hîc ſingularem reperiant opem, ita ut proverbij loco apud nonnullos ſit, Qui alta ſpectat, Virginem vulneratam colat. Ita ad me R. P. Ioannes Glaconus Rector Collegij Anglorum Societatis IESU.

C C X X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MONTE CASTELLO.

Mons Caſtello in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *IESVM parit, ergo munda animata à luce.*

1. *Energumeni.*
2. *Apparitio B. V.*
3. *Stella mirabilis.*

EST hoc Deiparæ templum ſanè perantiquum: & nonnulli fabricam hanc penè ad prima Eccleſiæ ſæcula revocant. Certè & in templi ingreſſu numeri leguntur lapidi inſculpti, qui annum octingenteſimũ ſecundum indicant, & loci Parochus nobilitate & ſacerdotio præſtans, *Ioannes* nomine, tacto pectore aſſerit, ſe è pluribus energumenis hîc à dæmone liberatis audiviſſe, templũ hoc eſſe antiquiſſimũ.

Ut cæteras ſcripturas tempus edax, aut flamma abſumpſerit unà adhuc extat quâ *Vrbanus III*, anno 1180. locum honoravit, in quâ locũ vocavit *Montem Stellæ*. Credibile Stella. eſt, viſâ in Monte Stellâ, intellexiſſe accolas, Deiparam templum deſiderare, inde mutato nomine per eos, quibus caſtella præ Stellis placent, Caſtelli nomen in Stellæ locum ſucceſſit. Fuêre inter teſtes, ritè ad juris formam examinatos, nonnulli ſacerdotes, qui aſſeruêre, conſtanti traditione haberi, hîc loci ipſam Deiparam ſe dediſſe videndam. Atque ut cætera prætercam, notiſſimum eſt, hoc

in

in templo energumenos concuti & tremere inſolito modo; clamoribúſque locum deteſtari, multi certè, quos nemo unquam à dæmonibus inſeſſos vel ſuſpicari potuit, ad ingreſſum templi ſimilibus indicijs, nō ſine verecundia ſe prodiderunt. Locus in ſumma etiamnū veneratione apud montanos eſt, & peregrinationibus publicis celebratur. Ita habet authenticum inſtrumentum ritè hac ſuper re confectum, & ab *Excellentiſſimo Principe Carolo Madruzio*, Principe & Epiſcopo Tridentino, in cujus Diæceſi ad lacum Gardenſem hic locus eſt, ad me miſſum, quod penes me habeo.

Energumeni.

CCXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BEGONNA, *Bilbai in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Veni ergo ſumma dilecta animata pura.*

1. *Campanæ ſponte ſonant.*
2. *B. V. gemmas non curat.*
3. *Quem B. V. perſequitur non evadet.*

HÆc Deiparæ Statua antiquitate ſuâ celebris; & vel ideo glorioſa eſt, quòd ejus inventio ſola quidem, ſed uniformi accolarum traditione nititur. Aiunt hi, inventam fuiſſe in quercu, cujus in loco nunc ſummum altare ſtat templi, quod majores ad pedem amæniſſimi collis, contra quàm vellent, ædificare coacti ſunt, ſiquidem loci ſitum amænum; & proſpectum in latè patentes campos; conſiderantes architecti, Templum in collis vertice deſignârunt, unde Virgo videri poſſet à longè venientibus, & viciſſim videre venientes. Jamque comportata materia expectabat manus operarum.

Sed aliter Virgini viſum eſt, nam quæ alibi colles vult & montes, hic vallem præoptavit; ut ſciretur eam quoque eſſe lilium convallium; itaque nocte non ampliùs unâ ingens lapidum vis, magno labore in collem convecta, in ſubjectam vallem angelicis manibus deportata eſt. Nec gravatè mutarunt incolæ ſententiam intellecta Virginis voluntate, & brevi tempore ſacellum erexêre. Ex pluribus & grandibus miraculis illud celebre eſt, quod anno 1523. contigit. E furibus audacior unus aram Deiparæ conſcendit, & argentea, aurea, ac gemmea Cimelia S. Statuæ appenſa, manu picata clepſit, & ſacco impoſuit.

Collis.

Labor.

Tulit hactenus proterviam impudentiſſimi prædonis Virgo. At verò ubi manum extendit ad coronam capiti impoſitam; extendit quoque manum S. Statua, & prehenſam furis manum fortiter amovit. Ille territus deſcendit quidem, & de corona auferenda omnem cogitationem depoſuit; ea tamen, quæ ſibi Virgo diripi permiſerat, velut cum bona venia ejus, ſecum abſtulit, & Bilbaum abijt. Cæterùm ubi ad ovium gregem pervenit, aries gregis dux, cor-

Furtum.

cornibus eum ferociter impetijt, & ad fugam retrorſum compulit, & ſæpius redeunti ſæpius fuit cornibus ſuis infeſtus; ita ut alia via cogeretur Bilbaum tendere, ſed & ibi Tauri. plures tauri in gramen abjecti ſe oppoſuerunt venienti, alia jam quã aries cornua monſtrantes, & fortioribus minis infeſti, ſupereſt, inquit, via tertia, qua Bilbaum itur. Sed & in illa Gigantem ſibi obvium habuit, qui nudato gladio mortem intentabat, ſi ulteriùs pergeret.

Itaque ad ſilvulam proximam ſe vertit, per ambages iturus in urbem, ſiquidem alia via nequiret, at verò & ipſam, licèt amæniſſimam ſilvulam, ita vepribus impeditam invenit, ut modus non eſſet inveniendæ, quam quærebat, ſe-Quies. mitæ. Fatigato quies erat neceſſaria, & jam metuenti ſolitudo, commodùm aderat ſpecus. quem ingreſſus quieſcit primùm, & reſpirat: tum paulò pòſt reſupinus in terram obdormiſcit ſecurus ſui. At verò interea longè alia rerum facies erat in templo & pago adjecto. Campanæ ſponte ſua inſonuerunt, & populum ſtupentem acciverunt. Cauſam tanti portenti indagantibus Statua Deiparæ in oculos venit direpta.

Subitò, nec imprudenti conſilio, omnes in diverſas vias abiêre, prædonem quæſituri, nec difficulter inventus eſt, & ab alijs, quàm vellet, è ſomno excitatus, ille non difficulter judici omnia faſſus, in furca ſcelus luit. At vero facti pænitens, priuſquam ferales conſcenderet ſcalas, rogare auſus eſt Iudices, ut è furca depoſitus in eodem templo ſepeliretur, ut, ſi Virgo ſcelerum recordaretur, meminiſſet quoque pænitudinis & lacrymarum. Obtinuit non gravatè à Iudicibus, quod petebat, obſervatúmque eſt, quòd, cùm poſt ſedecim annos ſepulchrum hoc aperiretur, brachium cum manu, integerrimum eſſet, licèt cætera omnia membra conſueto more non niſi oſſa reliquiſſent. Ad rei memoriam totum, quod retuli, in muro templi depictùm etiamnum extat, miraculum immortalis cum manu brachij variè varij interpretantur; nec una omnium opinio eſt: quod & ipſe ego lectori liberum relinquo nec funem defenſurus, nec ſeram & coactam miraculis pænitentiam ad temeritatis periculum exaltaturus. Hæc ad me R. P. Michaël de Arbicu Soc. IESV.

Conſtantia. (margin)

Miraculum. (margin)

CCXXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CONSOLATIONE.
Brixiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Age Veni mirè munda ac tota pura mali.*

1. Bellum templis nocet.
2. Vox populi.
3. Mater Conſolationis.

IN ſuburbio urbis Brixienſis in Italia, nunc Venetæ ditionis anno

no 1453. inter tot Deiparæ inſignes cultores, civis vixit cæteris felicior. Hîc columnam è laterculo erexit in ipſo ſuburbio, eíque Statuam Deiparæ tanta felicitate impoſuit, ut quamprimum accurrens populus non ſe gratis Imaginem venerari experiretur. Hi favores, illi miracula ſibi ſuíſque à Virgine, in fidei precúmque mercedem collata, non vanis rumoribus jactabant. Etenim juſto examini ſubjecta, quæ paſſim ſpargebantur, experta ſunt ab ijs, qui præerant, veritati non diſſona.

Nuper, id eſt, avorum memoria, cum urbem bella urgerent, ſuburbia cum quinque monaſteris ſolo æquata ſunt, & S. Icon urbi reverenter illata eſt, novóque à fundamentis erecto templo excepta. Hîc novis modis portentoſa eſſe cæpit: ſiquidem ut tempora temporúmque calamitates ferebant, filium, quem brachio ſuſtinuit, viſa eſt rogare Virginis picta Imago. Hinc oculos, hinc illa manus ſupplicantis ritu in filium ferebat? filius quoque intueri viſus eſt motis oculis matrem, & ut ſcires exauditas matris preces, manum pictam picto pectori admovit. Res ad Epiſcopum delata in Iudicium vocata eſt, & teſtibus, quàm jura exigunt, pluribus auditis confirmata eſt: quanquam & ſine his tot tantáque petentibus cum fiducia factæ ſunt gratiæ ut jam voce populi *Mater Conſolationis & gratiarum* ſit appellata. Inde congeſtæ in theſaurum pecuniæ facilè ſuffecerunt in magnificum, quod hodie videtur, templum. Vide lector, quam Virgini placeat, in viarum anfractibus columnas erigere non viatoribus modò, ſed populis nonnunquam profuturas. Ioann. Bapt. Alberti l. 2.

Bellum. Miracula.

C C X X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PILARO.
Cæſarauguſtæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Iure, O Nata, anguem perdis immaculata.*

1. Hiſpania Apoſtolica.
2. Odor Cæleſtis continuus.
3. Una columna nititur Hiſpania.

TEmplum hoc à S. Iacobo Apoſtolo ædificatum Deiparæ adhuc viventi, & hoc ipſo in loco ipſimet Apoſtolo apparenti, & verbis expreſſis jubenti, illi non credunt, qui negant, S. Apoſtolum unquam Hiſpaniam vidiſſe, ſed facilè fuit, ijs præterire Hiſpanorum res, quando aliàs accurratiſſimis rerum Romanarum indagatores, Sanctum Alexium, ejuſque omnem hiſtoriam omnino prætererunt: quæ tamen eam habet certitudinem, ut in Breviario locum invenerit, ut ut ſit: Cæteri ex Catholicis non difficulter fidem adhibent ijs, quæ de hac S. Æde ab auctoribus idoneis ſcribuntur. Ego in re tam difficili nullius Auctoris recentioris verba pono, multò minùs mea, ſed ad verbum admetior,

tior, quæ pònit Doctiſſimus *Ioannes Bapt. de Lezana* in hujus templi hiſtoria, cui titulus, *Turris Davidica*, ſeu, de Angelicæ, Apoſtolicæ, & miraculoſæ Eccleſiæ S. Mariæ majoris *de Columna* Cæſaraugustæ: & impreſſa eſt Romæ 1655. ait iſte graviſſimus Auctor, ſcripturam antiquiſſimam in monaſterio *Montis Serrati* repertam in hæc verba: *Poſt paſſionem, & Reſurrectionem ſalvatoris Domini noſtri IESU Chriſti, ac ipſius in Cœlum aereo volatu aſcenſum, remanſit piiſſima Virgo, Virgini commiſſa Ioanni: creſcente verò diſcipulorum numero in Iudæa, ad Apoſtolorum prædicationem & ſigna, fremuerunt quorundam corda Iudæorum perfida adversùs Eccleſiam, perſecutionem ſæviſſimam commovendo, lapidantes Stephanum, diversòſque trucidantes. Propterea dixerunt ad eos Apoſtoli: vobis quidem primùm oportebat prædicare verbum Dei: Sed quia repuliſtis illud, & indignos vos iudicâſtis æternæ vitæ; Ecce convertimur ad Gentes, ſicque euntes per mundum univerſum juxta Chriſti mandatum, prædicaverunt Evangelium omni creaturæ, unusquiſque in ſorte ſua. Cùm autem egrederentur de Iudæâ, unusquiſque accepit congerium & benedictionem ab ipſa benedicta Virgine glorioſa. Interea revelante Spiritu S. B. Iacobus major, frater Ioannis, filius Zebedei, mandatum accepit à Chriſto, quatenus ad partes Hiſpanas verbum Dei prædicaturus accederet. Ipſe verò ſtatim pergens ad Virginem, oſculatis manibus licentiam & benedictionem pijs lacrimis poſtulabat. Ad quem Virgo: vade, inquit, fili! imple mandatum Magiſtri tui: & per ipſum te precor, quatenus in una civitatum Hiſpaniæ, ubi majorem numerum hominum ad fidem converteris, ibi Eccleſiam in mei memoriam, prout tibi monſtravero, facias. Progrediens autem D. Iacobus ex Ieruſalem, venit ad Hiſpanias prædicando,* S. Iacobus. *inde pertranſiens per Aſturias, venit in civitatem Oveti, ubi unum ad fidem convertit, ſicque Galletiam intrans, Patroum civitatem ingreditur, inde properans in Caſtellam quæ major Hiſpania nuncupatur, tandem venit in minorem Hiſpaniam, quæ Aragonia dicitur, in regione illa, quæ Celtiberia nuncupatur; ubi ſita eſt Cæſaraugustana civitas ad Iberi fluminis ripam. Ibi igitur D. Iacobus multis diebus prædicans, viros octo convertit ad Chriſtum, cum quibus quotidie tractans de regno Dei, exibat ex parte noctis ad ripam fluminis quietis causâ in loco, ubi paleæ jactabantur. Ibi namque poſt ſaporem orationi vacantes, turbationes hominum & moleſtias gentilium declinabant. Et ecce! poſt dies aliquot mediâ nocte luſtrante ſtabat D. Iacobus cum* Oratio. *fidelibus ſupradictis contemplatione & oratione fatigatis. Cæteris igitur ſopori deditis, in hora ipſa mediæ noctis audivit D. Iacobus Apoſtolus voces Angelorum cantantium, Ave Maria, gratiâ plena, quaſi ſuavi invitatorio matutinale Virginis officium incboando, qui ſtatim flectens genua ſua, vidit Virginem matrem Chriſti inter duos Choros millium Angelorum, qui officium matutinale Virginis cum verſu, Benedicamus Domino, compleverunt. Quo finito piiſſimus vultus B. Virginis Mariæ Apoſtolum Sanctum ad ſe quàm dulciter evocavit. Ecce, inquit, Iacobe*

tobe fili, locus ſignatus, meóque honori deputatus, in quo in mei memoriam tuâ induſtriâ mea Eccleſia conſtruatur. Conſpice quin imò Pilare *hoc, in quo ſedeo, nam filius meus, Magiſter tuus, per manus Angelorum tranſmiſit ex alto, circâ cuius ſitum Capellæ altare locabis, in quo præſertim loco precibus ac reverentiâ meâ ſigna & mirabilia, altiſſimi virtus operabitur admiranda: illis nimirum, qui in ſuis neceſſitatibus meum auxilium implorabunt. Eritque Pilare iſtud in loco iſto uſque in finem mundi, & Chriſtum colentes nunquam ex hac urbe deficient. Tunc Iacobus Apoſtolus hilaratus lætitiâ multâ, innumeras gratias Chriſto referens, eaſdem retulit Genitrici. Et ecce ſubitò*

B. Virginis. *cæleſtis illa concio Angelorum dominum ſuſcipiens, ad Ieroſolymam urbem reduxit, & in ſua celluâ collocavit. Poſt hac autem vixit glorioſa Virgo Maria undecim annis. Hic eſt exercitus ille millium Angelorum, quem Deus miſit ad Virginem in hora, qua Chriſtum concepit, ut illam ſervarent, & vijs omnibus ſociarent, & illæſum puerum cuſtodirent. B. autem Iacobus de tota conſolatione & viſione congaudens, continuò cæpit ibi ædificare Eccleſiam, juvantibus, quos ad fidem converterat, ſupradictis, cæpit autem præfata Baſilica octo quaſi paſſus latitudinis & ſexdecim longitudinis, habens* Pilare *prædictum in capite verſus Iberum cum altari, in cuius Eccleſiæ ſervitium unum de prædictis in presbyterum, quaſi magis idoneum, D. Iacobus ordinavit, conſecrans verò prædictam Eccleſiam, & ipſos Chriſticolas in pace dimittens, reverſus eſt in Iudæam verbum Domini prædicando, intitulavit autem ipſam Eccleſiam, S. Maria de Pilari. Hæc eſt enim prima mundi Eccleſia, in honorem Virginis Apoſtolicis manibus dedicata.* Templum. *Hæc eſt aula ſacratiſſima ſæpius per Virginem viſitata, in qua cum Angelicis choris viſa eſt ſæpius Dei genitrix matutinos pſallere pſalmos: in hâc ſiquidem obtenta Virginis, plurimis præſtantur beneficia, & operatur inſignia multa, præſtante Domino noſtro IESU Chriſto, qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.*

Ecce lector, habes hiſtoriam nullo meo ſtylo mutatam, quam *Lezana*, vir doctiſſimus, tamquam authenticam & antiquiſſimum ſupponit. Miraculoſiſſimam eſſe, conſtat orbi: Columnam odore Cæleſti imbutam, odorum artifices teſtantur. Cæſarauguſtam cùm haberent Mauri, & tributis, ſervitute affligerent totum tamen Parochiæ diſtrictum ab omni tyrannide & tributo liberum eſſe voluerunt. Illud præterea miraculum orbi teſtatiſſimum eſt, quòd noſtris temporibus contigit, quo pes biennio antè abſciſſus, in teger ſaluúſque à B. Virgine Iuveni reſtitutus eſt, uti habet hiſtoria impreſſa Madriti quam penes me habeo.

CCXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BOCCADIRIO. *Bononiæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Macula ſive ira Adam te piam non urget.*

1. Fidem invenit puer.
2. B. V. reſpuit ſacellum.
3. Miraculum militare.

SUb annum decimi quarti ſæculi octogeſimum, hoc in loco boves egit in paſcua *Donatus Notini* penè puer, & comitem ſociámque laboris ſecum traxit *Corneliam* ſororem, vix decimum ætatis annum egreſſam, operi intentos terruit inſolitus è cælo fulgor: Terrorem tamen excuſſit ſpectabilis Deipara, quæ quia viſa eſt veniſſe, quidpiam imperatura, debita cum reverentia fuit ab ijs excepta. Brevibus illa puerulo imperavit, velle ſe, ut ipſe fiat ſacerdos, Cornelia Monialis: Baragazanos juberet hoc loco ſibi templum ædificare. Illi quia de apparitionis veritate non dubij, non tutum rati ſunt, Virginis præcepta ſilentio premere, quamquam alij fidem habituri non eſſent. Fidem tamen infantibus habuerant incolæ, atque etiam ædem ſacram ſtruxêre, vix ſacelli nomine dignam, loco, quem acceſſuris, commodiorem dabat amæna planities. Templum.

Interea ingreſſa Cænobium *Cornelia*, mutato nomine ex legibus S. Dominici vivere cæpit, & *Brigitta* appellari; uſque dum anno ſæculi decimi quinti primo cum Prioratûs dignitate Cænobio præfecta eſt. Donatus frater ſcholis admotus, brevi docuit, non vana fuiſſe Virginis promiſſa, ſacerdos demum factus, doctrinæ & virtutum raris exemplis conſpicuus, templo S. Petri apud Cirignanos Florentinæ Ditionis oppido inſervivit, vitámque ætate provectâ non ſine nomine ſanctitatis finivit. Brigitta ſub anuum ſæculi decimi quinti decimum tertium virtute ſuâ & precibus effecit, ne licentia militaris Cænobio damnum inferret, quod miraculi inſtar habitum eſt, quando nihil eorum a militibus *Reimondi Cordoni* omiſſum eſt, quæ ab impijs fieri conſueverunt.

Fuit, cùm ſtimulos ſentiret, beneficium olim majus fuiſſe, quàm quod ſacello illo compenſari poſſet, adeóque majorem loco venerationem conciliaret. Tabulam itaque illuc dono miſit, quæ Virginem cum IESVLO exhibet, needum tamen locus pietate Baragatiorum erat auctus, dum ipſa Deipara Imaginem ſuam ſacello extulit, & eam in rupe depoſuit, ubi ante plurimos annos Corneliæ decenni puellæ apparuerat. Hic enim verò concurrentium turbæ miraculoſis beneficijs à B. Virgine Deipara excitata ad munificentiam, brevi templum, quod hodie videtur, poſuerunt, in quo S. & miraculoſa Imago poſthac honoraretur. Brigitta ad annum ætatis ſeptuageſimum Pietas. Templum.

mum tertium pervenit, vitámque ſanctiſſimo fine clauſit, cælóque matura fratrem ſecuta eſt. Diſce lector, Deiparam gerere curam pauperum & infantium. Ex relatione Bononiæ impreſsâ.

CCXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MALAGA.
Malagæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, jam Animata pura, & Angelorum decus.*

1. Pietas eſt recreatio.
2. Templum portatile.
3. Omnes victoriæ à B. V.

IN urbe Malaga præ cæteris colitur miraculoſa quædam B. Virginis Imago quæ *Ferdinando V.* Regi Hiſpaniæ in delitijs fuit, vir belligoſus Sacracenos inſectabatur, frequentibus victorijs glorioſus; quas tamen omnes à Deipara coram hâc Imagine exoravit. Nunquam ille ſine hac ad bellum, nunquam ad venationem ire ſolitus eſt. Hoc velut portatile templum per omnes regni fines miraculis & beneficijs clarum ſummâ reverentiâ circumferebat: dum denique eam in templo RR. PP. Franciſcanorum depoſuit, ubi hodieque Malagenſi civitati pro theſauro eſt. Chronicon min. S. Franciſci.

Mos plurimorum magnatum olim fuit, Imagines B. V. ſecum portare ad venationes, coram quibus ad arborem appenſis proſtrati, velut in cubiculo ſoli orationi aliquantiſper vacabant, famulis cum aulâ ingenioſè deceptis. An hic mos adhuc noſtris temporibus vigeat non legi, fida & valde credibilis traditio habet Ferdinandum II. Imperatorem hanc majorũ conſuetudinem fuiſſe, imitatũ.

CCXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE S. AGNELLO.
Neapoli in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Evadas O Agna mira & lupum & crimina.*

1. Feſto Annunciat. B. V. impetrantur hæredes.
2. Importunitas opportuna.
3. Ave Maria.

HAbuit nobiliſſima hæc civitas ſub annum Chriſti 515. nobile par conjugum, ſive majores eorum, ſpectes, ſive poſteros: ut qui inter ſanctos locum tenuêre medium. Siquidem S. Luciam Chriſti Martyrem Virginémque inter majores numerabant: nam Cæſarauguſtani ex Hiſpaniâ cives fuêre, mutatis ſedibus Neapoli habitantes. Inter poſteros verò maximi nominis innocentiſſimus *Agnel-*

lus fuit, hoc enim filio voluerunt eſſe nomen.

Sterilitas. Multorum annorum ſine prole matrimonium non vanam perpetuæ ſterilitatis ſuſpicionem fecit, non tamen prolis deſiderium ſuſtulit, quam Deo per Virginem nullo non die offerebant; ne duo tantùm eſſent Virginis cultores. Commodùm ad muros ſacellum ſtetit, cæteris templis commodius, quia vicinum, altare unicum ſacello ornamentum dedit, & altari hæc, de quâ loquor, Imago. Huc detulêre ſua cum precibus deſideria, importunitate Virgini non opportuna ſolùm, ſed & grata. Triginta omnino dies fuêre, quibus *Ioanna* (hoc uxoris nomen fuit) hæc ſua & mariti vota ferventiùs Virgini explicuit.

Oratio. Ipſo itaque *Annunciatæ Virginis* die, qui trigeſimus fuit, cùm Ioanna, auctâ miris modis fiduciâ, eadem Deiparæ ingereret, fulgor Cæleſtis Imaginem illuſtravit, & vox audiri cæpta eſt: *Confide filia, filius tibi dabitur. Hunc, quia ſuavitate morum ſæculum bonorabit*, Agnellum *voca: in hoc templo magnam vitæ partem vivet, & in cauſa erit, ut Neapolitanæ urbi multas gratias faciam.* His dictis, & vox audiri deſijt, & videri Cæleſtis fulgor. Audijt hæc, narrante conjuge, maritus: non tamen antè credidit, quàm uxorem videret gravidam, actæ ab utroque gratiæ eodem in ſacello, dum exire domo Gratitudo. vetaret inſtans partus. Puer *Agnelli* nomen, dum ſalutaribus aquis ablueretur accepit, & lætitia domum paternam implevit tantâ ſobole felicem. Optaverat Ioanna exire, & filium Virgini offerre: ſed ſacris profaniſque legibus inhibita, minùs tam longam moram tulit, donec tandem vigeſimo à puerperio die inter gaudia domo erupit, & *Agnellum* ſuum ei attulit, à quà accepit. Hic enim verò novo miraculo res geſta eſt: nam Miraculum. Virgo infantis linguam ita diſertam fecit, ut puer conſpectam in altari Virginis Imaginem ſalutaret verbis Angeli Gabrielis, & voce diſtincta verba ſalutationis Angelicæ *Ave Maria*, pronunciaret. Ave Maria.

Crevit puer ætate, ſapientiâ & gratiâ apud Deum & homines, ac quotidie cum parentibus adfuit ſacroſancto miſſæ officio, quod hic fieri parentes curârunt: dum grandior factus ſolitudinem urbi prætulit, & ne ſolus eſſet, vivere cum Deo ſolitarius voluit in rupe, quam natura in tanti viri habitationem jam dudum cavam fecerat. Septennio inter Superos tranſacto ſpectabilem ſe ei Deipara exhibuit, & verbis, qualibus Amantes ſolent, Agnello ſuo exprobravit, cur Imaginem ſuam deſeruiſſet, ut vita pænitentiæ ipſi præ alijs placeret, poſſe & hanc inter civicos tumultus haberi: nolle ſe virtutes, quas à ſe accepiſſet, latêre in antro, prodiret proinde in publicum, & ægris hoc in loco ſerviret, ubi inter Charitatis pia officia plus uno die mereri, plùs ſibi placere poſſet, quàm centum annis inter antri anguſtias recluſus.

Paruit *Agnellus*, &, quà viam Deipara monſtraverat, conceſſit. Fuit, cùm Neapolis ſanctum hominem mirata, intellexit quoque, hujus

hujus ſacræ Imaginis pio cultu ſterilitatem conjugum ſublatã. Hinc cultus Imagini auctus à populo: cúmque pari beneficio plures à Virgine bearentur, è ſacello templum factum eſt, quod anno 1516. *Leo X.* Canonicis S. Auguſtini contradidit, qui hodie in adjuncto Cænobio Imaginis miraculoſæ cultũ Inſigniter curâ, exemplo promovẽt.

Cæterùm ſi quæras, quot antè annis Imago ſacra, quæ Græcam pietatem ſpirat, ſacello illata ſit, neminem eſſe puto, qui quærenti reſpondere queat. Illud auctor, unde hoc accepi, affirmat ex Inſtrumentis antiquis, *S. Silveſtrum*, cui Eccleſia *Conſtantinum* Imperatorem debet, hoc in altari miſſæ ſacrificium celebrâſſe: unde ducentis ante Agnellum annis ſtetiſſe conſtat. Plura auctor congerit in laudem hujus ſancti, quæ adderem, ſi non aliena eſſent à ſcriptione de Imaginibus cæterùm Deipara de *S. Agnello* in hodiernum diem Neapolitanis eſt in theſauris, quia gratiarum theſauros petentibus Neapolitanis hodiéque non denegat. Felix Aſtolfi. l. 2. S. Sylveſter.

CCXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN CAMPO TRIVMPHI.
Granatæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Integra Deum paris, nævo immaculata.*

1. Nemo Virginem gratis honorat.
2. Statua in foro.
3. Peſtis remedium.

EST in urbe Granatenſi Illuſtriſſimum pietatis teſtimonium, quo cives in Deiparam animum teſtantur. *Trophæum B. Virginis* appellavit Magiſtratus, qui id ære publico curavit. Lubet lectori ante oculos ponere, quantum ad me perſcriptum eſt. In urbis aditu, quà Occidentem ſpectat, ingens area advenam feſſum aſpectu ſuo recreat: hæc olim *Campus S. Lazari* nominabatur, ob ædem D. Lazari vicinam. Hodie *Campus Triumphi* vocatur propter Trophæũ Deiparæ, quod inſigni ornatu campum omnem celebriorẽ reddit. Campus. Videre hîc eſt columnam baſi ſuæ ad architectorum leges erectam. Altiorem eſſe illâ, quam olim Romæ Traianus Imperator in foro ſuo ſibi poſuit, hodiéque Statuam S. Petri ſuſtinet, ad me perſcripſit, qui utraque vidit, quam infra cito, imò & tenuiorem, quia, ut autumo, ordinis compoſiti eſt. Baſis tota unà cum Capitello ex candidiſſimo marmore eſt ad Alabaſtri invidiam, Paſſim per omnem Stylobatem circumſcrpunt Angeli inter flores & folia ludentes, eodem ex marmore, niſi quòd alicubi aurum miſcuerit artifex venuſtati augendæ. Columnas. Ipſi columnæ inſiſtit Deiparæ Statua ſitu precantis, humanæ par altitudini, ſi oculo decepto credas. Conſtat operi ſuus candor tot annis, quem in alijs ſtructuris, & ſolis æſtivus ardor obſcurare ſolet, & hyemis frigora nivéſque nonnunquam omnino vaſtare. Baſis undique clathris ferreis defen-

ditur, ad viginti pedes in ſingula latera porrectis. His duodecim inſiſtunt lampades, noctibus ſingulis accendi ſolitæ.

Pestis. Gratis Virgini non poſuêre tam nobile monumentum Granatenſes: Lues namque peſtifera, quæ omnem latè Bæticam miſerè depopulata eſt, hanc Statuam veri-ta Granatam ingredi non eſt auſa. Hinc cultus S. Statuæ major, ex privatorum miraculis nullum petito, quando publicum hoc ſufficit ad titulum miraculoſæ. Experientia docet, columnas cum Statuâ Deiparæ in foro poſitas publico plurimum prodeſſe. R. P. Alfonſus Rodriquez S. I. è Provinc. Bætica.

C C X X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E L E C T O,

Piſtorij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, Animata ſummè pura, à Rege dulci nato.*

1. Anathema inſolitum.

2. Capilli B. V.

3. Manus curioſa punitur.

DEcubuit in hoſpitali D. Ioannis Apoſtoli anno 1226. puella morbo oppidò tædioſo, quia incurabili: jámque ſeptennium lecto affixa, vitæ pertæſa cælum ſuſpirabat: cùm ecce, B. Virgo inter Cæleſtes fulgores decumbenti ſe videndam præbet cum filio, & momento citiùs ſanam valentémque reddit, grandi profectò & raro miraculo, quod ipſum majore alio confirmâvit, Imagine ſuâ in muro relictâ, geſtu abeuntis puerúmque IESVM ferentis. Pueris quoque non procùl ſtantibus viſa Deipara imperavit, huc vocarent è vicino D. Laurentij templo *F. Philippum Rapa* Auguſtiniani ordinis ſacerdotem, ſed is ſacro tribunali intentus, inſuper habuit, quod pueri jubebant, iidem, tamen iterum à B. Virgine miſſi, juſſerunt prædicare pænitentiam, ni malint filij ſui iram experiri, quot ſi pueris fidem non haberet, ſaltem Imagini crederet, quam ipſa reliquerat in muro.

Miraculum. Confeſſio. Peſtis.

Secutâ peſtifera lues quadriennio, pòſt non vanas fuiſſe minas, plùs quàm volebant Piſtorienſes, probavit. Cæterùm inſolens pictura cives accivit. Concurſum undique eſt: Imagini nomen *Gratiarum* datum: ad hoſpitalem domum comportatæ à peregrinis divitiæ? locus in Oratorij formam compoſitus, lectus quoque ipſo in Oratorio collocatus, lana, lino, plumiſque inſtructus. *Petrus Forſiguerra* è nobilitate Piſtorienſi non poſtremus, ære ſuo ex Oratorio templum fecit, hærdémque Virginem ex aſſe inſtituit ſolenni teſtamento, titulúmque loco dedit, *S. Maria de Lecto*, Annuente Clemente VII. anno 1526 ex hoſpitali factum eſt Cænobium Virginum, ægrorũ habitatione aliò tranſlatâ. Cænobium.

Porrò cur S. Auguſtini Moniales hunc præ cæteris locum obtinuerint, non reperio. Credibile eſt,

eſt, id à Piſtorienſibus factum; ſive quòd ejuſdem Ordinis Viri templum S. Laurentij vicinum obtinent, ſive quia Deipara ex hoc potiſsimùm ordine primum miraculoſæ imaginis admiratorem ſelegit, vocavit. Tribus jam ſæculis pietas Piſtorienſium civium hanc S. Imaginem in veneratione habet; quin etiam lectum, in quo ægra decubuit. Feſtis præcipuis, diebúſque Sabbatinis omnibus Litanias Deiparæ Lauretanas Virgini decantant præcipui Urbis ſymphonaſci, ære perpetuo conducti: finémque faciunt feſto, tubæ læto & triumphali ſono, quod vix alibi fieri invenies. Feſto Aſſumptæ Virginis toto meridiano tempore ſpectanda S. Imago præbetur, Clero è principe templo omnem feſtam pompam huc transferente. Adſunt feſto die omnes urbis Magiſtratus, inter quos loco ſuo ſedent duodecim executores teſtamenti *Petri Fonſeguerra*, cujus ære templum ſtetit. Sex horum ex ipſa nobiliſſima fundatoris familia, ſex reliqui ex alijs cognatis familijs ſunt. Miraculum hoc menſe Auguſto contigit, S Imago, ut ſuprà dixi, volantis geſtum habet: pallium, quod in aëre ludit, album eſt, & lilijs ſparſum IESVLVS faſciâ albâ involutus, quam limbus è panno rubeo diſtinguit.

Lectus.

Feſtum.

Imago.

Imago S. extra Virginis aſſumptæ feſtum populo nunquam monſtratur, hæc tamen gratia fit omnibus, qui per quadrageſimam in hac urbe conciones ad populum habuêre. Capilli Virginis adeò ad verum ſunt picti, ut à pluribus credantur veri. Experimentum hujus tentavit ſacerdos, cæterà pius, ſed malo ſuo, brachium namque unà cum temeraria manu obriguit in curioſitatis pœnam, terrore quoque injecto, qui homini ſuaderet abitum, ni pejora vellet experiri.

Sacerdos.

Hujus miraculoſæ Imaginis narrata origo litteris Epiſcopi Piſtorienſis probari non poteſt: prohibuere juſtum examen bella civilia factioſæ urbis: ſiquidem negligentia eorum, ad quos pertinebat, abfuit. Probat tamen originem ſuam ipſa Imago, longè ſuperans artem illius ſæculi. Ad hæc traditio non interrupta, pietas populi continua, & quod mirum, lectus totus atque idem ipſe ipſo in templo à tot Epiſcopis toleratus, imò ornari pretioſis tegumentis ſolitus, more fortaſſis alibi non viſo, ad caput lecticæ ſub Imagine Virginis depicta hos caracteres legere eſt: A. D. 1336. ad ampliùs annis hæc ligna lecticæ durant, eadémque, quæ olim ex lana, lino, plumíſque ſubſtrata ſunt ægræ, in hodiernum uſque diem durant, denique anno 1637. Intuentium commoditati locus lecto aptatus eſt, infra templi pavimentum pulcherrimâ architecturâ, quantum ſatis eſt, depreſſus & lecti capax, ſuprà ambitur cancellis, quibus innixi, qui ſpectatum veniunt, videre theſaurum hunc cum veneratione poſſunt, ad extremum miracula omnem ambiguitatem tollunt, quæ tanta ſunt, ut librum facere per ſe queant. Hæc ad me R. P. Vincentius Ficherellus Rector Coll. Piſtorienſis Soc. IESV.

Traditio.

Lectus.

CCXXXVII.

CCXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VALLE.
Eciſæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura enites O Regina munda immaculata.*

1. Architecturæ pietati nociva.
2. Antiqua non debent deſtrui.
3. Peſtis remedium.

ASTigi, vulgò *Eciſa*, novem leucis Seviglia diſtat, paucis paſſibus extra urbem, ad ripam fluvij ſingulis (vulgo *Genil*) RR. PP. Hieronymiani templum ibi habent, & in eo Statuam Deiparæ, quæ *à Valle* nomen accepit. Antiqua hìc pietas eſt: nam hìc *S. Florentiæ* Cœnobium ſtetiſſe ferunt tempore Gothorum, creditur S. Statua. huic Virgini Statua hæc dono data a Fratre ſuo *S. Fulgentio* Epiſcopo, & ab illis uſque temporibus hoc in loco coli.

Vidit, qui hæc ad me perſcripſit, in ipſo Monaſterio cellulam S. Florentiæ turriculæ inſtar, ſæpéque eam luſtravit, & veneratus eſt, eam tamen architecti, ſymetriæ potiùs quàm pietatis amantes, magno piorum dolore ſolo æquârunt. Cæterùm Imago opus ſculptoris eſt commendati, & puerum IESVM brachio geſtat. Creditur à *D. Gregorio Papâ* S. Fulgentio Epiſcopo Aſtigitano dono miſſa: quemadmodum ab eodem miſſa eſt *Quadalupana* S. Leontio Hiſpalenſi. S. Leontius. Latuiſſe hanc, de quâ loquor, tempore Gothorum, propè verum eſt, quis iterum, quando, aut quomodo in lucem protulerit, ſcriptum non invenitur, vix dici poteſt, quantus urbis ampliſſimæ affectus ſit erga hanc S. Iconem, ſiccitas, peſtis, fames, bellum ubi ingruunt, huc curritur: hic remedium poſtulatur, & invenitur, ut alia prætercam miracula, quæ, quia communia ſunt, prætermitto.

Hæc ad me R. P. Alfonſus Rodriquez Societatis IESU.

CCXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VEZZANO.
Vezzani in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratià plena, Dominus tecum.
Anagr. *Tu Regina, tu ſine rea macula pomi Adam.*

1. Radius è Cælo.
2. Quem B. V. terret, erigit.
3. Stante Maria jacet peſtis.

NOndum è memoria abijt Vezanenſium illa peſtis, quæ anno 1523. plurimas Genuenſis reip. terras afflixit. Vezanenſes pleriq; relicto pago ſuo, in campos migrâ-

grârunt: inter quas *Catharina* tertij Ord. S. Franciſci, fæmina pientiſſima. Hæc tertiâ Iunij anni prædicti, cum ferventius precibus incumberet, radiũ ex ipſo cœlo lucidiſsimũ ad ſe uſq; deſcendere vidit.

Res inſolita fœminæ terrorem incuſsit tantum, ut, animo linquente, in terram prona ceciderit: ſed & adfuit deliquio huic ſuum remedium, fragrantia Cœleſtis omni Balſamo noſtro potentior, quæ vires quamprimùm reſtituit, fecitq; ut attollere caput auderet, quin & Adventus. circumſpicere: & ecce, Virginis Deiparæ Iconem brevem, quam radius hîc è cælo detulerat, adhuc radijs illis lucidiſſimis cinctã. Non auſam præ timore loqui Catharinam, Deiparâ clarâ voce alloquitur: &, ne timeas, inquit, *Catharina, quia Deus propter meam interceſſionem, & orationes tuas parcit populo, pro quo rogâſti. Vade Molinellum*, (hoc loco nomen eſt) *dic, ut incolæ ſe emendent, & cum filio meo per pænitentiam ſe reconcilient, nec peſtem ampliùs timeant.* Catharina nil læti oſtendit adhæc in vultu: &; *ah, quæ mihi fides apud Archipresbyterum, tanta miracula & apparitiones afferenti?* Noverat quippe hominem Catharina, ejúſque docta & ſingularis prudentiæ Prudentia. examina circa viſiones. Optâſſet cuicunque hanc graviſſimam nuntiandi provinciam deferri, quam nec ipſi Deiparæ ſine lacrimis & totius corporis tremore fuſiùs explicare ſuſtinuiſſet. Nempe hæc Sanctarum fœminarum adverſitas plerumque duriſsima fuit, ab ignatis regi, ditigi, torqueri, affligi. Silenti itaque & trementi durior inſtat B. V. *Vade*, inquit, *invenies fidem*.

Catharina ad eos primùm ivit, quibus ſanitas publica ex officio commendata erat, ne ſilere præcipiti imperio juberetur à presbytero: invenítq; promiſſam à B. V. fidem, hi Archipreſbyterum ad locum à Catharina monſtratum deducunt. Inveniunt S. Iconem. Commotus Archypresbyter (quod Catharinæ omnia aſpera timenti pro miraculo erat) afferre jubet ſuperpellicium, Ceremoniæ. ſtolam, aquam benedictam, quin & Calicem, in quem cum debita veneratione brevem Deiparæ ſtatuam quàm decentiſſimè collocavit, &, populo comitante, in Oratorium intulit S. Sebaſtiano dedicatum, Nec diu ſine miraculo hic S. Statuã fuit, ſtante itaque in ſuâ ſede Statuâ amplius peſtis non potuit: nemo ampliùs mori, nemo ægrotare viſus.

Populus undique concurrens, referens pro fugatâ peſte gratias, etiam gratias retulit, & quidem miraculoſas. Hinc nemo fuit, qui non in fabricam templi conferret pecunias, quod hodiedum apud Vezanenſes videtur. Quin & eo ipſo in loco, ubi S. Statua primùm conſtitit, ad molinellum Oratorium non invenuſti operis erectum eſt. Quod à Populo annuatim 3. Proceſſio. die Iunij ordinatâ ſupplicatione aditur neque enim ultra tria paſſuum millia diſtat, & ſolenni Miſſæ ſacrificio gratias novas pro antiquo beneficio reddit. Aliqua ex miraculis ad me preſcripta ſunt, teſtibus idoneis probata: quæ tamen, quia alijs, quæ paſſim alibi fiunt, non abſimilia ſunt, omitto. Hæc ad me *R. P. Io. Bapt. Calani S. J.*

CCXXXVIIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE NIEVA. *Segoviæ in Hiſpania*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En! tu immaculata Deipara Virgo manes.*
1. Arcentur ab aula pauperes.
2. Legatis B. V. credendum.
3. Cerberi in aula.

Nieva oppidulum eſt prope Segoviam. Hic res omnino mira accidit. *Petro* cuidam Opilioni Deipara ſe in campo videndam præbuit. Iuſsitque properare Segoviam, quinque leucis diſtantem, monereque Epiſcopum *Ildefonſum de Prias*, huc veniret, & ſuam Iconem in caverna latentem erueret, ſtructoque templo honoraret; ſiquidem ſe hic propitiam eſſe velle. Opilio. Paruit Deiparæ Opilio, & palatium ingreſſus, à famulis non niſi riſum tulit, quærentibus, ubi infulas tantæ legationis reliquiſſet. Vbi demum per plures Cerberos ad ipſum Epiſcopum penetravit, admiſſus Opilio jam ſe ipſo auguſtior, ruſtico apparatu eloquentiam ſuam orditur, & jubenti propior, quàm roganti, mandata Virginis deponit.

Epiſcopus. Optavit Epiſcopus vera eſſe, quæ dicebantur. Quia tamen nihil afferebat ruſticus tantâ fide dignum, hominem dimiſit: oves curaret, Superis curæ futurum, ut, ſi quæ ſibi fieri vellent, per alios monerent. Ille ad oves reverſus, cùm iterum Virginem videret, quin & increpantem audiret, lacrymis perfuſus rogavit, alium mitteret, cui fides major apud Epiſcopum eſſet. Illa erectum remittit ad Epiſcopum, eadem dicere, ſed urbaniùs, jubet. Quod ſi iterum, inquit, Epiſcopus fidem habere nolit, hunc ei lapillum date: Lapillus. Simùlque lapillum porrigit venuſtiſsima Virginis imagine, ſeu arte ſeu naturâ, decorum. Hoc viſo, volentem Epiſcopum huc duces.

Iterum in aula viſus Opilio, iterum mediaſtinis pro morione fuit: ſed admiſſus ad Præſulem, poſtquã, quæ nuper dixerat, repetijt; iret nempe, & imaginem Virginis in ſpecu quæreret, repertàmque novo templo honoraret, finem dicendi fecit: prolatóque lapillo, velut veritatis teſſerâ, ſermonem confirmavit ſequente hoc ſigno. Veneratus lapillum præſul magno ære commutâſſet, niſi ruſticus ſuum eſſe, & vitâ chariorem affirmaſſet. Nec auſus eſt Epiſcopus Virginis metu vim Opilioni inferre. Perſeverantia. Ad locum venit ordinato in pompam Clero, nec magno labore imaginem Deiparæ ſub terra invenit eo loco, quo ruſticus fodiendum eſſe, toto brachio monſtrabat.

Regina Hiſpaniæ, quæ ipſa locum inviſit, templum ære ſuo exſtruxit. Inter cætera miracula hoc mirum: ferreos clathros, qui paſſim per templum arcendo populo facti conſpiciuntur, non alio è ferro confectos, quàm quod à Virgine libe-

liberati captivi formâ figuráque compedum huc tulêre. Hæc circa annum 1392. Contigiſſe memorât *Didacus Colmenarius* in monumentis Segovienſibus, & ex eo *R. P. Rec. Segovienſis* ad me perſcripſit.

C C X L.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SAXO. *Locarni in Italiâ.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Eniteris Deum ô Agna pura, immaculata.*

1. *Felix inſomnia.*
2. *Lætitia Cæleſtis.*
3. *Conditio apparitionum.*

CEleberrimum, quod Deipara Locarni habet templum, de *Saxo* nomen accepit, in quo inter fulgores cæli, nocte mediâ, ſpectabilem ſe uni præbuit Deipara. Is fuit *F. Bartholomæus de Inurea* è D. Franciſci familia. Felix inſomnia, quæ hominem è cella direxit in Cœlum, cujus intuitu ſorderet terra. Solaturus itaque aurâ nocturnâ inſomniam ſuam, omnem latè regionem circumſpexit: præ cæteris rupibus ſaxum quodpiam ei in delicijs fuit, cui inſiſtentem Virginem Deiparam Cæleſti luce circumfuſam videbat.

Lucem, quæ, in oculos incidit, ſecuta eſt lætitia, qualis in cor hominis illius nunquam aſcendit. Raptus admiratione Majeſtatis, immotus ſtetit, divina patiens; dum mediâ nocte tranſiens illac ad Matutinos in templo cantus fratrum quiſpiam, ſic attonitum miratus, prehenſum brachio ad ſe redire coëgit. Ille, *Privâſti me*, inquit, *Frater, ingenti conſolatione.* Nec aliud ſubjungens, matutinis in templo cantibus interfuit. Cæterùm attonitæ mentis argumenta cùm non bene in vultu temperaret, rogatus à præſide eſt, quid vidiſſet. Ille; *Virginem*, inquit, *vidi Deiparam Saxo inſiſtentem, cæleſtibus radijs illuſtrem: atque utinam per te, Pater liceret illi me Saxo committere, & cælo mihique vivere! Locus Virgini placet: quid ipſa velit adhuc ignoro, tempus dabit.* Generali Ordinis, *Fratri Franciſco Samſoni*, petitio ſubditi cæterà boni non diſplicuit.

Conceſſa itaque ei eſt libertas vitæ ſolitariæ, ſed & loci Dominus ea ſuper re conveniendus fuit, de *Maſſina* familiâ. Is intellecto, placere Virgini Saxum, liberaliſſimâ donatione proximo Franciſcanorum Cœnobio, & Saxum, & circumjacentem Saxo planitiem ceſſit, litteriſque ritè donationem firmavit, ante omnia extructa à Fratribus B. V. eſt ædes, & novo æditus *Bartholomeo* ædicula. Hæc prima fuêre principia, quæ brevi tempore magnis incrementis aucta ſunt, maximè poſtquam accurrens undique populus auxilia ſenſit malorum, quibus quiſque ſe premi querebatur. Templum poſtea è domo factum anno 1487. 17. Calend. Iulij Virgini, quà licuit pompâ dedicatum. Locum Thaumaturgum bis *Carolus Borromæus*

romaus notiſſimæ ſanctitatis præſul, & Mediolanenſium decus unicū, acceſſit, primus anno 1567. quinto Octobris, dein triennio pòſt, anno 1570. quarto Augusti menſis die. Ita Relatio impreſſa Comi.

C C X L I.

Imago B. V. Miraculoſa.
REGVM.
Seviglia in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Aureaſcala, te non premit jugum Adam.*

1. B. Virginis aulici.

2. Gratitudo magnes beneficiorum.

3. Gladius regis.

Fama eſt, Duas DeiparæStatuas Hiſpalim (quæ hodie *Seviglia* eſt) eſſe allatas à *Ferdin.* rege, quem Hiſpani *Sanctum* vocant. Altera argentea eſt, & colitur in altari principe ſummi templi: altera lignea, & juſtæ Staturæ ſedet, puerúmque IESVM manibus tenet. Hæc à *Regibus* nomen habet, ſive quia in ſacello Regio eſt, ſive quia à Ferdinando rege contra Mauros intra primos militum ordines ſemper collocata eſt: refértque conſtans fama, in oppugnatione urbis Hiſpalenſis Regem Ferdinandum à Virgine doctum eſſe, quibus modis Maurorum machinas everteret. Appa-ritio.

Expugnata urbe Bæticæ metropoli, Maurorum *Meſquitam* Virgini tantiſper conſecravit, ſtatuámque magnâ pompâ intulit; dum novam ſtrueret, cujus dedicatio, menſe Majo, die undecimâ celebratur peculiari officio, in cujus lectione quartâ hæc, quæ dixi, memorantur. Cæterùm plures per annum dies hìc celebrant Hiſpani. Aſſumptæ in Cælum Deiparæ feſtum peculiare eſt agricolis, qui magno undique numero affluunt, menſe Septembri, feſto S. Clementis, quo die Rex urbem ingreſſus eſt regio apparatu, ornatur, Cultus. S. Statua, & publico exponitur, regis quoque corpus in tumba videre Hiſpanis dulce eſt, & gladium, quo heros domuit Saracenos. Omnia hæc ſuperat ſupplicatio, quæ octavâ dedicationis die per urbem cum S. Statua inſtituitur, quam ſummi infimíque comitantur, ut Virgini plures victorias pietate ſuâ extorqueant, cùm videt non iningratos cadere beneficia, quæ ipſa è cælo depluit.

Tanto hodie in honore eſt hæc S. Statua, ut à Regijs miniſtris cuſtodes præſidiarij conſtituantur quos *Armorum Reges* vocant. Hi togati, clavâ argenteâ armati, piæ foribus adſtant. Acubiculis Deiparæ Cenſura. velut Imperatrici nobiliſſima quæque virginum deligitur, quibus omnibus regio diplomate hæc officia aſſignantur. Tanta porrò in hac S. Statua Veſtienda eſt religio, ut hoc officium non niſi Canonicis permittatur, numerus denique miſſarum, quas vel Capellani regij, vel alij ſacerdotes ab ijs conducti legunt. Qui votiſereos agnoſcunt, tantus eſt, numerus

ut

ut notari deſierit. Ex vita Regis Ferdinandi Auctore Reverendo Patre Ioanne de Pineda Soc. IESU.

CCXLII.

Imago B.V. Miraculoſa.
DE IGNE.
Faventiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo ſerena pia, munda, & immaculata.*

1. Rubi ardentis æmula Imago.
2. Quod lucroſum eſt bis magnum eſt.
3. Damnum compenſatum.

AB *Igne* nomen habet hæc Deiparæ miraculoſa Imago, quia ab igne læſa non eſt anno 1564. qui tamen, neſcio quâ hominum vel incuriâ, vel malitiâ ſubjectis ædibus in tectum uſque graſſatus eſt; & omnia ſua fecit, nec lignis, nec ipſis lapidibus parcens: dum inter ſolos totius domûs cineres demum conquieſceret, & ſopiretur; nihil hîc illæſum nihil integrum reliquit, ipſam adeò lecticam, cui affixa Imago erat, abſumpſit, ſolam hanc Deiparæ Imaginem (Imago.) reveritus: ut vel ab Elemento cæteris ferociore homines diſcerent; cultum exhibere & reverentiam Imaginibus Deiparæ, vel ſi hoc nollent, certè nullâ afficere injuriâ.

Cæterùm Eremita neſcio quis dono eam dedit mulieri è paupertina tribu, utique pretium tanti muneris ignoranti: cæteroquin hæc alteri mulieri *Paulæ* ſex infimæ ſortis nummis non vendidiſſet. Hæc (Lectus.) Paula Imaginem ſuam affixit lecticæ, miraculo certè & igne illuſtrandam, ſed quis hæc domi ſuæ miracula optet? Noli, lector, hoc ex facto de Virginis liberalitate dubitare: ſiquidem ſi quæ Virgo damma infert, abundantiſſima liberalitate compenſat, crediderim quoque, vel ipſos cives pretium combuſtæ domûs quàm primùm Paulæ numeraſſe. Imago porrò templo illata, in hodiernum diem inter miraculoſas habetur à Faventinis, ut ait Ioann. Baptiſt Alberti.

CCXLVIII.

Imago B.V. Miraculoſa.
DE ATOCHA.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Io, Agna immaculata en parturies Deum.*

1. Impietatem excuſat pietas.
2. Gladius ſanguineus ferox.
3. Virgines rediviva.

FElix fuit Hiſpanus Dynaſta *Ramirius*, qui, ut vel è Navarræ Hiſtorijs conſtat, filium habuit *Sanctium* Navarræ & Aragoniæ Regem, hoc, ſi cætera deeſſent, glorioſum, quòd, comite *Alphonſo* Caſtellæ Rege, Toletana ex urbe Mau-

ros ejecerit. Cæterùm conſtanti ſæculorum famâ apud Hiſpanos felicior filio ſuo Ramirius Pater (ſi tamen hic ipſe eſt Ramirius) favore Virginis celebratur. Refero tibi Lector rem, de quâ quia Hiſpani non dubitant, digna eſt, quæ tot teſtimonijs nixa etiam apud te fidem inveniat.

Saraceni. Mauri tenebant Hiſpaniam penè omnem, & exciſæ cum domibus urbes alicubi fumabant inter flammas, alibi ſub ſqualore Maurico jacebant afflictæ inter cineres. Mens eorum erat, cum Chriſtianis etiam Chriſti nomen, omnémque Chriſtiani nominis memoriam expungere. Iámque eò deventum erat, ut Ramirius cum paucis ſuorum mortem cogitaret ultrò invenire inter hoſtium vulnera; quando victoriam paucis contra multos cogitare non licebat.

Duas ajunt ei fuiſſe filias, Maurorum libidini paulò pòſt ſervituras. Harum virginea pudicitia fecit, ut iterum vivere vellet, & mortem differre. Cæterùm cùm diu Mauros ſuſtinere ſolus non poſſet, cur hanc, inquit, brevem moram tanti emo! ſed altius & non imitabile Conſilium. conſilium mentem agitabat. Virgini Deiparæ, ſacrificio Chriſtianis vetito ſtatuit victimas dare, ſi non abnuerent.

Filiæ. Itaque in templum hoc vocatas, ante hanc Deiparæ ſtatuam ita allocutus fertur: Filiæ, quò res Chriſtianæ locò ſint, videtis. Immenſas hoſtium copias infert rebus Chriſtianorum acciſis Mauricus furor. Mihi inter vulnera hoſtium mortem invenire, ſtat animo. Sed quid veſter expectet ab hoſte virgineus pudor, ipſâ vitâ pretioſior? quo ſi vitam emetis; moriemini tamen, æternum patris probrum. Si patri non mala ſuadenti creditis, & annuitis, ego vos ante hanc virginis aram victimas dabo hac machærâ, & ſacras faciam, acceptas utique, quia virgines: me hoſtes victimam facient, ſed non inultam. Præite, ſequar. Ita Virgines cum patre pudoris veſtri conſervatore Cælum ingrediemini. Cædes. Illæ, probato patris conſilio, coram hac ſtatua flexis genibus ſe Deiparæ commendârunt, & cervices præbuêre, quas pater mæſtus vix duobus ictibus decuſſit. Pater inter fortes lachrimas abſciſſa Ignominia. capita altari impoſuit Deiparæ, omiſſâ ſepulturæ cogitatione; quia præſentiora urgebant: Jam de filiarum ſalute ſecurus, ſuam quærebat.

Itaque, tinctâ tam ſacro cruore machærâ, ſe ipſo ferocior, cum paucis, ſuorum, cuneis hoſtium ſe miſcuit. Non victoria, non vita ulli eorum præ oculis fuit. Id unum inter Chriſtianos certamen erat, quis eorum plures Orco daret Mauros, priuſquam ipſe cælo inſerretur. At veró alia, quàm Ramirius opinabatur, prælij hujus Prælium. alea fuit, aliter nempe diſponente Deo. Auctum Virginis ope Ramirio robur, auctus ingens & ferox animus ſuffecit in hoſtes, quos in diverſa conſilia panicus timor primum, deinde etiam in fugam egit. Cædes fuit, non prælium.

Incredibilis clades Mauros ita afflixit, ut poſt hac reſpirandi facultatem non haberent. Præda ingens modus tam ſubitò compor- Præda.

tari

tari non potuit: onuſti tamen trophæis domum redibant, Ramirium comitati glorioſum ſimul ac triſtem, jámque vivas optantem filias. Redux in palatium ante omnia, acturus virgini gratias templū petit, & aram, in qua tam charas victimas ipſe paulò antè poſuerat. Sed templum ingreſſus, ſtetit, ſteterunt ei quoque comæ, & faucibus vox hæſit, cùm filiam utramq; vivam, ſanam, & ſalvam obviam habuit. Néve ſpectra putaret; *Pater*, inquiunt, *Reddidit nobis, ut vides, Deipara vitam, quam pudori ſervando virgini, ut ſcis, dedimus: & ut ſcias, nos eſſe non alias, aſpice cicatricem colla ambientem, quam virgo reliquit, cùm capita reponeret, in beneficij æternam memoriam.* Tanti eſt, ô lector! mens bona, etiam recti ignara. Non ego narrationis hujus fidem aliam à te poſco, qui hæc legis, quàm eam, quæ à te dari ſolet graviſſimæ nationi Hiſpaniæ per tot ſæcula hoc affirmanti. Cæterùm ſi vel de Ramirij ignorantia, vel de Deiparæ poteſtate dubitas, Iephten Heroem cogita, qui ſimili errore filiam ſacram fecit: & libros evolve, qui docent, quid B. Virgo poſſit in mortuos. Si inquam, fieri hæc potuiſſe neges, hominum plurimorum innocuam ignorantiam, & Virginis immenſam poteſtatem objicio: ſi verò hæc facta eſſe, ſolùm neges, non me (qui ex diverſis hujus hiſtoriæ narrationibus, ut videre eſt, apud *Sanctium*, & *Nierenbergium in Troph. Mar.* & alios graviſſimos Auctores, mitiſſimam & credibiliſſimam elegi) ſed ſapientiſſimam nationem Hiſpanicam tangis, quæ à pluribus ſæculis hoc credidit verè contigiſſe.

Mira. culum.

CCXLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
HVMILITATIS.
Piſtorij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mira viges munda à culpa.*
1. Sudor miraculoſus.
2. Honor novem menſium.
3. Litaniæ Lauretanæ.

Dudum eſt, cum Piſtorienſi in urbe Imago Deiparæ muro appicta tranſeuntibus proſtabat, nunquam majore affecta honore, quàm plures aliæ ſolent, paſſim in compitis proſtantes. Dies decima ſeptima Iulij Divum Alexium ſub ſcalis vilem ad honores cæleſtes evocavit: Eadem dies ſanctæ huic Imagini initium dedit honorum, quos videmus. Initium, inquam, datum eſſe ſudore inſtar aquæ limpido, quem è fronte ſtillabat. Initio multis viſa eſt ſubeſſe fraus, & pietas in virginem præpoſtera. Sed quia cum populo etiam ij concurrere, quibus inquirendæ fraudis onus cum poteſtate incumbebat; ac ne hi quidem quidquam deprehenderunt, quod fraudem oleret, maximè quia ſtillatio hæc in plures hebdomades ſe porrigebat; decretum denique eſt, miraculū eſſe. Sudor.

Et

Et miraculum augebat, quòd decurrens per planum liquor faciem IESVLI, contrà quàm debebat, deflexo curſu præteriret. Quod ipſum præ cæteris admirati ſunt teſtes oculati quàmplurimi, quos loci Epiſcopus *Franciſcus Gaianus* in diplomate ſuo Anno 1549. dato nominat.

Poſtquam miraculum Magiſtratus ſacer approbavit, concurſus & donaria accepêre augmentum quin & ipſa quoque miracula. Hinc Demum honorandæ S. Imagini ſtructum eſt templum à fundamentis, quod reliqua omnia totius urbis magnificentiâ ſuâ facilè etiamnum ſuperat. Memoriam novem menſium, quibus Deo plena parens uterum tulit, novem lampades argenteæ honorant, quæ & lucem imagini ſacræ, & oleum infirm sabunde præbent. Sed & alio quodam modo hi novem Deiparæ menſes Piſtorienſibus in honore ſunt. Siquidem ante Chriſti Natalem diebus novem exponitur publicè Venerabile Sacramentum, & quotidie de his novem menſibus ad conſertum populum habetur concio. Templi hujus Magiſtratus conſtat ex nobilibus, nec ultra annum durat, vocanturque *Deiparæ operarij*. Per quadrageſimam quotidie ſub horam vigeſimam ſecundam *Litania Lauretana* canuntur, quas populus magno numero concurrens vocat *Laudes Deiparæ*. Refero, quod ad me perſcriptum eſt, paucos eſſe urbis incolas, qui non quotidie hoc Deiparæ templum accedant. Porrò feſta per annum duo potiſſimū ſunt. Primum decimo ſeptimo Iulij, quo ſudor ſacer primùm fluxit: quo die ſupplicatio è templo Cathedrali inſtituitur quàm poteſt ſollenniſsima, offerente urbis Magiſtratu ceram in multos menſes ſuffecturam. Alterum Feſtum, quod eſt translationis, in quartum Decembris incidit. Ita ad me R. P. Vincentius Fikerellus Rector Col. Piſt. Soc IESV.

Templum. Magiſtratus. Feſtum.

CCXLV.

Imago B. V. Miraculoſa. HOCHBERGENSIS. *Hochbergæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Euge munda ſine pari orta, immaculata.*

1. Auorum negligentia.
2. Nepotum diligentia.
3. Pietas cadit cum muris.

DIſtat Pagus Höchberg Herbipoli horâ unâ ad radicem montis ſitus, cui munitiſſima arx inædificata eſt, totius Franconiæ præcipuum munimentum. Hoc in pago templum eſt Deiparæ ſacrum crediturque ab incolis fide majorum, fuiſſe omnium primum totius diœceſeos Herbipolenſis: ſi ea, quæ in urbe à primis Frāconiæ Apoſtolis excitata ſunt, excipias. Hinc mirum non eſt, unà cum muris etiam populi pietatem labefactatam con-

conſueto ſenij vitio, eo præſertim ævo, quo ſub Luthero omnia ſacra viluêre.

Auorum negligentiam correxit Epiſcopus *Godefridus*, Deiparæ præcipuus cultor, qui templo priſtinum cultum reſtituit anno 1620. quem etiã auxit ejusſucceſſor *Philippus Adolphus*. Ita quoque pietas erga ſtatuam vetuſtiſsimam & renovata, & aucta ſimul eſt. Placuiſſe Virgini operam teſtantur anathemata eorum, qui ſe voti reos, ijs appenſis, teſtati ſunt. Hæc ad me R. P. Riquinus Gö!gens Provincialis Soc. JESU. Pictura.

CCXLVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MONTE NIGRO,

Livorni in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.

Anagr. *Amata pia, munda, Cælum terræ jungis.*

1. Primi favores.

2. Vox è Cælo.

3. Paſtor ſocius Angelorum.

Elevati operis hæc Virginis imago eſt, quam lapicida in ſaxo prægrandi ſculpſit. Si fidem *Joanni Baptiſtæ Alberti*, habemus, cætera probato auctori, anno 1345. è nigro ponte in nigrum montem allata ab Angelis eſt, & medio in campo primùm ad radicem montis depoſita. Et poterant ſanè in ipſum uſq; montem hoc vnus portare non debiles bajuli, niſi virgo paſtoritium hominem laboris ſocium deſtinaſſet. Js audijt, ſe mediâ die in campo aperto bis térue de nomine inclamari voce, quæ vocantem indicaret non longè abeſſe: & pervagatus eſt ſanè oculis non indiligentibus agrum univerſum, nec tamen erat cui reſponderet.

Imago. Interea tamen in oculos incurrit Saxum Imagine Virginis inſigne, paucis ab eo paſſibus in agro abjectum. Quis, inquit, tantam molem huc tulit Hercules? tot jam diebus, imo tot menſibus, nullo non die locum, præteribam, & molem hanc nunquam vidi ut cæcus ſemper fuerim, poterat ſanè, imò debebat pes tanto ſaxo impactus monere incurium. Dum hæc ſecum loquitur, iterum vox ad illum: Tolle, inquit, ſaxum hoc, & montem verſus, quantum per vires licuerit, porta: ſuffficiet vires, quæ jubet Virgo: ibique depone, ubi auctum ſaxũ pondu, vetabit te porrò progredi. Ille ad omniá promptus ſaxum, cui plures non ſufficerent, non gravatè ſuſtulit, illudque in locum ubi hodie, eſt deportavit; utiq; poſtquam ſaxo redditum eſt tantiſper ademptum pondus, & vires homo deprehendit ſolito non amplius majores. Urbem ille petit quinque millibus diſtantem, & lacrimis, quas ingens gaudium expreſſit, civibus ſuadet, irent viſum prodigioſum ſtatuæ pondus; quã tamen ipſe ſine ſocio ſolus huc portâſſet. Viſus eſt homo vera loqui, quando nemo fuit, cui ſaxum hoc unquã in oculos incurriſſet. Ita que quia fuêre, qui primos Virginis Vox. Miraculum.

ſavores captabant; fuêre quoque, qui votorum rei prima dona ferrent: quibus moniti cæteri ſuas quoque quiſque miſerias Virgini queſtus eſt, & pios queſtus ſecuta miracula ſunt. Hinc ſacellum, & ex ſacello templum, & denique adjunctum Religioſorum Cœnobium. Ioan. Bapt. Alberti lib. 2.

CCXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa. COLMARIENSIS.

Colmariæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Auri lampas, grandem Avi noctem evita.*

1. Manûs miraculum.

2. Riſus mundi.

3. Peccatorum oblivio.

COLmaria Alſatiæ Urbs hodie fortibus & decôris vallis munita, tota nunc hæretica eſt, ſi duo templa excipias: primum Ordinis Teutonici; alterum RR. PP. Dominicanorum, qui etiam Cœnobium habent, quò recurſum habent famuli famulæque aliunde è Catholicis urbibus huc venientes. Stetit hìc olim Sanctimonialium quoque ejuſdem Ordinis Cœnobium, in quo *Gertrudis* quædam inſignis Sanctitatis Virgo memoratur vixiſſe circa annum 1247. Hæc coram ſtatua Deiparæ lignea, quæ IESULUM gremio tenebat, inſtantiùs ſolito precabatur beneficium, quod orando promerita eſt; ſanè inſuetum eſt. Gratia. Rogabat illa remiſſionem peccatorum. IESULUS petenti non modò annuit, ſed etiam clarâ voce reſpondit: *Soror Gertrudis, promitto tibi, & fidem meam obſtringo, te nunquam à me & Matre mea derelinquendam; egò verò jam propitius ſum tibi, & peccatis tuis, quæ etiam è memoria tua excident.* Gertrudis acceptâ hâc à IESULO conſolatione, manui ſuæ inſeruit IESULI manum dextram l gneam, quæ ſubitò à brachio ſuo ligneo avulſa eſt, & in manû Gertrudis hæſit. Miraculum. Riſum impijs movit ridiculum avulſæ manûs miraculum, quod patrare impius quiſque poſſet, cùm vellet: ſed riſum tenuêre inimici, poſtquam viderunt, nullo unquam glutine coaluiſſe cum brachio ſuo manum: probati ſunt alij quoq; modi, qui manum brachio jungerent; inventus eſt nullus. Hinc S. Statuæ honor publicus. Non tamen ad tempora noſtra pervenit, invidentibus hæreticis tantum theſaurum. Obijt Gertrudis, ut vixit ſanctiſſimè, anno 1247. ut ait Coquetius lib. de viſcerib. B. Virginis erga Ord. Dom.

CCXLVIII.

CCXLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. ANNVNCIATA. *Florentiæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo altè micas, anima pura ante Deum.*

1. Angelus opifex.
2. Pietas principis.
3. Angelus pictor.

QVis Florentinæ Vrbi ſenſus ſit, cùm de hac Virginis Icone ſermo inſtituitur, lector credere ſcriptori non poteſt, quando vix oculis ſuis credit, qui præſens eſt. In parte felicitatis numeravi ego, quòd Anno 1636. ſacrarium ingreſſus, veniam ſine cunctatione obtinui, ipsâ coram imagine dicendi ſacrum. Ita ſacrificantium turba nullo non die tunc tanta fuit, ut quàm plurimi poſt expectatas horas alia petierint altaria. Divitias, pompam, & alia, quæ Florentina Vrbs honorandæ Virgini facit, prætereo, originì intentus. RR.PP. Servitarum Religioſus Cætus Mariæ Virgini, ut ſcis, devotus eſt, ſeq; *Servos*, ſeu *Servitas* ideo vocant, quia ſe Patrona Ordinis, olim ancillam vocavit.

Cœno-bium. Primum eorum Monaſterium in monte fuit extra urbem, quod novendecim omnino annis habitârunt. Probata tot annis urbi virtus merebatur recipi intra mænia: quod factum eſt decimo nono poſt initia Ordinis anno, videlicet 1242. Illi *Bartholomæo* cuidam inter pictores Florentinos præſtantiſſimo opus locârunt, iuſſeruntq; virginem pingere eo corporis geſtu, quo fuiſſe crederet, cùm ſe, præſente Gabriele, ancillā eſſe dixerat.

Artem ego virtutémque pictoris ex hoc non obſcurè colligo, quòd cætera ut expedita eſſent, de vultu Virginis pingendo per quam ſollicitus fuerit, eámque ob cauſam, dum ultimam reliquo operi imponeret manum, diſtulerit. At verò dum demum & vultui applicanda manus eſſet, quoties illa erravit? quoties penicillus fefellit? raptui ſimillimum fuiſſe ſomnum ajunt, qui hominem tantiſper abſtulit, dum geniorum cæleſtium peritior quiſpiam, non alijs quàm Bartholomæi penicillis coloribúſque opus exequeretur.

Excuſſo ſomno quæ hominem lætitia occupaverit, quibus gaudijs delibutus fuerit, vix ipſe nobis referret. Quod ſi, quæ hominum malignitas eſt, finxiſſe fabulam dicas pictorem, poteſtate uſum, quâ pictores & Poetæ pollent, facile fuit, Bartholomæo probare, nullius Florentini opus eſſe, quando & alij pictores non difficulter fatebantur Bartholomæi manum non eſſe, nec eorum quiſquam parem vultum pingere poſſet. Thaumaturga hæc Imago duobus jam ſæculis liberalis eſt, quando gratis hîc ægri ſanitatem recipiunt, quam emptis magno remedijs non invenirent. Inter honores extraordinarios eſt, quod Pictores.

à ſatis longo tempore non niſi magno Duce aſtante monſtretur. Scribit de hac *F. Angelus Gianius in Annalib. & Jo. Bap. Alb. l. 2.*

CCXLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD TRES SPICAS.
Morſvviræ in Germania ſup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Jure munda pates, ô Regina Immaculata.*
1. Spica Virginis.
2. Pœna ſacrilegij.
3. Miraculum in agris.

IN jugo montis prope Morſvviram, vicum Superioris Alſatiæ, quercus ſtetit, quæ appellata fuit *ad hominem mortuum* ideo, quòd præteriens hîc fæniſeca obdormiverit, & infelici caſu ſibi gulam abſciderit, dum ſe dormiens in alterum latus verteret. Vicini arbori proximæ appenderunt Imaginem Deiparæ doloroſam, IESVM mortuum ſuſtinentem genibus. Pietas.

Anno 1491. feſto Inventionis S. Crucis faber, *Theodoricus* nomine, huc ex itinere devenit eques & ne locum ſine prece præteriret, deſcendit, flexíſque genibus ſe Deiparæ commendavit: cui Deipara ſubitò ſe viſibilem præſtitit habitu candidiſſimo, quódque nunquam legiſſe me memini, ſiniſtrâ ſtiriam, ſeu glaciei bene magnum fruſtum, dextrâ tres graves florentéſque Spicas geſtans, ſic attonitum alloquitur. Apparitio. *Tametſi homines aliqui hujus Provinciæ tanta flagitia perpetrârint, ut filium meum ad graves pœnas infligendas concitârint, grandines nempe & tempeſtates: Tamen meo patrocinio factum eſt, ut ab his immunes tranſeant; ſiquidem reſipiſcant, convertantur, & veniam exorent. Famem & abundantiam manibus geſto, utrum vultis? Hæc Morſvvirenſibus actutùm nuntia.* Theodoricus, conſcenſo equo, viſione examinatâ, ſibi credidit: an autem ſibi credituri eſſent Morſvviræ cives, hæſit; quia ſcivit, nemini niſi in ſua arte fidem haberi. Tacuit itaque, & ſuis rebus intentus, ſaccum frumenti familiæ alendæ emit: Negligentia. quem cùm nec ipſe, nec plures alij è terra in equum levare poſſent, ſubijt alios ſuſpicio magiæ: huic in memoriam redijt Deipara apparens, & jubens.

Itaque Clero & Magiſtratui indicat, fidémque invenit. Suffecit nempe populo non malo, & fabri germana fidelitas decipere neſcia: & ne deceptus crederetur, ſacci non gravis immane pondus perſuaſit multis, ut peccatis ritè expiatis, vitam aliam inſtituerent priori diſſimilem, fuêre tamen, ut Incredulitas. ſolet, non pauci, qui his terriculamentis ſuperiores riderent præcipitem illorum fidem, & anilem pietatem. Hi tamen, ſequenti æſtate, grandine experti ſunt, agros peni ùs devaſtantē, & diuturnos periculoſóſq; morbos: cùm tamen illi abundantiſſimas ſegetes ſalvi ſaniq; colligerent, Deniq; & hi converſi, unà cū illis ſacellū, quod hodie videtur, Sacellum. erexerunt, in quo Deipara hodié-

que

que beneficia quàm liberaliſſimè huc adventantibus impertitur. Ex omnibus unum appono. Anno 1636. tres hæretici milites ignem ædi ſacræ ſubjecère, quo quidquid ligneum erat, abſumptum eſt, ſi S. Imaginem excipias, quæ omnino illæſa, & ſola ſtetit. Porrò hi tres, Heroſtrati, qui ſibi nomen æternum ex hoc Sacello fecère, hac ſolâ luce glorioſi, inter rixas ſeipſos miſerè confecerunt. Hæc ad me R. P. Petrus Arimont Soc. IESU.

CCL.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ANGELIS.
Tibure in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ, Dominus tecum.

Anagr. *En paritura es Agnum Dei, ò immaculata!*

1. Crudi operarij.

2. Velum nubibus par.

3. Grando utilis.

QVis hanc, & quando, in muro pinxerit imaginem, nemo ſcriptum reliquit: &, licèt ſæculis aliquot in templo, quod Monachi S. Benedicti incoluerunt, ſteterit; miraculoſæ tamen nomen, ut exiſtimant, nunquam obtinuit. Totum cum templo Monaſterium Anno 1596. tertio Febr. Monialibus S. Claræ venditum, deſeruerunt incolæ priores; alio, ni fallor, loco aliam & novam fabricam moliti. Prima Monialibus cura fuit, labentis Templi vetuſtatem corrigere, meliorémq; in formam redigere. Imago. Imago hæc Virginis ſupra princeps Altare in muro appicta, quòd medium non teneret locum, indolu't quidem Architectus, & imperitiam incurij pictoris damnavit. Sed ne imago ſitu ſuo ſymmetriæ officeret, dirui præcepit, picturus in medio aliam, & meliorem. Sed hæc una cum ſitu ſuo Virgini præplacebat. Ita ſæpe Superis dextra ſunt, quæ nobis ſiniſtra: admoventur cum ligonibus manus, ſed ſummis licèt viribus impacti, officium facere recuſârunt; & vel in fædam curvitatem retorti, vel omnino in partes rupti, tenuem cruſtam, quæ picturam ſuſtinebat, non offendebant. Sufficere poterat primus ictus, ad Virginis mentem non obſcurè intelligendam; nolle ſe hac in icone lædi. Sed Superûm patientiam diutiùs exercere ſolet humana ſagacitas, quàm ſuam velit; Patientia. maximè quando, qui portenti experimentum capiant, eliguntur ligonibus ſuis, & Tiburtino lapide duriores Operarij. Multis ictibus tentata eſt portentoſa cruſtæ durities: nec deſtitiſſent, opinor, hi Steropes, ſi non plus ligonibus ſuis, quàm imagini pepercisſent. Ceſſatum ab opere eſt, & ſilentio res preſſa, velut non digna, quæ vel inter ſuperſtitioſas anus memoraretur in circulo. Sed ne ex ſitu imaginis non æquo ſymmetria periret, ſtatuit Architectus oppoſita ex parte S. Annæ imaginem pingere: S. Anna. quod & factum eſt.

Ita novo Templo non exiguum fuit vetuſtæ imagini privilegium, ſtetiſſe. Vt verò deniq; Tibur-

burtina Vrbs Theſaurum ſuum ſciret, grandine opus fuit: quæ tanta cùm eſſet, ut frugibus, quin & hominibus timeretur, multis Templum fuit pro aſylo, frugibus pro horreo, quæ jam in ariſta ſtabant. Dum in templo communibus votis oratur, imago hæc fulgore divino ſplendeſcere cæpit: quin & auditæ Virginis voces filium inclamantis, & miſericordiam exigentis. Tiburtinæ Vrbis cives, Deiparæ ejúſqe honori ut ſunt ſemper addictiſſimi, omnis moræ impatientes, re Epiſcopo properè nuntiatâ, quid facto opus eſſet, quid Virgo vellet, ſcire ex eo voluerunt. Ille oppanſum imagini velum removeri juſſit, & S. Imaginem oculis ambientium dare. Statim remotæ Cælo cum grandine nubes ſunt, tanquam idem cælo ſiparium, quod Virgini eſt obductum, utriuſque prohiberet ſerenitatē intuentibus. Miraculum.

Hinc Tiburtinorum magnus in Virginem animus ſeipſo major evaſit; maximè ſub Annum 1616. quo, juſtas ob cauſas, iterum totum cum templo Cænobium moniales vendiderunt Clericis Regularibus, qui hodie miraculoſæ Imaginis curam habent. Jo. Bapt. Alberti.

C C L I.

Imago B. V. Miraculoſa.

AD FAGVM.

Herbipoli in Ger. ſup.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Age ò vita Alma munda; Increatum paris.*

1. *Sub tegmine fagi.*
2. *Pœna Iudæorum.*
3. *Iudæus Sacrilegus.*

QVatuor leucis Herbipoli templum eſt miraculosâ B. V. ſtatuâ dolorosâ nobile. Vulnus habet in cervice unciæ longitudine. Dabo, quæ de hujus origine ad me perſcripta ſunt. Ante ducentos annos loco, quo nunc Sacellum ſtat, ſtetit Fagus procera jùxta viam nemini clauſam, omnibus apertam & perviam; ſi Judæos excipias; qui, ubi ad hanc arborem venêre, vel ſtare, vel regredi coacti ſunt. Res vulgo nota Hebræos non parùm afflixit; nemine tamen uno hujus rei cauſam penetrante. Iudæi

Audaciſſimorum unus vim facturus, viam aggreditur: ubi tamen ad arborem venit, viribus deſtitutus, ſtetit: inde arborem curiosè intuitus, ſtatuam Deiparæ non magnam inter ramos conſpicit. & evaginato gladio: Ergóne, inquit, tu mihi, meiſque viam obſtruis? ſimul vulnus, quod hodiéque videtur, punctim imagini inflixit. Auditi ſunt eiulatus imaginis, viſus quoque ſanguis eſt in apice gladij: ipſe demum Hebræus immotus obriguit, dum ſupervenirent, qui eum Iudici ſiſterent. Viſum eſt, arborem exſcindere, & quid lateret, inquirere, inventa jam corticibus tecta hæc S. Statua, vulnere ſuo cruentata. Loci religio accurrentes movit, ut collatis pecunijs Sacellum brevi ſtaret: ubi hodie Deipara in honore eſt, & miracu- Miraculum.

racu-

raculoſè beneficam ſe Franconiæ præbet. *Valentinus Leuchtius. In virid. hiſt. 99.* Ubi etiam quædam addit miracula, quæ quia ab alijs communibus non diſcrepant, hîc nolui ponere.

CCLII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN VINEIS.
Genuæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Regina amata & pura, mundi Columna.*

1. Vinea dedit odorem ſuum.
2. Primi in ſervitio primi in mercede.
3. Contemptus utilis.

HÆc ſacra & miraculoſa Virginis Deiparæ Imago inventorem habuit Canonicum. Titulum *de Vineis* ideo majores dederunt, quia in vineis reperta Imago eſt, ſub annum hujus ſæculi tertium: & imagini ſubſcriptus annus eſt milleſimus centeſimus ſexageſimus tertius. Vnde lector videre poteſt, & perantiquam eſſe. Sed nec divinari quidem poteſt, quis eam ad vineam deportârit; & adhuc minùs, quis piæ Imaginis vel auctor, vel artifex.

Vinea.

Interim mecum mirare, lector, Divinæ matris longanimitatem, quæ imagines ſuas, per quas tanta mundo præſtat beneficia, tamdiu ſinat inter quiſquilias latêre. Et reperies ſanè pleraſque miraculoſas Deiparæ imagines, per contumelias, contemptum, & vulnera ad hos honores perveniſſe, inſtruente nos exemplo ſuo Virgine, imò per ligna & lapides loquente nullo diſpendio virtutis hominem multis annis aut latêre, aut vitam inter contumelias & contemptus agere. Illud tibi non invitus concedo, hæc, ſi humanis modis rem metiamur, auxilia non eſſe ad eum finem, quem quandoque videmus.

Contumelia.

Ita magni conſilij Achitophel non crederet, vincula Ioſephum, Davidem, per Saulis injurias, ad regnum evehere potuiſſe. Evexêre tamen; utique poſtquam Deus, ictu uno & miraculoſo, humanis his, & ad rem non aptis modis per potentiam (ut Scholæ loquuntur) obedientialem altiora, quàm ſuis viribus poſſent, imperavit. Scrutare ſcripturas, & penè tot hujus rei exempla, quot paginas reperies. Hic Dei Stylus eſt, hic Virginis. Reperta inter Vineta imago, nullo adhuc miraculo celebris, pro magno habuit, quòd primùm, abſterſâ glebâ & ſordibus, utcunque honorata ſit, & in honeſta parte domûs poſita. Tum paulò pòſt profundiùs ferire hominem cæpit amor & veneratio Virginis in reperta icone. Hinc frequentiùs adire flexo genu Canonicus imaginem cæpit, & eâ coram, ipſi Virgini familiariùs loqui: demum in animum inducere, poſſe publico quoque non ingratam eſſe, ſi publico præberetur.

Inventio.

Canonicus.

Itaque angulum templi ad hoc deſtinat, in quo eo quidem tempore præter lateres, arenam, & calcem,

cem, aliáque murarijs neceſſaria nil erat. Hunc ubi à templo præfectis honorandæ imagini obtinuit; locum, quantum per pauperem cenſum licuit, in Sacelli formam, rudi formâ, ope murariorum adaptat. Non fefellit hominem ſpes, quâ miraculoſam olim fore vix dubitabat. Etenim & quamprimùm fuére, qui primos honores Virginis ideo primi ambiebant cumulare; ne poſtremi eſſent inter eos, quos à Virgine reportaturos beneficia ſciebant. Et ipſa Virgo non diſtulit, tot ſæculis contractam aperire manum, & tam ingenuè petentibus plus penè, quàm peterent, largiri.

Mira-cula.

Hinc poſtea ingenuè Genuæ certatum eſt, quis fabricam amplioribus ſubſidijs fulciret. Templum quidem ædificatum non eſt: Cæterum ille ipſe templi poſtremùs angulus hodie in tam ſumptuoſi ſacelli formam excrevit; ut ipſi templo, cujus pars eſt, æmulum, peregrinos reddat dubios, templumne, an ſacellum divitijs præſtet. neque huic liberalitati Genuenſes finem facient, quamdiu B. Virgo per hanc ſuam Statuam miracula patràre nō deſinet. Io. Bapt. Alberti.

Templum.

CCLIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
KLINGLIENSIS.
Klinglij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, Gemma veſtita candore, unà pura mali.*
1. Dolor dentium.
2. Baſis lignea.
3. Beneficiorum fons vel torrens.

STatua hæc B. Virginis initio ſæculi ſuperioris, id eſt, circa annum 1500. in quercu ſtetit: fuítque inter pios unus, qui ei velut thronum è ligno, ſed rudiſſimo faceret: tranſeuntium tamen pietati non ſuffecit hic faber lignarius: quapropter poſt accepta à Virgine miraculoſa beneficia, è comportatis pecunijs ei Sacellum extructum eſt; ut eſſet ſub tecto, quæ alios tam humaniter protegeret. Duravit hæc Catholicorum pietas, atque etiam aucta eſt, uſque dum hæretica Lutheri rabies, unà cum pietate, etiam Sacellum deſtrueret. R.R.P.P. Soc. Ieſu dum his in terris anno 1625 fidem antiquam, id eſt, Romanam iterum erigunt; eâdem quoque operâ Sacellum hoc iterum penè à fundamentis erexerunt, & cum eo pietatem quoque maiorum, & quia ſtatua Deiparæ quò devenerit, ignoratur; baſin ligneam, in qua olim collocata erat, in templi medio velut mnemnoſynon poſuerunt.

Credi non poteſt, quàm tenera antiquæ devotionis recordatio peregrinos ſubeat, poſtquam enim Deiparam coluère in ea Imagine, quæ noviter picta in altari proſtat, aſpectu baſis antiquæ priorem S. & miracnloſam Statuam optant: credúntque virtutem exijſſe ex illa in hanc baſin: è qua feſtucas auferunt, plerúmque in dentiſcalpia

Pietas.

aptan-

aptandas: memorántque non alio certiore remedio ſe amari. Tanti eſt, ſemel inchoata in loco quopiam erga Deiparam ingenua hominum pietas. Ita ad me R. P. Philippus Fenchl Soc. IESU.

CCLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CAMPANA.
Placentiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. *Una paries Deum, ô integra Immaculata!*

1. Præfatio.
2. Mater ſummi Pontificis.
3. Fons olei.

HAbent antiqua hujus templi monumenta, Matrem *Urbani II.* ſummi Pontificis, voti causâ, huc Româ veniſſe, fama putei adductam, in quo ſcaturire oleum ferebatur, & divertiſſe unà cum toto ſuo comitatu in Cænobio Monialium S. Brigittæ: ubi non ſcio quâ ægritudine correpta, vivere deſijt, electâ ſibi coram hac S. Statua Deiparæ ſepulturâ. Aiunt inſuper, non multò poſt *Urbanum* Pontificem ipſum hoc Deiparæ ſanctuarium inviſiſſe, & Pontificum ritu quàm ſolenniſſimè ſacrum cantâſſe de B. Virgine, utique matri defunctæ, ibique ſepultæ profuturum. Urbanus II.

Ventum eſt ad Præfationem: cùm Papa, ſtupente aulâ atque miniſtris, divinâ inſpiratione, mediæ Præfationi inſeruit verba; quæ appono. *Et te in veneratione B. Mariæ ſemper Virginis collaudare, benedicere, & prædicare, quæ & unigenitum tuum S. Spiritûs obumbratione concepit, & Virginitatis gloriâ permanente, lumen æternum mundo effudit IESUM Chriſtum Dominum noſtrum.*

Hæc verborum, quæ hodie in Feſtis Deiparæ recitamus, origo eſt. Favores Virginis, ut creditur, expertus hic Pontifex, locum divitijs majoribus, id eſt, Indulgentijs honoravit, quibus huc venturi, & ſi peccata afferrent numerum arenæ maris ſuperantia, fruerentur. Olei ſcaturigo perpetua non fuit, nec in hæc uſque tempora duravit. Cæterùm puteus etiamnum quærentibus oſtenditur, ex quo oleum olim fluxit, creditúrque SS. Martyrum corporibus refertus. Porrò unde locus *de Campana* nomen acquiſiverit, penitus ignoratur. Hæc ad me R. P. Alexander Boſelli Provincialis Soc. IESU. Præfatio. Puteus.

CCLV.

Imago B. V. Miraculoſa.
ARGENTORATENSIS.
Argentorati in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo amanda, purè enites Immaculata.*

1. Dominare in medio inimicorum.
2. Purgatorium.
3. Idola nunc non nocent.

STetit hoc in loco olim ſignum Apollini dicatum, magnitudine ſuâ uti admirandum, ita & adorandum: viginti ſex cubitos aiunt æquâſſe coloſſum hunc. *Clodovæus V.* dejecto hoc Numine, amoribus illicitis culto, delubrum quoque totum deijci juſſit; ne quid Numinis ficti vero obſtaret, quod tunc his in partibus à primis Germaniæ Apoſtolis prædicabatur.

Succeſſit delubro Templum magnificentia ſua ſpectandum, & multis alijs per orbem Chriſtianum æſtimatiſſimis æquandum, id Deiparæ dedicare placuit, teſte Præmium. *Fortaculo* l. 5. neque pietati præmium defuit: quod magni miraculi loco hîc meritò apponendum cenſui, ſiquidem, ut *Bozius l. 9. de ſign. Eccleſiæ c. 9.* ait, mulieroſum, & parùm in caſtitate conſtantem, à purgantis flammæ diris pænis ea liberalitas vindicavit. De alijs hujus loci miraculis antiquis ne ſciremus, vetuerunt Lutheri aſſeclæ, in quorum manus monimenta templi devenêre unà cum templo, nec nova ſperare licet, miracula, quamdiu in eorum manibus templum eſt: niſi pio lectori hoc pro miraculo ſit, quòd hi Iconoclaſtæ Renovatio. Deiparæ grandem & venuſtiſſimam Statuam cum filio in brachio radijs inauratis cinctam, & ad ingreſſum magnificę portæ ſuperimpoſitam hactenus non deſtruxerint, ſed etiam, certis temporibus, aeris incuria devenuſtatã renovaverint.

CCLVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MONTE BRUNO.
Toriglij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Caſta Mater, pia Virgo, almè munda veni.*

1. Invidia eſt gradus ad pietatem.
2. Pæna cæcitatis.
3. Quod publicum eſt, nullius eſt.

CÆnobium S. Auguſtini, quod *Toriglij* prope Genuam eſt, huic ſe Imagini debet, à cujus miraculosâ origine fundamenta ſua habet. Extra Toriglium in monte Bruno ſive Imaginem, ſive Statuam (extantis operis) appendit quiſpiam arbori: neque eam facilè ullus præterire poterat adeò incurius, quin incurreret in oculos etiam nolenti, nam non modò juxta regiam viam arbor erat, ſed etiam ipſa Virginis Icon ſex omnino palmos alta, & in locum conſpicuum elata, facilè prætereuntium pietatem provocabat, ad ſui venerationem. Quamdiu hac in ſtatione ſitúq; manſerit, quis dicat? Paſtor fuit in monte Paſtor. Bruno, ovibus ſuis intentus: Is S. Iconem intuens, Tecto, inquit, meliore digna eſt; quis jure mecũ aget, ſi eam domum tulero? Itaque domum ſuam tulit, cultúmque & venerationem ei decrevit matutinam, priúſquã cum ovibus domo excederet; & quia interdiu non poterat, ſaltem veſpertinum, cùm rediret,

diret, cum redeuntibus ovibus: ita nempe & ſibi & ovibus conſultum fore,

Publicatum. Cives Torigliani, ſive quòd publico deberi Virginis Statuam exiſtimarent, ſive quòd tum primùm quiſque ſuam crederet, cùm unus haberet, indignabantur, Virginis non invenuſtam Statuam, & templo dignam, casâ ruſticâ claudi. Bonum factum: ſi invidia abfuiſſet, cur enim, ſi tantus iis in Virginem amor eſt, non antè cœli injuriis ſubduxerunt? Cur nunc primùm templo dignam judicant? Ita nempe vel per vitia ad virtutes aſcendimus: & invidia gradus eſt ad pietatem. Imitare, lector, hunc Opilionem, ſi Imagini cuipiam non ſatis cultæ majores honores decerni cupis, decernet invidia. Habeo exempla, quæ afferre non audeo-

Cultus. Felix itaque Toriglianorum invidia, per quam Deiparæ honor in hac S. Statua promotus fuit. Puero Opilioni nequidquam reluctanti Imago ſacra ab incolis magno numero ad piam prædam advolantibus eripitur, & Toriglium verſus deportatur, dum viam in oppidum relegunt, litem piam Virgo dirimit, & paſtoris cauſam tuetur. Quid expectas? lector; novum non eſt, deportatas velut in exilium Virginis Imagines ad locum redire, quin & illud frequenter accidit, ut aſſumpto pondere, vires humanas ſuperante, in loco conſiſtant immobiles.

Hoc novum: iſta bajulos ſuos, *Pœnâ.* & quotquot in bajulorum vicem oneri ſuccollârunt, cæcitate repentinâ multatos progredi vetuit. Tum enimverò Torigliani, cùm videre nequirent, palpârunt, Virginem in Imagine ſua hoſpitari velle in domo paſtoris: ad quam ubi eam reportare decreverunt, pari miraculo illis oculorum uſus reſtiturus eſt, quo antè ablatus. Hæc ſub annum 1478. accidere. Quamprimum in loco ſtructum Imagini ſacræ ſacellum eſt. Populum accivit miraculorum inſigniũ *Sacellum.* copia: unde piorum liberalitate è ſacello factum eſt templum, è templo denique, ut S. Imagini & peregrinis bene eſſet, Cœnobium adjunctum eſt, quo hodieq; fruuntur Monachi S. Auguſtini, quos *Eremitas* vocamus, & pietatem augent. Ita Ioan. Baptiſt. Alberti l. 2.

CCLVII.

Imago B. V. Miraculoſa. MERGETALENSIS S. I. *Hagenoæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Tu Regina Diva, nempe Roſa immaculata.*

1. Converſio.
2. Dona latronum.
3. B. V. ſolvit noſtra vincula.

VAllis Mariana primum Oratorium fuit viri nobilis *Alberti de Hagenoa*, in nemore ſacro vitam agentis Eremiticam. Proximi ejus cognati tanto exemplo permoti par-

tem fundorum Alberto dederunt, ille Cænobium ſtruxit & *RR. PP. Wilhelmitis* dedit circa annum 1257. ſecuti alij cognati, qui terras plures Monaſterio ſubjecerunt, & amplius dotârunt, ab his conſervata & aucta antiqua erga Virginem pietas eſt; uſque dum irruente hæreſi & ipſi locum ſacrum deſerere coacti ſunt, & non adire cæteri. Cænobium à ſæculari Magiſtratu poſſeſſum eſt uſque ad annum 1617. quo Soc. IESU traditum eſt.

Soc. IESV.

Quamprimùm Societas loci curam ſuſcepit, primus labor fuit, revocare pietatem antiquam; deinde etiam augere: ita ut hodie iterum inter miraculoſas numeretur, iterúmque ab accolis celebretur frequenti peregrinatione. Placet ex miraculis unum adſcribere. Mercator quiſpiam è *Salicenſi* oppido, non ſcio, quas nundinas petijt, alias tamen, quàm petebat, invenit in ſilva, in quâ in latrones incidit, qui nullum pacti pretium, primùm omnia abſtulerunt; tum etiam intentatis gladijs mortem minati ſunt: nec minati tantùm, ſed & certiſſimè illaturi, niſi Mergetalenſi Deiparæ intentiſſimis ſe vocibus commendâſſet infelix. Animi Divino inſtinctu manſueſacti, vitam homini donârunt; quia non ademerunt: hæc enim verò beneficia latronum ſunt: non auferre, quod habes, hoc dare, imò donare eſt. Ne tamen vicinos pagos clamoribus in ſe concitaret; manibus pedibúſque quàm fortiſſimè alligârunt arbori, quàm longiſſimè à ſemita diſtanti deinde injecto dentibus ramento, idipſum funibus, ad ſinciput occipútque circum volutis, ita ligârunt; ut vel aperto ore ne hiſcere poſſet.

Nundinæ.

Latro-nes.

Ita moriendum homini erat, fame, ſi cætera abeſſent; at vix abiêre latrones: adfuit ſpectabilis Deipara, ingens miſero ſolatium. Excuſanti debitos honores ſuaviter reſpondit; acceſſit propiùs, funes omnes ſolvit, ramentum exemit ore, hominémque ſanum, ſalvum, liberum virtute divinâ repentè ad portas oppidi *Salzenſis* ſtitit. Hæc ad perpetuam rei memoriam muro inſcripta hodiéque leguntur ſine anno, ſine die: ut appareat, ad tempora avis noſtris antiquiora pertinere. Hoc tempore pergit B. V. eſſe benefica, nullum tamen beneficium ad me perſcriptum eſt à R. P. Gerhardo Hanſen Provinciali Societatis IESU.

Memoria.

CCLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. INCORONATA. *Genuæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *A væ planè munda, Mater Virgo micaſti.*

1. Cineres S. Ioan. Bapt.
2. Securitas navis.
3. Clades miſeranda.

QUiſquis es, qui mare, quo Genua alluitur, tranquillum putas & pacificum, Thaumturgam cinerū vir-

virtutem ignoras, quos è D. Ioan. Bapt. buſto eſſe, nemini non certum apud Genuenſes eſt: quando ſecuriſſimum à cæteris ventis portum Cirocus fætens infeſtat. Troiã videre eſt inter aquas, (& vidiſſem ego, qui hæc ſcribo, ſibi duo citiùs appuliſſem) etenim, nullo igne ſuppoſito, alliſę navibus naves aſſulatim quandoque diſcerpuntur: & quos vix flamma crepitus edideratinter Troiana Palatia, faciunt Genuę decumani fluctus, quos turbo è fundo eruit.

Hoc in cataclyſmo cineres ſacri afferuntur, fluctibúſque ſemel iterúmque appoſiti, malaciam inducunt mari, & quietem navibus imperant. Simillima tempeſtas Genuenſium onerariam medio in mari deprehendit: mercatores, poſtquam nautis erepta cum arte mens eſt, non rerum modò merciúmq; ſed & navis jacturam facilè tuliſſent, contenti ſolam, ſi poſſent, vitam quocunque in littore ſecuram exponere; quando petendi portûs conſilium non probaretur. Itaque lembum cum nautis ingreſſi, Imaginem quoque Deiparæ, unde unde olim acceptam, ſecum intulère, utique præſidio futuram naufragis. Jactata fluctibus cymba, piſcatoribus è terra ſpectantibus, ſpeciem ignis fulgoriſque non uſitati referebat: dum demum applicita littori cum vectoribus cymba integrum, quod petebatur à Virgine, beneficium præſtitit.

Iactura. *Imago.*

S. Imago fulgore, quem ſpectavère piſcatores, & vitæ gratiâ, quam accepère mercatores, jam auguſtior, templo illata eſt, quod ſuburbium habet *S. Petri in arena* dictum. Sed Imaginem in collem jam ſublatam, & *S. Michaelis* templo, quod in colle eſt, illatam divinâ virtute deprehenderunt; bis reportata, bis rediji: ut miraculo teſtatior fides eſſet. Hinc populares cum pietate concurſus, hinc cæleſtium imber beneficiorum, qui hodiéque durat, ſcaturiginem ſuam habet. Io. Bapt. Alberti l. 2.

Fulgor. *S. Michael.*

CCLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
RVPERTI ABBATIS.
Leodij in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Io Agna, Dei Mater, Lupum averni mactas.*

1. *Ingenij augmentum.*
2. *Triſtitia pueri.*
3. *Doctrina impetrata.*

RUpertus, S. Laurentij in ſuburbio Leodienſi Monachus ex Ordin. S. Benedicti, ingenium à parentibus non accepit, quo inter paris ætatis, condiſcipulos eminere poſſet: quid? quod plerumque licet adhibito omni conatu & ſtudio, poſtremus, vel certè inter poſtremos ſederet. Triſtitia juvenem optimum affecit, quæ virum affligere poſſet. Nec aliud triſtitiæ ingenijq; remedium

invenit, quàm hanc, de qua nunc ſcribo, imaginem.

Hæc in ſuburbio cùm jam miraculoſa paſſim accederetur, frequenter eam, ipſe quóque & devotè viſitavit, ingenij ſui augmentum fidenter poſtulavit, & obtinuit. Inde æqualibus ſubitò par, poſtea major, demum primus omnium haberi cæptus, eò pervenit, quò illum perveniſſe doctiſſimi libri hodie teſtantur. Ut pares gratias beneficio miraculoſo ageret, eo in loco, ubi ingenium accepit, ingenium ad Deiparæ honorem impendere decrevit. Quapropter Religionis habitum petijt, & obtinuit, poſtea Abbas Tuitienſis.

Hodie ex ſtudioſâ Juventute plurimi, quos natura debilior non ſatis ad ſtudia inſtruxit, frequenter ſcholam infelicem hîc deplorant, & deſideria melioris ingenij deponunt, & exauditos ſe gratulantur. Quia tamen augmentum hoc ad miraculi portentum rarò accedit, notatu dignum, licèt ſæpe fiat, non habetur. Cæterùm S. Statua lapidea cùm ſit, magis admiratione dignum eſt, quòd exinde filij non Abrahæ, ſed Virginis, & Virginis prudentiſſimæ prodeant. Habetur hoc Ruperti Miraculum in ejus *Operibus* anno 1621. Moguntiæ impreſſis. Studio.

C C L X.

Imago B. V. Miraculoſa.
CHIAVARIENSIS.
Genuæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ito amata munda, placa Regem univerſi.*

1. Hoc Deo fortior.
2. Mens auctoris.
3. Pugna liberalitatis.

FRangere juſtitiam omnipotentis Dei homo ſi velit, demiſſione poteſt; bonitatem vincere nullâ virtute poteſt. Si liberalitate in Deum pugnes, vinceris. Obſequia noſtra, divina è cælo beneficia cient. Peſtifera lues ſæculo præcedente Genuam afflixit, & permultis triſte jubilæum adduxit, quia in annum 1500. Iubilæum incidit. Nemo non horruit malum, nemo fuit, qui mille modis remedijſque tantum hoſtem domo ſuâ non arceret. Hæc divitum & nummatorum ſunt privilegia: ita nempe etiam hic hoſtis averti per aureum pontem poteſt. Nam ut quandoque divites (quia Euclíones) abripiat; major tamen eorum ſemper eſt numerus, qui cùm ære non poſſint, corpore luunt. Divites.

Hoc in cataclyſmo urbis, fæmina omne periculum evaſit, quam non amicus defendit, non aurum protexit; libera tamen annum illum, & , ut puto , læta vixit. Pharmacum , quo in luem pugnavit, deſcribo. Recipe, ſi vis lector, & eâ doſi pro te utere, quam divitiæ tuæ exigunt. Principio ſtatim, cùm malum cives corriperet, fæmina hæc vovit, ſe, ſi finem luis viva, ſalva, & ſana viſura eſſet, Defenſ.

curaturam ære ſuo, ut Deiparæ Virginis imago ad hortuli ſui murum pingeretur, quà vicum ſpectat, nec plura poterat, prohibente cenſu pauperrimi horti, qui totum fæminæ victum dabat. Finem peſtiferæ lui dedit pacatum precibus cælum & depoſito eorum, qui jam compoſiti erant, luctu, lætitia redijt urbi. Votum. Fæmina voti rea pictorem circumſpicit, & Virginis imaginem in muro ſuo, ut promiſerat, pingi curat. Ita voto factum ſatis. An cultum quempiam acceperit ſingularem, dum eam commendabant adhuc vividi colores, ad me perſcriptum non eſt. Coloribus injuriâ temporum defluentibus accepiſſe ſcribitur.

Sed quo miraculo hanc Virgo pietatem in populo initiârit, quo cultum hunc tam magnis incrementis propagârit, etiam auctor non tradit: ſed nec requiro: quando (ut ſemel liberè dicam, quod ſentio) non exigua & frequenter unica tot portentorum origo & causâ eſt ille, quem Virgo elegit, q[u]ique non aliam ob cauſam dignus eſt, quàm quia à Virgine ad ſuos honores propagandos electus eſt. Ita & huic imaginis curatrici fæminæ contigit. Facilia ſæpe, & quæ nullo nobis conſtitêre pretio, obſequia gratijs compenſat Virgo ingentibus, & centuplum imitatione filii largitur in hac vita. Hinc eſt, quòd multum Genua debeat fæminæ, cujus nec nomen ad me pervenit, à qua tantum theſaurum accepit. In vaſtum nempe ac ſumptuoſum templum locus excrevit, feſtúmque 8. Decemb. celebrat. Io. Bapt. Alberti.

CCLXI.

Imago B.V. Miraculoſa.
KIKERSENSIS.
Fuldæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Divinâ ope regnas tu merè Immaculata.*

1. Dux viæ Beata Virgo.
2. Fæmina in periculo.
3. Puella geniculans.

Kikerſenſis pagus prope urbem Fuldam ſitus eſt, & ad hunc pagum ſilva eſt *Traſſenbergica*, in hac matrona illuſtris, & magnarum opum, neſcio, quo errore à ſuis ſeparata deviavit in feram uſque noctem. Silva graſſatoribus aliàs infeſta, & ſolitudo, maximè nocturna, metum incuſſerunt fæminæ, qui etiam in virum conſtantem cadere poſſet. Itaque ad Deiparam converſa: Templum, inquit, tibi voveo, ô Virgo! eo in pago me ſtructuram, qui primus me ſalvam & incolumem exceperit. Votum. Voto vix emiſſo, lumen à longè apparet, quod ſecuta in hunc pagum Kikerſenſem devenit, ſana ac ſalva. Nec votum diſtulit: quamprimum enim hoc, quod videtur, nobile templum Deiparæ in gratiarum actionem exſtruxit, ac muneribus dotavit. Placuiſſe Deiparæ templum, & templi architectam, probavit miraculum.

Pu-

favores captabant; fuêre quoque, qui votorum rei prima dona ferrent: quibus moniti cæteri ſuas quoque quiſque miſerias Virgini queſtus eſt, & pios queſtus ſecuta miracula ſunt. Hinc ſacellum, & ex ſacello templum, & denique adjunctum Religioſorum Cænobium. Ioan. Bapt. Alberti lib. 2.

CCXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
COLMARIENSIS.
Colmariæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Auri lampas, grandem Avi noctem evita.*

1. Manûs miraculum.
2. Riſus mundi.
3. Peccatorum oblivio.

COLmaria Alſatiæ Urbs hodie fortibus & decôris vallis munita, tota nunc hæretica eſt, ſi duo templa excipias: primum Ordinis Teutonici; alterum RR. PP. Dominicanorum, qui etiam Cœnobium habent, quò recurſum habent famuli famulæque aliunde è Catholicis urbibus huc venientes. Stetit hìc olim Sanctimonialium quoque ejuſdem Ordinis Cœnobium, in quo *Gertrudis* quædam inſignis Sanctitatis Virgo memoratur vixiſſe circa annum 1247. Hæc coram ſtatua Deiparæ lignea, quæ IESULUM gremio tenebat, inſtantiùs ſolito precabatur beneficium, quod orando promerita eſt; ſanè inſuetum eſt. Gratia. Rogabat illa remiſſionem peccatorum. IESULUS petenti non modò annuit, ſed etiam clarâ voce reſpondit: *Soror Gertrudis, promitto tibi, & fidem meam obſtringo, te nunquam à me & Matre mea derelinquendam; egò verò jam propitius ſum tibi, & peccatis tuis, quæ etiam è memoria tua excident.* Gertrudis acceptâ hâc à IESULO conſolatione, manui ſuæ inſeruit IESULI manum dextram ligneam, quæ ſubitò à brachio ſuo ligneo avulſa eſt, & in manu Gertrudis hæſit. Miraculum. Riſum impijs movit ridiculum avulſæ manûs miraculum, quod patrare impius quiſque poſſet, cùm vellet: ſed riſum tenuêre inimici, poſtquam viderunt, nullo unquam glutine coaluiſſe cum brachio ſuo manum: probati ſunt alij quoq; modi, qui manum brachio jungerent; inventus eſt nullus. Hinc S. Statuæ honor publicus. Non tamen ad tempora noſtra pervenit, invidentibus hæreticis tantum theſaurum. Obijt Gertrudis, ut vixit ſanctiſſimè, anno 1247. ut ait Coquetius lib. de viſcerib. B. Virginis erga Ord. Dom.

CCXLVIII.

CCXLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
ANNVNCIATA.
Florentiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo altè micas, anima pura ante Deum.*

1. Angelus opifex.
2. Pietas principis.
3. Angelus pictor.

QVis Florentinæ Vrbi ſenſus ſit, cùm de hac virginis Icone ſermo inſtituitur, lector credere ſcriptori non poteſt, quando vix oculis ſuis credit, qui præſens eſt. In parte felicitatis numeravi ego, quòd Anno 1636. ſacrarium ingreſſus, veniam ſine cunctatione obtinui, ipsà coram imagine dicendi ſacrum. Ita ſacrificantium turba nullo non die tunc tanta fuit, ut quàm plurimi poſt expectatas horas alia perierint altaria. Divitias, pompam, & alia, quæ Florentina Vrbs honorandæ Virgini facit, prætereo, originiintentus. RR. PP. Servitarum Religioſus Cætus Mariæ Virgini, ut ſcis, devotus eſt, ſeq; *Servos*, ſeu *Servitas* ideo vocant, quia ſe Patrona Ordinis, olim ancillam vocavit.

Cœnobium. Primum eorum Monaſterium in monte fuit extra urbem, quod novendecim omnino annis habitárunt. Probata tot annis urbi virtus merebatur recipi intra mœnia: quod factum eſt decimo nono poſt initia Ordinis anno, videlicet 1242. Illi *Bartholomæo* cuidam inter pictores Florentinos præſtantiſſimo opus locârunt, iuſſerúntq; virginem pingere eo corporis geſtu, quo fuiſſe crederet, cùm ſe, præſente Gabriele, ancillã eſſe dixerat.

Artem ego virtutémque pictoris ex hoc non obſcurè colligo, quòd cætera ut expedita eſſent, de vultu Virginis pingendo perquam ſollicitus fuerit, eámque ob cauſam, dum ultimam reliquo operi imponeret manum, diſtulerit. At verò dum demum & vultui applicanda manus eſſet, quoties illa erravit? quoties penicillus fefellit? raprui ſimillimum fuiſſe ſomnum ajunt, qui hominem tantiſper abſtulit, dum geniorum cæleſtium peritior quiſpiam, non alijs quàm Bartholomæi penicillis colorib úſque opus exequeretur.

Excuſſo ſomno quæ hominem lætitia occupaverit, quibus gaudijs delibutus fuerit, vix ipſe nobis referret. Quod ſi, quæ hominum malignitas eſt, finxiſſe fabulam dicas pictorem, poteſtate uſum, quâ pictores & Poetæ pollent, facile fuit, Bartholomæo probare, nullius Florentini opus eſſe, quando & alij pictores non difficulter fatebantur Bartholomæi manum non eſſe, nec eorum quiſquam parem vultum pingere poſſet. Thaumaturga hæc Imago duobus jam ſæculis liberalis eſt, quando gratis hîc ægri ſanitatem recipiunt, quam empris magno remedijs non invenirent. Inter honores extraordinarios eſt, quod Pictores.

à ſatis longo tempore non niſi Scribit de hac *F. Angelus Gianius in magno Duce* aſtante monſtretur. *Annalib. & Jo. Bap. Alb. l. 2.*

CCXLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD TRES SPICAS.
Morſvviræ in Germania ſup.

Progr. AVE MARIA, gratià plena, Dominus tecum.

Anagr. *Jure munda pates, ò Regina Immaculata.*

1. Spica Virginis.
2. Pœna ſacrilegij.
3. Miraculum in agris.

IN jugo montis prope Morſvviram, vicum Superioris Alſatiæ, quercus ſtetit, quæ appellata fuit *ad hominem mortuum* ideo, quòd præteriens hìc fæniſeca obdormiverit, & infelici caſu ſibi gulam abſciderit, dum ſe dormiens in alterum latus verteret. Vicini arbori proximæ appenderunt Imaginem Deiparæ doloroſam, IESVM

Pietas. mortuum ſuſtinentem genibus.

Anno 1491. feſto Inventionis S. Crucis faber, *Theodoricus* nomine, huc ex itinere devenit eques & ne locum ſine prece præteriret, deſcendit, flexíſque genibus ſe Deiparæ commendavit: cui Deipara ſubitò ſe viſibilem præſtitit habitu candidiſſimo, quódque nunquam legiſſe me memini, ſiniſtrâ ſtiriam, ſeu glaciei bene magnum fruſtum, dextrâ tres graves florentéſque

Apparitio. Spicas geſtans, ſic attonitum alloquitur. *Tametſi homines aliqui hujus Provinciæ tanta flagitia perpetrârint, ut filium meum ad graves pœnas infligendas concitârint, grandines nempe & tempeſtates: Tamen meo patrocinio factum eſt, ut ab his immunes tranſeant; ſiquidem reſipiſcant, convertantur, & veniam exorent. Famem & abundantiam manibus geſto, utrum vultis? Hac Morſvvirenſibus actutùm nuntia.* Theodoricus, conſcenſo equo, viſione examinatâ, ſibi credidit: an autem ſibi credituri eſſent Morſvviræ cives, hæſit; quia ſcivit, nemini niſi in ſua arte fidem haberi. Tacuit itaque, & ſuis rebus intentus, ſaccum frumenti familiæ alendæ emit: quem cùm nec ipſe, nec plures alij è terra in equum levare poſſent, ſubijt alios ſuſpicio magiæ: huic in memoriam redijt Deipara apparens, & jubens. Neglegentia.

Itaque Clero & Magiſtratui indicat, fidémque invenit. Suffecit nempe populo non malo, & fabri germana fidelitas decipere neſcia: & ne deceptus crederetur, ſacci non gravis immane pondus perſuaſit multis, ut peccatis ritè expiatis, vitam aliam inſtituerent priori diſſimilem, fuêre tamen, ut Incredulis ſolet, non pauci, qui his terriculamentis ſuperiores riderent præcipitè illorum fidem, & anilem pietatem. Hi tamen, ſequenti æſtate, & grandinē experti ſunt, agros penitùs devaſtantē, & diuturnos periculoſóſq; morbos: cùm tamen illi abundantiſſimas ſegetes ſalvi ſaniq; colligerent, Deniq; & hi converſi, unà cū illis ſacellū, quod hodie videtur, Sacellum. erexerunt, in quo Deipara hodié-

que

que beneficia quàm liberaliſſimè huc adventantibus impertitur. Ex omnibus unum appono. Anno 1636. tres hæretici milites ignem ædi ſacræ ſubjecêre, quo quidquid ligneum erat, abſumptum eſt, ſi S. Imaginem excipias, quæ omnino illæſa, & ſola ſtetit. Porrò hi tres Heroſtrati, qui ſibi nomen æternum ex hoc Sacello fecêre, hac ſolà luce glorioſi, inter rixas ſeipſos miſerè confecerunt. Hæc ad me R. P. Petrus Arimont Soc. IESU.

CCL.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ANGELIS. *Tibure in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ, Dominus tecum.

Anagr. *En paritura es Agnum Dei, ô immaculata!*

1. *Crudi operarij.*
2. *Velum nubibus par.*
3. *Grando utilis.*

QVis hanc, & quando, in muro pinxerit imaginem, nemo ſcriptum reliquit: &, licèt ſæculis aliquot in templo, quod Monachi S. Benedicti incoluerunt, ſteterit; miraculoſæ tamen nomen, ut exiſtimant, nunquam obtinuit. Totum cum templo Monaſterium Anno 1596. tertio Febr. Monialibus S. Claræ venditum, deſeruerunt incolæ priores; alio, ni fallor, loco aliam & novam fabricam moliti. Prima Monialibus cura fuit, labentis Templi vetuſtatem corrigere, melioremq; in formam redigere. Imago hæc Virginis ſupra princeps Altare in muro appicta, quòd medium non teneret locum, indoluit quidem Architectus, & imperitiam incurij pictoris damnavit. Sed ne imago ſitu ſuo ſymmetriæ officeret, dirui præcepit, picturus in medio aliam, & meliorem. Sed hæc una cum ſitu ſuo Virgini præplacebat. Ita ſæpe Superis dextra ſunt, quæ nobis ſiniſtra: admoventur cum ligonibus manus, ſed ſummis licèt viribus impacti, officium facere recusârunt; & vel in fœdam curvitatem retorti, vel omnino in partes rupti, tenuem cruſtam, quæ picturam ſuſtinebat, non offendebant. Sufficere poterat primus ictus, ad Virginis mentem non obſcurè intelligendam; nolle ſe hac in icone lædi. Sed Superûm patientiam diutiùs exercere ſolet humana ſagacitas, quàm ſuam velit; maximè quando, qui portenti experimentum capiant, eliguntur ligonibus ſuis, & Tiburtino lapide duriores Operarij. Multis ictibus tentata eſt portentoſa cruſtæ durities: nec deſtitiſſent, opinor, hi Steropes, ſi non plus ligonibus ſuis, quàm imagini pepercisſent. Ceſſatum ab opere eſt, & ſilentio res preſſa, velut non digna, quæ vel inter ſuperſtitioſas anus memoraretur in circulo. Sed ne ex ſitu imaginis non æquo ſymmetria periret, ſtatuit Architectus oppoſita ex parte S. Annæ imaginem pingere: quod & factum eſt.

Ita novo Templo non exiguum fuit vetuſtæ imagini privilegium, ſtetiſſe. Vt verò deniq; Tibur-

Margin notes: Imago. — Patientia. — S. Anna.

burtina Vrbs Theſaurum ſuum ſciret, grandine opus fuit: quæ tanta cùm eſſet, ut frugibus, quin & hominibus timeretur, multis Templum fuit pro aſylo, frugibus pro horreo, quæ jam in ariſta ſtabant. Dum in templo communibus votis oratur, imago hæc fulgore divino ſplendeſcere cæpit: quin & auditæ Virginis voces filium inclamantis, & miſericordiam exigentis. Tiburtinæ Vrbis cives, Deiparæ ejúſque honori ut ſunt ſemper addictiſſimi, omnis moræ impatientes, re Epiſcopo properè nunciatâ, quid facto opus eſſet, quid Virgo vellet, ſcire ex eo voluerunt. Ille oppanſum imagini velum removeri juſſit, & S. Imaginem oculis ambientium dare. Statim remotæ Cælo cum grandine nubes ſunt, tanquam idem cælo ſiparium, quod Virgini eſt obductum, utriuſque prohiberet ſerenitatē intuentibus. Minta-culum.

Hinc Tiburtinorum magnus in Virginem animus ſeipſo major evaſit; maximè ſub Annum 1616. quo, juſtas ob cauſas, iterum totum cum templo Cænobium moniales vendiderunt Clericis Regularibus, qui hodie miraculoſæ Imaginis curam habent. Jo. Bapt. Alberti.

CCLI.

Imago B. V. Miraculoſa. AD FAGVM.

Herbipoli in Ger. ſup.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Age ô vita Alma munda; Increatum paris.*

1. Sub tegmine fagi.

2. Pœna Iudæorum.

3. Iudæus Sacrilegus.

QVatuor leucis Herbipoli templum eſt miraculosâ B.V. ſtatuâ dolorosâ nobile. Vulnus habet in ceıvice unciæ longitudine. Dabo, quæ de hujus origine ad me perſcripta ſunt. Ante ducentos annos loco, quo nunc Sacellum ſtat, ſtetit Fagus procera juxta viam nemini clauſam, omnibus apertam & perviam; ſi Judæos excipias; qui, ubi ad hanc arborem venêre, vel ſtare, vel regredi coacti ſunt. Res vulgo nota Hebræos non parùm afflixit; nemine tamen uno hujus rei cauſam penetrante. Iudæi

Audaciſſimorum unus vim facturus, viam aggreditur: ubi tamen ad arborem venit, viribus deſtitutus, ſtetit: inde arborem curiosè intuitus, ſtatuam Deiparæ non magnam inter ramos conſpicit. & evaginato gladio: Ergóne, inquit, tu mihi, meíſque viam obſtruis? ſimul vulnus, quod hodiéque videtur, punctim imagini inflixit. Auditi ſunt eiulatus imaginis, viſus quoque ſanguis eſt in apice gladij: ipſe demum Hebræus immotus obriguit, dum ſupervenirent, qui eum Iudici ſiſterent. Viſum eſt, arborem exſcindere, & quid lateret, inquirere, inventa jam corticibus tecta hæc S. Statua, vulnere ſuo cruentata. Loci religio accurrentes movit, ut collatis pecunijs Sacellum brevi ſtaret: ubi hodie Deipara in honore eſt, & mi- Miraculum.

raculoſè beneficam ſe Franconiæ præbet. *Valentinus Leuchtius. In virid. hiſt. 99.* Ubi etiam quædam addit miracula, quæ quia ab alijs communibus non diſcrepant, hìc nolui ponere.

CCLII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN VINEIS.
Genuæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Regina amata & pura, mundi Columna.*
1. Vinea dedit odorem ſuum.
2. Primi in ſervitio primi in mercede.
3. Contemptus utilis.

HÆc ſacra & miraculoſa Virginis Deiparæ Imago inventorem habuit Canonicum. Titulum *de Vineis* ideo majores dederunt, quia in vineis reperta Imago eſt, ſub annum hujus ſæculi tertium: & imagini ſubſcriptus annus eſt milleſimus centeſimus ſexageſimus tertius. Vnde lector videre poteſt, & perantiquam eſſe. Sed nec divinari quidem poteſt, quis eam ad vineam deportârit; & adhuc minùs, quis piæ Imaginis vel auctor, vel artifex. Vinea.

Interim mecum mirare, lector, Divinæ matris longanimitatem, quæ imagines ſuas, per quas tanta mundo præſtat beneficia, tamdiu ſinat inter quisquilias latêre. Et reperies ſanè pleraſque miraculoſas Deiparæ imagines, per contumelias, contemptum, & vulnera ad hos honores perveniſſe, inſtruente nos exemplo ſuo Virgine, imò per ligna & lapides loquente nullo diſpendio virtutis hominem multis annis aut latêre, aut vitam inter contumelias & contemptus agere. Illud tibi non invitus concedo, hæc, ſi humanis modis rem metiamur, auxilia non eſſe ad eum finem, quem quandoque videmus. Contumelia.

Ita magni conſilij Achitophel non crederet, vincula Ioſephum, Davidem, per Saulis injurias, ad regnum evehere potuiſſe. Evexêre tamen; utique poſtquam Deus, ictu uno & miraculoſo, humanis his, & ad rem non aptis modis per potentiam (ut Scholæ loquuntur) obedientialem altiora, quàm ſuis viribus poſſent, imperavit. Scrutare ſcripturas, & penè tot hujus rei exempla, quot paginas reperies. Hic Dei Stylus eſt, hic Virginis. Reperta inter Vineta imago, nullo adhuc miraculo celebris, pro magno habuit, quòd primùm, abſterſâ glebâ & ſordibus, utcunque honorata ſit, & in honeſta parte domûs poſita. Tum paulò pòſt profundiùs ferire hominem cæpit amor & veneratio Virginis in reperta icone. Hinc frequentiùs adire flexo genu Canonicus imaginem cæpit, & eâ coram, ipſi Virgini familiariùs loqui: demum in animum inducere, poſſe publico quoque non ingratam eſſe, ſi publico præberetur. Inventio. Canonicus.

Itaque angulum templi ad hoc deſtinat, in quo eo quidem tempore præter lateres, arenam, & calcem,

aptandas: memorántque non alio certiore remedio ſe amari. Tanti eſt, ſemel inchoata in loco quopiam erga Deiparam ingenua hominum pietas. Ita ad me R. P. Philippus Fenchl Soc. IESU.

CCLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CAMPANA.
Placentiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. *Una paries Deum, ô integra Immaculata!*

1. Præfatio.
2. Mater ſummi Pontificis.
3. Fons olei.

HAbent antiqua hujus templi monumenta, Matrem *Urbani II.* ſummi Pontificis, voti cauſâ, huc Româ veniſſe, fama putei adductam, in quo ſcaturire oleum ferebatur, & divertiſſe unà cum toto ſuo comitatu in Cœnobio Monialium S. Brigittæ: ubi non ſcio quâ ægritudine correpta, vivere deſijt, electâ ſibi coram hac S. Statua Deiparæ ſepulturâ. Aiunt inſuper, non multò pòſt *Urbanum* Pontificem ipſum hoc Deiparæ ſanctuarium inviſiſſe, & Pontificum ritu quàm ſolenniſſimè ſacrum cantâſſe de B. Virgine, utique matri defunctæ, ibique ſepultæ profuturum. Urbanus II.

Ventum eſt ad Præfationem: cùm Papa, ſtupente aulâ atque miniſtris, divinâ inſpiratione, mediæ Præfationi inſeruit verba; quæ appono. *Et te in veneratione B. Mariæ ſemper Virginis collaudare, benedicere, & prædicare, quæ & unigenitum tuum S. Spiritûs obumbratione concepit, & Virginitatis gloriâ permanente, lumen æternum mundo effudit IESUM Chriſtum Dominum noſtrum.*

Hæc verborum, quæ hodie in Feſtis Deiparæ recitamus, origo eſt. Favores Virginis, ut creditur, expertus hic Pontifex, locum divitijs majoribus, id eſt, Indulgentijs honoravit, quibus huc venturi, & ſi peccata afferrent numerum arenæ maris ſuperantia, fruerentur. Olei ſcaturigo perpetua non fuit, nec in hæc uſque tempora duravit. Cæterùm puteus etiamnum quærentibus oſtenditur, ex quo oleum olim fluxit, creditúrque SS. Martyrum corporibus refertus. Porrò unde locus *de Campana* nomen acquiſiverit, penitus ignoratur. Hæc ad me R. P. Alexander Boſelli Provincialis Soc. IESU. Præfatio. Puteus.

CCLV.

Imago B. V. Miraculoſa.
ARGENTORATENSIS.
Argentorati in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo amanda, purè enites Immaculata.*

1. Dominare in medio inimicorum.
2. Purgatorium.
3. Idola nunc non nocent.

STetit hoc in loco olim ſignum Apollini dicatum, magnitudine ſuâ uti admirandum, ita & adorandum: viginti ſex cubitos aiunt æquâſſe coloſſum hunc. *Clodovæus V.* dejecto hoc Numine, amoribus illicitis culto, delubrum quoque totum deijci juſſit; ne quid Numinis ficti vero obſtaret, quod tunc his in partibus à primis Germaniæ Apoſtolis prædicabatur.

Succeſſit delubro Templum magnificentia ſua ſpectandum, & multis alijs per orbem Chriſtianum æſtimatiſſimis æquandum, id Deiparæ dedicare placuit, teſte
Præmium. *Fortaculo l. 5.* neque pietati præmium defuit: quod magni miraculi loco hîc meritò apponendum cenſui, ſiquidem, ut *Bozius l. 9. de ſign. Eccleſiæ c. 9.* ait, mulieroſum, & parùm in caſtitate conſtantem, à purgantis flammæ diris pœnis ea liberalitas vindicavit. De alijs hujus loci miraculis antiquis ne ſciremus, vetuerunt Lutheri aſſeclæ, in quorum manus monimenta templi devenêre unà cum templo, nec nova ſperare licet, miracula, quamdiu in eorum manibus templum eſt: niſi pio lectori hoc pro miraculo ſit, quòd hi Iconoclaſtæ Hæreſis. Deiparæ grandem & venuſtiſſimam Statuam cum filio in brachio radijs inauratis cinctam, & ad ingreſſum magnificę portæ ſuperimpoſitam hactenus non deſtruxerint, ſed etiam, certis temporibus, aeris incuria devenuſtatã renovaverint.

C C L V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MONTE BRUNO.
Toriglij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Caſta Mater, pia Virgo, almè munda veni.*

1. Invidia eſt gradus ad pietatem.
2. Pœna cæcitatis.
3. Quod publicum eſt, nullius eſt.

CÆnobium S. Auguſtini, quod *Toriglij* prope Genuam eſt, huic ſe Imagini debet, à cujus miraculoſâ origine fundamenta ſua habet. Extra Toriglium in monte Bruno ſive Imaginem, ſive Statuam (extantis operis) appendit quiſpiam arbori: neque eam facilè ullus præterire poterat adeò incurius, quin incurreret in oculos etiam nolenti, nam non modò juxta regiam viam arbor erat, ſed etiam ipſa Virginis Icon ſex omnino palmos alta, & in locum conſpicuum elata, facilè prætereuntium pietatem provocabat, ad ſui venerationem. Quamdiu hac in ſtatione ſitúq; manſerit, quis dicat? Paſtor fuit in monte Paſtor. Bruno, ovibus ſuis intentus: Is S. Iconem intuens, Tecto, inquit, meliore digna eſt; quis jure mecũ aget, ſi eam domum tulero? Itaque domum ſuam tulit, cultúmque & venerationem ei decrevit matutinam, priúſquã cum ovibus domo excederet; & quia interdiu non poterat, ſaltem veſpertinum, cùm rediret,

diret, cum redeuntibus ovibus: ita nempe & ſibi & ovibus conſultum fore,

Publicum. Cives Torigliani, ſive quòd publico deberi Virginis Statuam exiſtimarent, ſive quòd tum primùm quiſque ſuam crederet, cùm unus haberet, indignabantur, Virginis non invenuſtam Statuam, & templo dignam, casâ ruſticâ claudi. Bonum factum: ſi invidia abfuiſſet, cur enim, ſi tantus ijs in Virginem amor eſt, non antè cæli injurijs ſubduxerunt? Cur nunc primùm templo dignam judicant? Ita nempe vel per vitia ad virtutes aſcendimus: & invidia gradus eſt ad pietatem. Imitare, lector, hunc Opilionem, ſi Imagini cuipiam non ſatis cultæ majores honores decerni cupis, decernet invidia. Habeo exempla, quæ afferre non audeo.

Cultus. Felix itaque Toriglianorum invidia, per quam Deiparæ honor in hâc S. Statua promotus fuit. Puero Opilioni nequidquam reluctanti Imago ſacra ab incolis magno numero ad piam prædam advolantibus eripitur, & Toriglium verſus deportatur, dum viam in oppidum relegunt, litem piam Virgo dirimit, & paſtoris cauſam tuetur. Quid expectas? lector; novum non eſt, deportatas velut in exilium Virginis Imagines ad locum redire, quin & illud frequenter accidit, ut aſſumpto pondere, vires humanas ſuperante, in loco conſiſtant immobiles.

Hoc novum: iſta bajulos ſuos, Pœna. & quotquot in bajulorum vicem oneri ſuccollârunt, cæcitare repentinâ multaros progredi veruit. Tum enimverò Torigliani, cùm videre nequirent, palpârunt, Virginem in Imagine ſua hoſpitari velle in domo paſtoris: ad quam ubi eam reportare decreverunt, pari miraculo illis oculorum uſus reſtitutus eſt, quo antè ablatus. Hæc ſub annum 1478. accidere. Quamprimum in loco ſtructum Imagini ſacræ ſacellum eſt. Populum acceivit miraculorum inſigniũ Sacellum. copia: unde piorum liberalitate è ſacello factum eſt templum, è templo denique, ut S. Imagini & peregrinis bene eſſet, Cænobium adjunctum eſt, quo hodieq; fruuntur Monachi S. Auguſtini, quos *Eremitas* vocamus, & pietatem augent. Ita Ioan. Baptiſt. Alberti l. 2.

C C L V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

MERGETALENSIS S. I.

Hagenoæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Tu Regina Diva, nempe Roſa immaculata.*

1. Converſio.
2. Dona latronum.
3. B. V. ſolvit noſtra vincula.

VAllis Mariana primum Oratorium fuit viri nobilis *Alberti de Hagenoa*, in nemore ſacro vitam agentis Eremiticam. Proximi ejus cognati tanto exemplo permoti par-

tem fundorum Alberto dederunt, ille Cænobium ſtruxit & *RR. PP. Wilhelmitis* dedit circa annum 1257. ſecuti alij cognati, qui terras plures Monaſterio ſubjecerunt, & amplius dotârunt, ab his conſervata & aucta antiqua erga Virginem pietas eſt; uſque dum irruente hæreſi & ipſi locum ſacrum deſerere coacti ſunt, & non adire cæteri. Cænobium à ſæculari Magiſtratu poſſeſſum eſt uſque ad annum 1617. quo Soc. IESU traditum eſt.

Soc. IESV. Quamprimùm Societas loci curam ſuſcepit, primus labor fuit, revocare pietatem antiquam; deinde etiam augere: ita ut hodie iterum inter miraculoſas numeretur, iterúmque ab accolis celebretur frequenti peregrinatione. Placet ex miraculis unum adſcribere. Mercator quiſpiam è *Salicenſi* oppido, non ſcio, quas nundinas petijt, alias tamen, quàm petebat, invenit in ſilva, in quâ in latrones incidit, qui nullum pacti pretium, primùm omnia abſtulerunt; tum etiam intentatis gladijs mortem minati ſunt: nec minati tantùm, ſed & certiſſimè illaturi, niſi Mergetalenſi Deiparæ intentiſſimis ſe vocibus commendâſſet infelix. Animi Divino inſtinctu manſuefacti, vitam homini donârunt; quia non ademerunt: hæc enim verò beneficia latronum ſunt: non auferre, quod habes, hoc dare, imò donare eſt. Ne tamen vicinos pagos clamoribus in ſe concitaret; manibus pedibúſque quàm fortiſſimè alligârunt arbori, quàm longiſſimè à ſemita diſtanti deinde injecto dentibus ramento; idipſum funibus, ad ſinciput occipútque circum volutis, ita ligârunt; ut vel aperto ore ne hiſcere poſſet.

Nundinæ. Latrones.

Ita moriendum homini erat, fame, ſi cætera abeſſent; at vix abière latrones: adfuit ſpectabilis Deipara, ingens miſero ſolatium. Excuſanti debitos honores ſuaviter reſpondit; acceſſit propiùs, funes omnes ſolvit, ramentum exemit ore, hominémque ſanum, ſalvum, liberum virtute divinâ repentè ad portas oppidi *Salzenſis* ſtitit. Hæc ad perpetuam rei memoriam muro inſcripta hodiéque leguntur ſine anno, ſine die: ut appareat, ad tempora avis noſtris antiquiora pertinere. Hoc tempore pergit B. V. eſſe benefica, nullum tamen beneficium ad me perſcriptum eſt à R. P. Gerhardo Hanſen Provinciali Societatis IESU. Memoria.

CCLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. INCORONATA.

Genuæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *A va planè munda, Mater Virgo micaſti.*

1. Cineres S. Ioan. Bapt.
2. Securitas navis.
3. Clades miſeranda.

QUiſquis es, qui mare, quo Genua alluitur, tranquillum putas & pacificum, Thaumturgam cinerũ vir-

virtutem ignoras, quos è D. Ioan. Bapt. buſto eſſe, nemini non certum apud Genuenſes eſt: quando ſecutiſſimum à cæteris ventis portum Cirocus fætens infeſtat. Troiā videre eſt inter aquas, (& vidiſſem ego, qui hæc ſcribo, ſibi duo citiùs appuliſſem) etenim, nullo igne ſuppoſito, alliſę navibus naves aſſulatim quandoque diſcerpuntur: & quos vix flamma crepitus ediderat inter Troiana Palatia, faciunt Genuę decumani fluctus, quos turbo è fundo eruit.

Hoc in cataclyſmo cineres ſacri afferuntur, fluctibúſque ſemel iterúmque appoſiti, malaciam inducunt mari, & quietem navibus imperant. Simillima tempeſtas Genuenſium onerariam medio in mari deprehendit: mercatores, poſtquam nautis erepta cum arte mens eſt, non rerum modò merciúmq; ſed & navis jacturam facilè tuliſſent, contenti ſolam, ſi poſſent, vitam quocunque in littore ſecuram exponere; quando petendi portûs conſilium non probaretur. Itaque lembum cum nautis ingreſſi, Imaginem quoque Deiparæ, unde unde olim acceptam, ſecum intulêre, utique præſidio futuram naufragis. Jactata fluctibus cymba, piſcatoribus è terra ſpectantibus, ſpeciem ignis fulgoriſque non uſitati referebat: dum demum applicita littori cum vectoribus cymba integrum, quod petebatur à Virgine, beneficium præſtitit.

(Iactura.) (Imago.)

S. Imago fulgore, quem ſpectavêre piſcatores, & vitæ gratiâ, quam accepêre mercatores, jam auguſtior, templo illata eſt, quod ſuburbium habet *S. Petri in arena* dictum. Sed Imaginem in collem jam ſublatam, & *S. Michaelis* templo, quod in colle eſt, illatam divinâ virtute deprehenderunt; bis reportata, bis rediit: ut miraculo teſtatior fides eſſet. Hinc populares cum pietate concurſus, hinc cæleſtium imber beneficiorum, qui hodiéque durat, ſcaturiginem ſuam habet. Io. Bapt. Alberti l. 2.

(Fulgor.) (S. Michael.)

C C L I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
RVPERTI ABBATIS.
Leodij in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Io Agna, Dei Mater, Lupum averni mactas.*

1. Ingenij augmentum.
2. Triſtitia pueri.
3. Doctrina impetrata.

RUpertus, S. Laurentij in ſuburbio Leodienſi Monachus ex Ordin. S. Benedicti, ingenium à parentibus non accepit, quo inter paris ætatis, condiſcipulos eminere poſſet: quid? quod plerumque licet adhibito omni conatu & ſtudio, poſtremus, vel certè inter poſtremos ſederet. Triſtitia juvenem optimum affecit, quæ virum affligere poſſet. Nec aliud triſtitiæ ingenijq; remedium

invenit, quàm hanc, de qua nunc ſcribo, imaginem.

Hæc in ſuburbio cùm jam miraculoſa paſſim accederetur, frequenter eam, ipſe quóque & devotè viſitavit, ingenij ſui augmentum fidenter poſtulavit, & obtinuit. Inde æqualibus ſubitò par, poſtea major, demum primus omnium haberi cæptus, eò pervenit, quò illum perveniſſe doctiſſimi libri hodie teſtantur. Ut pares gratias beneficio miraculoſo ageret, eo in loco, ubi ingenium accepit, ingenium ad Deiparæ honorem impendere decrevit. Quapropter Religionis habitum petijt, & obtinuit, poſtea Abbas Tuitienſis.

Hodie ex ſtudioſâ Juventute pluſ- rimi, quos natura debilior non ſatis ad ſtudia inſtruxit, frequenter ſcholam infelicem hîc deplorant, & deſideria melioris ingenij deponunt, & exauditos ſe gratulantur. Quia tamen augmentum hoc ad miraculi portentum rarò accedit, notatu dignum, licèt ſæpe fiat, non habetur. Cæterùm S. Statua lapidea cùm ſit, magis admiratione dignum eſt, quòd exinde filij non Abrahæ, ſed Virginis, & Virginis prudentiſſimæ prodeant. Habetur hoc Ruperti Miraculum in ejus *Operibus* anno 1621. Moguntiæ impreſſis. Studioſi.

C C L X.

Imago B. V. Miraculoſa.
CHIAVARIENSIS.
Genuæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ito amata munda, placa Regem univerſi.*

1. Hoc Deo fortior.
2. Mens auctoris.
3. Pugna liberalitatis.

Frangere juſtitiam omnipotentis Dei homo ſi velit, demiſſione poteſt; bonitatem vincere nullâ virtute poteſt. Si liberalitate in Deum pugnes, vinceris. Obſequia noſtra, divina è cælo beneficia cient. Peſtifera lues ſæculo præcedente Genuam afflixit, & permultis triſte jubilæum adduxit, quia in annum 1500. Iubilæum incidit. Nemo non horruit malum, nemo fuit, qui mille modis remedijſque tantum hoſtem domo ſuâ non arceret. Hæc divitum & nummatorum ſunt privilegia: ita nempe etiam hic hoſtis averti per aureum pontem poteſt. Nam ut quandoque divites (quia Euclіones) abripiat; major tamen eorum ſemper eſt numerus, qui cùm ære non poſſint, corpore luunt. Divites.

Hoc in cataclyſmo urbis, fæmina omne periculum evaſit, quam non amicus defendit, non aurum protexit; libera tamen annum illum, & , ut puto , læta vixit. Pharmacum , quo in lucem pugnavit, deſcribo. Recipe, ſi vis lector, & eâ doſi pro te utere, quam divitiæ tuæ exigunt. Principio ſtatim, cùm malum cives corriperet, fæmina hæc vovit, ſe, ſi finem luis viva, ſalva, & ſana viſura eſſet, Defenſ.

cura-

curaturam ære ſuo, ut Deiparæ Virginis imago ad hortuli ſui murum pingeretur, quà vicum ſpectat, nec plura poterat, prohibente cenſu pauperrimi horti, qui totum fæminæ victum dabat. Finem peſtiferæ lui dedit pacatum precibus cælum & depoſito eorum, qui jam compoſiti erant, luctu, lætitia redijt urbi. Votum. Fæmina voti rea pictorem circumſpicit, & Virginis imaginem in muro ſuo, ut promiſerat, pingi curat. Ita voto factum ſatis. An cultum quempiam acceperit ſingularem, dum eam commendabant adhuc vividi colores, ad me perſcriptum non eſt. Coloribus injuriâ temporum defluentibus accepiſſe ſcribitur.

Sed quo miraculo hanc Virgo pietatem in populo initiârit, quo cultum hunc tam magnis incrementis propagârit, etiam auctor non tradit: ſed nec requiro: quando (ut ſemel liberè dicam, quod ſentio) non exigua & frequenter unica tot portentorum origo & causâ eſt ille, quem Virgo elegit, quique non aliam ob cauſam dignus eſt, quàm quia à Virgine ad ſuos honores propagandos electus eſt. Ma la. Ita & huic imaginis curatrici fæminæ contigit. Facilia ſæpe, & quæ nullo nobis conſtitêre pretio, obſequia gratijs compenſat Virgo ingentibus, & centuplum imitatione filii largitur in hac vita. Hinc eſt, quòd multum Genua debeat fæminæ, cujus nec nomen ad me pervenit, à qua tantum theſaurum accepit. In vaſtum nempe ac ſumptuoſum templum locus excrevit, feſtúmque 8. Decemb. celebrat. Io. Bapt. Alberti.

CCLXI.

Imago B. V. Miraculoſa. KIKERSENSIS.

Fuldæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Divinâ ope regnas tu merè Immaculata.*

1. Dux viæ Beata Virgo.
2. Fæmina in periculo.
3. Puella geniculans.

Kikerſenſis pagus prope urbem Fuldam ſitus eſt, & ad hunc pagum ſilva eſt *Traſſenbergica*, in hac matrona illuſtris, & magnarum opum, neſcio, quo errore à ſuis ſeparata deviavit in feram uſque noctem. Silva graſſatoribus aliàs infeſta, & ſolitudo, maximè nocturna, metum incuſſerunt fæminæ, qui etiam in virum conſtantem cadere poſſet. Itaque ad Deiparam converſa: Templum, inquit, tibi Votu. voveo, ô Virgo! eo in pago me ſtructuram, qui primus me ſalvam & incolumem exceperit. Voto vix emiſſo, lumen à longè apparet, quod ſecuta in hunc pagum Kikerſenſem devenit, ſana ac ſalva. Nec votum diſtulit: quamprimum enim hoc, quod videtur, nobile templum Deiparæ in gratiarum actionem exſtruxit, ac muneribus dotavit. Placuiſſe Deiparæ templum, & templi architectam, probavit miraculum.

Pu-

Puella neſcio quo morbo eò redacta eſt, ut per omnem vitam genibus repere cogeretur. Hinc paſſim eſt appellata *puella geniculans*. Hæc ad Deiparam facto hîc voto priſtinæ ſanitati ſubitò reſtituta eſt, & miris modis accurſum jam per ſe magnum auxit: hodiéque locus eſt in ſumma veneratione. Ita R. P. Gerardus Hanſen Provincialis Soc. IESV.

CCLXII.

Imago B. V. Miraculoſa. CREANA.

Creæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Agna Dei Mater, juſtè pura omni macula.*

1. *Divitiæ poſt exilium.*
2. *S. Lucæ opus.*
3. *Lætitia.*

UT magnus *Euſebius Vercellenſis* Epiſcopus Concilio Mediolanenſi contra Arianos Hæreticos deſtinatus ab *Honorio primo*, in Galliam miſſus ſit ad *Conſtantium* Imperatorem: ut ab eo proſcriptus ſit Scythopolim in Palæſtinam: ut poſt Conſtantij mortem redierit: ut in reditu, teſtante *Hieronymo*, Italia veſtes lugubres poſuerit: ut ſculptam à D. Luca Deiparæ Statuam, Lauretanæ non abſimilem, templo intulerit, quod in monte *Oroppa* vel reperit, vel fecit, Lector in Virginis Statua de *Oroppa* reperiet.

Cæterùm magnus hic Deiparæ cultor, ab exilio ditior redijt in patriam duabus Virginis Iconibus miraculoſis. Et ut alteram in monte *Oroppa* reliquerit; hanc certè, de qua loquor, Creani cives ab illo accepêre, non minùs illâ miraculoſam, quanquam, an & hæc opus D. Lucæ ſit, nondum legi: utraque, ut Arianis ſubduceretur, in monte poſita, utraque ſacello (neque enim pro templo ſuppetebant ſumptus) honorata. Felices incolæ, quorum fides & fiducia majorum experimento firmatur. Edita ſunt miracula à R. P. Michaële Angelo de Licorno Soc. IESU in Hiſtoria hujus Statuæ. Ex-luum.

CCLXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE QVERCV.

Oetingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Cælum aperuiſti, Regina, amata, munda.*

1. *Quercus B. V. dedicata.*
2. *Templum tormentis dirutum.*
3. *Rabies hæretica.*

DE quercu *Klinglienſi* ſuprà ſcripſi: hîc de quercu *Oetingenſi* dicere ordior in eadem Marchiâ Badenſi, quâ

quâ illa. Diſtat hoc Deiparæ templum uno milliari Oetingâ. Anno 1466. feſto S. Marci, Deiparæ dedicatum quamprimùm eſt, miraculis inclaruit. Nonaginta octo majora uſque ad annum 1521. eo temporis ordine, quo contigerunt, accuratè deſcripta in vetuſto libro reperiuntur.

In templo ne lapis maneret ſuper lapidem, cavit *Durlachius* hæreticus princeps, qui ſub annum 1622. nova tormenta in belli uſus fuſa peccare fecit in muros hujus templi, in præludium majorum damnorum; quæ in alia templa Catholica parabat. Ita quatere muros non deſijt, dum totum templum in unum lapidum cumulum ſubſideret, cujus facti pœnas luit eodem anno in *VVimpfenſi* prælio victus, & debellatus, quo unà cum ſuis etiam perijt. Templũ his annis reſtitutum, iterum peregrinationibus celebre eſt, & Virginem habet propitiam. Cæterùm è miraculis nullum ad me perſcripſit R.P. Philippus Fehnle Soc. IESV. Bellum.

CCLXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ROMANIA. *Tropeæ in Italia.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Virgo munda & ſemper intacta à væ mali.*

1. Remora ſacra.

2. Terræ motus.

3. Flent nautæ flantibus ventis.

SVnt, qui non obſcuris indiciis putent, opus eſſe S. Lucæ, quod quia certò ad me perſcriptum non eſt, non affirmo: præſertim cùm rarior in his terris Græca pictura apud multos pro manu habeatur S. Lucæ. Diu eſt, quòd Neapoli (Peloponenſi urbe) ſedem habuerit: hodiéque *Romania* dicitur. Hinc navi per noſtra maria eſt advecta. Ad conſpectum urbis *Tropeæ* ubi pervenit, remoræ officium fecit imago, & navim ſtitit, flantibus licet ventis, & flentibus Nautis. Turgebant ſanè plenâ ventis vela, gemebat antenna. Maria.

At ubi Nautæ Tropeam urbem videbant non recedere, in portenti ſuſpicionem venerunt, quo Virgo ſignificare videbatur, hìc ſe hoſpitium elegiſſe. Itaque ſcapham expediunt, quæ Præſulem Tropeanum cum ſuis admonitum acciret. Venit ille ſanè, & cum illo tota penè urbs. Expoſito S. Theſauro, navis curſum ſuum tenuit, & Imago miraculoſa templo illata eſt, populo, qui, quantum per tempus licuit, in ſupplicationis ordinem redactus eſt, comitante. Sed prò dolor! non eo cultu habita Virgo eſt, quem ipſa optabat, dum ſub annum ſæculi hujus trigeſimum octavum ipſa Deipara *Antonio de Corduba* loci Epiſcopo apparens, juſſit ſtatuam ſuam, medio in templo, in altari principe collocari. Paruit ille, poſtquam eam priùs ſolenni ſupplicatione per urbem circumtulit. Vix S. Statua loco ſuo glorioſa inter civium vota conſedit: cùm ecce tibi, Apparitio.

poſtridie *Annunciatæ Virginis* tota Calabria contremuit, hauſtæq; ſunt à terrâ cum civibus urbes plures: nihil penè inconcuſſum totâ Calabriâ, illæſumq; manſit; Tropeam ſi excipias, quæ quia Virginem recenti honore proſequebatur, intremuit quidem, nullo tamen aut civium, aut domorum detrimento.

Feſtum. Hinc vigeſimus ſextus Martij dies, qui cæteris infeſtus fuit Calabriæ viribus, Tropeanis urbibus ſacer & feſtus eſt, & ad hanc Virginis iconē celebris, quàm magnâ pompâ per urbem circumferunt. Nec hoc ſolo beneficio, quanquam maximo, gratiarum torrentem Virgo conſumpſit. Hoc tamen unum attuli; unde de cæteris argumentum facere poſſit peritus rerum Marianarum lector, quem miraculis ordinarijs, licèt magnis, gravare nolo.

R. P. Julius Cæſar Taffari R.
Col. Barienſis Societ.
IESV.

CCLXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
LVGGAVIENSIS.
Luggaviæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Salve, perge, mira, cui anima tota munda.*

1. *Gratia Baptiſmi.*
2. *Concurſus.*
3. *Suſcitatio mortuorum.*

LOcus hic eſt in Ducatu Carinthiæ, quem RR. PP. Diſcalceati Carmelitæ monaſterio ſuo ornant, quod ipſum ſplendorem ſuum accipit à Statua miraculoſâ Deiparæ, quæ utiq; longè, & forſan ſæculis aliquot antiquior eſt ipſo Cænobio. Nec dubium eſt, originem habuiſſe miraculoſam; cùm concurſus vicinorum auctus quidem nunc ſit, nō tamen inchoatus. Cætera, quì ad me perſcripſit.

Baptiſmus. Vnum, tanquam præcipuum & conſtans, memoravit: Infantes nimirum ante baptiſmum defunctos huc portari, vel certè domi ſervatos huc devoveri, & vitæ ſigna dare, quæ demonſtrent, vel vivere nunquam deſiiſſe, vel revixiſſe; ita ut eis à Sacerdote id exſpectante Baptiſmus ritè conferatur: hoc denique ſæpius contingere, cùm infantes defuncti in templum deportantur, & altari imponuntur, quàm cùm domi ſolùm hoc votum concipitur.

Hoc Miraculum ſæpius hoc in libro memoro: & ubique pro ſingulari & magno habetur; præſertim ſi unus, vel plures dies intercedant, nullo vitæ ſigno notabiles. Nec plura accepi.

CCLXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE FELEGARA.
Felegaræ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O agna mira, ſummè pura, ac in Dei tutela.*

1. Ampla ſtipendia.
2. Antiquitas.
3. Veneratio.

INter Lombardiæ Theſauros numeranda venit Imago B. V. quæ *Felegaræ* impensè ab incolis & accolis colitur, undique accurrentibus; maximè tamen à civibus *Reggienſibus*, quos & Epiſcopus ibi reſidens, & loci vicinia horâ non amplius una diſtantis invitat. Miraculoſa eſt; ea propter Sacerdotes amplis ſtipendijs conducti eam curant. Cæterùm de origine comperire nihil potui: Neſciri etiam ab incolis, ſcribit ad me *R. P. Joannes Maria Cottius Soc. Ieſu.* Hæc ignorantia arguit antiquitatem; Antiquitas venerationem ſuam habet, ut alia abeſſent.

Et licet originem Imaginis neſciamus, ſcimus tamen originem pietatis in B. Virginem civitatis Reggienſis. Ea venit à S. Paulo Apoſtolo qui Jeroſolymâ captivus tendens Romam, & Reggium veniens ſub veſperum concionem habuit in foro, nolentes audire & abituros cives, rogavit, audirent ſaltem dum brevis candelæ pars parvâ arderet, aſſenſum eſt à civibus; columnæ impoſita candela columnam ipſam lapideam inflammavit ad mediam uſque noctem. Hinc Reggienſium pietas in Deiparam.

S. Paul.

CCLXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
EBERSTARFENSIS.
Altenburgi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu nævo Immaculata, Paradiſi germen.*

1. Maternus amor.
2. Perfidia aulici.
3. Iuſtum Dei Iudicium.

REm fero Theatro dignam. Lacrymas ciet triſtitia; ciet quoque lætitia; perſonæ ſunt principes, eventus inexpectati, lætiſſimus exitus. Ne de veritate dubites, ſcripſit Hæreticus; ut habeas teſtimonium inimici duplex. Nempe veritas etiam apud hoſtes triumphat, res hæreſi Lutheranâ antiquior eſt. Incipio anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, cum Germania felix habitaretur in omni pace Religionis, leges etiam Catholicæ adhuc optimè cuſtodirentur, propter Cleri & Religioſorum pietate, & ânimos odio habentes mala; fiebat, ut & ipſi Reges & Principes

omnia Deiparæ templa ſummo honore digna æſtimarent. Anno inquam 1450. *Fridericus II.* Saxoniæ Dux, bellum geſſit cum fratre ſuo *Guilielmo III;* Rege Boëmiæ; quo capti ab hoc ſunt Nobiles duo, Friderici fratris ſubditi: uni nomen *Nicolaus de Pflueg*, alter *Kuno de Kauffing* vocabatur. Vterq; libertatem emit lytro magno, ſed ut ea ferebant tempora, fide ſuâ promiſſo.

Redijt itaque in aulam uterque: expectavit etiam uterque lytrum à Duce pro ſe ſolvendum, ut qui vitam in bello pro Duce expoſuiſſent. Et verò id obtinuit Nicolaus, ſed ſolus, & quia principes habent rerum ſuarum cauſas, ea gratia data eſt Nicolao, quia ſuis proprijs ſtipẽdijs militabat Principi. Kuno verò, quantumvis opulentior, non ſuis, ſed domini ſtipendijs ſerviebat. Kuno itaque de ſuo coactus Regi Boemiæ ſolvere quatuor millia florenorum, magnam illis temporibus ſummam, & quæ hominis patrimonium non parùm accidit. Kunoni verba nonnunquam elapſa ſunt, quæ minas portenderant & vindictas, ea aliquando ad Principis aures allapſa per delatores, Principi riſum moverunt; ut quæ eſſent vanæ ſine viribus iræ in paupere. Ita ut Princeps aliquando Kunonem ſic alloqueretur: Cave, ne mihi piſces in vivario comburas.

Liturnia.

Videbatur tamen Kuno ſeria loqui, poſtquam identidem minas ſuas repetebat. Quam ob cauſam è provincia per Principis ſententiam ejectus eſt. Kuno ad Regem Boëmiæ Friderici hoſtem confugit, queſtus, ſtipendia ſibi non ſoluta: & Regi fidem ſuam obſtrinxit, magnóq; numero è Saxoniâ adduxit militaturos contra Dominum ſuũ, quos vel odium Principis ſui, vel alia calamitas ad hæc perfida conſilia permovit.

Rebellis.

Cæterùm ut ſciret, quid in arce Aldenburgenſi gereretur, mediaſtinum Culinarium argento unxit, ut ſecreta, quæ vinum influens effundere ſolet, ſibi ſemper & quam primũ ſignificaret. Kuno itaque, ut pauper & abſens, in aulâ non timebatur: liberi paſſim contra Kunonem ſermones ad Principis mentem; donec ſe Kuno timeri poſſe oſtendit.

Anno 1455. quinquennio penè elapſo, Dux Fridericus Altenburgo Lipſiam profectus, conjugem cum duobus filiolis reliquit in arce, & comiti de Barbis commiſit, totâ aulâ ſecum aſſumptâ. Clancularius proditor quamprimùm fecit, ut hanc profectionem domini reſciret Kuno. Is viginti quinq; equitibus, & decem peditibus comitatus, mediâ nocte, 7. die menſis Iulij adeſt; receptúſque ſolus ſcalis loreis per culinæ feneſtram eſt. Commodùm Comes de Barbis nondum ad arcem redierat, illâ die cum paucis, quos Dux reliquerat, lætior in urbe arci ſubjectâ in ſeram uſque noctem.

Stratagema.

Kuno Stratagemate novo ſeras ſecum attulerat, duobus cuneis, ut ſolet, cuicunq; portæ applicabiles: has omnibus cubiculorum portis clàm affixit, vetuitq; à ſomno futuris clamoribus excitatos in auxilia proſilire ipſis januis, quas Du-

eiſ-

ciſſæ cubiculum habuit, hac fraude occluſis. Ingreſſus cubiculum, ubi ancillæ familiares cū duobus filiolis dormiebāt, intentatā morte, vetuit vocem edere; juſſitque confeſtim veſtiri Principes, quorum major quatuordecim annorum puellus, contentiſſimâ voce exclamat: Kuno adeſt, & vult nos occidere: ſiluitque. Nam Kuno ſtricto gladio mortem ſubitò clamanti minatus eſt. Inſolentia.

Mater excitata, tentatas cubiculi portas ubi vidit clauſas, ſuavibus hominem verbis allocuta eſt, quid ſæviret in innocentes: forùm eſſe, ubi, ſi quæ ſunt injuriæ, vindicantur, vir, & miles, & nobilis, indecorum duceret, infantes & innocentes adoriri: nævum familiæ nobili æternum ne inureret. Principes, inquit, ſunt, & Principes tui, & quod caput rei eſt, innocentes. Nequidquam Domina movit Kunonem: nam veſtitos à fæminis Principes ſecum cubiculo eduxit, portámque ſerâ ſtrinxit, ne ancillis pateret, auxilia vocaturis.

Error. At verò ubi ad lunæ lumen pervenit, conſideratis in facie obſidibus captivis, vidit ſe in manibus habere *Erneſtum* majorem natu; at loco junioris *Alberti*, fi'ium Comitis de Barbis puerum honorarium. Itaque commendato equitibus Erneſto, redit ad cubiculum, & relicto puero honorario, *Albertum*, qui ſe ſub lecto in tenebris abſconderat, eruit; veſtitúmque iterum recluſo peſſulo ſecum abducit, matre Duciſsâ ad lunę lumen omnia vidente, & Kunonē nequidquā inclamante.

Oratio. Jámque filios ultimum viſura, ultimas voces filijs, & Mariæ cælitum Reginæ dedit. Quando itaque, ô filij mater ego eſſe ampliùs non poſſum, matri Dei vos conſigno: hanc matrem habetote; huic vos commendate: & tu, ô Bona! filios, qui ampliùs mei non ſunt, ſuſcipe pro tuis: tu curam habe, tu vivos ſanóſque conſerva, tu reduc, plura eloqui dolor vetuit.

Kuno puellos jam equis ſublimes, atque in equitum gremio ſecuros molliter duci præcepit, *Erneſtum* majorem in *Voitlandiam*, ad ſceleris conſcios, addi-â ei mediâ militum parte: Juniorem *Albertum* ipſe alterius turmæ ductor ſecum tenuit, ad arcem ducturus quam in finibus Boëmiæ ipſe habebat, ne uterque perdi poſſet, non enim vanè augurabatur, ſecuturos, qui prædam viribus eriperent majoribus, quàm ipſe abſtuliſſet. Raptus.

Interea fæminarum clamores è feneſtra arcis, qua proximus in ſubjectam urbem proſpectus eſt, excitârunt è ſomno vigiles urbis: vigiles ante omnia excitârunt ſomno vinóque ſepultos cum Comite aulicos, adhuc in popinâ urbis hærentes: qui properè ad arcem regreſſi, fidem ſuam Duciſſæ egregiè jactârunt, ruptis ſeris, datâque fæminis licentiâ conveniendi in Duciſsæ thalamum, ibi ante omnia conſederunt, conſilium ſumpturi referentibus turbato ordine fæminis, & ante has ipſa Duciſſa multum quoque puer honorarius Comitis filius afferebat, quomodo timuiſſet, quomodo ipſe in locum Principis ſubſtitutus fidem ſuam ſilentio probaverit obſes imò & funus pro Principe futurus, cujus Perſonam in tenebris repræſentabat. Hæc Tæmium. Conſilium.

omnia ſedente, & præſidente in hoc conſilio Comite.

Tum auditis omnium votis, ſententijſque decretum, ut excitatos Campanæ ſono cum civibus ruſticos ſummo manè redigerent in ordinem armatos, & perſequi, juberent quoquo verſum latrones, qui totâ nocte concitatâ equitatione jam multum viæ confecerant. Metus Kunonis fecit, ut in ipsū uſque meridiem nulla quies vel equis vel equitibus concederetur. Albertus novennis non erat averſatus equitationem, ſiquidem ſine periculo obtigiſſet: jam enim ſe vitæ ſecurum ſciebat. Ante omnia, quòd contra morem nondum jentâſſet, queſtus: fame inquit morior, nec ampliùs me ſuſtineo Kuno plùs equis timens, quàm Principi ſuo, (quanquam non vitam Principis, ſed lytrum petebat) omnes deſcendere juſſit in pulchro ceſpite, arboribus circum coronato. Fuga. Gramen hoc, inquit, ſit equis pabulum; vobis cœnæ opiparæ ſpes pro prandio, deinde arborem conſcendere juſſit vigilem ſpeculaturum, ſi quiſpiam inſequeretur. Demum ne Principi malè eſſet: Brevi, inquit, bene cœnabimus: interea fraga hæc, quæ commodùm aderant, carpere Principem jubet.

Kuno in gramen ſe abiecit, curas quiete refecturus, Cæteris patronum imitantibus. Ita enim feſſis placebat & iejunis meridiari. Albertus fragis intentus, ruſticum conſpicit arbori innixum, quem canis domeſticus latratu advocaret. Itaque velut caſu ad eum delapſus, inter carpendum ſic eum alloquitur. Ruſtice, *inquit*, ego Dux Saxoniæ ſum, tuus Dominus: hi, quos vides, me rapuerunt, Reſtitue me matri in Altenburg, & ex ruſtico faciam te nobilem. Ruſticus. Hæc dicens, magis magiſque intentus fragis, ruſtici reſponſum præſtolabatur, & auxilium.

Carbonarius recipit, ſe quamprimùm affuturum cum ſocijs: carperet interea ſecurus fraga, ne ſuſpicionem venturi auxilij faceret. Non omnino fefellit Kunonem ruſtici cum Principe colloquium. Itaque ſtricto gladio Carbonario mortem intentat: ſervus quoque ne latus Domini deſtitueret, idem & ipſe egit.

Fuſtis felici caſu ruſticum armaverat, ſuffecturus in herum & ſervum; niſi preces pueri, quem jam Dominum ſuum agnoverat, vitam Kunoni ſervaſſent, & Kunonis ſervo. Acerrimus in pugnam erat catellus, qui latratibus uxorem quoque adduxit. Hæc territa primùm, poſtea cultro ſecuris ferrum percutit ictibus notiſſimis. Vidiſſes quamprimùm non contemnenda ſilvanorum auxilia, myrmidonum Dolopúmque manum. His, primùm captis equis, non difficile fuit, ſeſſores quoque capere: quos omnes ad pueri Principis juſſa injectis funibus ad inſtar furum ligavêre, deinde Principi ſuo prandium obtulêre, panem, caſeúmque, & in teſta limpidiſſimi fontis frigidam.

Inte-

Intereà mater diem gemitibus inſumpſit, Deiparam in vota vocavit, filióſque commendavit inter ſuſpiria & lacrymas. Peracto prandio inter hos aulicos, itum cum captivis eſt Altenburgum, & adhuc nocte illâ Carbonarius filium matri ſtitit ſanum & incolumem unà cum captivo Kunone, quem ſecurus carcer excepit. Quo matris gaudio id factum ſit, nulla nec mater, ſi plebeia ſit, exprimere verbis poterit. Sed ubi alter filius?

Mater.

Deiparæ beneficio factum eſt, ut illi, qui in Voitlandiam uſque parvulum abduxêre, capto patrono, & ipſi gratiam Principis Domini ſui prenſarent. Itaque Comiti *Vito de Schneberg*, ſi nomine Principis indemnitatem promitteret, reddituros ſe incolumem parvulum promisêre. Promiſit Comes: reddidêre illi parvulum; & princeps poſtea pactam indemnitatem ſtabilivit. *Erneſtus* triduo poſt Altenburgum venit, ductúſque à Comite ad matrem, & fraterculum, gaudium triplicavit.

Decimo quinto Iulij menſis die *Fridericus* Pater Lipſiâ redux cum aula, omnem rei ſeriem audiens, nunc matri, nunc filiolo, utrique demum etiam puero honorario, & fæminis familiaribus aures præbuit: nec auribus ſuis credidiſſet, niſi & Kunonem inter vincula adductum, & auxilia Carbonarij timenda vidiſſet; qui Sylveſtri facundiâ fidem ſuam ſociorúmque jactabat, quàm citò juſſa principis ſui tunc primùm agniti feciſſet: quomodo Kunonem cum ſervo ſuo vitali aurâ frui permiſiſſet ad juſſa principis, aliàs ſub fuſte hoc ultimos gemitus tracturum; quomodo equos primùm pabulantes cepiſſent; dein equites malam mortem metuentes ligaſſent, tantùm non volentes: quale prandium inſtruxiſſent principi: quibus ceremonijs adſtitiſſent fideliores aulicis ſubditi: demum promiſſam nobilitatem inter perorandum poſtulavit.

Aula.

Captivus.

Fridericus Dux fideli Carbonario fideliſſimâ ſponſione & promiſſam nobilitatem, & quid vellet, datâ manu ſpopondit. Tum ante omnia ad templum Deiparæ, quâ pompâ licuit, itum eſt, actæque principum Protectrici gratiæ; quas munera, & appenſa vota, & beneficio Virginis, & Ducum honori convenientia, ſunt ſecuta. Quis memoret per omnem viam (imò etiam vitam) inculcatum filiolis Deiparæ ſincerum cultum? quoties imperatum, ne unquam elabi mente ſinerent tam grande Virginis beneficium? Inter hæc domum redux Fridericus dux, cætera, quæ ad rem pertinebant, ſic peregit. Ante omnia Comitem de Barbis ſeverâ oratione corripuit coram domeſticis, docuítque, non erraſſe, & majora, quàm quæ verbis expiari poſſent, meritum: nec ſiluit carnificis gladium. Cæterùm iret nunc, & fidem ſuam factis poſthac melioribus correctam probaret.

Cultus.

Ille ſupplex & vitæ gratiam agnovit, & ſponſionem fecit accuratiſſimæ fidelitatis. Tum promiſſam indemnitatem latronibus ſponte ſe offerentibus ſtabilivit, utique poſtquam ex filio Erneſto intellexit, nihil Duce indignum ei contigiſſe,

ſem

ſemper honorificè & pro domino habitum, demum ad ſeveriora ſe convertit. Kunoni, & Theodorico fratri ejus omnium conſcio, capitis ſententiam dixit. Puero culinario, qui Kunonem ſcalis loreis noctu in arcem recepit, forcipes ignitos & rotam decrevit. Fridbergam abductus Kuno ad ſupplicium capitis vigeſimo quarto Iulii ſubeundum. Multa per literas excuſavit, principes filios vitæ ſecuros abduxiſſe, dum mitiùs cum Duce paciſceretur: nec aliam, quàm non ſoluti lytri cauſam ſe proſecutum. Quòd ad partes Regis Boëmiæ fratris ſeceſſiſſet, ad hoc coactũ fuiſſe exilij ſententiâ: dignum proinde, cui vitæ gratia fieret. Cæterà ſubditum ſe ſemper, ut antè fuiſſet, futurum fideliſſimum. Moverunt hæc Fridericum, & ingratitudinis parte erga cælites poſuit, condonâſſe inimico & hoſti.

Iudiciũ.

Gratitudo.

Miſſus itaque, qui ſupplicium præveniret, & venit ille ſanè ad urbis portam, vel ideo clauſam, ne tanto ſupplicio impediendo quiſpiam moleſtus interveniret: clamoribus tamen curſor effecit, ut intromitteretur; poſtquam quis eſſet, & à quo mitteretur, non ſine jactantia probavit. Hora poſt meridiem quarta fuit, cùm & curſor intraret urbem, & Kuno fatalem ictum reciperet. Itaque Kuno non tam Ducis, quàm Dei ſententiâ capùt amiſit: ut mundus diſcat, principes Deo curæ eſſe. Theodoricus Kunonis frater omnium conſcius, qui dicere auditus eſt, Fridericum Ducem Lipſiâ reducem Inventurum Altenburgi nidum ſuum, ſed ſine pullis, capite etiam plexus eſt.

Iuſtitia.

Puer demum Culinarius candenti forcipe conſueto more carptus, & fractis rotâ oſſibus viliore acerbioréq; ſupplicio vivere deſijt, ſepulchrũ aliud non nactus, quàm rotã cui implexus ſub Dio putreſceret. Illud memorabile: Caſpar Epiſcopus Miſnenſis avunculus Kunonis, funus pretioſè nimis curavit, pannóque aureo rectum in templo S. Petri ſepelivit. Hoc regem Boëmiæ (licèt bello cum fratre duce Saxoniæ Friderico implexum) malè habuit; quapropter latronem tanto honore indignum armata manu erui ſepulchro juſſit, & in pagoruſtico ſepeliri; tacere juſſo Miſnenſi Præſule; ni & ipſe Kunonis conjuratus haberi vellet. Carbonario demum, in aula interea bene habito, data à Duce audientia; datæ publicæ laudes, præſt’ræ in principem fidei; tum non tantùm oblata ei eſt nobilitas, ſed & petere juſſus, quidquid vellet, habiturus certò, quamdiu non iniqua poſtulaſſet.

Culinarius.

Epiſcopus.

Hujus modeſtia poſteris vix fide digna videbitur: neque enim fidem ſuam & merita ad principis ſui ignominiam (quod hodie fieret) jactavit: ſed neque nobilitatem oblatam acceptavit, à filio promiſſam, à Patre oblatam, ſed ſorte ſuâ contentus, id ſolum petijt, ut arbores cædere permitteretur, quotquot in carbones exurere poſſet. Cæterùm Dux ne minore juſtitia in benefactorem ageret, quàm in hoſtes egiſſet, homini (quando urbem non ambiebat) domum amplam in ſilva à fundamentis erexit, ſilvæ magnam partem dono dedit, cenſu quoque addito

Modeſtia.

dito ex aula, qui nobili Familiæ alendæ ſufficeret: familiámq; poſthac volebat appellari *Baccalauream*. Hodie, inquit auctor, hæc familia vocatur Voglhaupt, à capite volucris, quod ſcutum gentilitium decorat.

Gratitudo. Supereſt, ut dicamus, quas Deiparæ grates egerit Dux Fridericus. Duciſſa noctem illam triſtiſſimam inter preces & vota conſumpſit, quæ verò illa vota fuerint, vel promiſſa, vel neſcivit, vel non curavit auctor hæreticus, qui hæc diu pòſt (fideliter tamen) ſcripſit, contempturus fortè, atque etiam omiſſurus, ſi ad ejus notitiam hæ pietatis ſcintillæ perveniſſent.

Id veritatis amans hiſtoricus præterire nec debuit nec potuit, Ducem cum Conjuge, & liberis, totáque aula, ad Deiparam Eberſtorffenſem, illis temporibus miraculoſam, & celebrem peregrinationem Catholico ritu inſtituiſſe; & poſt gratias Deiparæ pro ſervatis filiolis piè devotéque actas, ad æternam beneficij memoriam, veſtes utriuſque filioli ſericas, in quibus captivitatē ſuſtinuêre, tholo templi appendiſſe, ſuóq; tempore adhuc pependiſſe. Vestes. Dubium non eſt, dona quoque alia, & Principe, & tanto beneficio digna, templo data, tam ab ipſo Duce, quàm Duciſſa: & ſi majorum pietatem revocamus ad mentem, etiam ipſis parvulis ſua cuique dona in manu erant, quæ ſoſpitatrici ſuæ Deiparæ afferrent, ſciréntque, ſe jam ſemel illam pàtris matriſq; loco habuiſſe.

Hæc ad me perſcripta ſunt ex diverſis auctoribus excerpta, maximè tamen ex *Petri Albani* Chronicò Miſnenſi, impreſſo Dreſdæ Metropoli Sereniſſimorum Electorum Saxoniæ, folio 272. Anno 1589.

CCLXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CASALVCE. *Averſæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, lacteum mare, Virgo pia, ſana, & munda.*
1. Opus S. Lucæ.
2. Ruſtici veloces.
3. Spiritus ſancti gratia.

HAnc tenent in templo ſuo RR. PP. Cæleſtini in pago Caſaluce, non multùm ab Vrbe Averſa diſtante: quam more meo quaſi ſedem Imaginis in titulo præfigo, ut citiùs lectori locus, ubi quærenda ſit, pateat. Hanc ideo hic pono, quia *Ioan. Bapt. Alberti* pictam à S. Luca ait, & valde miraculoſam: quod quia nullâ allatæ imaginis hiſtoriâ confirmat, Græcam eſſe facilè credo; à S. Luca pictam, non affirmo. Quomodo enim, ſi talis eſſet, omnis originis traditio omnino interire potuiſſet? Vbi iterum iterumque lectorem monere debeo, tantam eſſe multitudinem earum B. Virginis imaginum quæ à S. Luca dicuntur pictæ ut earum inire numerum difficultate ſuâ non careat. Multos decipit pictura græ-

ca & Moſcouitica quæ in modo pingendi ad modum antiquorum accedit, tam quoad colores & penicilli ductus quam etiam quoad ipſam imaginis deſignationem quod ſi antiquitas accedat, adhuc pronius eſt id judicare. Hoc memorare hic volui non quod hanc imaginem negem à S. Luca pictam ſed quod ut multarum aliarum probationem non inveniam ſufficientem, quâ adducar ut credam.

CCLXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
BVRICENSIS.
Sarburgi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En tu amoris gemma ac aula nitide pura.*

1. *Ruſtica pietas velox.*
2. *Purgatorium.*
3. *B.V. Conciliatur.*

Hic, ſi uſpiam, fuit Spiritûs ſancti gratia, quia non tarda Ruſticorum molimina. Simul enim inventa eſt in arbore hæc utcunq; ruditer ſculpta Deiparæ ſtatua, Ruſtici Buricenſes ante omnia Sacellum ſtruxerunt è ligno, conciliaturi ſibi Virginem. Virgo quoque ſtatim claruit miraculis non vulgaribus, quibus miſeros beavit, certè plura & grandia memorantur quæ apponerem, ſi approbata fuiſſe ab Epiſcopo intellexiſſem.

Inter alia, hic animas, quas purgantes flammæ expiant, ex orationibus peculiare ſolatium experiri memorant. Accurſum eſt non modò à Trevirenſibus, ſed etiam à Metenſibus, & Luxenburgenſibus: quin Lotharingos quoq; fama accivit, tanto peregrinorum numero; ut eorum pietas templum requireret. Ad id ſtruendum ſumptus plùs quàm neceſſarios porrexêre peregrini: quod anno 1449. ſtetit, ita peregrinorum affluxu aucto, ut an. 1516. fuerit ampliandum: quando quatuor & plura peregrinorum millia uno quandoque die numerabantur. Conventum ibi habent RR. PP. Franc. de Obſervantia.

CCLXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SINOPOLI.
Sinopoli in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mons Dei amati, tu Regina pura maculâ.*

1. *Maria Charybdis Domina.*
2. *Ceſſant pericula.*
3. *Stella maris.*

HAbet Sicilia Charybdim ſuam, & Virginis miraculoſam imaginem, quæ Charybdi vicina cùm ſit, tot navium jam pluribus ſæculis infamem voraginem domare queat, & non parùm reddat mitiorem. Habet Calabria ſcyllam ſuam, ſem-

per voraciſſimæ Charybdis æmulam: habet quoq; Virginis imaginem miraculoſam, quæ hanc ſcyllã pacat. Ita nunc ſecurus ſcyllam inter & Charybdim tranſitus eſt. Sinopolis oppidum hoc theſauro triumphat.

Magna hîc & frequentiſſima Virginem patrare miracula, cum vicinis regionibus, experitur tota Calabria. Ita Virgo cæli Regina cùm ſit, & terræ totius domina: quid eſt, quòd non etiam maris Patronam vocamus, quando ſcylla & charybdis, niſi permittente ipsâ, dare hominibus malum amplius non poſſunt? diſcant ſanè alia quoq; maria, & exemplum ab his vorticibus ſumant, honorandi *Stellam maris* Mariam. R. P. Andr. Sarazolus R. S. I.

CCLXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

PUERPERA.

Oſnabrugi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *O Mater Agni data, verè immunis à culpâ.*

1. *Campanarum ſpontaneus ſonus.*
2. *Virginum honor.*
3. *S. Eliſabetha Turingiæ.*

SEcundo ab urbe lapide Monaſterium Virginum eſt, *Oſede* dictũ, quod inter medios penè hæreticos hactenus ſe in fide & obſervantia religioſa, religioſè ſervavit, in hoc ſtatua eſt miraculoſa Deiparę à pluribus jam ſæculis. Intulit eam S. Eliſabetha Regina Ungariæ, toti penè orbi notiſſima, auro & gemmis ornatam.

Primum & antiquiſſimum, quod habetur, miraculum eſt, quòd, cùm templo inferretur, Campanæ monaſterij, nemine uno manum admovente, feſtivum ediderint ſonum, ſed & in hodiernum diem miraculis claret. Vnum ex omnibus ad me perſcriptum eſt, quòd ab alijs, quàm ab incontaminatis Virginibus ſeſe deferri non patiatur. Factúmq; memorant, ut, ſi ferculum ſubeat corrupta, onus Ætnâ gravius humeris ſuis ſentiat impoſitum: cùm tamen lignea ſit, nec cubiti altitudinem excedat. Ita ad me R. P. Caſparus Smid Societatis JESU. Campana.

CCLXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE SVDORE.

Ravennæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, gemma tota pura, una ride ſine macula.*

1. *Sudat etiam Maria ſanguinem.*
2. *Peſtis pulſa.*
3. *Feſtivitas vigiliæ.*

HÆc Virginis imago in tela picta eſt, quam artifex inducto glutino aſſeri affixit. Lata eſt palmum u-

num, alta duos. Hoc anno prætetriti ſæculi duodecimo, cùm hoſtis Ravennam diriperet, eámq; ferro ignéq; vaſtaret, mirabili portento ſanguinem ſudavit: unde & nomen de *Sudore accepit*. Et verò hodieq; non obſcurè ſe objiciunt ſanguinis notæ, quibus tota penè imago conſperſa eſt. Sunt, qui aſſerant, anno ſæculi noſtri trigeſimo, cùm populus hîc peſtem deprecaretur, iterum ſudâſſe. Sed incerta pro veris non aſſero.

Hoc conſtat, peſte finitâ, à ſenatu populóq; Ravennate ſancitum fuiſſe, ut Sabbatinis diebus preces Litaneuticæ poſthac cantarentur, & ad ſenatoriæ campanæ ſignũ clauderentur artificum officinæ. His annis pervenuſti operis Sacellum magno ſumptu S. Imagini erectum eſt à fundamẽtis, pietati adventantium augendæ. R.P. Alex. Boſelli S.I. Prov. ex MS. Viſit. Epiſcopal. anni 1613. ſub Emin. Card. Pet. Aldobrandino, & anni 1640. ſub Em. Card. Caponio. Sabbathum.

CCLXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
BIKISHEMIENSIS.
Bikiſhemij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Euge jam intacta Roſa purè munda mali.*

1. *Congregatio duodecim Apoſtolorum.*
2. *Janua templi.*
3. *Templum in campo.*

TEmplum Bikishemienſe juxta viam Regiam, quà Ratſtadio ſpiramitur, ædificatum eſt tantæ amplitudinis; ut multorum milliũ capax ſit: & verò non rarò impletur, non ab accolis, qui nulli ſunt: neq; enim alia domus fuit hîc unquam, præter æditui domunculam, & hoc ipſum argumento eſt non ſine occaſione maximi miraculi templũ hoc ſtructum eſſe; cur enim hoc loco nullâ amœnitate ſingulari, nullâ hominum frequentiâ celebri templũ ſtatueretur, meliùs in urbe quapiam ſtaturum? à tribus omnino ſæculis cum dimidio adſunt litteræ fundationis cujuſdam Sacerdotij, huic templo juncti. Cæterùm de origine, vel Fundatore templi tacere nos jubent Iconoclaſtæ, qui omnia ferro flammáque vaſtârunt. Anno 1400. duodecim Parochi ex vicinioribus novam inter ſe inſtituêre cõfraternitatem, eâ conditione, ut ad memoriam SS. Apoſtol. plures in eam nunquam admittantur. Leges eorum & ſtatuta integro libro, qui extat adhuc, cõprehenduntur. Conſtat itaq; prioribus ſæculis concurſum fuiſſe undiq; ad hanc Bikiſhemienſem Deiparam. Anno 1637. traditus hic locus à Marchione Badenſi eſt Societati IESV. Congregatio.

Antè verò contigit tres memoratu digna. Regnabat in hoc Principatu Badenſi hæreticus, Durlacenſis Marchio, non legitimus dominus: is in mercatu conſueto vetuit aperiri templum. Contigit, ut fœmina hæretica ſimplex, munus cereum per annos ſingulos afferre ſolita, templum accederet, flectérétque genua ante portam, nec non doleret, Hæreſis.

ſeret, quòd munus ſuum altari imponere nequiret.

Cùm ecce, valvæ templi ſponte aperiuntur, & unà cum ipſa quotquot aderant Catholici ingrediuntur. Periculum æditui imminebat, niſi idoneis & præſentibus teſtibus probâſſet, valvas majore diligentiâ claudi non potuiſſe. Ita miraculum paſſim increbuit.

Poſtquam verò legitimus terræ Dominus Marchio Badenſis Durlacenſem tyrannum eiecit, Societati noſtræ templum hoc commendatum eſt, unde ad hæc uſque tempora pietas Mariana mirè crevit, & nunc locus iterum miraculis frequentibus celebris eſt. Quod ſubjungo, rarum eſt. Ancilla hæretica capitis vehementem dolorem queſta à pio Catholico conſilium accepit, donaret Deiparæ Bikishemienſi tegmen capitis ſui. Donavit illa, & ſimul ac munus altari impoſuit, confeſtim convaluit; non tulit hoc hæreſis. Tamdiu & minis & verborum lenocinijs inſtitêre alij, dum ancilla tegmen ſuum iterum repeteret, ſed ſuo malo: nam paulò pòſt utroque orbata oculo in hæreſi infelicem animam efflavit. Et quamquam plura ad me miſerit *R. P. Philippus Fenbl Rector Badenſis*, tamen omitto; ne ſimilitudine rerum faſtidium creem lectori.

Morbus.

CCLXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
A' MARI.
Firmi in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, age Roſa intacta, veprium almè munda.*

1. Pauperi minus creditur, quã diviti.
2. Sapor terrenus.
3. Flammæ Cæleſtes.

HOc Deiparæ templum in aperto campo juxta mare, antiquum quidem, ſed propter incurſiones Turcarum deſertum uſque ad annum 1630. à quo tempore Divinæ Majeſtati placuit, etiam hoc in loco matri ſuæ honores decernere. Viſæ ſunt namque ſupra templum hoc flammę in Cælum aſcendentes, viſæ etiam ſupplicationes bene ordinatæ templum circumire. Porrò veſtitus ſupplicantium eorum inſtar fuit, qui ſaccis albis veſtiuntur nec omittendum, quòd eorum quivis candelam ardentem bene grandem geſtabat. Fabula fuit audientibus, cùm narraret is, qui hoc ſolus vidit & ſemel, nec multò majorem fidem invenêre agreſtes, quorum multi, frequenter ſe iſta vidiſſe, teſtati ſunt; quomodo enim, qui terrena non credunt, crederent cæleſtia.

At verò ubi tota penè Firmana civitas, Sabbatinis maximè diebus, hanc pompam conſpexit, jam non propter verba agreſtium credidêre, ſed quia ipſi viderunt. Non tamen mihi conſtat, magnum fuiſſe piorum concurſum, uſque ad anni ſequentis quintum diem Ianuarij; quo huc ſupplicatio omnium Con-

Sabbathum.

fraternitatum inſtituta eſt ab Archiepiſcopo; nec fructus abfuit: ſiquidem poſt confeſſionem in urbe peractam hic loci, ipſo Archiepiſcopo adhortante, plures tribus millibus S. Synaxi ſunt refecti. Hoc pietatis principium fuit: accurrêre poſtea vicini magno numero; ita ùt nonnunquam die unâ, etiam non feſtâ, communicantium duo millia ſint initio numerata.

Miracula. Porrò plurima miracula recenſet relatio impreſſa 1631. unum ad me perſcriptum eſt ab eo ipſo, quo cum contigit, *Reverendo D Ludovico Aromatario*, nepote R. Domini Pænitentiarij Firmani, olim pluribus annis muſico Sereniſſimi Electoris Bavariæ, Maximiliani mihíque noto. Is pedem ſuum affectum fuiſſe ita deſcribit, ut inde colligam, non aliud vitæ remediū fuiſſe, quàm pedem quantocyus per chirurgum abſcindere. Is, inquam, puer huc deportatus, poſt breves preces ſanus ſalvúſque in templo ambulavit, dolorum immemor, ſanitatis ſecurus: quod miraculum velocitate ſuâ momentaneâ majorem loco celebritatem fecit, omnéſque ad ſimilia ſperanda animavit. Rel. impreſſa.

CCLXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN MONTE.
Fuldæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu, ô Alma magni Dei Mater es unica pura.*

1. Remedium peſtis.
2. Mons B. V. ſacer.
3. Peregrinatio votiva.

MOns hic civitati Fuldenſi propè imminens, ſacram Deiparæ Iconem habet, jam dudum celebrem. S. Bonifacius D. Benedicti Monachis olim cænobium hîc ædificavit, ut ait *Provverus lib. de Antiquitat. Fuldenſibus.* Id nunc obtinent RR. PP. Franciſcani de Obſerv. cætera miracula ut ſint particularia, nec exigua; unum omnibus civibus commune eſt, quo ſe

Peſtis. huc facto voto à peſte liberârunt, quapropter ne poſteri ignorarent, cujus favore viverent, quot annis votiva peregrinatio huc è civitate inſtituitur, quâ fieri poteſt ſolennitate, gratiæque Virgini hoc loco aguntur. Ita ſolent memores beneficiorum. Nec plura ad me R. P. Georgius Menzing Rector Fuldenſis Soc. IESU.

Liberatio à peſtiferâ lue tantum eſt Miraculum, ut ſi hoc ſolum fiat, miraculoſa dici poſſit quæcumque Imago, præſertim ſi ſit liberatio repentina, ut illa fuit Romæ tempore Paſchalis II. ſummi Pontificis in S. Maria de populo, ut dixi ſuo loco. Quapropter etiam hoc in caſu civitas votum facere poteſt, quo poſteri obligentur, & ejuſmodi vota placere Deo inde conſtat, quòd negligentibus poſteris eadem mala ſuperveniant, ut diſcant majorum veſtigijs inſiſtere & eorum vota ſuo bono perſolvere.

CCLXXVI.

CCLXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE QVERCV.

Viterbij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Mundi Regem alis, ô unica amata & pura.*

1. Intentio bona pretium operis boni.
2. Honor B. V. à vite non à vino.
3. Veſtis brevis.

Hanc Deiparæ Imaginem *Manetus* quiſpiam pictor Viterbienſis pinxit, *Ioannes Bapt. Magnus* curavit, & quercui, quæ viam obſidebat, impoſuit. Tulit operæ pretium non pretioſus labor, quàmquam pretioſâ intentione confectus, nam ultra prætereuntes, etiam honores Imagini exhibuit vitis, quæ ita ſe quercui implicuit, ita varijs meandris ramos involuit; ut pampini & folia denſiſſimis ordinibus incumberent Imagini, quin & prominerent in picturæ tutelam, & licèt hanc vitis mirandam propaginem viderent omnes, omnes tamen non majoribus, quàm naturæ, viribus in hanc pompam excreviſſe crediderunt. Vitis. *Petro Dominico Alberti* divino indicio innotuit, vi cæleſti prominere vitem, & Imaginem olim ipſam miracula patraturam. Fuit Albertus hic proximi montis incola, qui de *S. Angelo* nomen habet, magnam virtutem veſte Eremiticâ tegens. Ille Imaginem è quercu abreptam, tugurio ſuo intulit. At verò iterum ſub vite ſuâ poſtridie Imago ſtetit; non auſus iterum piam rapinam tentare, non deſtitit tamen, inter amicos ſpargere, opulentum in viâ penè publicâ eſſe theſaurum, nec latere, ſed publico expoſitum eſſe Viterbium inter & Bagnaiam. Fuère, qui cum ligonibus præcurrerent, & non profuturo labore pluribus locis terram fatigarent: dum *Petrus* de Imagine ſacra narraret, quæ contigere. Imago. Hinc populi concurſus, preces, vota, & quia Virgo miris beneficijs reſpondit, etiam largitiones acceſſère, quæ & in templũ & in Cænobinm templo adjunctum ſuffecère. Utrumque hodie incolunt RR. PP. Dominicani

Ioan. Bapt. Alberti l. 2.

CCLXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE PACE.

Coloniæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Regina Diva, ſemper tuta, à macula omni.*

1. Donum Reginæ.
2. Fojenſe lignum.
3. Teſtamentum.

Etiam iſta de quercu nomen habet, nec nomen tantum, ſed &

& omnem materiam. De quercu Foyenſi eſt, ſimul ac verba hæc ſonant, miraculoſam eſſe, vix quiſquam dubitat, non tamen hanc quantumvis miraculoſam hîc ponerem, niſi à Regiâ manu veniret. Diu hanc unde unde acceptam privatâ pietate coluit Sereniſſima Galliæ Regina, *Ludovici XIII.* mater. Moritura velut chariſſimum pignus, hanc S. Statuam teſtamento legavit RR. PP. Carmelitis, apud quos publico expoſita, hodie ut ad me perſcriptum eſt, inter miraculoſas numeratur.

Hæc nempe quercus Foyenſis gratia eſt, ut vel parvæ Icones Marianæ ex illius feſtucis ſculptæ miracula patrent ſi fides & fiducia in ſupplicante non deſint, quanta autem & quam rara hæc gratia ſit illi præ omnibus norunt qui diligenter miraculoſarum Imaginum hiſtorias ſunt perſcrutati.

CCLXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SAXO.
Lucæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Immaculata Venis redempta agni auro.*

1. Exempla diu hærent.
2. Luſor nudus.
3. Impœnitentia.

ETſi Lucenſis urbs, reipublicæ perantiqua ſedes, quàm plurimas habeat Deiparæ Imagines ſtatuáſque, quæ famâ miraculorum jam dudum claruerunt: hæc tamen inter Lucenſes prima omnium, fortè & præcipua eſt, quæ hunc titulum obtinuit. Hinc jam vide, quàm antiquum ſit & conſuetum perditis luſoribus, temerare Virginis Imagines; quando jam ante octingentos annos hæc, quæ narrabo, contigerunt. Ludit nempe in orbe terrarum Deus: ludit quoque orbis terrarum cum ludente Deo, unde mirum non eſt, ſi quandoque familiaritas hæc contemptum pariat. Hoc luſorum ſcelus eſt, raro ſolum: namque ut plurimùm facinore quopiam nefando comitatum prodit, & ſcriptorem fatigat. Militaris cuſtodia portæ urbis admota, ad urbis murum cellam habuit, quam contra ignis pericula fornice texit prudens architectus. Hic neſcio quis Imaginem hanc Virginis pinxit, quæ ceſſantibus quandoque ſalutis aliquam cogitationem ingereret.

Luſor Hoc in loco, ut ſolet, à ludo vix unquam ceſſatum eſt. Unus præ cæteris lucri cupidus & nunquam dives Euclio, cubulis ludum cum Commilitone & ipſe miles inſtituit, Jàmque Venerem Mercuriúmque proijciens, nunquam non victus à ſocio eſt, ſic denique fortuna homini inimica fuit; ut omnis ejus pecunia marſupium deſereret, & ita jubentibus teſſeris migraret ad ſocium, hanc ne hoſtis colluſor Luſor. aufferret nunquam redituram, néve ipſe inanis domum rediret cum ſolo marſupio, placuit pileo, pallio, veſtibus redimere, & eas quoque

ludi

ludi periculo objicere, perdidit & has, quas confeſtim exuere juſſus, & victori cedere coactus eſt. Ille interulam quoque lineam, quæ ſola reſtabat, exuit; in qua ſummam, & totius ſummæ ſpem habuit. Luditur: & heu! infelix etiam hac à victore ſocio privatur. Ita nudum, eum luſoriâ, id eſt, maxima ira, accenſum, facile fuit commilitonibus, & ſarcaſmis in rabiem agere, quæ ipſum etiam ad blaſphemias adegit, quibus poſt Deum, Virginem quoque petijt, cujus Imaginem in muro vidit.

Poſtquam verbis detonitum ſatis eſt à nudo Joue, ne fulmen deeſſet, ſilicem ſuſtulit, & ictu quàm potuit fortiſſimo S. Deiparæ Iconem petijt, & humerum tetigit: è quo confeſtim contuſa muri cruſta in terram decidit, & vulnus velut ablata cute detexit, quod ſanguinem ſtillavit. Expectas, Lector, aut clamores Virginis, aut lachrymas, non doluit Imago, non ſuccenſuit. Major erat is motus affectibus, quibus nomen invenimus, ne tamen non auritos putaret Superos improbus laniſta, ſanguinem dediſſe contenta fuit. Territi ſunt, quotquot Commilitones interfuêre miraculo: terrorem quoque geminârunt, quando & hiare terram, & hominem, abſorberi vivum, ut erat, conſpexêre ipſo in loco, quo tanti ſceleris tantam pænam meruerat. Ita nempe homo hic nudus egreſſus de ventre matris ſuæ, nudus in terram reverſus eſt, utique ſibi non levem. Porrò ſanguinem ſacrum ſacerdotes acciti vaſe exceperunt cryſtallino.

Sanguis.

B. Ioannes Epiſcopus electus anno 781, & mortuus anno 802. cellam contaminatam in templum convertit parochiale, titulúmque dedit *S. Salvatoris ad murum*, ſolatur hodie S. Imaginis aſpectus pios: impios terret terræ hiatus, qui ludentem cum matre Dei, abſorbuit, fecítque, ne totis octo ſæculis quiſpiam eo in loco paria auderet. Sub annũ 1324. templum ceſſit Religioſis D. Auguſtini, quorum cura factum eſt, ut ſacer ſanguis ita cryſtallo clauderetur; ut videri quidem ab omnibus, recludi verò à nemine poſſit, néve tantus theſaurus ullâ fraude periret, duæ claves, duarúmque clavium diverſi cuſtodes theſauro huic præfecti ſunt. Guttæ S. Cruoris, quas admotis linteis ſacerdotum induſtria abſtergere nequivit, hodiedum videntur, & vivaciſſimo colore ſuo per tot ſæcula retento, non paucos in admirationem rapiunt.

Luſor.

Duo ſunt, quæ Mariomaſtix quiſpiam interfari poſſet, quem creditu rum militibus, quos tanto portento ſolos eſſe præſentes contigit? Quem perfidos & perjuros Luſores in tanti prodigij teſtes admiſſurum? Adhæc ut verum ſit, quòd terra confeſtim impium abſorbuerit: ut quid ergo *Matrem miſericordiæ* vocamus eam, quæ tam præcipitatâ vindictâ graſſatur in ſuos hoſtes. Utrumque unà reſponſione diluit auctor, qui affirmat, ſceleſtum nõ in militum tantùm, ſed totius penè populi accurrentis conſpectu lentè in terram receptum, quem nemo non ad pænitentiã quantumvis ſerijs hortatibus impellebat, ſed tanti eſt obſtinari in ſcelere. Templum ve-

Mariomaſtix.

Templum.

tuſtate ſua ruinâ minabatur: hanc Lucenſium pietas avertit, & diverſis temporibus fabricam auxit. Hoc, inquit Auctor, rarùm eſt, quòd antiquiſſima omnium cùm ſit hæc S. Imago, nulla tamen ex omnibus, quæ novis prodigijs claruerunt, hujus famam unquàm ſic obſcuravit, quin ſemper in hodiernum uſque diem miraculis invitet Lucenſium animos ad pietatem. R. P. Donatus Donati ord. S. Auguſtini impreſſit Lucæ 1657.

C C L X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
GERSTORFFENSIS.
Hagenoæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, ò magna & almè pura Sanctuarium Dei.*

1. Exilium B. V.
2. Rabies hæretica.
3. Statua incendio ſubducta.

GErſtorffium locus hæreticus eſt ſub dominio Comitis, *de Hanau.* Hoc in templo ſtetit olim Imago Deiparæ miraculis clara. Templū furor hæreticus diruit, & cum templo omnem rei hiſtoriam memoriámque, Statuam tamen ipſā pia Marianorum ſolicitudo furori ſubtraxit. Cubiti altitudinem æquat, filium brachio geſtat, gaudétque ſe ereptam, & in *Bilbenſi* Virginum Cœnobio peramāter hoſpitari: promittítque favores priſtinos, ſi exactâ hæreſi poſtliminio ſuis aliquando ſedibus reſtituatur Imaginem ad me miſit *R. P. Auguſt. Bilſtein Soc. IESU.* miracula nulla ad me perſcripſit, quæ tamen fieri certum eſt.

Cæterum admiratione non caret & pio ſenſu, quod tam cito redeat Deipara ad largienda ſupplicibus beneficia, quam primum reducta fide orthodoxâ redit in nepotes auorum in Virginem pietas, quam tantiſper furor hæreticorum ſopivit nunquam tamen apud Catholicos extinxit. Quin imò apud quamplurimos hæreticos, reverentia quædam in Virginem Deiparam invenitur unde eorum converſionem ſperare poſſimus.

C C L X X X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PRANDONE.
Prandonij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu Mater Agni Dei, pura es à macula omni.*

1. Collo-

1. *Colloquium ſpirituale B. V.*
2. *Cardinalis Teſtis.*
3. *Prædictio.*

IN Prandonenſi RR. PP. Franciſcanorum Monaſterio Imago Deiparæ gypſea eſt miraculoſa, cujus eſt hæc origo. *D. Iacobus de Manlia* ord. S. Franciſci Romam profectus à *Paulo II.* peramanter exceptus eſt. Cardinalis Savonenſis, *Franciſcus* nomine, dictum Beatum honoris & officij causâ viſitavit, & in ſermones delapſus eſt Theologicos de *verbi Dei Incarnatione:* quos ubi doctrinâ & eloquentiâ ſuâ Iacobus proſequeretur, repentè Statua B. V. gypſea Caput inclinavit, nullo vel minimo rimæ veſtigio, quaſi veritatem dictorum nutu ſuo & annutu probatura: utique poſtquam de Virginis illibato pudore diſſeruiſſet. Cardinalis portento teſtes adhibuit idoneos, & S. Statuæ, nihil repugnante Paulo II. Pontifice, honores detulit, quos Deipara publicis beneficijs rependit. Eſt ea etiamnum in veneratione magna in Monaſterio Prandonenſi. Hæc ex *t. 1. Annalium anno 1476. R. P. Lucæ Wadingi*, qui addit, B. Iacobum de Manlia Cardinali, cùm valediceret, ſummum Pontificatum prædixiſſe. Cardinalis.

CCLXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD S. CRUCEM.
Moguntiæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, Roſa matutina i, perge munda maculæ.*

1. *Luſores ſi cum Deo ludunt, perdunt.*
2. *Pecunia infelices.*
3. *Blaſphemia luſorum confortatium.*

VT cætera peccata moleſta ſint Deo & hominibus, Luſores tamen, ut ſæpe dixi, neſcio quid feritatis ultra cæteros ſceleratos habent: in ligna ſæviunt & lapides, quando infelix fritillus cum teſſeris mentem miſcet & cerebrum. Vix Statuam, quæ cælitum cuipiam poſita eſt, videbis infeſta manu truncatam, aut mutilatam, aliáve injuriâ affectam, quam non violârit aut hæreticus quiſpiam aut perditus luſor, adeò vel cum Deo ludunt hæretici: vel cum hæreticis colludunt luſores. Luſor.

Hanc Statuam de plebis ultima fece homuncio ſauciavit, utique poſtquam extra S. ædiculam ludendo perdidit, quas præſtabat nunquam habuiſſe, pecunias. Inde juſtis & conſuetis gradibus ad juramenta & blaſphemias delapſus, Blaſphemia. ne artem, & artis modum deſereret, ab his ad Superos, quos ad ſua vota flectere nequivit, erectus, arrepto telo ingreſſus templum, Crucifixo ligneo uno ictu caput abſtulit: tum ad cæteras Sanctorum Statuas progreſſus, nullam ſine infami mulcta præterijt. His nempe, & quidem armatis precibus, Superos in ſua vota invitabat. Præ cæteris in Virginis Deiparæ Statuam, alias

jam ſub cruce morientis filij gementem, furioſe ſævijt, ictus ictibus ſuperaddidit, & quò acerbius feriret, robur addidit brachio, ſuperingeſtis contumelijs.

Neque homini mentem mutavit undique è plagis erumpens cruor: dum demum divina eum vis in loco ſtitit immobilem, & accurrens populus ad ſcelus ingemuit. Reo datum eſt ſupplicium ignis, è quo junctâ ſupplicio pœnitentiâ an cælum petierit, ignoto: quando & patriam hominis & nomen litteris nemo tradidit; quam quòd aſcito nomine *Schelkrophius* appellaretur. Deiparæ miraculoſo cruore ſacrata ſtatua. Iam ab anno 1533. honores accipit à Moguntinis civibus, & facinoris conſervata in hunc diem recordatio frænum luſoribus inicit, ne paria audeant. Hæc ad me R. P. Gerardus Hanſen Provin. Soc. IESU.

CCLXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PALATIO. *Recinati in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O vitis amatà, germen dulce, anima pura.*

1. *Devotio publica.*
2. *Sabbati honor.*
3. *Populi ſub Dio devotio.*

QUamquam de miraculis nil ad me perſcriptum ſit: inter miraculoſas tamen pono; quin & miraculum Recinatenſis pietatis refert, & cultu conſtanti honoratur. Eſt ære fuſa, & per magna, operis relevati, quam varij generis marmora undique velut limbo includunt. Proſtat in ipſius curiæ fronte: unde viator ex ultimo ſeptemtrione diſcat, ipſam Recinatenſis urbis curiam eſſe Marianam. Adventum S. Domûs Lauretanæ artifex proponit: & placuit majoribus hunc S. ædis adventum etiam ſub Dio & frigido quandoque Iove venerari. Quapropter Sabbatis Litaniæ muſico concentu in ipſo foro reſonant, pompam augentibus diverſis Congregationibus, inter quas hæc Sabbata toto anno ex ordine ſunt diſtributa: inter quas ea quoque Congregatio eſt, quæ in Collegio Societatis ex meris nobilibus coaluit.

Placuit hæc pietas *Vrbano VIII.* ſummo Pontifici, qui conceſſis indulgentijs eos cumulat qui præſentes in foro huic pietati ſe ſiſtunt. Ita ad me R. P. Nicolaus de Nero Rector Recinati Soc. IESU.

CCLXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. AD S. ACHATIVM S. I. *Coloniæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Per dona Agni, vives mater Immaculata.*

1. Virginis Mariæ amor incendio major.
2. Solennitas.
3. Securitas à latronibus.

STatua hæc eſt è candido marmore eleganter ſculpta, ferè bipalmaris. Puerulum IESVM ſiniſtrâ portat, in eundem caput reni- dente vultu inclinat: corona redimitur argenteâ & deauratâ. Hanc templo S. IESV veteri, S. Achatio & Socijs Martyribus dicato, anno 1583. intulit dicavitque *Adm. R. D. Ioan. à Detten* ad D. Pauli veteris Canonicus, qui frequenter prædonibus vias infeſtantibus ereptus eſt ope Virginis, quam in hac Statua invocaverat. Taceo alia, quia cæteris per orbem Iconibus Marianis communia beneficia.

Anno 1621. flamma templum corripuit, injuriâ an incuriâ id factum ſit, non liquet, repertus è fratribus noſtris eſt *Chriſtophorus Eicborn*, qui ſe flammis & fumo miſcuit, & per delabentis tecti ruinas, permille pericula matrem ex ardente hâc Troiâ extulit. Incendium. Privato ſacello domeſtico illata, cultáque eſt à noſtris, dum novo templo inſerretur: quod ſumma celebritate factum eſt. Lampadem argenteam cum oleo reditibus perpetuis dono dedit *Emin. Card. de Wartenberg*, &c. Nec plura ad me R. P. Ioan. Bilſtein Soc. IESU.

CCLXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE IESV.

Bocaloherij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. Prima & una, alma conteris Adæ jugum.

1. Tandem omnis locus placet.
2. Mutatio loci.
3. Conſtantia.

BOcaloherium Calabriæ oppidum Conſentiâ triginta millibus diſtat. Hic Statua Deiparæ colitur, quæ IESVLUM brachio geſtat. Materiam dedit marmor nigerrimum, nec impar pretioſæ materiæ manus artificis, in ſpecu caſu repertam aiunt, ſed ut quis illam in ſpecu depoſuerit, quis inde ſuſtulerit, Calabrorum negligentia fecit, ut hac ætate ignoretur. Reperta bis terue, & in oppidum reportata, quin etiam diverſis templis importata, ſemper ad ſpecum rediit: in quo fortaſſis jam antè honores privatos acceperat, certè publicos petere non obſcurè credita eſt, tam conſtanti ad ſpecum reditu. Dum illâ in oppidum portatur, dúmque ipſa ad ſpecum redit, beneficia miraculoſa recepêre, Miraculum. quotquot ferè ambiebant cum fide. Hinc initio ſtatim allata donaria, & pecuniæ: & quia Deipara beneficiâ ſua continuavit, Calabri non deſiêre conferre aurum, è quo templum multitudinis capax fieret, quod hodie videtur, è quo, nemo inanis diſcedit. R. P. And. Sarazolus Rector Catacenſ. S. IESU.

CCLXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD INDVLGENTIAS.
Coloniæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Alma Regina jure munda es à tactu pomi.*

1. Peregrinus Hieroſatintus.
2. B. V. pingit.
3. Nobilis captivus.

TEmplum B. V. ad Indulgentias Coloniæ, ſitum eſt in colliculo haud procùl à templo, quod majores S. Vrſulæ ſtruxerunt. Ædificatum memorant *à Sancto Henrico Imperatore:* quia Statua ſancti Imperatoris inaurata ad S. Annæ altare vicinum hodiéque videtur. Titulum templi referimus ad Indulgentias, quas Annuatim in die Palmarum concesſêre Epiſcoporum antiquiores. Huic templo ſacellum confine eſt, quod capax multitudinis cùm non ſit, maximam tamen in dies admittit: unde à nonnullis *Colonia Lauretum* appellatur. (Indulgentiæ.)

Tantæ pietatis initia tribuuntur nobili viro *Brunnoni de Mauvenheim*, qui ante quadringentos annos cum Hieroſolymam peregrinus viſeret, in via conjectus eſt in vincula: ubi invocatam meruit videre Deiparam, & ab ea vinculis eximi: quæ cùm ille ad hoc ſacellum velut votivum donum afferret, vidit quoque ibidem Virginis Imaginem eâ, quâ in carcere apparuit, formâ in pariete impreſſam: quam non humanâ, ſed ipſius Virginis Deiparæ manu elaboratam, Colonienſes credunt. (Capit. vui.)

Atque hæc eſt illa Imago Colonienſibus tam pretioſa, & vinctis hodiéque tam propitia. Videbis, lector, catenas, & annulos à voti reis illatos, in perpetuam acceptæ libertatis memoriam. Imago ſacra vetuſtatem ſpirat, quam nonnulli inductis coloribus corrigere inſtituerunt: ſed Imago colores illos reſpuit. R. P. Ioan. Bilſtein Soc. IESU ex Gelenij ſacrario Colon.

CCLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SS. ANGELIS.
Tarenti in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eva Mater Adami ignores avi planctum.*

1. Cæci teſtimonium de viſu.
2. Nihil gratis.
3. Cæcus illumnatus.

IN templo SS. Angelorum, quod Tarenti RR. PP. Auguſtiniani habent, dum reſtauraretur, murus quiſpiam antiquus inobſervatus latuit, ſub ipsâ arâ novi templi huic muro appicta Deiparæ Imago fuit, quæ unà cum muro infra tem-

templi pavimentum pluribus annis nemini nota, neſciri ſuſtinuit. Hanc cùm ipſa Virgo celebrem facere vellet, cæcam mulierem elegit. Huic viſa imperavit, erui imaginem. Noluit ſe illa tantis rebus immiſcere: quia non habuit, quod reſponderet ſexum, cæcitatem, ſomnium objicientibus.

Iterum tamen iterúmq; monita repetitis ſomnijs, tum demum conſenſit, cùm Deipara mercedem laboris oculos fore ſpopondit. Tum enim verò illa tantis promiſſis animoſior, enarrat viſa, rogátque, periculum facerent. Factum, quod mulier imperabat: & murus primùm detectus eſt, cùm jam cæca cæcutire cæpit, rogavítque pergerent. Iterum ad imperia mulieris profundiùs itum eſt in terram: iterum illa ſe videre meliùs inclamat. Dum demùm ipſa imago inventa mulieri plenum perfectúmq; oculorum uſum reſtituit. Primum hoc S. Imaginis Marianæ miraculum plurimos accivit undique miſeros & afflictos, quos Deipara voti reos remiſit: & hodiedum non deſiſtit Tarentinis benefacere, etiam per cæcos, quando quandoq; videntes apti non ſunt. R.P.R. Tarentinus S.I.

CCLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. GRATIARUM. *Caſſiani in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *I, age, te ſacram Lunam nota puram vidi.*

1. Sacra vetuſtas reſpuit renovationē.

2. Murus translatus.

3. Architectura.

CAſſianum Apuliæ oppidum non omnino quatuor leucis Bario urbe diſtat. Templum ibi eſt, quod majores Sanctorum imaginibus in muro pictis ornârunt. Opus necritè, nec ex ordine factum: quod ut noſtro ſæculo diſplicuit, ita Deo placuiſſe inde certum eſt; quòd, cùm apud Epiſcopum inſtauratio templi urgeretur, ipſe quoque in rem præſentem venire voluerit. Cùmq; juberet omnes templi parietes calce novâ obduci, quando Sanctorum Imagines ibi pictæ nec honores unquam accepiſſent, & jam etiam deperditis coloribus penè videri deſijſſent.

Non fuit tinctori arduum, unâ fideliâ duos templi parietes dealbare, & unâ liturâ corrigere imagines, quas non bene periti majores pinxerunt magno labore, &c, ut putabant, ingenio. Una tamen fuit Virginis imago, quæ calcem novā reſpuit, & deleri ſe paſſa non eſt. Ratus ille, muri veteris vitium eſſe, adhibitis ex arte medelis, ſecundam tertiámve calcem temperat, utiq; hæſuram, ſi Superi non repugnarent. At verò etiam pluries tentatus labor ſine fructu fuit: ſemper hæc Virginis imago ſola præ omnibus in novo templo apparuit.

Nemo fuit, qui dubitaret, velle hic Virginem eſſe propitiam, & in imagine coli, quam ipſa tam inſigni miraculo jam honorâſſet. Itaque

queque qui operi præerant, illam muri partem, quàm latè patebat S. Imago, tomento involutam, idoneis fulcris loco moverunt, & altari intulerunt. Hic Virgo in ſede ſua jam gloriosior, beneficia partitur, pugnátque cum ſe rite invocantibus: nec hactenus ſe vinci paſſa eſt. Piorum liberalitas, ut Virginis imago cultiùs haberetur, Cænobium ædificavit, dotavitque, in quo Religioſæ Virgines Deiparæ inſerviunt, & hujus S. Imaginis paſſim miraculis celeberrimæ cultum promovent. R.P. Iulius Cæſar Pazzari Rector Collegii Soc. Ieſu Amanteæ.

CCLXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. SOLIENSIS.

Solii in Cermania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Ana gr. *I, vera IESV mater palam cognita munda.*

1. Solium B. V.

2. Sepulcbrum mobile.

3. Somnia ſacra, & profana.

CArinthia ab anno Chriſti 745. fidem Chriſtianam tenet. Certè eo anno S. Epiſcopus Modeſtus ejus regionis Apoſtolus ab Archiepiſcopo Salisburgenſi S. Virgilio miſſus eſt, brevi eò devenit, ut impenſis *Chitomari* Ducis plura Chriſto templa ædificarentur. Præter alia, quæ B. Virgini Mariæ extruxit, illud præcipuum fuit, quod juxta rudera Liburniæ erat olim Ducum Metropolis, quam Plinius *Flavium Solienſe* vocat, quæq; anno Chriſtí 451. ſolo æquata eſt) in monticulo amæno & vicino ſtruxit, quodque hodie *Saalfeldum*, ſeu *ſolium B. Virginis* vocatur, peregrinorum accurſu & miraculis illuſtre.

Sepulchrum Hoc in templo S. Modeſtus à Chitomaro duce ſepultus eſt modo, quem ea ſæcula ferebant; loculo nempe lapideo, & ſupra templi pavimentum, in medio templi ad murum poſito. Et quia mirabilis Deus eſt in ſanctis ſuis, ſenſim ſine ſenſu movetur hoc totum ſepulchrum illæſo pavimento verſus altare, quòd è regione eſt, nec fraude hoc humana contingere poteſt, cùm nihil de calce veteri, quæ pavimento adhæret, decedat, aut abraſum inveniatur. Jámque tantum à muro, cui adhærebat Miraculum avorum memoria, diſtat, ut jam viam aperuerit duobus viris ſimul inter ſepulchrum & murum tranſituris. Et ſi cum impio agendum ſit, omnia ſacra negante; adſunt tamen plures quàm mille oculati teſtes, & omni exceptione majores, qui juramento affirmant; quanquam nec duplo plures impio convertendo ſufficiant.

Porrò Deiparæ ſeu Statua, ſeu Imago, quam S. Modeſtus hoc in Imago templo poſuit, ignoratur. Ea, quæ nunc viſitur & honoratur, ex Boëmia venit, éſtque è candido marmore, artis non contemnendæ, hanc Nobiles duo à S. Adelberto Boemiæ Apoſtolo, paulò pòſt obitum S. Modeſti, accepêre, portaturi

turi Recanatum in Italiam, venit meſt *Villacum* urbem Carintiæ non poſtremam. Cùm Deipara utrique in ſomno apparet, jubétque gradum ſiſtere, & S. Iconem in templum *Solienſe* quatuor inde Leucis diſtans devehere, ibi ſe in hac Icone coli velle. Fides ſomnio habita à neutro eſt: juſſi pergere equi, ſed nec juſſi, nec verberibus moniti, conſuetum hactenus, nec grave nimis pondus, ulteriùs promoverunt, demum ſomnio ſuâ data fides à nobilibus. Tum enim verò equi quoque depoſitâ ferociâ, reſumptiſque viribus, nullâ difficultate quatuor has leucas traxêre S. Theſaurum: nec ipſi Nobiles volentibus equis repugnâ runt. Itaque Statua ſacra coli eſt cæpta à circum vicinis Croatis, Ungaris, Auſtrijs, Styris Carniotis: duràtque in hodiernum uſque diem. Altitudo S. Statuæ eſt duorum cubitorum cum dimidio: ſedet, & dexterâ IESVLVM tenet: éſtque è candidiſſimo marmore, artis non contemnendæ, polita adúſque ſpeculi levorem: lunam habet ſub pedibus, utrinque Angelum.

Porrò variâſſe vultum, & doloris quandoque ac lætitiæ ſigna dediſſe, pro Perſonarum, aut temporum conditione, ſi fides juramento habetur, quo teſtes omni exceptione majores factum affirmârunt, dubitari non poteſt. Plurimi certè ſeveriorem vultum advertentes, ad peccata confeſſione expianda olim ſacrilegè omiſſa, commoti ſunt: licèt ante templi ingreſſum id non cogitaverint. Loci Majeſtatem jam olim anno 1482. auxit Ungarica vaſtatio; quæ arces, Caſtella, urbes, per omnem viciniam excidit: huic tamen templo etiam poſt triduanam expugnationem non nocuit. Hodie in vitreis feneſtrarum orbiculis tela & ſagittæ, è Barbarorum arcubus miſſæ, adhuc extant, in memoriam victoriæ à majoribus relictæ neque noſtrâ ætate viſum eſt auferre; ne miraculum in Solitum prorſus, auditum tantùm, & non viſum, fidem fortè non inveniret: etenim tela hæc vitreos orbiculos quaſi in molli materia hæſerunt, hærentque hodiedum. Id quod Barbaros à S. Loco divertit. Miracula multa & grandia, quæ contigerunt, jam legitimè approbata, paulò pòſt typis edentur. Ita ad me R. P. Sigefridus Michez Soc. IESU.

CCLXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE CARMINE.

Vercellis in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Oſtendi te Reginam puram à macula avi.*

1. *Felix alea luſoris inviti & pij.*
2. *Oratio fortis.*
3. *Tympanum triſtis menſæ.*

Ergo ita luſus invaluit, & ludendi conſuetudo in naturam tranſijt; ut ipſa vita in præmium vi-

ctori cedat. Ita eſt, & apud milites quandoque vita & mors in teſſeris latent, certè ijs arbitrium de vita & morte committitur in fatorum ludibrium.

In ultima Vercellenſis urbis obſidione duo Griſones mortem exoſi fugam iniêre, minùs felici ſucceſſu: nam uterque, ubi recepti ſunt à Capitaneo hæretico, eóque in his ſeveriore, ad furcam damnatus eſt. Illuſtriſſimus Marchio Cuſanus ſpopondit, ſuo ſe ære duos milites ad uſque finem belli daturum, ſi his vita daretur, acceptaque conditio eſt, data utrique vita. Sed fidem mutavit Capitaneus, unúmque è duobus patibulo deſtinavit illum nempe qui duabus teſſeris minùs numeroſo jactu ab altero ſuperaretur. Affertur pro menſâ tympanum, adſunt fatales teſſeræ, & multus ſpectator, prior antequam è manibus promeret irrevocabilem ſententiam, huic S. Imagini ſe commendavit affectu, quem verſans ante oculos mors ſuaſit, & trepidâ manu teſſeram provoluit utramque, neutrâ plus unitate unicâ loquente. Binarius hic fecit, ut de vita deſperaret. Itaque amplexatus ſocium: *Vale*, inquit, amice: mortis victima ſum. Alter arreptis teſſeris (nam jubebatur) vix lætitiæ capax, ſatíque ſui ſecurus, jactum facit, quem echo ſequebatur è tympano; quia perire hoc jactu non poterat.

Tali. Sed ut videas lector, teſſeras quoque in manu Dei eſſe: una alteri mirabili caſu ſuper inijcitur, & monade, quæ ſola apparebat, priorem ab ſoluit, hunc damnat. Inter fuere Religioſi quatuor, cùm ad furcam duceretur. Auxit hoc vehementer venerationem S. Statuæ, fuit ſanè Virgo propitia non luſoribus, ſed ludere coactis, ne luſores auxilium in ludo à Virgine peterent. R. P. Ioan. Steph. Omodei Societat. IESU. Miraculum.

C C X C.

Imago B. V. Miraculoſa.

W E I S S E N S T E I N E N S I S.

Weiſſenſteinij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Vive Regna, ac impera tota munda malis.*

1. Caſus ſalutaris.
2. Voti oblivio.
3. Inſani curatio.

QUinque horis ab urbe Bolzano, emporio Germaniæ, diſtat VVeiſſenſteinium Diæceſeos Tridentinæ in montis jugo altiſſimo, unde in Atheſin fluvium proſpectus eſt. Prædium eſt in ſubjecta valle, quod de albo lapide nomen à majoribus accepit, cujus Dominus vir bonus & ſimplex inde nomen etiam habuit, *Weiſſenſtanius* dictus. Hic lapſus in morbum eſt graviſſimum, & denique captus mente, Morbus.

per-

per triennium integrum lecto affixus, cateniſque ligatus, omnibus miſerandum ſpectaculum præbuit, homo cætera rectus & ſimplex. Nec tamen omni eum ſolatio deſtituit Deipara: ſiquidem ei per intervalla ſe conſpicuam dedit, conſolans laborantem, quin etiam locum nominans, in quo ſibi ab eo velit extrui templum, quod olim maximo piorum concurſu celebre eſſet futurum & miraculoſum. At verò quis credat? Simul ac Deipara è loco diſceſſit, *Leonardus* ad conſuetam inſaniam rediјt. Inſania.

Semel domeſticorum diligentiam fefellit, séque catenis, neſcio quâ arte, ſoluit, fugámque arripuit in ſilvam, vix quadrantem à prædio ſuo diſſitam: per hanc delatus ad montis ſupercilium, in profundiſſimam abyſſum præceps ruit, integer tamen & ſalvus in terra conſedit caſum ſuum miratus. Exacto malo conſedit in proximo lapide, jam ſui compos, ſed triſtis, dum verò vias omnes circumſpicit, qua domũ redire queat, ecce iterum ſpectabilis Deipara, hominem conſolatur, & ei ſanitatem integram promittit, & quidem perpetuam. Ad hæc etiam prædicit, nono die à ſuis hoc loco repertum iri, & ut res, inquit, miraculo non careat, vives ſine cibo, nec viribus deficies. Inter hæc ſolatia hominem reliquit Deipara.

Miſſa. Interea quæritur à ſuis Leonardus per avia & devia. Deo inſuper pro ipſo in vicino templo amici ſæpius litârunt ſacroſancto miſſæ ſacrificio. Dum nono die repertus in valle eſt, integerrimæ ſanitati reſtitutus, & ſuis cum lætitia obvius, dulces in reditu de Deipara ſermones miſcuit, quomodo ab eâ adjutus, quàm ſæpe eam ſpectâſſet, quæ prædixiſſet. Demum voto ſe aſtrinxit ſtruendi ſacelli, ſic reditum eſt per longas & aſperas vias ad prædium: ubi prima homini cura fuit, Oeconomia, quam ſui toto triennio neglexerant, nullo nec agrorum nec vinearum fructu. Oeconomia.

Occupavit hæc temporalium cura optimi Patris familias animũ, ita ut obrepſerit oblivio voti, ſed abeunte ſacelli ſtruendi cogitatione, redijt morbus, iterúmque Leonardus ſe catenis ligatum, lectóque affixum ingemuit: dum à ſuis ad locum præcipitij, ubi ſacellum decreverat, ductus, ipſe primus, arrepto ligone, fodere fundamenta cæpit. Et verò etiam hîc nova rerum ſpecies alluxit: ſiquidem poſt paucos ictus lapideam Deiparæ Statuam reperit, filium gremio ſuſtentantis. Ars operi non defuit, materia inter Alabaſtrum & marmor dubia: quiſque huc deportaverit, ac defoderit nulla arte indagari potuit, Leonardus cæptum opus ſummâ induſtriâ proſequitur, & denique ad optatum finem perducit, ſtatúamque in ara ſacelli decorè conſtituit viſitúrque hodiedum nihil vel à temporum injuria vel hominum paſſa, adeſt etiam Campana brevis, quâ ipſe ſuos ad templum plùs quàm æditŭus, imperio herili accivit, & exemplo ad orandum incitavit; uſque dum unà cum mundo etiam prædio ſuo valedixit, séque totum Campana.

Deo & Virgini tradidit in omnem reliquam vitam: quam denique inter ſuorum lacrymas pientiſſimè clauſit.

Credebatur finem habitura populi pietas, Leonardo defuncto; ſed miris incrementis contra omnium expectationem aucta eſt; ſiquidem non è vallibus modò ſed montibus etiam non adeò vicinis advenêre peregrini; magno ſupplicationum numero: quibus cùm Sacellum. auguſtum nimis Leonardi ſacellum eſſet anno 1561. templum ſacello adjunctum eſt, ſed & hoc accurrentium pietas implevit. Itaque anno 1638. etiam hoc dejectum; ex liberalitate piorum novum à fundamentis, & amplum erectum eſt; & quod caput rei eſt, è montis apice per omnem latè regionem viſendum: quod tamen primum anno 1654. finitum; & dedicatum eſt. Duo omnino feſta Deiparæ præ cæteris celebrantur; *Nativitatis* & *Aſſumptionis*, quibus etiamnum vel hoc magnum templum non capit quandoque populum, qui eodem die præſens eſt: quando ſunt quiaſſerant, à præſentibus bis minimùm impleri.

Cauſam creſcentis in dies devotionis Pietas. propter ſacerdotum numerum jam auctum; inditámque S. Imagini occultam divinámq; vim; ipſa miracula non infrequentia; periti putant. Præſertim verò, quia infantes ſine baptiſmo mortui huc deferuntur, & in præſentia idoneorum teſtium, indubia dant ſigna vitæ & ritè ſacris aquis abluuntur. Aiunt fide certâ, inſanos non paucos, depoſitâ hîc amentiâ, domum rediiſſe ſanos, & rationis compotes. Quid, quòd defunctorum animæ viſæ ſunt veniſſe eo geſtu, quo vivi ſolebant; locum honorantes. Atque hæc ritè auditis teſtibus, omni exceptione majoribus, juſto inſtrumento per Notarium confecto, ad me miſſa ſunt ab *Excellentiſſimo Principe Carolo Madruzio Epiſcopo Trid.* Cui nimis rarum videtur apparere animas defunctorum in templo eo habitu, quo fuêre in vivis, Legat *Wilhelmum Tyrium* de capta Ieroſolyma, & viſitatione templi S. ſepulchri.

C C X C I.

Imago B. V. Miraculoſa. MATER GRATIÆ. *Tarenti in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Iam vale intacta Virago ſemper munda.*

1. Ex templo ſtabulum.
2. Ex ſtabulo templum.
3. Templa parum laudantur.

VT regnum Neapolitanum totum ſit B. Virgini addictiſſimum, Tarenti tamen ſacellum quodpiam Deiparæ neglectum eſt. Stabant muri, neque tecto ſuo carebant. Cæterùm quidquid ſacrum eſſe deſierat, nemine loci ſacri curam habente. Quid multa? denique boves ibi ſtabulari ſolitas, ad me perſcriptum eſt, cùm Deipara fœminæ cuipiam per ſomnium viſa, Somnium.

ſa, non parum queſta eſt, ſacellum ſuum eo in ſqualore ſituque jacere; locum olim ſacrum, nunc etiam fore miraculoſum, ſi dignis modis purgaretur.
Evigilans fæmina ſomnium ijs, quorum intererat, enarravit, fidémque (quod propter inſignem raritatem vehementer miror) invenit. Vt vel hinc Tarentinorum pietas appareat, quòd fæminæ, & quidem ſomnianti, crediderint; quando alij in hac Deiparæ materia nec viris vigilantibus, quinetiam jurantibus credunt. Et ſanè præcipitis licèt, prudentis tamen fidei pretium tulêre Miracula indubiæ fidei, & evidentia, quæ ſubitò poſt ejectas ſordes Virgo fecit. At vbi etiam ornatus novus muris antiquis adhibitus eſt, Virgo beneficia duplicavit. Demum adjunctâ fabricâ capacius factum, quando antea tot beneficiorum capax nõ erat. R. P. Rector Tarentinus S. IESU. Miracula.

CCXCII.

Imago B. V. Miraculoſa.
SPORANA.
Sporæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virgo anima tua ſine macula redempta.*

1. *Aqua ardens.*
2. *Mutatio loci.*
3. *Baptiſmi gratia.*

PRimus hujus S. Statuæ honor, vel certè præcipuus tunc cæpit, cùm ab uno altari tranſlata in aliud commodius manè in ſuo priſtino loco reperta eſt: unde ampliùs nemo præſumpſit eam dimovere. Oleo lampadis exhauſto, ardere tamen lampas viſa eſt, & quidem ſæpius, teſtato miraculo. Porrò, quod huic loco proprium eſt jam ab antiquo, in hodiernum uſque diem infantes ſine baptiſmo defuncti, nonnulli etiam è ſepulchro eruti, atque ab ipſa uſque valle Telina huc portati, frequentiſſimè ſigna vitæ dant, ad baptiſmũ recipiendum ſufficientia.

Authenticum inſtrumentum ad me ab *Excellentiſſimo Principe & Epiſcopo Tridentino Carolo Madruzio* miſſum teſtatur annis 1652. 1653. 1654. viginti quinque eo modo revixiſſe, & baptizatos eſſe. Baptiſmus.
Quod ideo memoravi, ne alia quædam per orbem templa ſola eſſe putentur, quibus hæc à Deipara ſit collata gratia. Ubique terrarum Deipara, facit miracula, & quidem grandia. Dolendum eſt, quòd non ubique ſint, qui ea notent, & edant.

CCXCIII.

Imago B.V. Miraculoſa.
IMPRVNETANA.
Florentiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Iam es jure cognita alma pura & munda.*

1. *Cæli domina.*
2. *Opus S. Lucæ.*
3. *Iudicium Autoris.*

SAcræ huic Imagini nomen à loco obtigit: vis Thaumaturga ab ipſa Virgine. Sunt, qui non vanis nixi argumentis, exiſtiment, & hanc de penicillo Divi Lucæ prodijſſe: nempe quia Græca eſt. Ab omni retro antiquitate miraculo ſam fuiſſe, arguit Scriptorum copia *F. Thomas Coccini* de familia S. Dominici, cujus feſto die hæc ſcribo, in hiſtoria ſuâ Eccleſiaſticâ, quam linguâ Italicâ vulgavit t. 1. v. 32. latè in ejus laudes excurrit. *Franciſcus Rondinelli* in narratione temporum, quibus peſtifera lues Hetruriam exercuit, circa finem, hujus S. Imaginis mentionem facit per honorificam. (Peſtis.)

Antiquior his *Pius II. Pontifex* in ſuis commentarijs, ita de hac S. Icone loquitur: *In agro Florentino Virginis Imago eſt, quam mirâ religione populi venerantur tanquam pluviæ ſerenitatiſque donatricem, cùm neceſſitas ingruit.* Hæc Pius II. loco citato. Atque ut ſemel liberè dicam, quod ſentio, paſſim tot Imagines dicuntur à S. Luca pictæ, ut credibile non ſit, S. Evangeliſtam omnem prædicandi Evangelij laborem ſe poſuiſſe, & ſoli picturæ incubuiſſe, tantum enim temporis ferè debuiſſet impendere, ſi, quæ vera eſt, probatione ſua non carent. (Tempeſtas.)

CCXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CASTANAVIZA.
Goriziæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Perge mira, tota munda ſine macula avi.*

1. *Primum miraculum eſt ut granum ſinapis.*
2. *Diligentia.*
3. *Fulgor Cæleſtis.*

STetit jam ab avorum memoria perantiquum ſacellum, quod cives Gorizienſes nonnunquam viſitabant, loci commoditate ad ambulationem invitante. In pariete viſebatur Deiparæ Imago ſedentis, & IESVLVM ſiniſtrâ tenentis, ſacellum hoc nonnunquam fulgoribus viſum eſt irradiari cæleſtibus: quin quandoque luminaria bina, velut in ſupplicationem coacta, magno numero & longis ordinibus viſa ſunt circumire templum quos veritatis indagandæ cura tangebat, (Apparitio.)

ij

ij officium fecère, rémque ſine fraude deprehenſam, tabulis ritè conſignârunt, ne poſteris aliquando fraudis ſuſpicio illuderet.

Senſit populus, Mariam honores velle, quos abundè beneficijs penſaret. Itaque pientiſſimus quiſque accurrit, votíſque conceptis & Virgini paravit honores, & ſibi mali, quo premebatur, remedium. Primi, quos impetratis domum beneficijs Virgo remiſit rem amicis, vulgârunt; hi cæteris, ſic fama percrebuit, & populum etiam è diſſitis locis accivit, hinc locus ſacer haberi cæptus, & ſupplicationibus frequentari Denique piorum munificentiâ magnificum, quod hodie videtur, templum extructum eſt, atque ut Virgini, & Virginem viſentibus bene eſſet, templo Cænobium adjunctum eſt, quod RR. PP. Carmelitæ incolunt. Miracula hîc frequentia ut ſint; quia tamen nulla ad me pervenêre, quæ raritate ſua lectori placere poſſint, omitto. Cæterùm fulgores, qui primum S. Imagini honorem dederunt, viſi ſunt anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo, ultima toti ædificio tam templi quàm Monaſterij manus impoſita eſt ſub annum milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum primum. Ita ad me R. P. VVolffgangus Förgh S. I. Viennâ. Templum.

CCXCV.

Imago B. V. Miraculoſa.
VINCIGVERRA:
Caſſiani in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Sancta Mater magni Dei, pura malo vive.*

1. *Terribilis Virgo ut caſtrorum acies ordinata.*
2. *Inſignia gentilitia.*
3. *Urbs liberatur.*

CAſſianum celebre oppidum in Aquilia ſi totum dixero Marianum, quis me credat errare, quando in ditione Pauceria eſt, cujus Domini *Arragones de Aierba* pro armis ſuis; & inſignibus gentilitijs, Imagine utuntur, quæ *Immaculatam Virginis Conceptionem* ſignificat? ad hujus oppidi mœnia ſacellum eſt, quod Virginis Imaginem cuſtodit: quæ hodie civibus, ſi velint, ſingulis annuit; ſi vota ritè faciant, quin olim ſimul omnibus portentoſo auxilio profuit.

Aiunt, urbem à numeroſo hoſte obſeſſam; & ijs, quæ miliriæ periti pro defenſione requirunt, deſtitutam, ac indefenſam ſolâ Virginis invocatione liberatam terrore, quem Virgo hoſtibus incuſſit tanto, ut hoſtes obſidionem ſoluere, &, quam penè ſub unguibus habebant, urbem relinquere coactiſint. Hinc Imagini titulum dedêre cives *Vinciguerra*, ſeu vinces in bello hodie cives privatis malis obſeſſi, eandem Virginem invocant: & illa memor tituli defendit jam jam vincendos, & à periculis, quæ parat Dæmon, liberat. R. P. Iulius Cæſar Fazzari Rector Barienſis Soc. IESU. Obſidio.

tuſtate ſua ruinā minabatur: hanc Lucenſium pietas avertit, & diverſis temporibus fabricam auxit. Hoc, inquit Auctor, rarùm eſt, quòd antiquiſſima omnium cùm ſit hæc S. Imago, nulla tamen ex omnibus, quæ novis prodigijs claruerunt, hujus famam unquàm ſic obſcuravit, quin ſemper in hodiernum uſque diem miraculis invitet Lucenſium animos ad pietatem. R. P. Donatus Donati ord. S. Auguſtini impreſſit Lucæ 1657.

CCLXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
GERSTORFFENSIS.
Hagenoæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, ò magna & almè pura Sanctuarium Dei.*

1. Exilium B. V.
2. Rabies hæretica.
3. Statua incendio ſubducta.

GErſtorffium locus hæreticus eſt ſub dominio Comitis, *de Hanau.* Hoc in templo ſtetit olim Imago Deiparæ miraculis clara. Templū furor hæreticus diruit, & cum templo omnem rei hiſtoriam memoriámque, Statuam tamen ipsā pia Marianorum ſolicitudo furori ſubtraxit. Cubiti altitudinem æquat, filium brachio geſtat, gaudétque ſe ereptam, & in *Bilbenſi* Virginum Cænobio peramāter hoſpitari: promittitque favores priſtinos, ſi exactâ hæreſi poſtliminio ſuis aliquando ſedibus reſtituatur Imaginem ad me miſit *R. P. Auguſt. Bilſtein Soc. IESU.* miracula nulla ad me perſcripſit, quæ tamen fieri certum eſt.

Cæterum admiratione non caret & pio ſenſu, quod tam cito redeat Deipara ad largienda ſupplicibus beneficia, quam primum reducta fide orthodoxâ redit in nepotes auorum in Virginem pietas, quam tantiſper furor hæreticorum ſopivit nunquam tamen apud Catholicos extinxit. Quin imò apud quamplurimos hæreticos, reverentia quædam in Virginem Deiparam invenitur unde eorum converſionem ſperare poſſimus.

CCLXXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PRANDONE.
Prandonij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu Mater Agni Dei, pura es à macula omni.*

1. Collo-

2. Colloquium ſpirituale B. V.
2. Cardinalis Teſtis.
3. Prædictio.

IN Prandonenſi RR. PP. Franciſcanorum Monaſterio Imago Deiparæ gypſea eſt miraculoſa, cujus eſt hæc origo. *D. Iacobus de Manlia* ord. S. Franciſci Romam profectus à *Paulo II.* peramanter exceptus eſt. Cardinalis Savonenſis, *Franciſcus* nomine, dictum Beatum honoris & officij causâ viſitavit, & in ſermones delapſus eſt Theologicos de *verbi Dei Incarnatione:* quos ubi doctrinâ & eloquentiâ ſuâ Iacobus proſequeretur, repentè Statua B. V. gypſea Caput inclinavit, nullo vel minimo rimæ veſtigio, quaſi veritatem dictorum nutu ſuo & annutu probatura: utique poſtquam de Virginis illibato pudore diſſeruiſſet. Cardinalis portento teſtes adhibuit idoneos, & S. Statuæ, nihil repugnante Paulo II. Pontifice, honores detulit, quos Deipara publicis beneficijs rependit. Eſt ea etiamnum in veneratione magna in Monaſterio Prandonenſi. Hæc ex *t. 1. Annalium anno 1476. R. P. Lucæ Wadingi*, qui addit, B. Iacobum de Manlia Cardinali, cùm valediceret, ſummum Pontificatum prædixiſſe.

Cardinalis.

CCLXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

AD S. CRUCEM.

Moguntiæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *1, Roſa matutina i, perge munda maculæ.*

1. Luſores ſi cum Deo ludunt, perdunt.
2. Pecuniæ infelices.
3. Blaſphemia luſorum confortatium.

VT cætera peccata moleſta ſint Deo & hominibus, Luſores tamen, ut ſæpe dixi, neſcio quid feritatis ultra cæteros ſceleratos habent: in ligna ſæviunt & lapides, quando infelix fritillus cum teſſeris mentem miſcet & cerebrum. Vix Statuam, quæ cælitum cuipiam poſita eſt, videbis infeſta manu truncatam, aut mutilatam, aliáve injuriâ affectam, quam non violârit aut hæreticus quiſpiam aut perditus luſor, adeò vel cum Deo ludunt hæretici: vel cum hæreticis colludunt luſores.

Luſor.

Hanc Statuam de plebis ultima fece homuncio ſauciavit, utique poſtquam extra S. ædiculam ludendo perdidit, quas præſtabat nunquam habuiſſe, pecunias. Inde juſtis & conſuetis gradibus ad juramenta & blaſphemias delapſus, ne artem, & artis modum deſereret, ab his ad Superos, quos ad ſua vota flectere nequivit, erectus, arreptotelo ingreſſus templum, Crucifixo ligneo uno ictu caput abſtulit: tum ad cæteras Sanctorum Statuas progreſſus, nullam ſine infami mulcta præterijt. His nempe, & quidem armatis precibus, Superos in ſua vota invitabat. Præ cæteris in Virginis Deiparæ Statuam, alias

Blaſphemia.

jam ſub crûce morientis filij gementem, furioſè ſævijt, ictus ictibus ſuperaddidit, & quò acerbiùs feriret, robur addidit brachio, ſuperingeſtis contumelijs.

Neque homini mentem mutavit undique è plagis erumpens cruor: dum demum divina eum vis in loco ſtitit immobilem, & accurrens populus ad ſcelus ingemuit. Reo datum eſt ſupplicium ignis, è quo junctâ ſupplicio pœnitentiâ an cælum petierit, ignoro: quando & patriam hominis & nomen litteris nemo tradidit; quam quòd aſcito nomine *Schelkrophius* appellaretur. Deiparæ miraculoſo cruore ſacrata ſtatua. Iam ab anno 1533. honores accipit à Moguntinis civibus, & facinoris conſervata in hunc diem recordatio frænum luſoribus iniicit, ne paria audeant. Hæc ad me R. P. Gerardus Hanſen Provin. Soc. IESU.

CCLXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PALATIO. *Recinati in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O vitis amata, germen dulce, anima pura.*

1. Devotio publica.
2. Sabbati honor.
3. Populi ſub Dio devotio.

QUamquam de miraculis nil ad me perſcriptum ſit: inter miraculoſas tamen pono; quin & miraculum Recinatenſis pietatis refert, & cultu conſtanti honoratur. Eſt ære fuſa, & per magna, operis relevati, quam varij generis marmora undique velut limbo includunt. Proſtat in ipſius curiæ fronte: unde viator ex ultimo ſeptemtrione diſcat, ipſam Recinatenſis urbis curiam eſſe Marianam. Adventum S. Domûs Lauretanæ artifex proponit: & placuit majoribus hunc S. ædis adventum etiam ſub Dio & frigido quandoque Iove venerari. Quapropter Sabbatis Litaniæ muſico concentu in ipſo foro reſonant, pompam augentibus diverſis Congregationibus, inter quas hæc Sabbata toto anno ex ordine ſunt diſtributa: inter quas ea quoque Congregatio eſt, quæ in Collegio Societatis ex meris nobilibus coaluit.

Placuit hæc pietas *Vrbano VIII.* ſummo Pontifici, qui conceſſis indulgentijs eos cumulat qui præſentes in foro huic pietati ſe ſiſtunt. Ita ad me R. P. Nicolaus de Nero Rector Recinati Soc. IESU.

CCLXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. AD S. ACHATIVM S. I. *Coloniæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Per dona Agni, vives mater Immaculata.*

1. Virginis Mariæ amor incendio major.
2. Solennitas.
3. Securitas à latronibus.

STatua hæc eſt è candido marmore eleganter ſculpta, ferè bipalmaris. Puerulum IESVM ſiniſtrâ portat, in eundem caput renidente vultu inclinat: corona redimitur argenteâ & deauratâ. Hanc templo S. IESV veteri, S. Achatio & Socijs Martyribus dicato, anno 1583. intulit dicavitque *Adm. R. D. Ioan. à Detten* ad D. Pauli veteris Canonicus, qui frequenter prædonibus vias infeſtantibus ereptus eſt ope Virginis, quam in hac Statua invocaverat. Taceo alia, quia cæteris per orbem Iconibus Marianis communia beneficia.

Anno 1621. flamma templum corripuit, injuriâ an incuriâ id factum ſit, non liquet, repertus è fratribus noſtris eſt *Chriſtophorus Eichorn*, qui ſe flammis & fumo miſcuit, & per delabentis tecti ruinas, permille pericula matrem ex ardente hâc Troiâ extulit. Privato ſacello domeſtico illata | cultáque eſt à noſtris, dum novo templo inferretur: quod ſumma celebritate factum eſt. Lampadem argenteam cum oleo reditibus perpetuis dono dedit *Emin. Card. de Wartenberg*, &c. Nec plura ad me R. P. Ioan. Bilſtein Soc. IESU. Incendium.

CCLXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE IESV.
Bocaloherij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Prima & una, alma conteris Adæ jugum.*

1. Tandem omnis locus placet.
2. Mutatio loci.
3. Conſtantia.

BOcaloherium Calabriæ oppidum Conſentiâ triginta millibus diſtat. Hic Statua Deiparæ colitur, quæ IESVLVM brachio geſtat. Materiam dedit marmor nigerrimum, nec impar pretioſæ materiæ manus artificis, in ſpecu caſu repertam aiunt, ſed ut quis illam in ſpecu depoſuerit, quis inde ſuſtulerit, Calabrorum negligentia fecit, ut hac ætate ignoretur. Reperta bis terue, & in oppidum reportata, quin etiam diverſis templis importata, ſemper ad ſpecum rediјt: in quo fortaſſis jam antè honores privatos acceperat, certè publicos petere non obſcurè credita eſt, tam conſtanti ad ſpecum reditu. Dum illâ in oppidum portatur, dúmque ipſa ad ſpecum redit, beneficia miraculoſa recepêre, quotquot ferè ambiebant cum fide. Hinc initio ſtatim allata donaria, & pecuniæ: & quia Deipara beneficia ſua continuavit, Calabri non deſiêre conferre aurum, è quo templum multitudinis capax fieret, quod hodie videtur, è quo, nemo inanis diſcedit. R. P. And. Sarazolus Rector Catacenſ. S. IESU. Miraculum.

CCLXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD INDVLGENTIAS.
Coloniæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Alma Regina jure munda es à tactu pomi.*

1. Peregrinus Hieroſolymitanus.
2. B. V. pingit.
3. Nobilis captivus.

TEmplum B. V. ad Indulgentias Coloniæ, ſitum eſt in colliculo haud procùl à templo, quod majores S. Vrſulæ ſtruxerunt. Ædificatum memorant *à Sancto Henrico Imperatore*: quia Statua ſancti Imperatoris inaurata ad S. Annæ altare vicinum hodiéque videtur. Titulum templi referimus ad Indulgentias, quas Annuatim in die Palmarum conceſsêre Epiſcoporum antiquiores. Huic templo ſacellum confine eſt, quod capax multitudinis cùm non ſit, maximam tamen in dies admittit: unde à nonnullis *Colonia Lauretum* appellatur.

Indulgentiæ.

Tantæ pietatis initia tribuuntur nobili viro *Brunnoni de Mauvenheim*, qui ante quadringentos annos cum Hieroſolymam peregrinus viſeret, in via conjectus eſt in vincula: ubi invocatam meruit videre Deiparam, & ab ea vinculis eximi; quæ cùm ille ad hoc ſacellum velut votivum donum afferret, vidit quoque ibidem Virginis Imaginem eâ, quâ in carcere apparuit, formâ in pariete impreſſam: quam non humanâ, ſed ipſius Virginis Deiparæ manu elaboratam, Colonienſes credunt.

Captivus.

Atque hæc eſt illa Imago Colonienſibus tam pretioſa, & vinctis hodiéque tam propitia. Videbis, lector, catenas, & annulos à voti reis illatos, in perpetuam acceptæ libertatis memoriam. Imago ſacra vetuſtatem ſpirat, quam nonnulli inductis coloribus corrigere inſtituerunt: ſed Imago colores illos reſpuit. R. P. Ioan. Bilſtein Soc. IESU ex Gelenij ſacrario Colon.

CCLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SS. ANGELIS.
Tarenti in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eva Mater Adami ignores avi planctum.*

1. Cæci teſtimonium de viſu.
2. Nihil gratis.
3. Cæcus illumnatus.

IN templo SS. Angelorum, quod Tarenti RR. PP. Auguſtiniani habent, dum reſtauraretur, murus quiſpiam antiquus inobſervatus latuit, ſub ipsâ arâ novi templi huic muro appicta Deiparæ Imago fuit, quæ unà cum muro infra

templi pavimentum pluribus annis nemini nota, neſciri ſuſtinuit. Hanc cùm ipſa Virgo celebrem facere vellet, cæcam mulierem elegit. Huic viſa imperavit, erui imaginem. Noluit ſe illa tantis rebus immiſcere: quia non habuit, quod reſponderet ſexum, cæcitatem, ſomnium objicientibus.

Iterum tamen iterúmq; monita repetitis ſomnijs, tum demum conſenſit, cùm Deipara mercedem laboris oculos fore ſpopondit. Tum enim verò illa tantis promiſſis animoſior, enarrat viſa, rogátque, periculum facerent. Factum, quod mulier imperabat: & murus primùm detectus eſt, cùm jam cæca cæcutire cæpit, rogavítque pergerent. Iterum ad imperia mulieris profundiùs itum eſt in terram: iterum illa ſe videre meliùs inclamat. Dum demùm ipſa imago inventa mulieri plenum perfectúmq; oculorum uſum reſtituit. Primum hoc S. Imaginis Marianæ miraculum plurimos accivit undique miſeros & afflictos, quos Deipara voti reos remiſit: & hodiedum non deſiſtit Tarentinis benefacere, etiam per cæcos, quando quandoq; videntes apti non ſunt. R.P.R. Tarentinus S.I.

CCLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. GRATIARVM. *Caſſiani in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *I, age, te ſacram Lunam notâ puram vidi.*

1. Sacra vetuſtas reſpuit renovationē.
2. Murus translatus.
3. Architectura.

CAſſianum Apuliæ oppidum non omnino quatuor leucis Bario urbe diſtat. Templum ibi eſt, quod majores Sanctorum imaginibus in muro pictis ornârunt. Opus neeritè, nec ex ordine factum: quod ut noſtro ſæculo diſplicuit, ita Deo placuiſſe inde certum eſt; quòd, cùm apud Epiſcopum inſtauratio templi urgeretur, ipſe quoque in rem præſentem venire voluerit. Cùmq; juberet omnes templi parietes calce novâ obduci, quando Sanctorum Imagines ibi pictæ nec honores unquam accepiſſent, & jam etiam deperditis coloribus penè videri deſijſſent.

Non fuit tinctori arduūm, unã fideliâ duos templi parietes dealbare, & unâ liturâ corrigere imagines, quas non bene periti majores pinxerunt magno labore, &c, ut putabant, ingenio. Vna tamen fuit Virginis imago, quæ calcem novā reſpuit, & deleri ſe paſſa non eſt. Ratus ille, muri veteris virium eſſe, adhibitis ex arte medelis, ſecundam tertiámve calcem temperat, utiq; hæſuram, ſi Superi non repugnarent. At verò etiam pluries tentatus labor ſine fructu fuit: ſemper hæc Virginis imago ſola præ omnibus in novo templo apparuit.

Nemo fuit, qui dubitaret, velle hic Virginem eſſe propitiam, & in imagine coli, quam ipſa tam inſigni miraculo jam honorâſſet. Itaque

turi Recanatum in Italiam, venit meſt *Villacum* urbem Carintiæ non poſtremam. Cùm Deipara utrique in ſomno apparet, jubétque gradum ſiſtere, & S. Iconem in templum *Solienſe* quatuor inde Leucis diſtans devehere, ibi ſe in hâc Icone coli velle. Fides ſomnio habita à neutro eſt: juſſi pergere equi, ſed nec juſſi, nec verberibus moniti, conſuetum hactenus; nec grave nimis pondus, ulteriùs promoverunt, demum ſomnio ſua data fides à nobilibus. Tum enim verò equi quoque depoſitâ ferociâ, reſumptiſque viribus, nullâ difficultate quatuor has leucas traxêre S. Theſaurum: nec ipſi Nobiles volentibus equis repugnârunt. Itaque Statua ſacra coli eſt cæpta à circum vicinis Croatis, Ungaris, Auſtrijs, Styris Carniotis: duràtque in hodiernum uſque diem. Altitudo S. Statuæ eſt duorum cubitorum cum dimidio: ſedet, & dexterâ IESVLVM tenet: éſtque è candidiſſimo marmore, artis non contemnendæ, polita adúſque ſpeculi levorem: lunam habet ſub pedibus, utrinque Angelum.

Somnium.

Miraculum.

Porrò variâſſe vultum, & doloris quandoque ac lætitiæ ſigna dediſſe, pro Perſonarum, aut temporum conditione, ſi fides juramento habetur, quo teſtes omni exceptione majores factum affirmârunt, dubitari non poteſt. Plurimi certè ſeveriorem vultum advertentes, ad peccata confeſſione expianda olim ſacrilegè omiſſa, commoti ſunt: licèt ante templi ingreſſum id non cogitaverint. Loci Majeſtatem jam olim anno 1482. auxit Ungarica vaſtatio; quæ arces, Caſtella, urbes, per omnem viciniam excidit: huic tamen templo etiam poſt tridunam expugnationem non nocuit. Hodie in vitreis feneſtrarum orbiculis tela & ſagittæ, è Barbarorum arcubus miſſæ, adhuc extant, in memoriam victoriæ à majoribus relictæ neque noſtrâ ætate viſum eſt auferre; ne miraculum in Solitum prorſus, auditum tantùm, & non viſum, fidem fortè non inveniret: etenim tela hæc vitreos orbiculos quaſi in molli materia hæſerunt, hæréntque hodiedum. Id quod Barbaros à S. Loco divertit. Miracula multa & grandia, quæ contigerunt, jam legitimè approbata, paulò pòſt typis edentur. Ita ad me R. P. Sigefridus Michez Soc. IESU. Sagittæ.

CCLXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE CARMINE.

Vercellis in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Oſtendi te Reginam puram à macula avi.*

1. *Felix alea luſoris inviti & pij.*
2. *Oratio fortis.*
3. *Tympanum triſtis menſæ.*

Ergo ita luſus invaluit, & ludendi conſuetudo in naturam tranſijt; ut ipſa vita in præmium vi-

ctori cedat. Ita eſt, & apud milites quandoque vita & mors in teſſeris latent, certè ijs arbitrium de vita & morte committitur in fatorum ludibrium.

In ultima Vercellenſis urbis obſidione duo Griſones mortem exoſi fugam inière, minùs felici ſucceſſu: nam uterque, ubi recepti ſunt à Capitaneo hæretico, cóque in his ſeveriore, ad furcam damnatus eſt. Illuſtriſſimus Marchio Cuſanus ſpopondit, ſuo ſe ære duos milites ad uſque finem belli daturum, ſi his vita daretur, acceptà conditio eſt, data utrique vita. Sed fidem mutav.t Capitaneus, unúmque è duobus patibulo deſtinavit illum nempe qui duabus teſſeris minùs numeroſo jactu ab altero ſuperaretur. Affertur pro menſâ tympanum, adſunt fatales teſſeræ, & multus ſpectator, prior antequam è manibus promeret irrevocabilem ſententiam, huic S. Imagini ſe commendavit affectu, quem verſans ante oculos mors ſuaſit, & trepidâ manu teſſeram provoluit utramque, neutrâ plus unitate unicâ loquente. Binarius hic fecit, ut de vita deſperaret. Itaque amplexatus ſocium: *Vale*, inquit, amice: mortis victima ſum. Alter arreptis teſſeris (nam jubebatur) vix lætitiæ capax, fatique ſui ſecurus, jactum facit, quem echo ſequebatur è tympano; quia perire hoc jactu non poterat.

Sed ut videas lector, teſſeras quoque in manu Dei eſſe: una alteri mirabili caſu ſuper inijcitur, & monade, quæ ſola apparebat, priorem ab ſoluit, hunc damnat. Inter fuere Religioſi quatuor, cùm ad furcam duceretur. Auxit hoc vehementer venerationem S. Statuæ, fuit ſanè Virgo propitia non luſoribus, ſed ludere coactis, ne luſores auxilium in ludo à Virgine peterent. R. P. Ioan. Steph. Omodei Societat. IESU.

CCXC.

Imago B. V. Miraculoſa.

WEISSENSTEINENSIS.

Weiſſenſteinij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Vive Regna, ac impera tota munda malis.*

1. Caſus ſalutaris.

2. Voti oblivio.

3. Inſani curatio.

QUinque horis ab urbe Bolzano, emporio Germaniæ, diſtat VVeiſſenſteinium Diœceſeos Tridentinæ in montis jugo altiſſimo, unde in Atheſin fluvium proſpectus eſt. Prædium eſt in ſubjecta valle, quod de albo lapide nomen à majoribus accepit, cujus Dominus vir bonus & ſimplex inde nomen etiam habuit, *Weiſſenſtanius* dictus. Hic lapſus in morbum eſt graviſſimum, & denique captus mente, per-

per triennium integrum lecto affixus, cateniſque ligatus, omnibus miſerandum ſpectaculum præbuit, homo cæterà rectus & ſimplex. Nec tamen omni eum ſolatio deſtituit Deipara: ſiquidem ei per intervalla ſe conſpicuam dedit, conſolans laborantem, quin etiam locum nominans, in quo ſibi ab eo velit extrui templum, quod olim maximo piorum concurſu celebre eſſet futurum & miraculoſum. At verò quis credat? Simul ac Deipara è loco diſceſſit, *Leonardus* ad conſuetam inſaniam redijt.

Inſania.

Semel domeſticorum diligentiam fefellit, ſéque catenis, neſcio quâ arte, ſoluit, fugámque arripuit in ſilvam, vix quadrantem à prædio ſuo diſſitam: per hanc delatus ad montis ſupercilium, in profundiſſimam abyſſum præceps ruit, integer tamen & ſalvus in terra conſedit caſum ſuum miratus. Exacto malo conſedit in proximo lapide, jam ſui compos, ſed triſtis, dum verò vias omnes circumſpicit, qua domũ redire queat, ecce iterum ſpectabilis Deipara, hominem conſolatur, & ei ſanitatem integram promittit, & quidem perpetuam. Ad hæc etiam prædicit, nono die à ſuis hoc loco repertum iri, & ut res, inquit, miraculo non careat, vives ſine cibo, nec viribus deficies. Inter hæc ſolatia hominem reliquit Deipara.

Miſſa.

Interea quæritur à ſuis Leonardus per avia & devia. Deo inſuper pro ipſo in vicino templo amici ſæpius litârunt ſacroſancto miſſæ ſacrificio. Dum nono die repertus in valle eſt, integerrimæ ſanitati reſtitutus, & ſuis cum lætitia obvius, dulces in reditu de Deipara ſermones miſcuit, quomodo ab eâ adjutus, quàm ſæpe eam ſpectâſſet, quæ prædixiſſet. Demum voto ſe aſtrinxit ſtruendi ſacelli, ſic reditum eſt per longas & aſperas vias ad prædium: ubi prima homini cura fuit, Oeconomia, quam ſui toto triennio neglexerant, nullo nec agrorum nec vinearum fructu.

Oeconomia.

Occupavit hæc temporalium cura optimi Patris familias animũ, ita ut obrepſerit oblivio voti, ſed abeunte ſacelli ſtruendi cogitatione, redijt morbus, iterúmque Leonardus ſe catenis ligatum, lectóque affixum ingemuit: dum à ſuis ad locum præcipitij, ubi ſacellum decreverat, ductus, ipſe primus, arrepto ligone, fodere fundamenta cæpit. Et verò etiam hic nova rerum ſpecies alluxit; ſiquidem poſt paucos ictus lapideam Deiparæ Statuam reperit, filium gremio ſuſtentantis. Ars operi non defuit, materia inter Alabaſtrum & marmor dubia: quiſque huc deportaverit, ac defoderit nulla arte indagari potuit, Leonardus cæptum opus ſummâ induſtriâ proſequitur, & denique ad optatum finem perducit, ſteutámque in ara ſacelli decorè conſtituit viſitúrque hodiedum nihil vel à temporum injuria vel hominum paſſa, adeſt etiam Campana brevis, quâ ipſe ſuos ad templum plùs quàm æditüus, imperio herili accivit, & exemplo ad orandum incitavit; uſque dum unà cum mundo etiam prædio ſuo valedixit, ſéque totum

Campana.

ſa, nonparum queſta eſt, ſacellum ſuum eo in ſqualore ſituque jacere: locum olim ſacrum, nunc etiam fore miraculoſum, ſi dignis modis purgaretur.

Evigilans fæmina ſomnium ijs, quorum intererat, enarravit, fidémque (quod propter inſignem raritatem vehementer miror) invenit. Vt vel hinc Tarentinorum pietas appareat, quòd fæminæ, & quidem ſomnianti, crediderint; quando alij in hac Deiparæ materia nec viris vigilantibus, quinetiam jurantibus credunt. Et ſanè præcipitis licèt, prudentis tamen fidei pretium tulêre Miracula indubiæ fidei, & evidentia, quæ ſubitò poſt ejectas ſordes Virgo fecit. Miracula. At vbi etiam ornatus novus muris antiquis adhibitus eſt, Virgo beneficia duplicavit. Demum adjunctâ fabricâ capacius factum, quando antea tot beneficiorum capax nô erat. R. P. Rector Tarentinus S. IESU.

CCXCII.

Imago B. V. Miraculoſa. SPORANA.

Sporæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. ***Virgo anima tua ſine macula redempta.***

1. Aqua ardens.

2. Mutatio loci.

3. Baptiſmi gratia.

PRimus hujus S. Statuæ honor, vel certè præcipuus tunc cæpit, cùm ab uno altari translata in aliud commodius manè in ſuo priſtino loco reperta eſt: unde ampliùs nemo præſumpſit eam dimovere. Oleo lampadis exhauſto, ardere tamen lampas viſa eſt, & quidem ſæpius, teſtato miraculo. Porrò, quod huic loco proprium eſt jam ab antiquo; in hodiernum uſque diem infantes ſine baptiſmo defuncti, nonnulli etiam è ſepulchro eruti, atque ab ipſa uſque valle Telina huc portati, frequentiſſimè ſigna vitæ dant, ad baptiſmũ recipiendum ſufficientia.

Authenticum inſtrumentum ad me ab *Excellentiſſimo Principe & Epiſcopo Tridentino Carolo Madruzio* miſſum teſtatur annis 1652. 1653. 1654. viginti quinque eo modo revixiſſe, & baptizatos eſſe. Baptiſmus. Quod ideo memoravi, ne alia quædam per orbem templa ſola eſſe putentur, quibus hæc à Deipara ſit collata gratia. Ubique terrarum Deipara, facit miracula, & quidem grandia. Dolendum eſt, quòd non ubique ſint, qui ea notent, & edant.

CCXCIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IMPRVNETANA.
Florentiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Iam es jure cognita alma pura & munda.*

1. Cæli domina.
2. Opus S. Lucæ.
3. Iudicium Autoris.

SAcræ huic Imagini nomen à loco obtigit: vis Thaumaturga ab ipſa Virgine. Sunt, qui non vanis nixi argumentis, exiſtiment, & hanc de penicillo Divi Lucæ prodijſſe: nempe quia Græca eſt. Ab omni retro antiquitate miraculoſam fuiſſe, arguit Scriptorum copia *F. Thomas Coccini* de familia S. Dominici, cujus feſto die hæc ſcribo, in hiſtoriâ ſuâ Eccleſiaſticâ, quam linguâ Italicâ vulgavit t. 1. v. 32. latè in ejus laudes excurrit. *Franciſcus Rondinelli* in narratione tempo-Peſtis. rum, quibus peſtifera lues Hetruriam exercuit, circa finem, hujus S. Imaginis mentionem facit per honorificam.

Antiquior his *Pius II. Pontifex* in ſuis commentarijs, ita de hac S. Icone loquitur: *In agro Florentino Virginis Imago eſt, quam mirâ religione populi venerantur tanquam pluviæ ſerenitatiſque donatricem, cùm neceſſitas ingruit.* Hæc Pius II. Tempeſtas. loco citato. Atque ut ſemel liberè dicam, quod ſentio, paſſim tot Imagines dicuntur à S. Luca pictæ, ut credibile non ſit, S. Evangeliſtam omnem prædicandi Evangelij laborem ſe poſuiſſe, & ſoli picturæ incubuiſſe, tantum enim temporis ferè debuiſſet impendere, ſi, quæ vera eſt, probatione ſua non carent.

CCXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CASTANAVIZA.
Goriziæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Perge mira, tota munda ſine macula avi.*

1. Primum miraculum eſt ut granum ſinapis.
2. Diligentia.
3. Fulgor Cæleſtis.

STetit jam ab avorum memoria per antiquum ſacellum, quod cives Gorizienſes nonnunquam viſebant, loci commoditate ad ambulationem invitante. In pariete viſebatur Deiparæ Imago ſedentis, & IESVLVM ſiniſtrâ tenentis, ſacellum hoc nonnunquam fulgoribus viſum eſt irradiari cæleſtibus: quin quandoque luminaria bina, velut in ſupplicationem coacta, magno numero & longis ordinibus Apparitio. viſa ſunt circumire templum quos veritatis indagandæ cura tangebat,

ij officium fecère, rémque ſine fraude deprehenſam, tabulis ritè conſignârunt, ne poſteris aliquando fraudis ſuſpicio illuderet.

Senſit populus, Mariam honores velle, quos abundè beneficijs penſaret. Itaque pientiſſimus quiſque accurrit, votíſque conceptis & Virgini paravit honores, & ſibi mali, quo premebatur, remedium. Primi, quos impetratis donum beneficijs Virgo remiſit rem amicis, vulgârunt; hi cæteris, ſic fama percrebuit, & populum etiam è diſſitis locis accivit, hinc locus ſacer haberi cæptus, & ſupplicationibus frequentari Denique piorum munificentiâ magnificum, quod hodie videtur, templum extructum eſt, atque ut Virgini, & Virginem viſentibus bene eſſet, templo Cænobium adjunctum eſt, quod RR. PP. Carmelitæ incolunt. Miracula hic frequentia ut ſint; quia tamen nulla ad me pervenêre, quæ raritate ſua lectori placere poſſint, omitto. Cæterùm fulgores, qui primum S. Imagini honorem dederunt, viſi ſunt anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo, ultima toti ædificio tam templi quàm Monaſterij manus impoſita eſt ſub annum milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum primum. Ita ad me R. P. VVolffgangus Förgh S. I. Viennâ. Templum.

CCXCV.

Imago B. V. Miraculoſa.
VINCIGVERRA:
Caſſiani in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Sancta Mater magni Dei, pura malo vive.*

1. *Terribilis Virgo ut caſtrorum acies ordinata.*
2. *Inſignia gentilitia.*
3. *Urbs liberatur.*

CAſſianum celebre oppidum in Aquilia ſi totum dixero Marianum, quis me credat errare, quando in ditione Paucetia eſt, cujus Domini *Arragones de Aierba* pro armis ſuis: & inſignibus gentilitijs, Imagine utuntur, quæ *Immaculatam Virginis Conceptionem* ſignificat? ad hujus oppidi mœnia ſacellum eſt, quod Virginis Imaginem cuſtodit: quæ hodie civibus, ſi velint, ſingulis annuit; ſi vota ritè faciant, quin olim ſimul omnibus portentoſo auxilio profuit.

Aiunt, urbem à numeroſo hoſte obſeſſam; & ijs, quæ militiæ periti pro defenſione requirunt, deſtitutam, ac indefenſam ſolâ Virginis invocatione liberatam terrore, quem Virgo hoſtibus incuſſit tanto, ut hoſtes obſidionem ſoluere, &, quam penè ſub unguibus habebant, urbem relinquere coactiſint. Hinc Imagini titulum dedêre cives *Vinciguerra*, ſeu vinces in bello hodie cives privatis malis obſeſſi, eandem Virginem invocant: & illa memor tituli defendit jam jam vincendos, & à periculis, quæ parat Dæmon, liberat. R. P. Iulius Cæſar Fazzari Rector Barienſis Soc. IESU. Obſidio.

CCXCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE TRAMINO.
Traminij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Regina, cor IESV, tam pia tam munda vale.*

1. Trivinum felix.
2 Canini mores.
3. Undecim filiorum mors.

FIde majorum habetur, hoc in loco ad fluvium Atheſin terminum fuiſſe potentiæ Romanæ, & *Auræ* Caſtellum fœderis extructum inter Romanos Germanóſque ſtetiſſe, cujus rudera etiamnum videntur integro ad huc nomine. Hîc loci quoque multos pro fide obijſſe mortem, teſtantur innumeræ Reliquiæ, cum in templo S. Iacobi, maximè verò in templo Deiparæ, cui à *Columna* nomen eſt, quæ non procùl Traminio viſitur & inviſitur, circumjacentium Montanorum concurſu, & ne lector erret, alio quoque titulo *ad Crucem* nominatur.

Reliquiæ.

Ego ut neutrum titulum excludam voco B. Virginem de Traminio. Alioqui titulus de *Capitello*, quia originem dedit, huc pertinet, ſtetit Columna hæc in trivio, quo Egnam, Mundam, & Caldariam itur. Itaque ut ad rem veniam, fuit in oppido Barminio incola undecim filiorum pater *Georgius Fechtner*. Ex omnibus ne unus quidē ad annos adoleſcentiæ pervenit: vel enim in utero materno mortui ſunt priusquam lucem viderent, vel ſubitâ morte ſublati, ſi paucis menſibus ſupervixiſſent, ſollicito parenti, & ſuis peccatis adſcribenti tantam filiorum ſtragem, ſuaſum eſt, Columnam erigeret Deiparæ in trivio illo, quo ut dixi, Egnam Mundam & Caldariam itur: multas ibi multorum preces ipſi quoque profuturas.

Erexit ille Columnam, Imaginem hanc Deiparæ inſeruit arte fabrili: & duorum paulò pòſt filiorum factus eſt pater, quorum uterque ſanus & ſalvus ad multos annos patri ſuperſtes fuit. Populus ut ſenſit Deiparam hîc in beneficia pronam, multa petijt, plura obtinuit, omnia ſperare potuit: néve Deipara ab ingratis fortè diſcederet, Columnam circum ædificato templo incluſerunt, in quo Deipara adhuc ſe magis munificam oſtendit ſequentibus annis, in hodiernum adhuc diem durat majorum pietas, quod numeroſa per parietes Anathemata teſtantur. Inſtrumentum hac ſuper re ad juris normam conſcriptum ad me miſit *Excellentiſſimus Princeps & Epiſcopi Tridentinus Carolus Madruzius*, cum miraculis quibuſdā ordinarijs.

Columna.

Templum.

CCXCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
TIENNENSIS.
Tiennæ in Italiâ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En! Regina amata Diva te puram colimus.*
1. Mina B. Virginis.
2. Tres puellæ.
3. Ruſtici mores.

SUb ditione Vicentina Tiennenſis pagus eſt, Paduano Epiſcopo ſubjectus. Hic Deipara ipſa templum ſibi juſſitâ fundamentis extrui. Ita nempe Superis curæ ſumus dignata eſt apparere, & loqui, ſemel tribus puellis ruri procurantibus paſcua ulmo inſidens, eaſque allocuta, quæ eſſet; quidque vellet, paucis edixit. Dicite, inquit, Tiennenſibus, niſi experiri velint iram filij mei, & annonæ caritate ad famem uſque extremam affligi; templum illico fabricent: & hic inquit, locus eſt, in quo honores ab ipſis expecto, cavete, ne differant, ſed illico juſſa exequantur. Templum. At verò puellis fidem non invenientibus, neque ullo miraculo dicta probantibus, ſecundâ vice viro cui jam ægro apparuit, eadémque imperavit. Ille prudentior fidem Deiparæ obiecit, quam apud Tiennenſes inventurus non eſſet. Ad hæc; ecce, inquit illa, ſanus factus es: vade, credent. Ita & fides quoque habita eſt puellis, & anno 1530. pervenuſti operis ſacellum agricolæ exædificârunt, quod ita ob frequentiam beneficiorum cumulatum eſt divitijs, ut anno 1611. Amplum fit templum ſuperſtructum, quod RR. PP. Capucinis ceſſit: in quo hodiedum tabellę videntur, in quibus hæc, quæ dixi, ſcripta, & non inerudito penicillo picta ſunt. Ita relatio impreſſa, ex qua hæc accepi. Miraculum.

CCXCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CONDINO.
Condini in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eia, te ingenti macula puram adoramus.*
1. B. V. illacrimatur malis noſtris.
2. Accurſus.
3. Lacrimans Imago.

HOc in pago Diœceſis Tridentinæ, B. V. Imago eſt, IESVLVM brachio geſtantis, in tela picta eſt, nec major, quàm papyraceum integrum folium eſt, in quo litteras ſcribimus. Ars porrò pictoria non magna. Hanc tenuit *Stephanus Maſſoli* vir per honeſtus.

Anno 1620. viſa eſt lacrymas fundere: & lacrymæ à Magiſtratu Eccleſiaſtico ritè examinatæ, ſe Lacrymæ.

Anno 1631. ipſo feſto Pentecoſtes, horâ nonâ noctu, viſendam ſe in cælo præbuit Deipara filium brachio geſtans: atque ut plures viderent, die poſterâ, eâdem, quâ heri noctis horâ, iterum apparuit ſole circumdata, cum luna ſub pedibus, cæteriſque, quæ Virgini decorem addere poterant. Non deerant Angeli è cælo devolantes, coronámque Virgini imponentes. Fuere pauci, qui portentum viderunt, nam plus quadrante uno cæleſtes hæ deliciæ non duraverunt, tot tamen qui fidem accolis facerent, confertúmque populum huc die tertio allicerent, ſed tertio ſe videndam & fortè indignis non præbuit.

Apparitio.

Suffecit hæc Virginis apparitio *Mauritio de Metten* Senatori Lucernenſi, Virgini ſacellum exſtruxit eodem in loco, ubi vetus illud, de quo antè dixi, ſteterat, dedicationem ſolennẽ fecit *Suffraganeus Conſtantienſis* anno 1656. pompâ, quâ licuit, maximâ, omnibus omnia fauſta expectantibus, voluiſſe hoc Virginem, demonſtrat & hominum concurſus, & Virginis in venientes prona benignitas, & beneficia non vulgaria. Certè miracula facta eſſe conſtat: quæ tamen quia approbata nondum ſunt, ſcribere noluit. R. P. VVolffgangus Lieb, Soc. IESU, qui hæc ad me Lucernâ perſcripſit.

En habes optime lector Triadem primam ſive tres hiſtoriarum Centurias, ſi quas offendiſti quæ raris & jucundis eventibus non ſcatebant, omittendæ tamen illæ non erant, quia etiam ſine his extraordinarijs apparitionibus & miraculoſis translationibus, tamen miraculoſæ ſunt. In ſequentibus novem Centurijs (nam duodecim omnino ſunt) id elaboravi ut contra quorundam morem meliora & jucundiora in finem differrem nulla tamen ut puto ita jejuna eſt quin non locum ſuum habeat in indicibus, quos in fronte & calce operis poſui quique lectori abundè oſtendent nullam hiſtoriam hic gratis poſitam eſſe, Itaque ad ſecundam Triadem ſeu ad tres ſequentes Centurias me accingo.

TRIAS
ATLANTIS MARIANI
SECVNDA

Continens IV. V. VI. Centuriam

HISTORIARVM.

De origine Imaginum Miraculoſarum

MARIÆ
FILII DEI
MATRI

Ab Auctore

DICATA

O Domine ego ſervus tuus ,

Ego ſervus tuus & filius ANCILLÆ tuæ , *Pſalm. 115.*

PROGRAMMA.

Salve Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamamus exules filij Evæ. Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. O Clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria.

ANAGRAMMA.

Me ſalvere cupis venio tua Virgo ſodalis.
Sic te claudo ſinu: mater lac accipe noſtrum.
Vbere cæleſtes deſtillo mellis honores,
Et tergo lachrymas & vultum amplector amatū.
Arborero vitæ, ſpes, ſi in me fixa reclinet,
Fide Deo; juvat ingenuos mea cura ſodales:
Dein vultu oſtenſo, mea maxima gloria Chriſti,
Te feſſum (O jucunda dies:) in ſidera condet.

Auctore
R. P. Bohuslao Balbino S. I.

CENTURIA IV.

CCCI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE COLUMNA. *M. Politiano in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En! mira Gemma lucida, pura nævis.*

1. Pietas non captivatur.
2. Rudera miraculoſa.
3. Statua empta.

HAnc Deipara Statuam *De Columna* ideo nomino, quia ſupra Columnam ipſa Deipara, æque atque Cæſarauguſtæ viſibilem ſe dare dignata eſt, urbs montis Politiani templum Deiparæ habuit, quod impius Comes Mannus impiè deſtruxit, populo nec mutire auſo contra Tyranni imperia. Atque ut templum ipſe quidem demolitus ſit; populi tamen pietas in Virginem erecta manſit, & ſtetit integra, ſiquidem non infrequentius adibant orationis causâ murorum rudera, quàm olim integrum templum.

Margarita Virgo tertij ordinis *Servitarum*, una ex ijs fuit, quæ præ cæteris locum adijt ſæpius & quidem nullo non die minimum ſemel. (Oratio.) Audi lector modum, quo hæc Virgo Deiparam orare ſolita ſit, ſolabatur eam, inquit Auctor, ijs omnino verbis, quibus fæmina fæminam ſolari ſolet propter domum combuſtam. Nec templum unà ruinâ cecidit, integri biennij labor fuit. Palatio nempe ſtruendo adhibiti ſunt templi lapides. Demum ad ipſam Deiparæ Statuam ventum eſt, quam à murarijs prece & pretio obtinuit Margarita, & domi depoſuit, domũ illi totam templi loco dedicans.

At verò Deipara ſæpius apparens, imperavit, reſtitueret loco ſuo Statuam, & ad rudera reponeret, quin imò civibus nomine ſuo imperaret templi reparationem. (Apparitio.) Excuſavit ſe non ſemel Margarita, ſive quòd tanti nuncij bajula eſſe nollet, unde ſanctitatis nomen haberet, ſive quòd theſauro ſuo ſe privare nollet. Tum Virgo, quandoquidem tu reponere Statuam meam non vis, curato, ut id faciant Angeli, quorum novem è turba tunc præſente promtiſſimi inter accenſas faces ſublatam è domo Statuam ad rudera deportant, eámque columnæ igneæ imponunt. (Angeli.) Nec defuere ſpectatores: ſiquidem, teſte *Gianio* plerique è populo ſpectaculo fuêre præſentes, nec diu morati, eam à columna

ignea iterum depoſitam inter cantus & odores ad rudera templi deportârunt, & eo in loco, unde accepta erat, depoſuerunt.

Interea Margarita præparatos in Deiparam inveniens animos, denúnciat civibus imperia, quæ acceperat, de fabrica templi reſtauranda, quin imò ipſa Virginis verba, ut acceperat, retulit quæ hic appono. *Non graveris (ego enim ſum, quæ jubeo) Politiano populo edicere, ut meam hanc S. ædem quamprimum reficiant: & pro ſigno habe, quòd ſimul ac tu hæc dices civibus, te in cælum ad me receptura ſum.* Reſpondit eventus: etenim his verbis finitis, Converſa Margarita, flexis humi genibus, ad S. Imaginem, vivere deſijt, & quàm ſanctiſſimè in omnium conſpectu expiravit. Non opus erat, ulteriùs hortari populum ad reſtaurandum Deiparæ templum, nequidquam reluctante Tyranno: quia majora urgebant imperia. Templo finito, habitus S. Statuæ honor eſt, qui in hodiernum diem durat, non gratis: quia eum Deipara miraculoſis beneficijs compenſavit & hodiedum compenſat, facta hæc ſunt anno 1578, ut ait Gianius in Annalibus Servitarum.

Templum.

CCCII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CAMPIGLIO.

Campiglij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemma ſalutata à Dei nuncio mire pura.*

1. Angeli laborantes.
2. Miraculum Columnæ.
3. Felix ſomnus.

HOc templum miraculo raro famam ſuam habet. Templum enim cum in campo ædificaretur, trabes, & cum calce lapides nocturno Angelorum labore in hunc locum, ubi nunc ſtat, devenêre. Una præterea columna lapidea, quæ erigi ab architectis nullâ arte potuit, cùm ad pomeridianam quietem ſe per brevem horam operarij contuliſſent, ſponte ſe erexit, & ſtare viſa eſt, non ſine pio murariorum horrore, qui plùs quàm ſatis eſt, ſuæ ignorantiæ conſcij, neminem inter ſe invenêre, in quem tanti artificij ſuſpicio cadere poſſet. In authentico Inſtrumento, quod ab *Excellent. Principe Carolo Madruzio Epiſc. Trident.* accepi, ſunt etiam miracula quæ tamen quia exotica non ſunt, omitto.

Cæterùm Columnas diverſis modis miraculosè erectas fuiſſe, affero in ſequentibus plura exempla, nullam tamen præter hanc habeo quæ ſine operariorum manibus imò dormientibus operarijs erecta ſit, ſi Cæſarauguſtanam excipias, quam Angeli erexére nulla hominum manu admota.

CCCIII.

CCCIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. MARIA POPVLI.
Tareuti in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Salve O Mater, unica pura, nitida gemma.*

1. Statua B. V. in altari Veneris.
2. Venus indiget thure non meretur.
3. Antiquitas.

SOlâ Traditione conſtat, hanc S. Iconem fidei Chriſtianæ coævâ eſſe. Cæterùm perantiqua eſt *S. Cataldus* primus Tarentinorum Epiſcopus & Apoſtolus, vix urbem ingreſſus, Veneris deditam cultui invenit. Statua hujus in arâ conſpecta Cataldo nauſeam movit primùm, tum etiam bilem. Invectus ille luculentâ oratione in propudioſam Deam, docuit male thura dari tam fætenti numini. Itaque hac ex aris deturbatâ, Virginis Statuam aris digniorem repoſuit quam hanc ipſam eſſe aiunt; quæ hodie miraculis clara à Tarentinis colitur. R.P. Rector Tarentinus Soc. IESU.

Pluries contigit ut coleretur Deipara adhuc incognita ut videbimus in decurſu hiſtoriarum. Ita certè Athenienſes veri Dei cultores fuêre ea in ara in qua Deum ignotum coluêre ex qua S. Apoſtolus Paulus occaſionem prædicandæ fidei accepit, ut habetur in actis Apoſtolorum, ita Carnoti in Gallia colebatur Virgo paritura centum & amplius annis antequam naſceretur, ut videbimus ſuo loco.

CCCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
KELLERSPACENSIS.
Confluentiæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Una mira ac pura Gemma de alto veniſti.*

1. Statua in fluvium abiecta.
2. Punita manus.
3. Dolor capitis curatus.

COnfluentia urbs eſt ad Rheni & Moſellæ confluxum Statua *Mariæ Doloroſa* hodie in templo Soc. IESU miraculis clara colitur, jam priori ſæculo in Naſſoviæ comitatu cultum ſuum habuit concurſu accolarum celebrem, quem frequentia Virginis Deiparæ & rara miracula ciebant, quémque hæreſis Naſſoviam inundans abſtulit. Eamob cauſam inde huc non longo itinere translata eſt, ut referam, olim inquam, cùm anno 1502. adhuc coleretur in æde campeſtri *Kellerſpachenſi* prope Meſtlariam, *Gertrudis Hauptina* honeſti viri filia gravi ægritudine

preſſa voto ad hanc Statuam facto, convaluit. Paucis poſt luſtris, invaleſcente, ut dixi, hæreſi impius è popina ruſticus domum redux eam per ludibrium templo exemit anno 1529. atque in profluentem, dejecit, in quas vellet oras nataturam. Sed Statua limo infixa ab undis ablata non eſt, Tanti ſceleris pænas illâ adhuc die dextra dedit, inter rixas ita tractata, ut per omnẽ vitam inutilis eſſet.

Sacrilegium.

Altero die *Ludovicus Gerardus* unus è divitibus plebis viſamè limo extraxit, ſuóque prædio intulit, *Gerbenheimium* dicto. Reſcivit iniquam Statuæ ſacræ ſortem Gertrudis, Matrona tum honeſtiſſima, & Virgini Deiparæ ob redditam olim valetudinem adhuc grata. Itaque majore adhuc gratitudine Virginem excitatura, ad novos favores, precibus à Ludovico S. Statuam extorquet, & domi ſuæ honeſtiſſimo loco, in ſacelli formā quantum licuit accommodato, collocat, colítque Religiosè, dum eam meritis gravem mors non infelix cælo intulit anno 1564.

Pietas.

Nicolaus Kramerus Senatorij ordinis, ut cæterarum rerum, ita & Statuæ ſacræ hæres, eam domi ſuæ magno rerum ſuarum bono coluit. Paulò pôſt in manus devenit Admodum Reverendi *Matthiæ Kelleri* Officialis Trevirenſis, &, cum ea Deiparæ favor, quem & domi ſuæ deſiderabat, & copiosè experiebatur, capitis præſertim dolore Medicorum artem ſuperante, ad Statuæ ſacræ ingreſſū liberatur.

Gratitudo viri Virgini non ingrata fuit, quâ decrevit dignis honoribus publico dare, & Soc. IESU templo inferre: quod quamprimùm anno 1578. ſolenni ritu factum eſt, revixit in populis antiqua pietas, & in Deipara fons gratiarum apertus, anno præſertim 1617. quo novo templo eſt illata, & quia nova ſemper accepit incrementa Virginis honor, populorum pietati datum eſt, ut medio in templo anno 1638. novum Altare ſtrueretur Imagini, cæterà pedem unum non excedenti, & ligneæ. Durat hodiéque, & in dies augetur cum donarijs pietas, miracula & rara & copioſa quia typis edita nondum ſunt, ad me non pervenēte. Ita R. P. Ioan. Bilſtein Soc. IESU.

Soc. IESU.

CCCV.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MONTE POLITIANO,

M. Politianus in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Nite O pura maculâ uti gemma radians.*

1. Luſor Taumaturgus.

2. Nomine indignus.

3. Satis luſiſti.

Iterum affero Luſoris perditi miraculum, neque enim ſceleſtorum, hominum gens ulla eſt, patrandorum miraculorum peritior, luſoribus: qui quo ſceleſtiores ſunt, eò majora, plura, & rariora, cùm volunt, & quoties

volunt, patrant; Hic certè luſor *Montis Politiani* incola, unò miraculo contentus non fuit: quinque elicuit unà cum ſanguine; nec gladio uſus, aut machæra, pugio brevis ſuffecit in tot vulnera miraculoſa. Cætera mens impia, & obſequioſa in ſcelus dextera peregit. Hominis nomen quia, ut reor, in cælo ſcriptum non eſt, neglexêre etiam majores; ne famil iæ incurreretur infamia, luſorem dixiſſe contenti: ut poſteri ſcirent, quantum Superi luſoribus debeant.

Imago eſt Virginis filium tenentis brachio, ſævîſſimum quemque vel ſolo aſpectu lenitura; ſiquidem luſor non ſit: hi enim quocunque etiam dulciſſimo Superum aſpectu leniri non poſſunt; vel ſi poſſunt, non ſolent. Hæc ideo ab homine rabido vulnerata, quia prima occurrit; quinquies vulnerata, quinquies ſanguinem dedit, in ipſam uſque terram copioſè profluentem. Plura ad me miſſa non ſunt, quàm quòd in hodiernum uſque diem fons è vulneribus profluat; non quidem ſanguinis, ſed beneficiorum, néque ultra de reo inquirere volui: quia nil refert, humíne an ſublimè putreſcat. Ioan. Baptiſt. Alberti. Vulnera.

***

CCCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN UMBRA.
Lauffenæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Nite viva gemma, pretioſa, clara, munda.*

1. *Felix Umbra.*
2. *Pietas Umbræ ſimilis.*
3. *Phrenetici.*

IN Pago *Lauffenſi* Superioris Auſtriæ in monte vicino, Statua hæc Gypſea reperta traditur; altitudo eſt paulò major quatuor pedibus; mons nomen habet à pietate *Fromberg* vernaculâ vocatur, quaſi mons pius: delatâ S. Statuâ in ſubjectam planitiem, hoſpitium non recuſavit, nec; ut ſæpe ſolet, in montem eſt regreſſa.

Templum. Templum ſtatim ædificatum eſt ære, quod accolæ contulerunt. Et quia montis amæna umbra templum majore diei parte tegit, ſortita eſt *Maria in Umbra.* Et verò umbra fuit ad eam confugientibus; quòd perantiqua Anathemata è muris pendentia abundè teſtantur; Phrenetico hîc maximè morbo mederi Deiparam, fama eſt. Eam ob cauſam nobilis *Alexius Lauffner* anno 1456. Sacellum templo adjunxit; adjunctis annuis redditibus: ſecuti deinde Archiduces Auſtriæ, qui novis redditibus templum parochiale fecerunt.

Umbra. Ne putes, fruſtrà ab umbra nomen titulúmque haberi; ſcito ad umbræ modum, pietatem hîc loci incrementum ſuum accepiſſe, & perdidiſſe; primâ & ultimâ diei parte umbra grandeſcit; ipſo meridie exigua, vel nulla. Ita initio maxima, quæ hîc fuit Auſtriæ, pietas,

tem-

tempore,quo hæreſis dominabatur, exigua fuit, vel nulla: nunc iterum creſcit. Certè anno 1641. templum redigi debuit in ampliorem formam, quæ peregrinos eorúmq; pietatē caperet. Ubi hoc notatū à ſagacioribus eſt, S. Statuā ab altari majore in vicinum ſacellum, durante fabricâ, tantiſper deportatam, ſex fortium virorum lacertos fatigâſſe: finito opere à duobus nullo penè labore reportatam.

Adhæc peſtis, quæ anno 1654. per omnem latè viciniam fædum in modum afflixit, huic pago omnino pepercit. Incolæ adſcribunt precibus ſuis, quas ad hanc S. Statuam diu noctúque fundebant. Cæterùm pietas in dies augetur, multùm allaborantibus RR.PP. Societatis IESU, quorum curæ templum hoc commiſſum eſt. Ita R.P. Ioannes Eiſſert ad me perſcripſit. Peſtis.

CCCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PACE.
Veronæ in Italia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemma lucida animata es in utero pura.*

1. Platea S. Michaelis.
2. Imagines non diu probandæ.
3. Epiſcopi deſiderium.

Bello, quod Veronam principio ſæculi præteriti vexavit, quodcunque illud fuerit, ſuburbia omnino afflixit, quæ ipſi cives in urbis defenſionem coæquârunt ſolo. Vaſtatores tamen columnam præteriêre illæſam, cui jam ducentis annis honores à populo dati ſunt, propter Deiparæ Imaginem; unde quandoque beneficium, quod poſtulabant, abſtulerunt. Illuſtris eapropter jam erat ac celebris; quamquam optâſſent boni quique templum. Finito bello circa annum 1559. concurſus priore major coëgit Epiſcopum cogitare de translatione in urbem, urbiſque templum quodpiam, in quo decentiùs, quàm hic ſub dio, coli poſſet, quanquam quia læta pax omnem ſecuritatem dabat, optâſſet potiùs, ipſo in loco templum ſiquidem opes non deeſſent neceſſariæ.

Quod Epiſcopi deſiderium ubi cives reſcivêre piaculum rati, exigere loco ſuo juſtiſſimè plùs duobus ſæculis poſſeſſo tantam benefactricem, cum qua fortaſſis ipſa beneficia, adeóque omnis ſpes reſque migratura eſſet; quàm celerrimè comportatis pecunijs, Epiſcopi pia vota æquârunt. Epiſcopus.

Primi omnium fuêre, qui plateam S. Michaëlis incolebant: hi quatuor campos ritè emptos in dotem futuri templi obtulêre, tum enim verò majoribus animis datum fabricæ initium eſt: aucta quoque Veronenſiū pietas, etiam accolas accivit: qui & ipſi ut plurimùm petita beneficia etiam miraculoſa obtinuerunt. Ita propagata pietas in hodiernum diem durat. Ioan. Bapt. Alberti. S. Michaël.

CCCVIII.

CCCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD FONTEM FRIGIDUM.
Caltenbrunnæ in Germania Sup.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Gemma auro nitida, pura & ſine macula.*

1. Scala Cæli.
2. Pietas interpios propagatur.
3. Converſio mirabilis.

Caltenbrunnenſis, ſeu quæ ad *Frigidum fontem* eſt, Deiparæ Statua, originem habet raram, quam dicere aggredior ex antiquiſſima, & penè exesâ ſcripturâ, ait hæc, quæ propè ad verbum transfero in linguam latinam ex Germanicâ. Lapidi neſcio quis impoſuit Statuam Deiparæ: & quia lapis iſte cum ſuâ ſanctâ Statuâ juxta viam erat, plurimi invitabantur ad fundendas preces.

Obſervatum eſt, fertiles in vicinia ſegetes, à pecoribus, quæ juxta paſcebantur, nihil omnino detrimenti capere, ſed nec grandines alicubi in viciniâ nocivas his ſegetibus damnum inferre. Adhæc vicinus quidam Eremita locum frequentabat. Et verò fuit inventus emunctioris naris Ariſtarchus, qui Eremitam ad templa relegaret, ſi precibus delectaretur; cui Eremita, hic, inquit, facet locus eſt, & inde in Cælum uſque ſcala protenditur: quin olim hic locus in eam celebritatem exurget, ut peregrinorum accurrens multitudo locum celebratura ſit: denique templum erit. Eremita.

Supervenit vir alius, etiam Eremita, qui ſcalam ipſam ab altero prædictam vidit, & prioris Eremitæ verba ſuis confirmavit: *Macario* nomen viro fuit. Et quia in ore duorum vel trium ſtat omne verbum, addo teſtem tertium, Germanum Nobilem, qui Mediolani nobili Italo inter rixas mactato, Deiparam diu multúmque precibus fatigavit, locum ei deſignaret, ubi peccata ſua plangere, vitámque ſanctè finire poſſet, is in ſomno monitus eſt, ut quamprimum in vallem Oeni proficiſceretur ad locum, cui nomen *Caltenbrunn* ideſt, ad *Fontem frigidum*. Nobilis. Ille tredecim ſervis equitibus comitatus venit Bruxium: & ad ipſum locum à peritis viarum ductus, ſervos dimiſit, equos vendidit, & ſacellum ædificavit huic ipſi ſacræ Statuæ, quam & in loco quæſito invenit, & alias jam inter privatos celebrem inaudijt. Peregrinat.

Hic pænitentiam ſuam Nobilis homo è *Schenchenpergiana* familia incæpit, & vitam poſt aliquot annos ſanctè finivit. Ab hoc nobili Eremita ſæpius auditi ſunt cantus Angelici, ab alijs etiam viſæ ſupplicationes prælato rubro vexillo: non reſciri potuit, ex quo vicino pago, vel unde venerint, fuit quoque, qui juratus teſtaretur, ſe vocem audiviſſe, ſibi peccata ſua exprobrantem, neminem tamen in aperto circum campo vidiſſe, alij

Vultus. vultum S. Statuæ viderunt rubeſcere, & iterum, ut antè, pallere.

Fæmina ſeptennio ſine hærede in matrimonio vixit, monita poſt Preces in ſomno, prolem, quam peteret, in hoc templo obtenturam, venit, petijt, obtinuit, quin filius ille demum ſacerdos primitias ſuas hoc in templo mediâ nocte Nativitatis domini inter pias parentum, populíque lacrymas celebravit, unicus parentum hæres ſolitus non raro enarrare, quàm mirabilibus modis eum B. Virgo libetaverit, quoties periculum adibat. Duo præ cæteris viri obſervati ſunt, qui ſe huic accurrentium pietati oppoſuêre, Chriſtiani quidem, & quod caput eſt, Catholici; ſed mundanæ ſapientiæ pulli; quorum alter ad inſaniam redactus turpi morte vitam finivit: alter è divitijs nullâ ſuâ culpâ ad incitas redactus eſt; exemplum ijs, qui nihil boni cùm ipſi agant omnia bona ſub ſpecie majoris boni impedire conantur. Plura Epiſtola illa habet, quæ conſervatur inter templi monumenta, quæ brevitatis causâ omitto. Hodie pietas ad hunc locum tanta; ut raro ſine peregrino ſit videre templum. Ita ad me *R. D. Alexander Platner* loci parochus fide publicâ per juratos teſtes miſit. Pœna.

***

CCCIX.

Imago B. V. Miraculoſa. FOCENSIS.

Focæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum!

Anagr. *Tu eia orientalis Gemma pura ac munda.*

1. Robur Virginitatis.

2. Ruſticorum theſauru s in agro.

3. Murus ægrotus.

PIctaB. V. Imago, quæ in oppido Focenſi hodie celeberrima colitur, nonaginta omnino annis ad pedem montis ſtetit in muro picta, & à populo *Amelienſi* in veneratione habita. Ne theſaurus, qui ſuus eſſet, Focenſibus eriperetur, ſtatuerunt Imaginē cum parte muri oppido ipſi oppidò inferre, inſtigante, rémq; promovente Capitaneo quodam *Quirino Geraldini*, nobili Amerino. Octingenti omnino operarij inſiſtebant operi æquādæ viæ: ut vel inde intelligas, patratis miraculis jam celeberrimū fuiſſe ab anno 1629. quo hęc fiebant, jámq; reclinari murus, & excipi machinis debebat, cùm ipſi Architecti qui operi præerant, manus operi admovere recuſant, nempe hiatum muri advertêre, nunquam ante obſervatum, qui certam Imaginis ruinam, ſi moveretur loco portenderet. Operarij.

Deſtitum itaq; ab opere eſt, quod tantis impenſis parabatur. Interea non defuêre, qui quotidie Deiparæ prodigioſam Imaginem viſerent, viderén tq; hiatum illum velut vulnus muri, miris ſed veris mod s ita coaluiſſe; ut ne veſtigium quidē appareret. Falſi ſunt architecti, murum eſſe integrum, ſanum, & ſalvum: poſſe nunc in cilindros reclinari, & quàm integerrimè templo inferri: ornatur pompa; indicitur ſupplicatio: populus frequen- Curatus.

Miracu-lum. quentiſſimus convenit, ab ubi applic iti muro funes ſunt & machinę, deprehensū eſt, non murum eſſe, ſed cautem marpeſiam, nullis viribus machiniſque movendam.

Jámque alterá vice deſtitum ab opere eſt: cùm unus; moveri, inquit, loco Imago nòn poteſt; quia vero non vult: quadraginta, ut videtis, utique molem ferrent. Virgines adducite, hæ funes prædendant, ſequetur ſponte moles tota. Et verò ut poſtea etiam operarij operam ſuam aliquantùm contulerint, nemo tamen, præter Virgines, muri molem loco movere potuit. Hinc Focenſibus præ gaudio lacrymæ, Virgini Deiparæ gratiæ & dona fluxêre in Focenſes. Io. Bapt Alberti l. 2.

CCCX.

Imago B. V. Miraculoſa.

BASELGANA.

Baſelgæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, Gemma veneranda, I, tota pura macula.*

1. Lumina felicia.
2. Tempeſtas ſedatur.
3. Cor in agro.

VAlles circumjacentes communi pietate hanc ſacram Imaginem venerantur. Crediderim quoq; quòd majore affectu, quàm cæteras, ſiquidem agricolarum cor eſt, ubi eorum theſaurus, in agro. Huc itaque circumjacentium terrarum ſupplicationes, ut frugibus bene ſit. Authenticum inſtrumentum ad me miſſum ab *Excell. Principe Epiſc. Tridentino Carolo Maruzio* aſſerit, cælo irato placari campanarum ſono, turbines pluvias, grandines, ceſſaréque æditúos pulſare campanas non antè, quàm videant duo vel tria lumina ſupra templi tectum, ſub quo S. Imago ſtat, ſecuros, tempeſtatis aut finem adeſſe, aut vires nocendi frugibus abeſſe, quod non memini me uſpiam legiſſe, in terris præſertim à mari remotis contingere: ſiquidem hæc lumina mari & n utis nota vix famâ ſuâ ad nos, qui mediterranei ſumus, pervenerunt. Lumina.

CCCXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE INSULA.

Vicentiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *I, niveâ gemma I, pura, tota munda clares.*

1. Nulla ſalus bello.
2. Flent lapides.
3. Incendium innocuum.

NOn procul Vicentiâ villa eſt, quæ *Inſula* nomen habet: quia ſola ſtat non parùm à cæteris villis

remota, ad hanc in amæno colle templum eſt Deiparæ, in quo perantiqua & miraculoſa Virginis Imago eſt, quam RR. PP. Canon. Regul. S. Auguſtini cuſtodiunt. Statua eſt lapidea: Deipara IESVLVM pectori appreſſum brachio tenet. Conſtat, templum hoc anno 1306. jam ſtetiſſe, anno 1411. reſtauratum ceſſit Monialibus S. Brigittæ: quibus Canonici S. Aug. Regulares, qui hodie locum tenent, ſucceſsêre.

Lacrymis dignum eſt, quòd anno 1515. à militibus ſpoliatum & incenſum fuerit: quando & ipſa S. Statua lapidea, vidente populo, acerbiſſimè flevit, & oculos clauſit; ne domûs ſuæ, totiúſque pietatis vaſtatores & incendiarios, paulò pòſt affuturos, cogeretur aſpicere, finito tamen bello reſtauratum eſt templum, & unà cum templo pietas, quæ etiamnum durat: ut videre eſt ex Anathematum & peregrinorum magno numero. Relatio impreſſa.

CCCXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DELLE LASTE.
Tridenti in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, Gemma, I, Roſa intacta purè munda vale.*
1. Meridies ante meridiem.
2. Deſertum fertile.
3. Baptiſmi gratia.

MOntem habet urbs Tridentina ab Oriente, hoc ſolo fertilem, quòd Imaginem Deiparæ habet beneficijs celebrem cœleſtibus. Cæterùm mons ille cùm ſolos lapides habeat, illóſque non ad lapicidarum voluntatem ferro domabiles, rupis aſperæ incultæque & formam & nomen habet, atque etiam meretur non uno hoc vitio: nam & urbi ſolem orientem quotidie negat non exiguo temporis ſpatio: quanquam adhuc magis urbi nocet mons S. Iacobi ab Occidente; ut qui altitudine ſuâ adeò maturè ſolem occidentem
Meridies abſcondit, ut meridies Tridenti horâ undecimâ, id eſt, unâ horâ ante meridiem, pulſu ſalutationis Angelicæ ſignificetur.

Hi duo montes ventum ab occidente omnem, ab oriente ut plurimùm negant: & quia à Septentrione menſibus æſtivis aura nulla ſpirat, hinc eſt, quòd uno ſolo meridionali ex Italiâ vento totâ æſtate vallis illa perfletur: ſed & calorem auget; quòd ſol toto manè rupem altiſſimam S. Iacobi accendat. idémque toto pomeridiano tempore præſtet rupi orientali, inde eſt, quòd noctes diebus calidiores ſint: dum accenſi duo montes diurno ſole, calorem ſuum alter alteri certatim objiciant, ſine ullo vel minimi Zephyri refrigerio. Æſtus.

Conſtat experientiâ quotidianâ ad alueum Atheſis fluvij habitantibus, nec ipſius aquæ navigabilis fluxum, demiſſo verſus aquam linteolo, tantum imprime-
re

re impetum, ut moveri poſſit. Has inter miſerias ſolatio eſt B. Virginis Imago, quam hodie RR. PP. Carmelitani in monte orientali colunt. Jamdudum eſt, quòd illic columna ſteterit hac picturâ nobilis. Civezanenſes, aliíque poſt difficilem montis aſcenſum hic quieſcere ſoliti, unâ alterâve ſalutatione Angelicâ Virginem honorârunt. Fuit etiam, qui maceriâ è fruſtis pulvere pyrio ruptarum rupium ſine calce columnam circumdaret; ut ſpeciem referret quaſi inchoati ab Architecto ſacelli.

Oratio.

Hinc pietas tranſeuntium major, & altiores precantium cogitationes; qui ſe jam in templo fundere orationes, vel voce, vel imaginatione credebant, ut hæc pietas augeretur neceſſarium erat, ut S. Imago ſuſtineret vulnera & contumelias, & ad has inferendas opus erat Hebræo (ſi ſuſpicioni credamus:) nam ſi inquiſitum diligentiùs eſſet, fortè luſor quiſpiam Chriſtianus repertus eſſet, maximè cùm vix unus & alter Hebræus, & quidem longè Tridento reperiatur. Hebræo, inquam, ut aiunt, opus erat, quem dæmon è Pergineſi terrâ vicinâ accivit, is filium matrémque in facie, inflicto vulnere, ſauciavit, pugione uſum fuiſſe credunt, qui vulnera curioſiùs intuentur. Porrò vulnerum omnino quatuor ſunt Virgini inflicta: ſupra frontem, in velo, quod collum tegit, ſub oculo ſiniſtro, & in mento. Omnia non tantùm ſceleſtâ, ſed & gravi manu inflicta. IESVLVM uno ſolo vulnere deformavit ſupra oculum ſiniſtrum: ſive quòd ſatiata hominis rabies plùs ſævire noluerit; ſive quòd ſuperveniente tam atroci facto viatores metum ei incuſſerint; ſive quòd panicus eum timor in fugam egerit.

Luſor.

Fuit pictor Germanus, *Chriſtophorus Ceſtarius*, qui totam Virginis Iconem novis coloribus renovavit, remanſerunt tamen vulnera tam in Virgine, quàm in Virginis filio: ſive ea pictor de induſtriâ reliquerit, ſive, quod aliqui putant, ſpretis coloribus iterum comparuerint: ut alibi non rarò factum legimus ſunt: qui affirment, ſecundâ quoque vice etiam ipſa vulnera coloribus tecta fuiſſe, & ſecundâ quoque vice iterum comparuiſſe vulnera cum vultu utriuſque: addunt quoque, vultum Virginis venuſtiorem comparuiſſe: & in horum teſtem adducunt filium pictoris, qui id ſanctè affirmabat.

Vulnera.

Hinc pro miraculosâ haberi cæpta eſt, & digna majore honore. Prima omnium, quæ beneficium accepit, fœmina fuit *Antonia* peregrina, è Cagnolano pago vicino oriunda. Hæc pecoribus paſcendis intenta, quotidie locum acceſſit, Virginémque pietate, quâ ſolent ſimplices, ſalutavit: ſéque exauditam in cælo ſenſit, quia & ipſa (huc uſque ſurda) homines loquentes audire cæpit. Infans ſine baptiſmo mortuus huc deportatus vagitu docuit, ſe vivere; & baptiſmo accepto vagire ſimul & vivere deſijt. Hæc, aliáque juſtis examinibus probata, & approbata fecerunt, ut eo in loco ſacellum ſtrueretur è ligno, & pro miracu-

Miracula.

 lo

Tegi ſe non ſinunt Imagines quæ miraculosè vultum mutant, ut videbimus ſæpius contigiſſe in ſequentibus hiſtorijs. Certè vultus ſancti Franciſci Xaverij antequam veniret peſtis quæ Neapolim tantum non depopulata eſt cū varijs modis frequentiſſimè etiam quampluribus inſpicientibus mutaretur, tegi etiam triplici velo non potuit quin tamen mutatio vultus clarè ſemper videretur, fugatâ per ipſum evidenti miraculo peſte in Patronum urbis maximâ pompâ electûs eſt.

CCCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
INVIOLATA.
Rivæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O mire pura tu gemma in aulâ ſanctâ Dei.*

1. *Lacrymæ fontem augent.*
2. *Templum pulcherrimum.*
3. *Columna in altari.*

Comitatum Tirolenſem claudit, defenditque munitio ob ſitum loci non facilè expugnabilis, ad ripam lacûs, neque oppidum alio nomine celebre eſt, quàm quòd *Ripa* dicatur. Hoc templum habet formâ, figurâ, pretio, picturis, auro ita venuſtum; ut cujuſcunque regis aulam ornare & decorare queat, ædificium hoc *Emin. Card. Madruzius* fecit, porrò originem accipe anno 1603. *Ioannes Bruſaferrus* terræ hujus incola, carrum duxit frumento gravem cui filiolus octennis, *Bartholomæus* nomine, inſidebat, centum vix paſſus, vel ſiquid ampliùs eſt progreſſus, in lapidem impegit rotarum altera, & carrum concuſſit; ſimul etiam puerum excuſſit; & quod caput eſt, antrorſum, jacentemque ſupergreſſa rota miſerando ſpectaculo obtrivit.

Currus. Ad pueri clamorem reſpexit pater, fruſtra equum ſiſtere conatus: filium mortuum priùs quàm læſum intuitus eſt. Hic quos unquam ſanctos miſeris auxiliares audierat, inter lacrymas & gemitus invocat, ſed omnibus ſanctis præſentior erat Deipara, cujus Imaginem vidit in columna vix duobus paſſibus à carro remotam: coram hac in genua prolapſus, preces unà cum lacrymis pro filio fundit, ſed ne longiores eſſent, ipſe puer impedivit, qui patrem allocutus, ſe ſalvum ſanúmque ſtitit. Examinatum ritè miraculum eſt, & columnæ major honor hâbitus à populis accurrentibus. Ex ipsâ Venetâ urbe fuerunt, qui locum inviſerent, nec Virgo, cui titulus *Inviolata*, parcam ſe monſtravit, levi munere allato emptæ ſunt magnæ à multis gratiæ: uſque dum partim ex collatâ pecuniâ partim ære proprio *Emin. Card. Madruzius* hoc templum ſtruxit, arte, & pretio ſuo quamvis regiam urbem vel aulam ornatura. Templum.

Placet omnibus, quicunque totam Italiam curiosè inſpexerunt. Porrò

Colum- na. Porrò Columna ſtans adhuc loco ſuo altare majus facit; ita ut inter marmorea ornamenta in medio altari conſiſtat. Hæc origo pietatis. Et ne fæmineum ſexum Mater Inviolata præteriret *Iacoba Bulla*, honeſta Ripæ fæmina, ex alto delapſa utrumque crus fregit. Voto facto ſanatam, pedéſque reſtitutos admirati ſunt chirurgi, hinc Titulus. incolæ matrem inviolatam novis laudibus celebravere, utrúmque miraculum Fundator templi præclaro penicillo in templo pingi juſſit. Templum denique, ut antè memoravi tantæ venuſtatis eſt, ut vel ipſa fabrica, & multiplex pretioſáque pictura faciat, ut hominem quantumvis curioſum, huc veniſſe non pæniteat. Cænobium incolunt RR. PP. S. Hieronymi.

CCCXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
A B A N G E L O.
Faventiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu ſanè gemma purior lacte anima Diva.*

1. *Angelus pictor.*
2. *Traditio perpetua.*
3. *Viſa Imago.*

Faventina civitas ex ſingulari Virginis favore theſaurum habet, Florentino parem; ſed multò antiquiorem. Imaginem Deiparæ, quam pingere cæpit pictorum peritiſſimus, quámque ultimam manum admovens (ſic Deiparâ volente) Angelus abſolvit ſi rei hujus teſtes litteras lector petat, Bellum. quia eas tot bellorum viciſſitudines abſtulêre nemo eſt Faventinorum, qui eas exhibere queat. Religioſi Ciſtercienſes S. Iconis cuſtodes hoc ſolùm inter Cænobij Diaria repeRiunt: Anno 1572. ſeptimo die Septembris, diſcoopertam fuiſſe inter confluentis populi pia ſuſpiria, non ſine evidentibus miraculis, quæ Regina Angelorum in ægros prodegit. Plura non perſcripſit R. P. Alexander Boſelli Provinc. Soc. IESU.

Quantum traditioni uniformi præſertim antiquæ credendum ſit, tractant & probant Controverſiſtæ qui loquuntur de traditionibus Eccleſiæ univerſalibus, quorum aſſertiones etiam ſua proportione intelligi debent de particularibus unius loci. Malè quoque cum Catholicis ageretur ſi exuſtis monumentis etiam aboleretur omnis memoria.

CCCXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
B A G O L I N A.
Pagolini in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Tu O ſacra Dei gemma inventa pura mali.*

Con-

1. Conſilium B. Virginis.
2. Fæmina templum ædificat.
3 Parentes repugnant vocationi.

BAgolinum pagus eſt Diæceſis Tridentinæ, pagus hic beatus eſt vel ideo, quòd in eo nata ſit Beata *Lucia* ſanctiſſima Monialis. Hæc à Deiparâ eſt monita, ut pro oratione, quâ jam à primâ infantiâ mirè delectabatur, locum quæreret ſolitarium: paulò pòſt futurū, ut inter ancillas ſuas numeretur: fecit illa, quod imperatum erat; ſed parentibus invitis: ut qui non ſolitariam, ſed ſocialem vellent. Ita devenit ad annum ætatis vigeſimum ſextum; erat is annus poſt Chriſtum milleſimus quingenteſimus decimus quintus, quo unà cum ſociâ, quam ſibi non ita pridem aſciverat, B. Virgini ſacellum inſtruxit, & ex piorum Eleemoſynis extra domum parentis vivere cœpit, locus ſacelli vocabatur platea *de Roncho*. RR.PP. Servitæ inſtantiſſimis precibus petentem anno 1518. ſuſceperunt, eique Ordinis habitum induerunt: quin imo miſſi patres, qui è ſacello illo templū conſtruerent, & ei Cænobiū Monialium adjungerent, qui is ipſe locus eſt, ubi Luciæ B. Virgo apparuit. Ita Lucia illo in loco, qui in hodiernum diem miraculoſus eſt, & ab accolis frequentatur, vixit uſq; ad annum 1520. quo ſanctè obijt 20. Septembris. Ita F. Angelus Gianius Cent.3. l.6. c.3. Annaliū. Religio

CCCXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
MONTIS VIRIDIS.
Grumi in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemma divina, pura lacta & orna IESVM.*

1. Theſaurus in trivio.
2. Titulum dat B. V.
3. Concurſus piorum.

AB urbe Bario in Apulia ad duodecimum milliarium eſt oppidum, quod *Grumo* vocatur. Hic pervetuſta & miraculoſa Deiparæ Imago colitur, olim *Lauretana* dicta; quia Lauretanæ non abſimilis. Hodie à *Monte viridi*, in quo eſt, nomen habet. His annis tanta percrebuit per totatm Apuliam hujus Sanctiſſimæ Imaginis fama, & adeò crebris beneficijs clientes ſuos proſequitur, ut undequaq; ad novas gratias impetrandas à cæli Regina, quotidie illuc confluant non vicini modò, ſed etiam longe diſſiti; nec his tantùm temporibus, ſed jam olim, quod ex perantiquis codicibus habetur. Diu, imò pluribus ſæculis extra oppidi mœnia in trivio jacuerat incognita. Hodie piorum liberalitate templum habet peramplum & venuſtum, & *Montis viridis* titulum: Imago. quem ſibi ferunt ipſam Virginem elegiſſe, & viro probo, cui ingenita virtus & ſincertas fidem fecit, per revelationem indicâſſe. Ita R P. Iulius Cæſar Fazzari Rector Soc. IESU.

CCCXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
AUXILIATRIX.
Paſſavij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemma, at viva, pura, alma, cor Dei nitens.*

1. Lumina ambulantia.
2. Viſio Canonici.
3. Sabbati honor.

HUjus celeberrimæ Imaginis originem ſic accipe. *Leopoldus* Auſtriacus Ferdinandi II. Imperatoris frater Imaginem habuit, de quâ ſuo loco plurima dicam. Hanc vidit *Illuſtriſſimus Dominus Marquardus de Schvvendi* Canonicus Paſſavienſis, vir non proſapiâ tantùm, ſed & virtute nobilis: magníſque precibus obtinuit, ut ejus picturæ copiam in ectypo haberet.

Obtentam hanc Imaginem perito penicillo depictam, & Originali ſuo perſimilem, dictus Canonicus in cubiculo ſuo quotidianâ prece longo tempore veneratus eſt. Fuit, cùm in horto ſuo obambulans, per nocturnam auram, videret montem vicinum & denſis arboribus ſilveſtrem, cingi luminibus, velut in ſupplicationem ordinatis, locúmque velut piâ ambulatione circumiri; miratus ille quidem eſt inſolitum ſpectaculum: ſed cùm nec, quid portenderent lumina, ſciret, nec ignoraret, etiam Stygium Alaſtorem in lucis Angelum ſe nonnunquam tranſmutare, ſpeciem hanc omnino neglexit. At verò ubi iterum oculis id viſum obiectum eſt, &, exacto terrore, gaudio delibutus eſt animus, frequentiùs ſub veſperum inſtituit hortum accedere, & ſe jucundo hoc ſpectaculo recreare.

Obſervatum ab eo eſt, diebus Sabbatinis & lumina fulgidiora apparere, & majore numero. Sabbati dies cogitationem ei ingeſſit, fortè Deiparam, quam impensè in ſuâ Imagine colebat, velle publicum cultum hoc in monte ab eo, qui hæc videret, nam quantum intellexi à peritis, nemo præter ipſum hæc lumina unquam intuitus eſt: quamquam fuerit, qui proderet, etiam ab alijs viſa. Itaque quia ſolus hæc videbat, Imaginem ſuam peti arguebat, præſertim cùm opulentus eſſet, & rebus non impar.

Hæc contigerunt Anno 1622. nec multis opus erat, cùm enim vidit, ſe ſuámque Imaginem atque etiam opes peti, obtentâ ab Epiſcopo veniâ, ſilvam primùm deiecit: viam per aſpera & inculta amænam aperuit, & templum Deiparæ pervenuſtum ædificavit, ſcalas denique lapideas ſub tecto ad montem fecit; ne à quotidianâ pietate cæli injuriæ incolas arcerent.

Huic

Huic templo intulit Imaginem ſuam, tantorum poſtea miraculorum operatricem. Placuit Virgini fabrica, ſenſêre namque miſeri, exire virtutem in omnes, quotquot voto ritè facto ſe ei commendârunt, quin ipſa Virgo, ut fama eſt, viſendam ſe Canonico præbuit, antequam ex ſacello ſubitaneo opere erecto templum faceret; templúmque popoſciſſe, quod ille voto facto promiſit, & præſtitit. Locus hodie ob miraculorum frequentiam in eam opulentiam excrevit, ut magnam argenti, auri, gemmarum vim peregrè adventantes cum admiratione intuentium hîc deponant, votorum rei, quæ hîc antè depoſuerant.

Thesaurum.

Habuit hactenus Germania Virginis theſauros præcipuè duos, Ætinganum in Bavariâ, & Eremitanum in Helvetiâ. Demum hæc ſacra ædes (exempto & ſervato theſauro) pene funditus unà cum urbe Paſſavienſi igne perijt, non memoro cladem, quam ignis intra paucas horas urbi intulit, quótque homines perierint. Duæ non ampliùs portæ ſunt urbis: per neutram patebat exitus, latus & navigabilis fluvius urbem alluit: nulli tunc utilis, tum quia ignis portam occupavit; tum quia pons initio ſtatim & ipſe igne correptus perijt. Cæterùm & ipſum Deiparæ templum, & templo vicina domus magnifica unà cum ſcala tecta per ipſum uſque montem iterum reſtituta ſunt, & pietas ſemper aliàs magna, nunc tamen aucta, magnam hujus narrationis partem, priorem certè totam, ad me perſcripſit *R. P. Godefridus Wagneregg Rector Paſſavienſis Soc. IESU*, cætera notiora ſunt publico, quam ut Auctorem requirant.

Incendium.

Incendium.

CCCXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. NIDERBURGENSIS. *Paſſavij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Divina gemma, miraculo & ſana & pura.*

1. *Statua natans.*
2. *Virtus crucis.*
3. *Incendium periculoſum.*

ITa eſt homo: proponit, & Deus diſponit, ne veteri huic proverbio fides pereat, accipe, quid Auguſta quid Paſſavium novi ferat. Cathedralis Eccleſiæ Paſſavienſis Canonicus *Bernardus Svvarz* Statuam Deiparæ ligneam cum puero IESU deſideravit, quo verò loco eam collocare voluerit, ad me perſcriptum non eſt. Phidiam autem, aut Praxitelem quia non habuit, Auguſtano cuipiam Statuario præ cæteris perito faciundam locavit anno à partu Virginis 1567. is, opere finito, conſcensâ rate cum Statuâ ſuâ Paſſavium properat.

Statua.

Ratiſponam ubi venit, relictâ in navi Statuâ, urbem ingreditur, ubi neſcio ex quo intelligit, operis locatorem Canonicum vitâ functum.

ctum. Itaque vel Ratiſponæ relicturus Statuam ſuam, vel eam revecturus Auguſtam, poſtridie ad flumen ſe confert, navímque in quâ Statuam reliquerat, ingreditur, utcunque magnâ diligentiâ navim luſtraret, Statuam, tamen non invenit, furto ablatam eſſe, creditum eſt. Illa tamen felici lapſu ſecundo Danubio defluxit per noctem, & illo ipſo manè ante Cænobium Virginum Paſſavij conſtitit.

Natatio.

Vicini nautæ, eam *Cunegundæ Puechbergiæ* Cænobij Niderburgenſis Præſidi indicârunt, hæc ſibi Superos faventes gratulata, inter pios cantus exceptam ſuo templo intulit. At verò Virginis Statua publicum ambiens, manè poſtero in altero adjuncto templo reperta eſt, reportata bis in ſuum locum, tertiùm ad illum redijt. Itaque hoc in loco debitus Statuæ cultus datus eſt. Hic enim verò novo portento deprehenſa eſt Statua in majorem molem excreviſſe, etenim piæ Virgines IESVLO interulam, ut ſolent, lineam cùm feciſſent, quæ ultra pedes deflueret; paulò pòſt viſi pedes ſunt brevitatem induſij arguere. Hâc itaque retentâ, alia longior facta eſt: ſed & inſtra hanc demum pedes puellus extendit.

Cultus.

Aiunt interulas, quæ puello pede nunc tegunt, plus mediâ ulnâ longiores illis eſſe, quæ primæ velaverunt Statuam S. Statuâ in ſumma veneratione apud Sanctimoniales eſt; quam ſi unquam certè anno 1633. merita eſt: etenim ignis vicinam cænobio domum corripuerat, jámque ipſi Cænobio imminebat: cùm juſſæ Virgines ſunt, coronam auream de Virginis capite tollere, & eâ facto crucis ſigno terrere furentes flammas, profuit felicis ingenij inventum, nam & flamma cedere ſacro loco viſa, & damni, quod protendebat, omne periculum ceſſavit. Ita ad me R. P. Godefridus VVagneregg Rector Col. Paſſav. Soc. IESU.

Incendium.

CCCXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN CATHEDRALI
Mediolani in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu Gemma porta divina, ſine rea macula.*
1. *Moles Mediolanenſis.*
2. *Concilium Conſtantienſe.*
3. *Carolus Borromæus.*

Miraculoſam olim fuiſſe hanc antiquiſſimam Deiparæ Imaginem majores tradiderunt fide non dubiâ: quando *Ioannes Galeatius* Dux Mediolanenſis templum ei ædificavit toto orbe celeberrimum, & ut nonnulli referunt, Ampliſſimum anno 1388. quod *Martinus V.* ſummus Pontifex redux è Concilio Conſtantienſi anno 1400. 17. Calend. Novemb. dedicavit. Et ſanctitatem & majeſtatem hujus celeberrimi tem-

templi auctam vidimus hoc ſæculo: quando & *Carolus Borromæus* ſanctiſſimus Cardina'is & Archiepiſcopus virtutibus ſuis totam Diœceſin, & templum hoc ſanctiſſimis ſuis reliquijs decoravit. Et civitas ingenti ſumptu fabricam totam ad primi Architecti ideam ex voto proſequitur, nullo non extero ampliſſimam majeſtatem deprædicante. Iconem hujus ſacræ & miraculoſæ Imaginis typis impreſſam accepi, quia tamen nullum ad me miracu'um perſcriptum eſt, non habeo quod adjungam.

Pietas.

CCCXXI.

Imago B. V. Miraculoſa. FERNIZENSIS.

Fernicij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
An gr. *Ita una gemma cara nimis & valde pura.*

1. *Statua fugitiva.*
2. *Iucunda peregrinatio.*
3. *Auſtriaca pietas.*

FUit hæc Deiparæ Statua ante quingentos annos in templo parochia'i *Fernizenſium*, nunc quadrante milliaris à templo parochiali colitur templo proprio inſignis, cujus extruendi neceſſitatem ipſa Virgo accolis impoſuit, ter è templo in vepretum fugitiva, terque reportata, vepretum juxtà viam regiam cùm eſſet, argumentum dedit pietatis futuræ, quàm Virgo à tranſeuntibus habitura eſſet, primum ſacellum ſtruxerunt Virgini quidam è nobili familia dominorum *de Prang*, in quo ultra fabricæ magnitudinem pietas Græcenſium excrevit; ut denique Sereniſſimos Auſtriæ Archiduces permoverit, ut, quod nunc videtur, templum Deiparæ ædificaverint.

Singu'aria, quæ hodieque à Deiparâ habentur, beneficia, locum ita celebrant; ut vix templum ingredi poſſis, quin ex urbe Græcenſi civem, velut B. Virginis hoſpitem, videas. Ita duarum horarum non injucunda ambu'atio peregrinationis, meritò fit Græcenſibus jucundior. Hæc ad me R. P. Hieronymus Germersheim Soc. IESU.

Concurſus.

CCCXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SCALIS.

Verona in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *1, unicè pura ò tutelaris amanda Gemma.*

1. *Canis grandis miraculo ſanatus.*
2. *Doctor nudipes.*
3. *Congregatio.*

CUm Veronæ *Cani grandi* ſubiaceret, res accidit, memoratu digna. *Petrus de Tuderto* ord. Servitarum Generalis Veronam tendebat, jámque *F. Franciſcum Senenſem* cum mandatis præmiſerat. Itineris cauſa fuit ſedes ſuorum, quam Veronæ deſiderabat. Adfuit Virgo Deipara bene cæptis. Princep. Canis grandis, Veronæ tum princeps, in morbum incidit, ſuo & Servitarum bono tam pertinacem, ut nullo Pharmaco, nullo conſilio mitigari, ne dum abigi poſſet. Fratre Franciſco ſuadente, ædem Deiparæ vovit ex illis ædibus, quas olim privatus inhabitaverat. Anno 1329. tertio Novembris eò deducta fabrica eſt, ut Deiparæ Imago primùm in muro pingeretur. Hactenus mor bus duravit, non ultrà: etenim vix pictura finita eſt, finem quoque morbus repentè fecit, nemine non miraculum prædicante, Imago. & miraculi cauſam in S. Imaginem Deiparæ referente.

Hinc Veronenſium accurſu celebrata hæc S. pictura eſt uſque ad annum 1362. quo præ cæteris inuſitatius miraculum contigit, támque grande; ut etiam finitimæ urbes turmatim huc ſupplicatum venirent, inter quos Doctor quidam Mediolanenſis magnâ ſtipatus hominum catervâ Mediolano advenit inter imbres ac frigora Ianuarij menſis nudipes, acturus Virgini gratias Nudipes. pro vitæ periculo, quod evaſerat.

Cæterùm quod fuerit hoc periculum, quod Doctorem adegit tantâ viâ talíque nudipedem incedere, aut quod fuerit illud miraculum, quod finitimas urbes tanto numero accivit, dum quiſque putavit quemvis ſcribere, nemo ſcripſit: aut certè nemo ſcriptum reliquit. Uti fit, ex quo Græci deſierunt eſſe ſcriptores, ampliorem habituri materiam ſi ad noſtra tempora perveniſſent. Titulum habet *de Scalis:* quia *Scaligerorum* Veronenſium ære Statua erecta eſt Congregatio inſtituta ſedecim millia hominum numeravit, cùm hæc ad me perſcriberet R. P. Alexander Boſelli Provincialis Soc. IESU.

CCCXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. BERNRIEDENSIS.

Bernriedæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, mira viva Gemma, procul à dente Sathan.*

1. *Diſplicentia cæcitate punita.*
2. *Pietas in pœnitentiâ.*
3. *Peſtis.*

BErnriedenſi in Cœnobio, quod eſt in Superiore Bavariâ, contigua matrique Deiparæ ſacra eſt ædes, quæ jam inde ab anno Chriſti 1382. conſtructa, multíſque miraculis clara, Statuam Deiparæ habet doloroſam, Chriſtum de-

depoſitum de cruce genibus geſtantem, novum non eſt ijs in loeis, graſſante contagioſa lue medicinam hic quærere; tanto affluentis populi concurſu; ut opus fuerit aliam adhuc portam aperire: Templum in nuperâ peſte ne noctu quidem vacuũ fuit: ſemper illic viſi, qui ſibi ſuisq; ſanitatem impenſiſſimis precibus poſtularent, atq; etiam obtinerent.

Peſtis.

Origo autem totius pietatis hæc eſt. Fæminæ cuipiam inter orandum diſplicuit S. Deiparæ Statua, tum quòd antiqua nimis, tum quòd ſqualore aliquo obſoleta eſſet, optabat illa, ad Virginis honorem, opus artificio & novitate illuſtrius in hujus locum, quæ nec honoribus, nec templo digna eſſet. Diſplicuit Deiparæ non minùs fæminæ cogitatio, quàm ſtatua fęminæ; nec abijt ſine vindictâ hæc nulli nota cogitatio. Dum enim adhuc nauſeantis animi motibus intenta, aram more gentis circumit: ecce tibi ſubitâ caligine obductis repentè oculis, fædúmque in tumorem aſſurgentibus, fæmina momento excæcatur, ac non jam de Icone, ſed de ſe è templo emovenda, viarum ignara cogitationem ſuſcipit. Attoniti tamen novitate rei circumſtantes accurrunt, manúque prehenſam, & mali atrocitate percùlſam, dolentes domum deducunt.

Cæcitas.

Nec difficile fuit deducentibus mali cauſam reſcire, ipsâ calamitatem ſuam deplorante, & altiſſimis clamoribus prodente originem cæcitatis, quid de S. hac Statuâ cogitaverit. Ad monita eſt proinde, ut conſcientiam elueret, petitáque culpæ veniâ, votum faceret Virgini: propitiam eſſe Virginem, & tam acerbam in conſultæ temeritatis pænam facile remiſſuram.

Votum.

Vix fæmina conſilio amicorum paruit, reſedit oculorum tumor, apertæ ſunt palpebræ, vix credentibus, qui ad hominum clamores accurrerant, viſuri repentinam cæcitatem. Hæc nempe Deiparæ in pænitentes pietas eſt. Crevit exinde veneratio, & inſigne augmentum honoris accepit S. Statua, unde etiam Deiparæ miraculoſi favores, quos teſtantur anathemata magno numero muris appenſa, addo unum recentius, quod præterire ſine piaculo non queo.

Adduxerunt VVeilhemio, vicinâ urbe, parentes filiolam, contortis inter ſeſe membrorum compagibus miſerè curvatam, voto peracto, miſellam jumento imponunt revehendam, nullo ſanitatis indicio, quin quòd puella, poſtquam vix trecentos paſſus proceſſerant, ex equo decidit.

Accurrunt parentes, & ne quid ab equi calcibus ampliùs pateretur elevant, ſatis aliàs & fortè non ſine perpetuo luctu concuſſam rupto fortaſſis oſſe quopiam, aut alio malo affectam, ſed ecce! integram, ſanam, & ſalvam vident ſponte aſſurgere in pedes, malíque omnis immunem; recurſum ad templum eſt: actæ ſunt novæ Virgini gratiæ: demum cum filiâ parentes inter lacrymas, quas lætitia inſolita excuſſit, remigrârunt. Sacellum amplius fecit & ornatius

Equus.

tius Reverendiſſimus Dominus Regul. S. Auguſt. qui hæc ad me Præpoſitus Cænobio Canonicus perſcripſit.

CCCXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. GIBELLINA.

Gibelli in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Gemma divina ac Mater notis pura Vale.*

1. Filius defendit Matrem.

2. Luſor facit, quod luſores ſolent.

3. Concurſus.

Gibello pagus eſt, cui proxima ſilva nomen aliàs glorioſum à Gibellinis facit auguſtius. Illuc enim ad Imaginem Marianam magno numero confluunt accolæ veneratione, ut apud agricolas, maximâ: quam matri conciliavit filiolus inſidens brachio, is enim, cùm ab impio luſore matris Icon pugione ſæpius peteretur, è brachio deſiliens, in pedes ſe erexit, & ictus avertere, Matrémque tueri viſus eſt.

Hæc quantumvis pluribus Auctoribus teſtata non ſint, fidâ tamen traditione ad hæc tempora pervenêre, & eorum meminit Auctor *annalium Servit*, toties citatus. Habent hunc theſaurum RR. PP. Servitæ. Perrarum hoc eſt & plane exoticum miraculum, mirum tamen ei non videbitur, cui notæ ſunt luſorum blasphemiæ, quæ vindictam ciere è cælo poſſunt, qualem alia quæcunque demum flagitia nequeunt, ſed nec vulgari miraculo luſorum ullũ, ſi quidem blaſphemus fuit, converſum facilè invenio. Quod Statuæ Virginis & IESVLI geſtum mutaverint, ſæpius hoc in opere lector inveniet deſinetque novum eſſe, quod fortè illi hic incredibile videtur. Ita ad me R. P. Maria Riccius Rector Collegij Cremonenſis S. I.

CCCXXV.

Imago B. V. Miraculoſa. CURVANUCENSIS.

Curanucæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *En! gemma divinitus creata pura à malo.*

1. Securis infelix.

2. Bis ictus ſapit.

3. Quercus bis ſacra.

Iuxta pagum Auſtriæ, cui *Curvanucæ* nomen, anhoſa ſtat quercus, cui non ſcio quis Cruxifixi Imaginem induſtriè & decorè inſeruit. Conſtat ab avorum memoriâ, die poſt feſtum Paſchatis alterâ eâ in ſupplicatione, quâ venerabile Sacramentum ſub umbellâ circum omnes pagi campos portatur, more Germanico, & antiquo, ad hanc quoque quercum ex-

extructo altari, ob S. Crucis venerationem cantari unũ ex Evangeliis moris fuiſſe; nec minùs privatæ pietatis exercuêre hâc tranſeuntes.

Hodie locus clarus miraculis eſt, & primum fuit, quòd cùm paſtor pagi, defectu lignorum, Quercus. quercum uſque ad duos ramuſculos aridam excidere vellet, primo ictu ſecuris corticem raſit, non ita pedem; cui impacta tres venas cum nervo incidit, ſenſu tanti vulneris, ut fit initio, quia nullus, ad ſecundum, devenit ictum: ſed nec iſte felicior altero, ne ſemel tantùm vindicaſſe temeritatem videretur ſecuris, iterum raſo cortice: Pedem alterum vulneravit. Bis itaque paſtor hic ictus ſapuit, utique poſtquam etiam prioris vulneris dolores ſentire incæpit. Quapropter ſublatis in cælum oculis, Deiparæ Imaginem Doloroſam ſub cruce in arbore conſpicit, & ſupplex inter gemitus & lacrymas veniam petit inconſultæ temeritatis.

Sanguis. Exaudita oratio ſanguinem mox ſtitit, in pede utroque: quin & utrumque vulnus viſum quidem eſt à chirurgis, non tamen ipſarum arte, ſed divino miraculo, intra paucos dies penè ſine omni cicatrice coaluit, & perfectiſſimè curatum eſt. Hinc tantus ad hanc Doloroſæ tabellæ Imaginem concurſus eſt, juvat ſcire quomodo hæc lignea tabellæ Doloroſæ matris ſub cruce ſedentis cum filio in genibus, quercui ſit inſerta.

Fuit anno 1642. civis, cui Triſtitia. Alexandro nomen, quem tanta oppreſſit triſtitia; ut mortem in votis haberet ſemper, ſæpe ſibi inferre tantùm non tentaret. Huic pictor quidam tabulam veterem Virginis Doloroſæ ſuis coloribus renovatam vendidit. Alexander piè tabulam veneratus, loco Crucifixi jam omnino ob cæli injurias inutilis, operâ ſcriniarij decorè arbori inſeri curavit, & quamprimum convaluit. Pluries hic, & à fide dignis viſi ſunt ſplendores nocturni, quin & ſupplicationes ſuis ordinibus decoræ. Hinc populorum accurſus & fiducia, & Dei- Concurſus. paræ largiſſima miracula: quorum plurima ritè approbata typis edita ſunt, quia tamen ordinaria ſunt, magna licèt, omitto. Sacellum ligneum hactenus, paulò pòſt in templum excreſcet. Ex Relatione impreſſa.

CCCXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
SARONENSIS.
Saronæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En! vita alma vita cordis engemma.*

1. B. V. prævenit animas noſtras.
2. Claudus peregrinus.
3. B. V. dat quod jubet.

SAronum ante trecentos annos ſedes Ducum Mediolanenſium nobilis, hodie pietate Marianâ no-

nobilitatur, quam miracula numeroſa & magna creant. Mille extra Saronum paſſibus ab antiquo ſacellum ſtetit è coctolatere Deiparæ dedicatum. Fuit, cùm homo miſer omnibus membris captus, lectóque affixus, Deiparam in auxilium vocaret. Adfuit vocata, &, *vade* inquit, *ad hoc ſacellum, & curaberis*. Sanatio. Ille viſa narrat patri: Pater filium erigit, domo educit, & ad ſacellum Deiparæ miſerè inter dolores claudicantem comitatur, & tantùm non humeris portat: ſacellum ingreſſus, quibus verbis alloqui Virginem velit, impensè cogitat, ſed Virgo oratorem prævenit promiſſorum memor. Illicò enim conſpectoaltari in pedes erigitur, dolorum tantùm non immemor, denique ſanus & ſalvus.

Tam inopinati miraculi ſama populum miſeróſque accerſivit, replevitque ſacellum tabulis beneficiorum teſtibus, hæc ſub annum 1460. contigêre inde, de templo cogitatum eſt, quod etiam piorum operâ anno 1498. ſtetit. Ipſam Deiparæ miraculoſam Imaginem *S. Carolus Borromæus* anno 1581. tranſtulit in altare majus. S. Car. Borom. Hinc templum adhuc in Auguſtiorem formam exurrexit, & hodie inter pulchra Italiæ templa numeratur. Beneficia miraculoſa Deiparæ in hodiernum diem non parcè largitur: creſcítque in dies pietas, augentúrque donaria: ſed nullum eorum Notarius memorat, qui publicâ fide iſta ad me perſcripſit, per R. P. Ioannem Calaveronum Provincialem Soc. IESU.

CCCXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
AMERVNGANA.
Amerungæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pia claruit aurea gemma. & Roſa munda.*

1. *Hæc mors luſores docet.*
2. *Blaſphemus inſanit.*
3. Τρία κάππα κάκιστα.

AMerunga in Diæceſi Colonienſi eſt, ex quâ iterum, militis audax robur adduco, qui inter ludos & blaſphemias facinus patravit & blaſphemo & luſore dignum, præſertim hæretico. Statua eſt Deiparæ IESVM de cruce depoſitum genibus ſuſtinens. Proſtabat hæc à patrum memoriâ in domunculâ lapideâ. Hanc perditus & deſperatus luſor, hæreticus & miles, poſt infortunatos teſſerarum jactus ſclopo trajecit, ex quo vulnere ſanguis profluxit, Luſor. miles quamprimum in rabiem actus, in illâ inſaniâ paulò pòſt animam infelicem evomuit. S. Statua in templum S. Cyriaci, quod Canoniſſæ Virgines habent, illata, & peculiari novóque altari honorata, fuit hodiéque in ſummâ veneratione eſt, poſt-

poſtquàm omnia juſto examini à præſuleColonienſi approbata ſunt. E miraculis, quæ conſecuta ſunt translationem, nullum ad me perſcripſit, qui hæc ad me dedit, R.P.Ioannes Sanderus S.I.

CCCVXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD TRES FONTES.
Romæ in Italia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Salve ò cara gemma tu enim nitida pura.*

1. Tres fontes S. Pauli.
2. Templum Romæ ſecundum.
3. S. Petrus.

NOnjam commemoro tres fontes, quos ipſa natura miratur, neque eorum ſcaturigines, aut originem inquiro. At Divi Pauli temporibus ſemper à fidelibus viſitati, & in remedium multorum malorum ſaluberrimè potati, adhuc præſtant aquæ, lactis, & ſanguinis ſaporem ijs, qui delicatioris ſunt guſtûs, præ cæteris gratæ. Exilijſſe hos fontes tota antiquitas credidit, cùm ſacrum caput à cervice reſectum eſt, & trino ſaltu tres hos fontes elicuit. Non procul hinc ſacellum D. Virgini erexêre primi urbis Chriſtiani, ſecundum fuiſſe totius Urbis Romanæ exiſtimabant illi, qui titulum poſuere. Divæ Virginis favoribus celebre fuiſſe, nemini tot ſæculis dubium fuit, cur hodie in tantâ ampliùs veneratione non ſit, non auſim dicere. *Vollateranus l.2.c.19,* aſſerit, ab ipſo Apoſtolorum Principe erectum fuiſſe, qui Auctor utique ſine juſtis fundamentis hæc non ſcripſit, quæ tamen loco citato apud ipſum non memini me legiſſe. S. Paulus.

CCCXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DOLOROSA.
Rechcoglij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominu tecum.
Anagr. *Tu anima pura cara Dei gemma ſine luto.*

1. Hinnulus cervorum indicat templum.
2. Ruſtici peritis peritiores.
3. Labor Angelorum.

TEmplum eſt in alti montis vertice juxta vallem *Martiam*, magnæ Matri dicatum. Liber, in quo erat deſcripta origo templi perijt tempore *R. D. Ioannis Fuxij*, qui multis annis ad S. Laurentium, cujus Filialis hæc eſt, Parochus fuit. Cæterum *D. MarcusStainer* templi Syndicus ad S. Laurentium, vir duos ſupra nonaginta annos natus, juramento interpoſito narrat, ſe in eo libro petantiquo legiſſe, tres quondam ruſticos quorum etiamnum nomina tenet, Ruſtici.

(*Schvvamberger, Drumer, Grueber*) in planitiem hanc conveniſſe exoraturos à Deo, ut quiſpiam hic locı ædem ſacram ſtrueret, ſive ſuo commodo, ne ad Parochiam deſcendere cogerentur; ſive ob loci amænitatem. Huc die quodam Dominico, *Grueber* ruſticus oraturus more ſuo cùm veniret, conſpicatur in terrâ Statuam *Deiparæ veſpertinæ*, ut vocant, ligneam & juxta quieſcentem hinnulum ceruinum qui viſo viro diffugit.

Redùx finitâ oratione Colonus, narrat ſocijs quæ viderat: qui & ipſi confeſtim cùm accurrerent, & Statuam, & juxtâ pabulantem hinnulum cervinum viderunt, ruſtici peritis peritiores, non ad caſus fortuitos hæc retulerunt, ſed divinæ voluntatis indicium augurati, Parocho rem annunciant, & famâ pagum implent, facultatem poſtulantes, erigendi ſaceli. Parochus rem omnem probat, niſi quòd montis verticem ut in acceſſum, ſperneret. Itaque S. Statuam in Pagum *Graſnicenſem* vicinum, decorè ſequentibus ſupplicantium ordine Colonis, deportat. Caſus.

Quòd S. Statua alterâ die ad montis verticem redierit, inter mira hujus loci non pono, quia vix ampliùs mirum, Statuas Deiparæ ab Angelis per aëra vehi, ex quo ipſa domus Lauretana (Nazarethana) molliter ab ijs per tria maria deportata eſt.

Illud inter mira hîc memoro: quia inſolitum, quòd novies ex hoc monte in templum deportata novies redierit, quódque ſemper S. Statua propter accubantem hinnulum cervinum ſine labore reperta ſit.

Parochus tandem poſt pertinaces magis, quàm prudentes probationes, divinam agnoſcens voluntatem, crucem conſueto more in loco defixit, ſed inventum in loco ſchediaſma ignotâ manu cōſcriptum loquebatur, Virginem hîc loci ſacellum velle: quod ruſtici ſuis ſumptibus poſt obtentam veniam, ſtrenuè & brevi tempore ædificârunt; quodque hodie ſtat, viſitúrq; magno accolarum concurſu, numerus annorum in pariete legitur 1497. atque hoc anno creditur ſacellum extructum, renovatum anno 1618. Hæc ad me R. P. Adamus Aboëd Rector Leobienſis Societ. IESU. Parochus.

CCCXXX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MARI. *Tarenti in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu ò gemma amata clarè pura in ſinu Dei.*
1. *Servus infidelis.*
2. *Oratio Turcæ.*
3. *Iuſtitia vindex.*

Thaumaturgæ hujus S. Statuæ originem cùm ignorem, ejus loco lectori æditüum propono Virgini acceptiſſimum, & uſque ad aras devotum. Fuit is Eremita, ſacelli

celli hujus antiqui cuſtos fideliſſimus, quod jam *à Mari* nomen habebat: fortè quia non multùm à littore ad navigantium ſalutem ædificatum olim eſt. Inopiam hominis mendici miſeratus opulentior qui-piam Tarentinorum, miſit quotidie de menſâ cibum, ferebátque hunc ſervus nondum Chriſtianis ſacris imbutus; is viæ laboriſque pertæſus, remedium ſibi armis quæſivit, & laboris ſui cauſam Eremitam interfecit, ſed abire loco ſceleratus homicida nequivit, & ſe vindictæ ſubducere. *Immobilitas.*

Accurritur, ſpectatur cadaver occiſi, & flagitij patrator, ipſo cadavere immobilior. Novum factum ipſum loci dominum traxit ad ſpectaculum, ſervus dolore ſceleris in lacrymas ſolutus, baptiſmi non vitæ gratiam petijt. Baptiſmus itaque ſufficienter jam ante inſtructo modica pompâ collatus, hominem ad æternam ſalutem feliciſſimè diſpoſuit, ne autem ad ſimilia ſcelera ſupereſſet, redirétque, eodem loco quamprimum è furcâ ſuſpenſus, Virgini titulum mutavit; quæ paſſim hodie vocatur *S. Maria Iuſtitiæ* Ita ad me perſcripſit R. P. Rector Tarentini Collegij Societatis IESU.

CCCXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE REFUGIO. *Auguſtæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Nitida gemma, pura à nævo lucis Mater.*

1. Donum Reginæ.

2. Studioſi litterarum.

3. Studioſi B.V.

IMagine LXIV. dixi de Imagine Valencenenſi in Belgio, quæ miraculoſiſſima eſt, & à diſcipulis Soc. IESU. ibidem poſita, nunc à RR. PP. Carmelitis in adjuncto Cænobio curatur. Ex ea quercu hæc, de quâ loquor, exciſa eſt, eam *Sereniſſima Regina Galliæ Maria Medicea Ludovici XIII. Mater,* cùm Coloniæ verſaretur, dono dedit Conventui Auguſtano, quem RR. PP. Carmelitæ habent: *Regina.* ij ut tituli non confunderentur, noluêre hanc eodem titulo inſignire, quem olim diſcipuli Soc. IESU Valencenenſi Statuæ dederunt *de bona ſpe*; ſed titulum dedere *de refugio* quemadmodum in ſcriptio Imagini appreſſâ habet. Habent eam in honore, quàm poſſunt, maximo, ſpes magna eſt futurarũ gratiarum: creditur enim virtutem patrandi mira ſecum attuliſſe: cùm ſit è miraculoſâ quercu, & in origine ſua jam miraculoſa.

***

CCCXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CASTELLO NOVO.
Recanati in Jtalia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mater ſed inviolata, unica gemma, pura.*

1. Incurioſa poſteritatis antiquitas.
2. Apparitio.
3. Anathemata

NOn poteſt abſcondi civitas ſupra montem poſita. Recanatenſis urbs eſt, omnium prima, fecit quæ Nazarethanam domum peculiari & ſumptuoſo cultu, in primo ſtatim adventu, honoravit. In hac urbe templum eſt Deiparæ, in quo antiquiſſima colitur Imago ſupra murum picta.

Primum hujus Imaginis cultum referunt ad apparitionẽ quã nec ipſi cives uniformi narratione tradunt: ſæcula námque fuère factis magis quàm ſcriptoribus illuſtria. Cæterùm votivarum tabellarum ingens numerus ſatis loquitur beneficentiam Virginis, quam Recanatenſes numeroſiſſimâ ſupplicatione in pervigilio Aſſumptionis ad faces celebrant: ut meritò è ſententiâ Recanatenſium eam inter miraculoſas ponam. Hæc ad me R. P. Nicolaus de Neri Rector Recanat. Proceſſio.

De Recanatenſium pietate dixi & dicam ſæpius præſertim in Imagine Lauretana quæ omnium prima eſt proximi ſunt & ideo primi Sanctæ domus benefactores, quin etiam ſi omnia ſpectentur præcipui, magnáſque gratias etiamnum à Deiparâ Lauretanâ accipiunt, docentque neminem à Deiparâ relinqui irremuneratum.

CCCXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
EHINGENSIS.
Ebingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Luminoſa ac nitida, vera & pura gemma*

1. Fimbria veſtis ſalutifera.
2. Miracula Mariæ Chriſti æmula.
3. Pietas Auſtriaca.

ANno 1454. ſub Friderico ſecundo Imperatore hoc templum habuit ſuum Principium. Deiparæ Virginis Statua eſt lapidea, ſeptem omnino pedes alta, opere venuſto, Ieſulúmque brachio ſuſtinet. Fimbriam veſtis peregrini ſolent tangere, & exire ſentiunt virtutem: quia credunt, etiam experiuntur, quæ morbos pellat, & alia mala vel difficulter vel omnino non curabilia. Templum ſcriptis pictíſque tabulis plenum eſt, miracula narrantibus: quod autem ex omnibus primum fuerit, majorum incuriâ invidit poſteritati. Concurſus hodiéque ma- Negligentia.

magnus, quem piè conſervant & augent RR. PP. Franciſcani.

Videtur filius eandem gratiam veſtibus Matris ſuæ dediſſe, quam dedit ſuæ in illa decantatiſſimâ Statuâ, Edeſſanâ in urbe, quam ob fluxum ſanguinis curatam poſuit pia matrona cujus limbum ubi creſcentes è terrâ herbæ attigêre, vim accepêre curandi morbos. Similem gratiam videtur accepiſſe hæc Mariæ veſtis lapidea.

CCCXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CARCERE.
Prati in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ito ſcala Divina gemma æternum pura.*

1. Felix carcer.

2. Peccant in loco pœnæ.

3. Mutatio vultus.

PRatenſis civitas decem millibus paſſuum Florentiâ diſtat. Hîc B. Virginis templum eſt præ cæteris miraculoſum, originem trado ex archiuo templi acceptam & ad me miſſam. Imago itaque hæc picta in muro carceris publici, ſupra cancellatam captivorum feneſtram jam olim fuit. IESVLVS dexterâ manu florem, ſiniſtrâ aviculam tenet: hanc Mater ſedens ſuſtinet, quam duo ſancti pone adſtantes honorant, S. Leonardus captivorum Patronus & S. Stephanus urbis.

Carcer. Anno 1484. jam deſertis carceribus Imago tamen ſtetit, carceriſque antiqui rudera ſerviebant laſciviæ populari. Die ſextâ Iulij menſis, *Iacobus* quidam puer octennis locum præteriens cicadam vidit, quam infantili curioſitate ſecutus ſaltantem, ſaltans ipſe ad locum devenit: ubi vidit è muro deſcendentem cum filio Deiparam, filiúmque deponere in terrâ, depoſitúmque flexis genibus adorare, nec minùs videbatur vivere IESVLVS, qui in ſubterranea carceris, deſcendens, locùm videbatur purgare à ſordibus, iterúmque à Matre inter brachia receptus, ad murum reportatus, jam non ampliùs vivus, ſed ut antè pictus Iacobo apparuit.

Apparitio. Iacobus puer domum redux Matri narrat, quæ viderat. Illa dato prandio, neglectis filij narrationibus, pane inſtructum ad ſcholam mittit, mutat puer viam, & ſcholâ tantiſper relictâ, reviſit locum tanti portenti, ſibi omni ſcholâ chariorem. Et ecce alia jam rerum ſpecies, vidit enim cæleſtes ſplendore non tantùm pictam Deiparæ Imaginem cingere, ſed etiam carceris ſubterranea illuſtrare, properat domum, & matri iterum viſa refert: Mater tamen Iacobum remittit ad ſcholam, is ut vellet matri morem gerere, & ire, quò juſſerat, felici tamen errore iterum in viam devenit, quæ ad carceres ducebat, ſéque in eodem ut antè loco reperit: & S. Iconem iterum intuitus, ſui non ampliùs compos, & immotus ſpeculabatur Schola.

tur, accidit, ut præteriens quiſpiam, videnſque immotum puerulum, omnia alia cogitaret, quàm quod erat, nam Iacobulum loco movere, & velutà rectâ viâ devium reducere domum conatus eſt, ægrum eſſe ſuſpicatus, ſed nulla vi movere loco parvulum potuit.

Supervenit poſt viri abitum puer tredecennis *Nicolaus Guidettus* Florentinus, Iacobo notiſſimus, & cum primis amicus, is conſpecto amici extatico ſitu, & ipſe admirabundus, *quid agis*, inquit, *Iacobe?* cui ille, *non vides* reponit, *quid faciat Deipara, & quomodo lumina illa in ſpecu ſubterraneo fulgeant?* Nicolaus cùm nihil horum videret, è proximâ domo candelas attulit accenſas, & per calcem & arenas in inferiorem deſcendit carcerem, ubi Deiparam vidit manibus ſuis eruere terram: in loco verò ubi per apertas carceris feneſtras monſtravit Iacobus lumina, vidit viros amictu candido cum cereis ardentibus. Lumina.

Hactenus imperterritus Nicolaus, repentè horrore concuti & timere cæpit. Itaque quàm timidiſſimè domum properat, ubi morbo corripitur, qui eum lecto affixit & tantùm non è vivis expunxit. Auctus in dies morbus etiam parentes afflixit, uno Nicolao ſpem ſuam ac fiduciam jactante. Et verò ſpem fecerunt ij ipſi, quos ante ſe viderat amictu candido cum cereis: *Hic ſunt*, inquiebat, *quos in carcere videram: veniunt, ut me ſecum ad cælum ducant.* Inter hæc ſæpius repetita & ultima verba, Nicolaus ſanctè vitam finivit, decimum quartum ætatis ſuæ annum agens victurus in cælo.

Nunc redeo ad Iacobum oſtentum, non ille cum Nicolao abierat, ſed fixus hæſit cæleſti viſo intentus in ſeram uſque veſperam: quo tempore Epiſcopi Vicarius Superveniens, Iacobum manu prehenſum rogavit, quid hoc tempore hic ageret, & quidem ſolus, ille auditorem nactus, non capacem modò divinorum, cum poteſtate Iudicem, omnia innocentiſſimâ ſinceritate denarravit, vulgata octennis pueriſi viſio fraudibus non obnoxia, populum accivit, tum enim verò viſa multis ſunt, quæ pueri ſermones non parùm confirmârunt, viſa enim Imago Virginis eſt mutare vultum, quin & flere, claudere quandoque, & iterum aperire oculos. Appariti. Vultus.

Tum nemo non altiſſimis & frequentiſſimis clamoribus miſericordiam inclamabat: ſimul ære campano accita ad miraculum civitas, inter preces ad vota ſe convertit, & quod mireris, illo ipſo ſtatim die gratias, & quidem miraculoſas, magno numero à Deiparâ accepit. Centum & octoginta approbata miracula liber habet, ex quo hæc excerpta ſunt. Inter hæc eſt *Fratris Deanoris de Viterbo* mortui ad vitam reditus, qui anno 1484. ſeptimo die Septembris contigit. Hunc pridie mortuum, jámque ſolitis cerimonijs ordinis ſui, S. Dominici terræ mandandum Beatiſſimæ Virgini quiſpiam inter ferias lacrymas commendavit, obtinuítque præter ſpem ſuam vivum, etenim in mediâ pſallentium turbâ evigilantis Mortuus.

tis

tis inſtar ſe in tumbâ erexit, ſanúſque repentè ác ſalvus ſandapilam, quam nunquam propiùs ſpectavit, cum omnium admiratione deſeruit. Et ut Pratenſibus quoque B. Virginis favor cum auctoritate innoteſceret, ipſe ſequenti anno, feſto nativitatis ejuſdem locum inviſit, omnémque tranſacti miraculi ſeriem ipſe pro concione Pratenſibus expoſuit: néve poſteris majorum fides maneret ſuſpecta, Syngraphâ teſtatum id omne, quod prædicaverat, reliquit.

Alterum, quod inter rariſſima, numero, eſt continua mutatio vultus non ab uno, ſed ab omnibus quotquot advenerant diligentiſſimè obſervata, nunc enim ſe triſtem ac pallidam, nunc lætam & renidentem pictura monſtrabat: Oculorum motus & vigor miris modis & frequentiſſimè variatus, nec unius horulæ ſpatio finita hæc ſunt, ſed ut incredulis quoque & ſagacibus fides fieret, pluries hæc & integris diebus fiebant, quadraginta ſeptem dies intra ſpacium duorũ annorũ cum dimidio notati ſunt, quibus Deipara mutato vultu circumſtantes eſt intuita.

Vulgato per famam ſtupendo S. Imaginis prodigio, dici non poteſt, quantus undique populorum fuerit affluxus, néve ſola privatorum hæc pietas eſſet, oppida urbéſque in ſupplicationis ordinem coactæ nunc pænitentium ritu, nunc habitu candidatorum, omnem cum cereis ardentibus, & de non paupere penu pecuniario munere comparuère, primáque obſequia miraculoſæ Imagini detulerunt. Feſtum hodie ſexto Iulij ſupplicatione quam ſolenniſſimâ celebratur in templo, quod è veteribus illis carceribus fabricatum eſt. Relatio impreſſa.

CCCXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
RETZBACENSIS.
Retzbaci in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I Roſa & pura gemma, anima induta luce.*

1. Congregatio ſingularis.
2. Accurſus.
3. Pagus B. V. urbe charior.

DUabus ab Herbipolitana urbe leucis pagus eſt Retzbacenſis. Hic Deiparæ Statua miraculis clara eſt, primum miraculorum credo etiam ipſo in loco neſciri. Cæterum miris modis aucta pietas eſt, & piorum affluxus veluti tubâ accitus, ex quo *Iulius Herbipolenſis Epiſcopus* ſub annum 1606. cœtum quendam ſactum (ipſi *Confraternitatem* vocant) inſtituit: in hoc præ cæteris ſingulatem, & Deiparæ Glorioſum, quòd in eum, præter Canonicos, & Monaſteriorum Prælatos & Abbates, clerici quoque admittantur: è laicis non niſi præcipui. Congregatio. Affluxus populi magnus, & penè quotidianus arguit gratias miraculo-

culoſas Deiparæ? è quibus tamen ad me nullam perſcripſit R. P. Riquinus Gölgens Rector Herbipolenſis Societatis IESU. Ingentibus modis etiamnum florere iteratis ad me litteris perſcriptum eſt, augerique quotidianis incrementis, ad religionis Catholicæ gloriam.

* * *

CCCXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ALAPA.
Vercellis in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *I, Manna & vita cordis gemma pura, vale.*

1. E fano templum.
2. Alapa ſuſpendio punita.
3. Luſor nobilis.

TEmpli Cathedralis, quod Vercellis eſt, varia fuit fortuna, olim Dijs ædificatum. Serviebat impietati dum unà cum domibus ipſa penè urbs ſuis ruinis involueretur, nunquam certè prætcrita, quoties Italiam exteri hoſtes ingreſſi ſunt, ſub annum 340. *S. Euſebius* Sardiniâ oriundus, Vercellenſis Epiſcopus & Martyrum, templum è ruinis reſtituit, dedicavitque Sancto Martyri *Theoneſto*, nobili Vercellenſi, atque è Thebæa legione non poſtremo, cùmque iterum ab hoſtibus templum dirutum fuiſſet, iterum à *S. Albino* Epiſcopo Euſebij ſucceſſore reſtitutum, & S. Euſebio martyri dedicatum eſt.

Claruit miraculis hic ſanctus: horum unum, quod hic ad rem facit, adjungo. Anno 1189. nobilis Matrona Parmenſis, atque ex opulentioribus una, (uti acta, quæ hodieque ſuperſunt, fidem faciunt) à dæmone obſeſſa, à dæmone per S. Euſebij interceſſionem liberata eſt. Hæc Soſpitatorem ſuum, dum vixit, ne deſereret, conductâ in domo, templo vicinâ, vitam in annum uſque quadrageſimum octavum, menſemque tertium duxit, finivitque, Vercellenſis Anna, jejunijs & orationibus intenta, nec à templo diſcedens.

Ut cætera monumenta perierint, unum adeſt, quod Matronæ illius pietatem adhuc egregiè teſtatur, ſacra templi exedra candidiſſimo è marmore ſculptis relevato opere ſtatuis admiranda. Has inter Virgo eſt filium brachio tenens, porrecto ad benedictionem impertiendam, hanc præterito ſæculo aulicus quiſpiam non de plebe luſor: & quod caput eſt, Calvini de harâ, infauſto luſu concitatus, templum ingreditur, facinus quod luſorem tam nobilem decet, patraturus. Statuę huic marmoreę, cum Deiparæ non poſſet, alapam manu inflixit in genâ ſiniſtrâ, nō ſine miraculo. Manent hodieq; præter livorem ſanguinis aliqua veſtigia: & ille turbatus animo,

Miles.

exi-

exitum non reperiens, Palatij Epiſcopalis clauſtrum obambulat, vix ſui compos, & ut eſt difficilè aulam fallere, fuêre, qui vel ex præſentibus, vel ex ipſomet rei ſeriem intelligerent.

Res ad *Carolum Sabaudiæ Ducem*, qui commodùm erat tunc in ipſo Palatio Epiſcopali, delata eſt, is reum ſponte confitentem, nullâ aut nobilitatis, aut aulæ habitâ ratione, ſuſpendi à carnifice è patibulo jubet in publico foro. Inuſitati ſupplicij cauſam, reique ſeriem geſtam judex populo è ſcripto legit, non diffitente reo, & jam in ultimis ſcalarum gradibus mortem expectante. Nemo fuit, qui genus obtenderet Rei, qui mitius peteret judicium, qui denique in Rei favorem verbulum promeret. Itaque dejectus è ſcalis pependit, mortémque ſubijt luſore & hæretico dignam, nemo repertus, qui hiſtorici officium faceret, miſſum tamen ad me eſt examen, quod Capituli Cathedralis Decanus *Ioannes Baptiſta Modena* inſtituit, in quo per idoneos teſtes habetur, Secretarium Ducis, ut rei conterranei ſui, nobiliſque viri infamiam poſteritati ſubduceret, infames chartas tradidiſſe igni. Examen.

Macula, quæ hodieque videtur, à Statuarijs ad legum normam interrogatis, examinata eſt, nec pro tali agnita, quæ vel appicta vel marmori innata ſit: quis enim artificum non reijceret marmor, quod eâ ſolùm parte maculam, & quidem tam invenuſtam haberet, è quâ figuranda eſſet Virginis gena? quis talem pretio empturus mercator, maximè cùm ipſe Reus attonitus non negâſſet, ſed liberâ enunciatione jactâſſet manûs ſuæ robur ad uſque marmoris livorem? S. Statua ab exedra exempta, fuit Altari impoſita & ea Vercellenſibus coli cæpta, non gratis: nam Virgo miraculis pietatem civium compenſavit.

Anno 1630. lue peſtiferâ per urbem graſſante, populus, nemine adhortante, templum implevit: etiamſi S. Statua eſſet incluſa, nec oculis pateret, ſigna pænitentiæ oſtendit, dignóſque fructus pænitentiæ fecit, peſtem à Virgine deprecatus: favit Virgo, & luem abegit, quod miraculum longo examine trutinatum & approbatum eſt. Privata, quia minora, ad me non perſcripſit R. P. Io. Steph. Omodei Soc. IESU. Peſtis.

CCCXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

HERGISWALDENSIS, *Hergiswaldi in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *I, Miranda gemma, tota pura navi luces.*

1. Ex Carthuſiano Eremita.
2. Ædes Lauretana.
3. Prædicta pietas.

ANno 1619. Carthuſiæ Religioſus quiſpiam, obtentâ à ſummo Pontifice veniâ, ad ſilvas abijt, ana-

anachoreticam victurus vitam. Ante omnia Deiparæ ædiculam ſtruxit, & ejus Iconem ſuæ potiùs pietati jucundæ, quam ut ab alijs acciperet honores, intulit. Primæ fabricæ impenſas dedit familia Miliana. Vixit ille, & poſt mortem Superis annumeratus, ſuæ pietatis hæredes reliquit Heluetios Catholicos. Hi locum, quia pietatem ſpirabat, auxêre ſumptuoſo, quod hodie videtur, templo: in cujus medio Lauretanam domum juſtæ magnitudinis poſuerunt: crediderim, viro ab ipsâ Deiparâ imperatam migrationem in ſilvas, promiſsámque futurorum temporum pietatem.

Hæres.

Ne inobediens à poſteris crederetur, à Pontifice ſummo veniam petijt, & Bullam obtinuit, quâ ei Vicarius Chriſti ad vitam Eremiticam ſecurè ducendam impertijt benedictionem. Hanc Bullam, qui funus curârunt, impoſuerunt tumbæ, ac cum ipſo ſepeliverunt. Cæterùm quo accurſu, quâque celebritate Deipara hoc in loco honoretur, non mirantur ij, qui beneficia conſiderant miraculoſa, quæque picta proſtant teſtimonia & anathemata. Ex miraculis nil addo, quia nihil accepi, niſi, quæ ſcripta ſunt à R. P. VVolffgango Lieb, Societatis IESV.

Venia.

CCCXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ROSA.
Lucæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. ***Tu alma pura & gemma inviſa Draconi.***

1. Roſa in Ianuario.
2. Puer mutus.
3. In loco miraculi templum.

BOni odoris hiſtoriam affero, non tamen ex horto ſed ex campo, in quò pecora paſcebantur. Hic campus Roſam produxit unicam quidem, ſed amænioꝛe præditam colore, quàm vel Paradiſus ipſe poſſet. Hanc paſtor mutus vidit, decerpſitque; quin imò patri ſuo munus tulit, raritate ſuâ gratum, nam quòd campus roſas ferret, ut inſolitum eſt, ita mirum magis fuit; quòd hæc medio Ianuario, roſis cæterà non amico, viſa ſunt.

Hæc ut mira non ſint faſtidioſis, mirum tamen, & non ſine Deiparæ ſingulari beneficio erat, quòd, cùm eam puer mutus patri porrigeret, ea profari ſtatim ſciverit, quæ indicare longis ſignis pro more debebat. Monetur quamprimùm de miraculo Epiſcopus, is quia coram Deiparæ Imagine, in columna depicta, Roſa hæc enata erat, Deiparam hîc coli velle enunciavit; populus ad vota convenit, & quæ petijt, obtinuit. Hinc templum ſumptuoſum, quod hodieque celebre eſt.

Miraculum.

Albertus Bezovius Anno 1269. n. 4.

CCCXXXIX.

CCCXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. GRÆCENSIS. *Græcij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Alta ac pura gemma niveum ad Syon iter.*

1. Votum puerperæ.
2. Pœna Cæcitas.
3. Liberatio Captivi.

GRæcium Styriæ metropolis in templo RR. PP. Conventualium S. Franciſci theſaurum habet beneficiorum cæleſtium; ædes jam olim Deiparæ parva ſtetit, ubi hodie templum magnificum Comitiſſa fundi Domina, cùm in partu periclitaretur, Deiparæ vovit, ſe memorem futuram beneficij, ſi unà cum prole ſalva & ſana viveret. Peperit paulò pòſt ſine ſolitis matrum doloribus filiam.

Patus. Commodùm RR. PP. Conventuales optabant ſacellum illud aptum novo Conventui, quem meditabantur, nec difficilis Comitiſſa dedit, quod petebant. Illi Deiparæ Imaginem ſummo altari inſerendam pictori Mediolanenſi locàrunt, moras iſte fecit non inutiles modò, ſed & vehementer nocivas: ſiquidem pietas ab omni populo expectata, non ſine damno moram paſſa eſt. Cauſa unica tarditatis fuit, quòd optimi Patres omnem artifici pecuniam, antè, quàm opus inchoaretur, dederint. Hinc iſtæ ludificationes artificibus conſuetæ principium ſuum habuère: ſed & reperère finem, nam repentè cæcus factus, pecuniam reſtituere coactus eſt. Facile erat, cæco videre, à quo hæc pœna, & ob quam culpam inflicta ſit. Itaque, voto facto, ſpopondit omnem diligentiam & artem, quin & celeritatem, & quidem gratis ſine omni pretio adhibiturum: voto facto, redijt oculorum uſus, & pictura eâ, quâ par erat, arte perfecta eſt, hodieque in altari ſummo videtur. Hoc primum, ſed & ſecundum, antequam ultimam operi manum pictor imponeret, miraculum accidit.

Captivus quidam ſupervenit, Captivus. quem Turcicæ catenæ adhuc onerabant, qui ſe à Deiparâ miraculo liberatum aſſerebat. Apparuit illa mihi, inquiebat, & unà catenarum ſubitò ruptâ è carcere per apertas portas me abire juſſit: nec dubium mihi, quin in aliquo ejus templo miraculoſo hanc, quam ego vidi ſpeciem, Imago quæpiam exprimat. Ducite ergo, dum talem inveniam, coram quâ gratias, quas debeo, agam: ductus per templa Græcenſis urbis omnia, non invenit. Jámque per omnes orbis regiones vagaturus erat, cùm unus monet, ſupereſſe picturam, quæ nondum incepta, jam miraculo claruiſſet, eámque etiamnum eſſe ſub pictoris penicillo. Ductus itaque ad pictorem, *Hæc, hæc eſt*, exclamat. Ità, nec Apparitio. aliâ

aliâ ſpecie, Deipara ſe mihi in carcere ſtitit. Dicta ſua lachrymis, & juramento coram idoneis teſtibus firmavit. Hæc duo prima miracula tot aliorum, quæ ſecuta ſunt, origo fuère & initium. Hinc templi tanta magnificentia è liberalitate Cæſarum, & Archiducum Auſtriæ. Ita ad me R. P. Hieron. Germersheim Soc. IESU.

CCCXXXX.

Imago B. V. Miraculoſa. DI PIAZZA.

Recanati in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Tu gemma una prodita ſine ira macula.*

1. Solatium ſenectutis.

2. Peregrinatio quotidiana.

3. Pietas populi.

DUdum eſt, quòd hoc exiguæ formæ templum ædificatum eſt. Auctorem operis ſenem fuiſſe arguit intentio, quia cùm omnis ætas Recanatenſis urbis, ſi ſenilem excipias, atque infantilem, frequentiſſimâ ambulatione Lauretum viſitaret (ita enim initio factum tradunt, ut quàm plurimi, quotidie, ex urbe Lauretum uſque ambulationem inſtituerent, non minus piam, quàm jucundam ſenibus non ſine tædio domi ſedentibus, dum ſenum quiſpiam ex opulentioribus ad ſenum ſolatium Statuam ære ſuo curavit Lauretanæ ſimillimam, in hoc ſacello colendam. Huc itaque ſenes confluxêre: hìc preces & ſuſpiria depoſuêre. Feſtum diem agunt decimo Decembris, quo domus ſancta hoc in agro primùm depoſita eſt. Miracula, quia raritate ſuâ celebria non ſunt, ob vicinam domum Nazarethanam, ad me non perſcripſit R. P. Nicolaus Detnero Rector Recanat. S. I. Laurenum.

CCCXLI.

Imago B. V. Miraculoſa. STRASGANGIANA.

Straſgangi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Veni tutelaris gemma ac pura in Adamo.*

1. Pietas Auſtriacorum Cæſarum.

2. Incendium periculoſum.

3. Incendium Turcis.

CUm templi Auctor & origo ignoretur, ſuffecit, ſcire *Georgium Grundnerum* anno 1461. & poſtea anno 1490. *Ioannem Grandnerum*, fuiſſe templi hujus benefactores, ſiquidem ille collapſum reſtauravit; iſte reſtauratum ornavit. fuère hi duo antiquiſſimæ proſapiæ nobiles equites, multis contra Turcam victorijs inſignes: & hoc in loco tam pietatis, quàm gratitudinis erga Deiparam monumentum reliquêre

re, Anno 1529. Turca poſt ſolu-
Obſidio. tam obſidionem Viennenſem cũ exercitu domum revertens, per Styriam inter plura alia templa, etiam duo excuſſit, quorum alterum Divo Ioanni Baptiſtæ, alterum Divo Thomæ Apoſtolo ſacrum erat. Hoc Deiparæ templum vel intactum reliquit, vel ſi ignem ſubdidit certè templum non accendit. Honoravit locum
Carolus V. frequenter *Carolus V.* Imperator. At verò velut domeſticum ſacellum habuêre, *Carolus Auſtriacus*, & *Maria* Bavara, Pientiſſimi Ferd. II. Parentes quos & ipſe filius & nati natorum magno honore & muneribus partim proſecuti ſunt, partim in futurum ad exempla parentum proſequentur, miraculis claret locus hodiéque, quorum aliqua ad me perſcripta ſunt: quia tamen non extraordinaria, more meo, ne lectori incommodus ſim, prætermitto. Hæc R. P. Hieronym. Germersheim S. I.

C C C X L I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE NUCE.
In oppido S. Pauli in Jtalia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Gemma pura, vita munda, ara Cæli nites.*

1. Puella ruſtica.
2. Fluminis alluvio.
3. Cura terrena.

IN Sabinis oppidum eſt, quod à S. Paulo nomen habet. Hic ruſtica puella, filia Ludovici Michaëlis, die nonâ Iulij, Anno 1505. agrum coluit: cùm adſtitit ei vir quidam habitu monaſtico nigro, roſarium manu voluens, is ſalutatam humaniter puellam verbis
Ave Maria. Angeli; *Ave Maria*; non parùm terruit, terrorem tamen ademit, facto in ejus fronte S. Crucis ſigno. Tum, *Noli*, inquit, *timere bona puella, hoc S. Signo munita.* Et de frugibus nonnulla interroganti, reſpondit puella, ſpem bonæ meſſis eſſe exiguam, nil mirum, & quomodo, inquit, quadragintadiale jejunium hoc anno pere-
Apparitio. giſtis? Illâ tacente, Monachus, Eja, inquit, bona puella, fac ut incolæ ſancti Pauli proximâ feriâ ſextâ in pane & aquâ jejunent: niſi enim Beatiſſima Virgo Maria duos ante dies, flexis & nudis genibus, pro vobis filium eſſet deprecata, alluvio fluminis nupera etiam vos perdidiſſet. Iterúmque, inquit iubeo, hæc populo denuncies.

Puella, velut mundi mores ſciret, nemo unus, inquit, ex omnibus mihi credet, ad hæc Monachus. Erunt, inquit, qui credent: & factâ iterum cruce, videri deſijt. Poſterâ die puella cum alijs lavatum conceſſit ad aquas publicas, pannóſque ſuos ad eum locum tulit ſiccandos, ubi heri collocuta cum Cælite fuerat, & ecce! in nuce vicinâ Beatiſſimam Virginem ipſam conſpicatur in veſte, Veſtis.
quam tertij ordinis Moniales Servitæ geſtant. Terrefactam puellam Deipara alloquitur, &, noli,

inquit, filia timere, ſed id ex te ſcire volo, quem fructum ex apparitione heſterna ſervi mei ceperis. Illa toto corpore tremens, nihil præterea, inquit, ſe cogitâſſe.

Parochus Tum Deipara, vade, ait, ad S. Pauli Parochum, & nomine meo jube ut comprecationẽ publicam indicat: incolæ ſe confeſſione expient, injurias remittant, & triduo integro pietatis operibus ſe dedant: denique feſta mea poſthac celebrent majore, quàm hactenus, religione. Hæc ſi non fecerint, væ toti oppido ſimul cum dictis nudatum ei pectus, velut flagellis lividum, & genua ſanguinea oſtendens: vide, inquit, hæc veſtri causâ patior: quid enim ultra pro vobis aut facere, aut pati poſſum: vade, inquit, & dic Parocho, quæ vidiſti, & ex me audiviſti.

Panni. Præſentiores puellæ erant panni, quàm Virginis imperia: hos complicare ante omnia volenti, vade, inquit Virgo, ſervabo ego interea pannos. Itaque juſſa perfecit, & quod mirandum eſt, fidem invenit. Parochus unà cum populo imperata fecit: Ita paulatim auctâ devotione, ut denique templum cum Cœnobio ſit ædificatum eo in loco, quod hodieque RR. PP. Servitæ Incolunt. Gianius in Annalib. Centuria 3. l. 5. c. 6.

CCCXLIII.

Imago B. V. Miraculoſa. MONS MARIÆ. *Rancovillæ in Germania Sup.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *O alma gemma vacans turpitudine ira.*

1. Labor Angelorum.
2. Merces laborantibus.
3. Muri translati.

PRope Velkirchium, contermiNam Sueviæ urbem, in medio oppidi Rancovillani exurgit collis, ceſpite ſuo laudabilis: *Mons Mariæ* nomen ei eſt, propter templum ejus vertici inædificatum. Hujus origo ſolâ traditione nititur, fidâ tamen: quia non incolarum tantùm eſt, ſed longè latéque degentium accolarum eadem ſententia. Ad radicem collis majoris, Virgini Deiparæ templum deſignaverunt, ut vicinior civibus Virgo eſſet auxilia, cùm opus eſt, petentibus, noluit tamen Virgo locum, ſed montem elegit.

Fundamenta. Itaque antequam fundamenta foderentur, pridie omnis comportata materia in colle reperta eſt, hæc ijs narrantur, quibus ideo fides facilior eſt, quòd alibi hoc ſæpius factum aut legerunt, aut ex narrationibus intellexerunt. At verò ubi Auditorem nanciſcuntur capaciorem, omnes communi & antiquâ traditione certum eſſe referunt, muros in fundamentis jam perfectos fuiſſe, ipſóſque fundamentorum muros in ipſum collem & in foſſas fundamentorum, quas Angeli eâ nocte foderant, depoſitos, ritè & ſecundùm deſignationem, quam architectus in valle fecerat, translatos: quod novum omnino & inauditum eſt.

Por-

Portentum hoc inauditum calamos merebatur, & atramentũ, ut latè propalatum cõſtaret publico, ſed ſive ſcriptũ id ſit, & interierit, ſive non ſcriptum: certè fidâ & conſtanti traditione habetur, Architectos fundamentis, quæ Angeli poſuerant, templum hoc inædificâſſe. Deiparæ Imago hodieq; in honore habetur, & miraculis continuis primum confirmat: Anathemata muros veſtiunt. Intra decennium ex plurimis ducenta miracula conſcripta liber habet. Ita memorat Authenticum inſtrumentum ad me miſſum, & manu quatuor Eccleſiaſticorum in dignitate conſtitutorum, ſubſcriptũ.

CCCXLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE STEUATA.
Parmæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Nota Diva mira venis lecta pura gemma.*

1. Dos Virginum.
2. Confraternitas opulenta.
3. Antiquitas.

TEmplum hoc Antiquitate ſuâ præclarum plus tribus ſæculis ſtat, opere ſumptuoſo majoribus glorioſum, Poſteriſque utile, Annuis reditibus opulentum quos Congregatio nobilium numeroſiſſima & pientiſſima diverſiſſimis virtutum exercitijs magno fructu, magnoque exemplo conſervat manibus illibatis, & magna liberalitate auget. Quod attinet Iconem Deiparæ Virginis & Cælorum Reginæ, aliunde huc allatam, & magnâ pompâ huc ductam, eſt illa apud omnes in ſummâ æſtimatione perquam miraculoſa, & Parmenſium gloria, quæq; vel ideo miraculoſa, & populorum concurſu celeberrima fuiſſe credenda eſt, quòd ad tantam opulentiam pervenerit, ſive templi redditus, ſive Congregationis ſpectetur nobilitas: ut in annos ſingulos centum Virgines hinc dotem accipiant: ut ad me perſcripſit R. P. Alexander Boſelli Provinc. Soc. IESU.

CCCXLV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ROSARIO.
Rotwilæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *I, ò vivida gemma latrantem pura necas.*

1. Mutatio vultus.
2. Hoſtis pulſus.
3. Niſi Domina cuſtodierit civitatē.

ROtvvila imperij urbs Statuam Virginis ligneam jam dudum coluit, quam *de Roſario* vocant, in templo RR. PP. Dominicanorum, ut pietas civium ſemper fuerit maxima, incrementum tamen accepit à miraculo, quo Virgo afflictam urbem ſolari dignata eſt: ſiquidem anno 1643. Gallorum, Suecorúmque duriſſimam obſidionem urbs cætera nec magna, nec munita ſuſtinere decrevit, Cæſari ſuo fidelis.

Bellum. Hoſtis repulſam primam, paſſus tormenta curruliá eò applicuit, ubi ingreſſum ſperabat, adeò conſtanter; ut paucos intra dies unà cum mænibus etiam domorum tecta fædè jacerent. Interea civium pars ad muros, pars ad templum defenſionem parabant, videbatur Virgo precibus fatigata. Nam die Novembris decima ſolatium videre viſi ſunt cives, cùm horâ poſt meridiem ſecundâ, vultum Statua in varios affectus figuraret, dolentis & gementis ſpeciem induta.

Lachrymæ. Plus duabus horis miraculum duravit, quo plures tanti portenti teſtes eſſent: ſiquidem acciti famâ præter Catholicos etiam Heterodoxi, cùm viderent, nullam fraudis ſubeſſe ſuſpicionem, candidè faſſi ſunt, imaginibus ſacris cultum nullâ Dei injuriâ adhiberi, & ut omnis è mentibus ſpectatorum dubitatio abeſſet, placuit Deiparæ, decimo quinto pòſt die repetere portentum.

Sed quia feliciora nunciabat, Victoria. vultum monſtravit longè quàm nuper diverſum, identidem in lætantis & gratulantis ſpeciem exporrecta, nam eo ipſo die, qui vigeſimus quintus Novembris erat, hoſtes à Cæſareo Bavaricóque exercitu obruti, infami vel fugâ, vel deditione, Dutlingâ ceſsêre, ſolâ vitâ contenti. Res tota juſſu Ordinarij Celſiſſimi Epiſcopi Conſtantienſis per deputatos examinata, quia populus pro teſte erat, approbata eſt, & typis edita; ubi viginti quatuor teſtium nomina ex omni ordine memorantur. Relationem impreſſam ad me miſit R. P. Wibertus Dietrich Superior illius Reſidentiæ, Societatis IESU.

***

CCCXLVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

IN CATHEDRALI TEMPLO.

Paduæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Pia gemma vitæ, una terris, cælo munda.*

1. Bona

1. *Bona manus felix opus.*
2. *Tempeſtatis remedium.*
3. *Sacellum pulcherrimum.*

NIhil penè eſt, quod de hac Virginis Imagine ignoremus: nam & pictoris nomen ſcimus, qui *Iuſtus* vocabatur, & ſui temporis Apelles celebrabatur; & ad S. Lucæ artem ut quàm proximè accederet, laborabat. *Antonia* è nobili *Zabarellorum* familiâ, hanc Imaginem templo Principi dono dedit, ornando Altari Principibus Apoſtolorum dicato anno 1341. ſed ultra votum Antoniæ pietas Paduanorum ſe promovit, nam S. Lucas. ſive D. Lucas, quem imitari pictor pie conatus eſt, genio ſuo & arte penicillum imbuerit, ſive ipſa Virgo ſuæ majeſtatis particulam in Iconem ſuam tranſtulerit: trahebantur certè animi Paduanorum civium ad hoc ſacrarium, & votis etiam hìc ritè factis Virgo annuit.

Paduani, Reginæ Cæli favores tam prolixè experti, cælo cum minus faveret, opponendam cenſuerunt. Itaque ſemel atque iterum, cum vel nimiâ ariditate ſolum torreret æſtus, vel pluvialibus aquis Paduanæ urbi minaretur exundationem cum damno, eam inter ſupplicantium pias preces per urbem circumtulerunt cum fructu, nam cælum ad vota Paduanorum, & Virginis honorem, pluvias cohibuit, deditque.

Creditum eſt hoc beneficium Proceſſio. in cæli mores tranſiiſſe neq, enim Paduani aliud quærunt cæleſtium aquarum aut frænum, aut canalem. Interea S. Imago portentis celebrata, piorum liberalitate integro ſacello facta eſt ditior, hoc *Emmanuel Card. Petrus Dalierus* Anno 1634. moriens Auguſtius eſſe voluit ære ſuo, factumque id eſt anno 1649. ita ut hodie inter miracula Paduæ cenſeatur ipſa ſacelli fabrica, in quo tot miracula à Virgine Paduani accipiunt. Ita ad me *R. P. Alexander Boſelli Provinc. Soc. IESU* videri etiam poteſt *Scard. l. 3. fol. 270. Port. in felicitate Paduana l. q. c. 4. fol. 382.*

CCCXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
RECHBERGIANA.
Hochenrechbergij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Vita, i, ſola gemma reperta unica munda.*

1. *Majorum innocentia.*
2. *Translatio miraculoſa.*
3. *Sacellum vult B. V. non templum.*

ANtiquiſſimæ & nobiliſſimæ familiæ *Rechbergianæ* Gentilitia ſedes eſt Arx in amæno monte pluribus antè ſæculis ædificata, cui nomen *Hochenrechberg*. Juxta montem in altiore jugo templum habet Deipara, in quo Statua colitur lignea, duos pedes cum dimidio alta. Huc vota fiunt, & ſupplicationes ex omni circum viciniâ regione. Ipſi quandoque Aca-

tholici auorum ſuorum pietatem recolunt & ſequuntur, locúmque ſacrum viſitant.

Anathemata ſacellum veſtiunt & ornant varietate ſuâ, præſertim grallæ, quæ intraturis ſpem faciunt hoc in loco præ cæteris, eos adjuvari, qui pedibus capti ſunt. Et quanquam primam originem invenire nemo hactenus potuerit: ſcripta tamen adſunt & inſtrumenta, quibus certi olim redditus in miſſas ſtabili fundatione perpetuas, dati ſunt à pluribus ſæculis non deſunt prudentes, qui non ex vano opinantur, jam ante nongentos annos hîc loci Deiparam in honore fuiſſe, in hoc ligneo ſacello, nunc facto, nunc refecto, nunc in aliam quandoque formam redacto. Ergóne, inquit, lector, à tot ſæculis tanta Patrona, & per omnem latè regionem invocata, non niſi ſacellum hoc ligneum meruit tot miraculis glorioſa? Audi lector, non hæc hominum incuria fuit, ut hæc, quæ nunc mones, non ante ſæcula ſcirent, ſed quis contra Deiparæ placita Statuam aliò transferat?

Anti-quitas.

Anno 1488. *Vdalricus de Rechberg* Imperij Romani eques, Toparchiæ totius Dominus, bene magnum è cocto latere & venuſtum templum ſtruxit ad ipſum hoc ligneum ſacellum, utique finitâ fabricâ deſtruendum. Jámque factâ ritè dedicatione, honor quoque miraculoſæ Statuæ habitus eſt, & in templum velut habitationem novam cum plauſu importata, atque in altare ſummum loco ſuo depoſita, ſed alterâ die reperta iterum in ſuo ligneo ſacello eſt.

Tranſlatio.

Suſtinuit Virgo, probari voluntatem ſuam: ter pientiſſimè in templum portata, ter ad ſuum ligneum ſacellum redijt, non tamen templum id Deiparæ eſſe deſijt: præſentior tamen Virgo eſt miſeris in ſacello ligneo, quod velut ſacrum nemo audebit in aliam formam redigere, niſi temerarius, & periculo ſuo, ita in templo Deipara à multis ſimul honoratur; in ſacello multis ſucceſſivè benefacit. Hæc ad me *Illuſtriſſimus Dominus D. Ioannes Erneſtus liber Baro de Hochenrechenberg* Toparchiæ Dominus.

***

CCCXLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. NARNIENSIS.

Narniæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, gemma ritè munda, ac pura à notis, vale.*

1. Statua Deipara loquens.

2. Venus fugata.

3. Virginitas in matrimonio.

BEata Lucia Narnienſis, ordinis ſancti Dominici, multis prodigijs, impreſsíſque Chriſti Domini ſtigmatibus clariſſima, dum adhuc quinquennis in domo parentum degeret, templum hoc frequentabat RR. PP. Auguſtinianorum,

rum, in quo Statua Deiparæ ex Alabaſtro cum filio IESV. Hic Lucia gaudijs delibuta cæleſtibus, cælum ſuum habuit, ſemel loquens Statua interrogat Luciam: num filium ſuum amaret, & an eum habere, domúmque ferre vellet, Luciâ annuente, En! inquit Deipara: ſimúlque non jam marmoreum, ſed carneum, & vivum filium in Luciæ brachia deponit, jubétque portare molliter. Miraculum.

Lucia domum properans, nec ſe, nec cordis ſui lætitiam ſatis capit, obvij per plateas viri fæminæque videre currentem: nec abfuit ſuſpicio, furto ablatum tam nobilem infantem, quapropter veriti, ne ob velociorem, & deproperatum greſſum, fortè brachijs excideret, hortabantur Luciam, portare cautè. Fuêre quoque qui tentârunt infantem Luciæ eripere, quos tamen illa dexteritate ſuâ eluſit, & domum pervenit. At idem, quod cæteri, ſuſpicata etiam Mater, ei infantulum eripuit, vi uſa, cui pia filia reſiſtere auſa non eſt, ſed tanto mœrore afflicta, ut in terram præceps caderet, mortuæ per horas omnino duas ſimillima. Redijt ad ſe Lucia, & Puſionem ſuum inclamans, iterum viribus deſtituenda, niſi redderetur, fecit Mater, quod poſtulavit filia, reddidítque infantem. Morbus.

Lucia cum infante triduo integro ſecretiore conclavi ſe incluſit, cæli gaudijs cum IESVLO ſuo delibuta. Quo toto triduo non ſine admiratione populus vidit de eſſe Deiparæ IESVLVM in altari: omnibus omnia cogitantibus, nemo unus fuit, qui per ſomniū ſuſpicaretur id, quod erat. Triduo inter cæleſtes delicias finito, filium matri ſuæ reddidit Lucia: poſtquam ab ipſa Virgine hâc ſuper re monita eſt. Triduum

Præterire non debeo, quod hæc ipſa Lucia ſeptennis adhuc à Chriſto fuerit deſponſata, dato annulo aureo: & ne teſtes deeſſent, præſens aderat Deipara, cum S. Dominico, & S. Catharinâ Senenſi, factum tamen eſt, ut Comiti cuidam daretur in ſponſam. Illa ſponſo ſuaſit, & perſuaſit continentiam, ita ut uno in lecto cùm eſſent, Chriſti Crucifixi Statua in medio collocata ſponſam ſepararet à ſponſo, ſæpe illa cogitationes habuit à propoſito alienas, ſed à Chriſti vultu territa, quem inter radios ſibi videre videbatur, omnem Veneris umbram facilè abegit, donec tandem ſponſo ſuaſit & perſuaſit, ut ordinem S. Dominici ingrederetur: quod & ipſa fecit. Porrò Statua illa Alabaſtrina Deiparæ in hodiernum diem ob miracula in honoribus eſt. Lucia anno 1545. decimo quinto Novemb. obijt. Ita Hiacynthus Coquetius de viſceribus B. Virginis erga ordinem Prædicatorum. Nuptiæ.

CCCXLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
LINDAVIENSIS.
Lindavij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Venit gemma pura mali ſacrata uni Deo.*

1. Præſidium præſidij.
2. Converſio mirabilis.
3. Manus punita.

Lindavienſis urbs tota, & pertinaciter hæretica quamdiu præſidium Auſtriacum tenuit, Societatis noſtræ patres arcere non potuit; ut qui in ipſius præſidij militaris præſidium ab ipſo Auguſtiſſimo Imperatore Ferdin. III. illic erant collocati. Fecêre Patres pluribus annis officia Societati IESU conſueta, quæ alibi per orbem facere ſolent: quin etiam ſcholæ apertæ ſunt, magno Catholicorum fructu. Omnia bene, uſque dum Pax Germaniæ publica præſidium Auſtriacum militare exeſſe Lindavio juſſit, cum hoc etiam Patres Societatis, qui alio titulo ibi ſedem non habebant.

Anno 1638. Annales noſtri ſic habent. Fidem Catholicam ſeptenis perſuaſimus: quorum poſtremus eques non ſine prodigio aſſenſit, alieno periculo ad tutiora compulſus, is cùm videret alicubi ab hæretico milite ſclopo petitam Deiparæ Imaginem largo cruore manare, præſenti ſupplicio ſcelerati hominis, quippe cujus brachium ilico eodem ſitu, quo plumbum expediverat, ipſos quatuordecim dies in perpetuo furioſi inſtrumenti amplexu obriguit, donec ſerio ſceleris perfidiæque dolore redemit, noſtram Catholicam fidem ſecutus, cum quâ brachij uſum recepit. Ita Annales *Sup. Germ. in miſſione Lindavienſi* anno 1638. Cæterùm ne lector putet, hanc S. Deiparæ Statuam Lindavij eſſe; ubi ſit ad me perſcriptum non eſt: credibile eſt, in privatâ domo hoc contigiſſe, & inter Acatholicos totius rei famam ſopitam eſſe, Para.

Lindavienſem appello, quia converſio militis non parùm miraculoſa ibi contigit: quam ab hâc S. Statuâ promanâſſe, juramento teſtatus eſt, & fidei Catholicæ publicâ profeſſione firmavit, ſuum utique à Deiparâ tempus habebit, quo in lucem extracta majora patrabit. Converſio.

CCCL.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN VIA.
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Tu gemma pura ira, ſita in Cælo mundo.*

1. Lapis

1. Lapis natans.
2. Puteus in templo.
3. Cardinalis teſtis.

VT ſciret Roma, Virginem Deiparam eſſe puteum aquarum viventium, miraculoſam ſcaturiginem haurire voluit hæc Imago è puteo. Hic public in viâ publico expoſitus, dignus fuit, in quem homo incurius, ſive, quod magis credam, injurius luſor quiſpiam Virg. nis Imaginem deijceret, in laterculo pictam, debebat arg lla ſubeſſe aquis, & fundum petere: Sed pictura pondus laterculo ademit, fecitque primum, ut aquis innata et, ſed & ipſa aquarum ſcaturigo neſcio quibus naturæ coactæ ſiphonibus pulſa, ad os uſque puteum replevit, ferebaturque ſuper os putei, Virginis ſacra Icon & ſuper aquas. Nox erat, & res ſpectatores poſcebat, quos Virgo nec fulgoribus nec clamore, aut lacrymis accire (ut aliàs) voluit.

Imago.

Crescentes in momentâ putealis aquæ, ſurdóque lapſu exundantes *Cardinalis Caponij* equile, quod in proximo erat, ingreſſæ non parùm Equiſones turbaverunt, dum aqu rum exundantium ſcaturig nem inquiſituri, puteum in plateâ vident, ad os uſque refertum, & tam copioſè exundantem, qu n & Iconem ſacram aquis innatan em, obſervârunt. Monitus mediâ nocte Cardinalis miraculum ipſe vidit, & por entoſam Imaginem reverenter palatio in ulit, & privatæ ſuorum devotioni in aulâ expoſuit. Facta hæc ſunt ſub annum 1283. deinde, ut fit, ultrà domum Cardinalis propagata pietas augmentum accepit: dùm demum ſub *Innocentio IV. Pontifice* ſacræ Imagini templum à fundamentis exſtructum eſt, Octa. Panzirolà.

Exundatio.

Hoc templum Societati IESU datum eſt, non ſatis amplum illud quidem, aut commodum; ſed tamen in celeberrima urbis regione, & ad Societatis functiones imprimis idoneum. In hoc templo S. P. N. Ignatius, ſex & quadraginta diebus Chriſtianæ catecheſi ope am dedit è loco Superiore, magnâ & aſſiduâ non modo plebis verum etiam præſtantium virorum frequentiâ; prorſus ut quidam ex Optimatibus, palam gloriarentur, beatóſque ſe ferrent quod nullam omnino ex Ignatij concionibus omiſiſſent, agendi autem rationem ſequebatur ejuſmodi; Fidei præcepta & myſteria cognitu neceſſaria, primum ad vulgi captum, explanabat, iterabátque ubi opus eſſet, eadem ſæpius; deinde opportunis digreſſionibus, certos interim locos tractabat fuſius, non tam ad ingenij vel doctrinæ oſtentationem quàm ad pietatem excitandam, populumque permovendum accommodatos, idq; tam veris gravibúſque ſententijs, tam ardenti vultu oculiſque, ut divini amoris ignem undique ſpirare videretur minimè fucatæ eloquentiæ vir, neq; in ſingulas voces numeróſque ſolicitæ, ſed ingenti animo prout impetus tulerat; ſua ſenſa proſequentis. Itaque, peroratio-

hem

nem eus nō, ineptus populi plauſus aut ſtulta facundiæ commendatio ſequebatur, ſed alta ſuſpiria, gemitúſque & ante actæ vitæ deteſtatio ſalutaris, ut vel defixis humi oculis triſtes ac ſibimet irati diſcederent, vel etiam illico ſeſe ad Sacerdotum pedes abijcerent, confitendi cauſa, tanto cum fletu atque ſingultibus, ut linguam ſoluere, aut vocem in verba formare vix poſſent.

Hujus templi loco poſtea Alexander Franciſcus Cardinalis Pauli III. Pontificis maximi Nepos, ædem nomini IESU magnificentiſſimam regio ſumptu exſtruxit.

CCCLI.

Imago B. V. Miraculoſa.
KAUFFBURANA.
Kauffburæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *En! tu pura gemma cares vili Adami notâ.*

1. *Gralla Virgini appenſa.*
2. *Miraculum in facie hæreticorum.*
3. *Converſio.*

VRbs Kauffburana Hæretica, & ſub Magiſtratu hæretico cùm ſit, cives tamen habet quàmplurimos, qui fidem Catholicam, in qua nati, fortiter hodiéque tuentur: quibus omnibus Patres Soc. IESU animos addunt, ita ut nihil in urbe quavis Catholica publicæ pietatis videre ſit, quod non in hac ringentibus hæreticis magno Catholicorum bono fiat. In templo parochiali proſtat Imago Deiparæ olim jam culta; nunc tamen vel ideo eſt in majore honore, quòd miraculum dederit, velut ſudem in oculis hæreticorum, quam eruere ſibi nequeunt, teſtibus nempe & oculis proprijs convicti.

Hæreticus. Anno 1637. puer quatuordecim annos natus, Lutheri dogmate ab infantia imbutus, in ſervitijs fuit Heræ Catholicæ, fæminæ honeſtæ & piæ. Puer hic, nullo præcedente morbo, repentè ita utroque pede captus eſt, ut grallis utendum eſſet. Res Medicorum artem ſuperavit, nec ignota alijs: lippi enim & tonſores puerum viderunt miſerum: & grallis quotidie utentem: nec quiſquam etiam plebeius in urbe fuit, cui non eſſet notiſſimum hoc pueri malum. Creditum eſt à prudentibus, quampiam è ſagis acatholicis hoc pucro ſervitium præſtitiſſe in odium fidei Catholicæ. Interea prudenti conſilio puerum profundiùs in fide inſtruit, multa de Deiparâ ingerit, & denique fac, inquit, votum Deiparæ in hoc templo coram hâc S. Statua, te futurum Catholicum, ſi ſanitas tibi priſtina obtingat, fecit puer, & ſine grallis exivit, qui ſine grallis templum intrare non potuit. Omnis hic hæreticorum ſagacitas eliſa & eluſa fuit, poſtquam res juſto examini ſubjecta etiam ipſos hæreticos teſtes habere meruit fortiores cæteris, quia teſtimonium inimici duplex eſt. Catechiſmus.

Puer jam voto Catholicus, poſt am-

ampliorem inſtructionem publicâ profeſſione fidem Catholicam ſuſcepit, quem nonnulli alij magno Catholicorum gaudio ſecuti ſunt, reliquis vermem conſcientiæ non moriturum diſſimulantibus. Hæc Annalibus noſtris inſerta ſunt Anno 1637. Pergit Deipara in hâc S. Statuâ, quæ in templo Parochiali eſt, eſſe propitia, facitque beneficia grandia ad hæreticorum ruborem.

CCCLII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VICTORIA.
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum,
Anagr. *Salve Indica gemma una mirè tota pura.*

1. Virgo ſemper noſtra eſt nunquam adverſariorum.
2. Læſa Imago.
3. Victoria læta.

NOlo Pragenſe prælium rememorare, in quo victor fuit *Maximilianus* Bavariæ Dux Anno 1620. in quo multùm ad Victoriam contulit Deiparæ Imago, inter ramenta & quiſquilias reperta? in quâ, non ſcio quis Iconoclaſtarum, Chriſto, Virgini, & Ioſepho oculos expunxit, ignarus, quanto ſuo ſuorúmque detrimento. Etenim Virgo, licèt noſtra ſemper non adverſariorum fuerit, tunc tamen ita partibus noſtris acceſſit, ut reperti ſint, qui eam acerbo ſarcaſmo dicerent, nimis fuiſſe Catholicam.

Imago. Imaginem ligneam ſuſtulit è terrâ *R. P. Dominicus* venerandi nominis Carmelita, & primis Ducum, militúmque, injuriam queſtus, vindictam popoſcit, quâ filij, Virginis, & Ioſephi ſponſi honor aſſereretur; ſicq; animos militum ſuos fecit, ut nemo eſſet, qui ſanguinis ſui pretium faceret, maximè poſtquam præeuntem denſis ordinibus ſecuti ſunt, in prælium.

Partam poſt tres horas Victoriam nemo fuit, qui non Deiparæ adſcriberet. Itaque communi conſenſu titulus Imagini datus, *S. Maria de Victoria.* Ipſam Imaginem Victoria. jam tantâ Victoriâ ſacram Dominicus Romam tulit, & per omnem Italiam, quâ via fuit, Virginis portentoſam opem extulit. Hinc Principum Magnatúmque donativis opulentam Romanæ urbi intulit, pompam explicante Româ quantam ampliſſimæ viæ capiebant, à templo *S. Mariæ majoris* exivêre, qui pompam procurabant, omnes Religioſorum cætus, omnia Clericorum Collegia longiſſimis ordinibus, deducebántque S. Iconem ad templum S. Pauli, quod Cœnobio RR. PP. Carmelitarum adjunctum eſt, *Gregorius XV.* ut præſentiâ ſuâ feſtum apparatum augeret, ipſe intereſſe ſuſtinuit.

At verò quis dona memoret Munera. eorum, quorum rebus hac S. Icone conſultum erat? Imperator *Ferd. II.* coronam victrici dedit è

puro auro, gemmis gravem. *Leopoldus* frater lampadem argenteam, in quâ materiam ſuperabat opus. *Maximilianus* Bavariæ, atque exercitûs Victoris Dux, præter hoſtium vexil'a Conditorium, quod *Tabernaculum* vocant Euchariſtici panis, ex Ebeno & Argento factum, arte pretium æquante. *Guilielmus* Victoris Maximiliani parens omnem ſacerdotalem ornatum auro gravem, & opere Phrygio elaboratum: ad hæc Statuam Deiparæ, quam Ambræ griſeæ materiâ ſuavem, rubini & magno numero uniones pretioſam faciunt. Crucem inſuper idem *Guilielmus* addidit venuſtiſſimi operis quinque palmorum altitudine, è qua Servatoris Statua pendet, quam artifex perinde ac illam Vi ginis ex Ambrâ griſeâ fecit. Victoris Maximiliani conjux *Eliſabetha*, IESVLVM, & Virginis Matris caput, ubi videas naturam ab arte poſſe æquari; numerat hanc Imaginem inter urbis præſidia *Octav Pancirola* in ſuâ Româ. Certè templum habet è fundamentis ædificatum, & venuſtiſſimum, in quo etiamnum pendent è tholo vexilla, hoſtium ſarcaſmis inſcripta, quibus hæretici homines Vicarium Chriſti, & cum eo fidem Catholicam per omnes militũ Phalangas traduxère.

CCCLIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
EIGENTALENSIS.
Eigentalij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu gemma pura è malo, vas incarnati Dei.*

1. Oratio ante conſilium.
2. Animâ purus.
3. Miſſam ſuadent Sancti.

GRaſſabatur peſtifera lues anno 1517. magnâmque Helvetiæ partem depopulabatur. Indictus itaque eſt communi conſenſu conventus non Procerum modò, ſed eorum etiam, qui è civibus prudentiores habebantur, quo de peſte ablegandâ conſultaretur. Locus omnibus percommodus viſus eſt vallis *Eigentalenſis*, jámque præſentibus, quos adeſſe oportebat & ſenatum inchoaturis, junior quiſpiam, ſi ſapimus, inquit, ante omnia flexis genibus, & corde contrito Numinis opem imploremus, factum ab omnibus, quod juvenis ſuaſit. Supervenit venerandus ſenex peregrinus, & nemini uni notus: percontatur, quid inter ſe, tàmq; ſeriò conferrent, qui ubi ex proximo quoque omnia intellexit: bene, inquit, feciſtis, quòd ab oratione tanti momenti negotium inchoâſtis: inſuper & aliud in medium ego conſulo ſtruite hic communi ære templũ Deiparæ, in quo annuatim ter miſſæ ſacrificiũ fiat, primũ in *Deiparæ* honorem: alterũ in honorem *S. Wendelini*: tertium pro *Defunctis*, quorum animæ in flammis purgantur; tunc enim verò lues peſtifera, vos terráſque veſtras hâc vice relin-

Senatus. Apparitio. Miſſa.

linquet, valuit gentis more ſenis conſilium, & quia videri ſimul ac loqui in omnium conſpectu deſijt cæleſtem fuiſſe, & quidem ipſum *S. Wendelinum*, credidère omnes.

Peſtis. Itaque ſpe peſtis finiendæ, aliud in collectis comitijs conſultatum non eſt, quàm quo ære, quóve architecto, hoc ipſo in loco eſſet fabricandum Deiparæ templum, mirum dictu! ſæculo fortaſſis integro nulla ſive ſacra, ſive profana domus citiùs inchoata, finitáque eſt, æs ſoluendis operis dicto penè citiùs à volentibus oblatum: materia omnis à feſtinantibus comportata, artifices properare coëgit, ne peſtis non inde properaret: ſtetitque brevi templum, illis in terris ideo præcipuè admirandum, quòd citò ad culmen ſit perductum, & quia dictis tribus ſacroſanctę miſſę ſacrificijs peſtem non abire viderunt, ſed abijſſe; hodiedum annis ſingulis quam diligentiſſimè celebratur.

Non ordinarium eſt, quod ſubjungo. Duæ mulieres è *Williſavienſi* diſtrictu non ſcio qua de cauſa Peregrinationem voverunt Deiparæ ad hoc templum, ſimul ituræ, cùm ſors commoda tuliſſet. Re, ut fit, ob negotia domeſtica, annique tempus non opportunum, de menſe in menſem dilatâ, earum una moritur. Altera itaque ſola ſine Comite voto ſe liberatura, peregrinationem gentis more piè ac devotè inſtituit. Huic in via ſe jungit ignotæ formæ fæmina, eodem eâdem de causâ profectura. Purgatorium.

Poſtquam utraque vòto ſuo ſe exoluit, domúmque redijt: Jam, inquit illa, etiam ego peregrinationem meam perfeci, quam ſine te non potui: jámque ad Cælum abeo, ſimúlque inter fulgores cæleſtes paulò poſt videri deſijt. Eſt templum hodiéque miraculis clarum. Hæc ad me R. P. VVolffgangus Lieb, Societatis IESU.

CCCLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN VALLICELLA:
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pura manè radiata, gemma & unio lucis.*

1. Altaria dedicata B. V.

2. Blaſphemi ira.

3. S. Philippus Nerius.

TRedecim altaribus inſigne eſt hoc templum, & quod rarum eſt, omnia Deiparæ dedicata, myſterium habent quodpiam ſingulare, ſuntque concinnè ornata. Hic Imago eſt Deiparæ, quæ ornamentum accepit & cultum ſuum à blaſphemo, (crediderim luſore) qui anno 1537. vulnus, quod ipſi Deiparæ non poterat, Imagini ejuſdem inflixit: quæ ut ſenſiſſe vulnus Deipara crederetur ſanguinem dedit. Cultus inde locomajor acceſſit, præſertim poſtquam *S. Philippus Nerius* Congre-

gationem ſuam hoc loco inſtituit unde loco hodie nomen idem quod illi templo eſt, in quo fundatoris reliquiæ conſervantur. Octav Páncirola in ſuâ Româ.

Quantum verò his proximè annis majeſtas templi hujus creverit dici vix poteſt. Aureum dici poſſet, niſi auro pretioſiores picturæ, fornicem & latera juſtis intervallis, artificioſiſſimè implerent. Illud præ cæteris rarum quod quæ fornicem templi implet longiſſima pictura, ad ipſum miraculum referat, quod in hujus templi picturâ forte primum contigit, ſine quò ipſum templum non ſtaret. Errore Architectorum contigit, ut erecta ſive fornicis ſive tecti moles, concidere in cumulum debuerit, niſi Deipara S. Philippo Nerio adſtitiſſet eúmque periculi admonuiſſet, docuiſsétque inſuper quo remedio quibúſque artibus malo eſſet occurrendum, rem omnem doctiſſima pictoris manus in medio templi fornice ita expreſſit, ut Romam in admirationem rapuerit, rapiátque etiamnum exteros quotquot tantæ artis picturam inſpiciunt. Hæc quia mihi de viſu certa ſunt addere libuit.

CCCLV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE COMPASSIONE.
Bullæ in Germania Sup.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Io, lætaris gemma unica, pura, & munda.*

1. Rabies hæretica.
2. Pietas nobilium.
3. Statua immunis ab hæreticis.

BUllenſis pagus olim ſub Epiſcpo Lauſanenſi, nunc ſub ditione ſæculari Friburgenſium Heluetiorum eſt. Quæ de antiquitate pagi incolæ dicunt, non memoro: quia ſcriptis teſtimonijs carent, temp'um Deiparæ antiquum eſt, & ab hæreſi dirutum, his tamen annis iterum reſtauratum à RR. PP. Oratorij, qui non ita pridem è Galliæ regno in has terras & magno fructu & exemplo hic verſantur. Quos tamen nobiles, & opulenti cives ære ſuo vehementer juverunt. Hos nempe labores nobis per omnem pene Septentrionem Hæreſis fecit.

Cauſam reſtaurando à fundamentis templo dedit Statua Deiparæ adhuc integra, quomodo illa ſagacem furorem hæreticorum evaſerit, propè miraculo eſt, hodie certè multa & grandia miracula patrantur propè indies, ut ad me perſcriptum eſt: & talia quidem, quæ juſto rigore examinata ab ijs, quorum intereſt, approbationem ſuam habent, nullum tamen ex his ad me perſcripſit R. P. Georgius Gobat, S. I. à quo hæc habeo. Templum.

CCCLVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN VIA LATA.
Romæ in Jtalia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ito unicè amanda gemma rutila, pura es.*

1. Habitatio S. Pauli Romæ.
2. Converſio.
3. Officina S. Lucæ.

Liberum captivo S. Paulo fuit in carcere, Chriſtum prædicare, libertatem nos aſſerentem, & Deos inſectari in urbe Româ. Eſt hodie adhuc in veneratione locus, ſive carcerem appellare velis, ſive carceri ſimillimum diverſorium, hîc enimverò Chriſtus Romæ Gentibus natus, in hoc ſolo diverſorio locum reperit: hæc fidei incunabula ſunt, per quæ fidem Roma, quæ erat Magiſtra erroris, facta eſt diſcipula veritatis

Pictor. Socium laboris habuit Paulus Lucam, ſive calamum peteres, ſive penicillum, & ut aliqui volunt, etiam Scalprum apprimè utile: ſunt enim qui eum non tantùm Evangeliſtam & pictorem, ſed & ſculptorem fuiſſe aſſerant. Oppidò multas hodie Chriſtianus orbis veneratur Imagines, quas fama ſæculorum fert, de manu D. Lucæ prodijſſe. Et verò in opere lentum ſocium Pauli ſpiritus, qui neſciebat tarda molimina, non tuliſſet: Quam itaque Paulus Exemplo & verbo docuit, hanc Lucas quoque docuit picturâ loquente fidem, fidem confirmante Chriſto ſequentibus ſignis: Quando nullam ſcio Lucæ Imaginem quæ miraculoſæ nomen non obtinuerit. Hæc, de quâ loquor, Princeps omnium dici poteſt: quia, ut creditur, prima fuit, quam Lucas Romanis dederit.

Hæc è carcere templum fecit, digna quæ noſtram quoque pietatem provocet. Hodie ſi unquam, in honoribus eſt: Carcer, qui infra terram cum ſuo miraculoſo fonte eſt, ſumptuosè & decorè in ſacelli formam redactus, utrumque populum per ſcalas admittit: templum, quod ſuper eſt, in elegantiſſimam formam ita compoſitum, ut inter pulchriora urbis templa non magnitudine, ſed ornatu ſuo numeretur. Carcer.

Octavius Panzirola in ſua Roma plurima memorat ijs grata, qui antiquitatem curant. Cætera, quæ hodie facta ſunt, antiquitatem illuſtrant occaſio autem cur ex carcere olim factum ſit templum, ut *Florivantius Martinelli* in relatione ſua typis edita refert, *Theophylactus* quidam fuit, cujus unicus filius paralyticus, concepto ad hanc S. Imaginem deſiderio, patrem monuit movitque, ut templum voveret à fundamentis extruendum, ſi filio ſanitas redderetur. Loci ſacerdos *Mauritius Nonius*, acceptum puerum in cunis (ita morbus exigebat) per noctem poſuit in altari, reperitque manè, qualem optabat pater, ſanum ju- Templum. Cunæ.

cundum *Sergio* Pontifici ſummo fuit, videre puerum beneficio Deiparæ ſanitati reſtitutum, petitámque veniam fabricandi templi ſponte promptéque conceſſit, atque etiam templum ipſe conſecravit. Miraculum addo ex eodem *Florivantio Martinelli.*

Vinum. Romanus quiſpiam Philippus, homo ebrioſus, vitam egit, qualem ebrioſi ſolent, dies noctéſque in hoſpitijs quærendus, nunquam ſobrius, niſi cùm vinum; nunquam frugi, niſi cùm eum pecunia deficeret, uxore liberiſque neglectis, ſolus ſibi curæ erat, accidit, ut non longè à caupona ſeſquiebrius in terram à vino proſtratus, in media platea obdormiret.

Dæmon. Adeſt dæmon uxoris ſpecie, eúmque ſuaviter inter ſolitas contumelias excitatum, hortatur domum concederet. Obtemperat homo uxorius, trahi ſe paſſus, at verò alius ductoris ſenſus fuit, ad montis palatini neſcio quæ rudera deductus, plurimorum dæmonum aſpectu horrorem concepit, qui ex ebrio illico fecit ſobrium & ſui compotem. Itaque cùm alias voces non audiret, quàm, macta, occide, trucida, ipſe ſimul clamare cæpit: *S. Maria in via lata*, quæ vix nominata adſtitit, dæmones pepulit, Philippum per longas vias, manu ad uſque templum & altare duxit, &, quæ ſingularis gratia fuit, ex homine perverſo pium & bonum fecit. Hæc Florivantius Martinelli.

CCCLVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
WETTINGANA:
Wettingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu alma pura gemma arca Divina nites.*

1. Pictura fugit ignem.

2. Pictura ſe movens.

3. Accurſus propter miraculum.

WEttinga Monaſterium eſt perquam Religioſum: in hoc picta Deiparæ Imago eſt IESVLVM brachio tenentis, apud omnes per omnem viciniam in maxima veneratione. Fuit cùm Cænobium conceptâ flammâ funditus conflagraſſet. Si hæc Imago incendio mixta, ſenſit incendium, & magno portento ſenſiſſe oſtendit.

Tabula undique & undique aduſta eſt, ſi Imaginem excipias, quæ integerrima permanſit, tam ſi Deiparæ effigiem ſpectes, quàm ſi IESVLI: quanquam in hoc ſenſiſſe flammam, portentosè apparet, ſciat lector, picturam eſſe à bona manu factam, eóque ſitu ac geſtu tam filium quàm matrem proponi, quo vel Apelles, vel noſtri temporis Apelle major quiſpiam exquiſitiſſima proportione nō ablluderet. Cauſa uti ſimplicibus & ignaris abſtruſa, ita peritis & rem juſtè æſtimantibus obvia. Ignis tabulam depopulatus eouſque eſt, ut pes penè medius flammâ corruptus eſſet, ſi eo loco per- Incendium. Miraculum.

man-

manſiſſet, quo eum pictoris doctus penicillus protendit. Ita ab antiquo creditur piè, retractum à IESVLO pedem eſſe. Hæc res nemini non facilè perſuadetur, qui tabulam curioſè, & peritè inſpicit, hinc pietas popularium, & accurſus permagnus, de alijs miraculis, quæ fiunt, nihil accepi. Hæc ad me dedit R. P. VVolffgangus Lieb Societatis IESU.

CCCLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE S. IOSEPHO.

Recanati in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum.

Anagr. *I, gemma unica, mea pura à malo renides.*

1. Filius prodigus.

2. Converſio ſera, ſed ſeria.

3. Ruina innoxia pietati.

HÆc Deiparæ miraculoſa Imago à filio prodigo originem ſuam habet, *Antonio Hippolyto* Patricio Recanatenſi. Hic vitam vixit, quam prodigus adoleſcens in Evangelio vixiſſe legitur, quin eum etiam in eo ſuperavit, quòd uxorem negligeret & filium. Noctem itaque more ſuo inter choreas & pocula non ſcio inter quos ganeones abſumpſit mediam. Mater unà cum filiolo & ancillà cænam ſibi parant, & menſæ accumbunt; ſuper menſam filiolus, (Prophetia.) ô mater, ſi me audis, in hâc domo hâc nocte non pernoctabis: malum nobis imminet. Et quod, inquit mater, malum? Domus ruet, reponit puer, & nos caſu ſuo opprimet, meliora, ait mater, mi fili! noli domum, alias afflictam, timoribus obruere: infans eſt, nec novum eſt, infantes timere: & quis hos tibi metus incuſſit? Deipara, inquit, ex hâc Imagine (ſimul Imaginem è pariete pendentem indigetat) clarâ voce me allocuta eſt, & hoc me tibi dicere juſſit.

Attonita mater hæſit, crederetne infanti, (Infans.) & ſe fugâ proriperet, an verò contra hos metus audentior iret, riſuros cras vicinos, vel etiam cogitaturos, uxorem marito non meliorem faſtidire vacuam viro domum: & ſiquid aliàs nimis ſuſpicax nequitia poteſt hominibus nimiùm quantum perverſis ſuggerere. Tace, inquit, & te S. Cruce ſigna, & bene dormi; ſimul filiolum ne quidquam cum lacrymis reluctantem, & mortem ſuam matriſque ante funus deflentem, inter plumas recondidit, & culcitras. Ipſa quoque mater cubitum concedit, ſola ancilla ut venienti Domino præſto eſſet, in proximo ſcamno ſub ipsâ Imagine recumbit, magno ſuo bono: nam pretium electi pro lecto ſcamni, & quidem illius, quod ſub S. Icone à pariete prominebat: vita fuit, vix enim primus ſopor ſe inſinuavit, (Somnus ſub Imagine B. V. tutus.) excitavere ſtrepitum labentes ædium parietes, & illapſum cum trabibus

te-

tectum: & primo ſtatim impetu unà cum matre & filiolo cubiculum, in quo jacebant, obtritum eſt, ancilla inter gemitus & vota ruderibus obtecta, non oppreſſa, ſana & ſalva permanſit, dum dies & cum die homines adeſſent, nemine uno intenebris auſo intrare domum, & ſubire hiantia tecta.

Ancilla. At verò ancilla, quæ ruinam evaſerat, ubi theatrum eſt nacta, & faventes aures populi, & pueri non vanas prædictiones, & preces non valituras, & lacrymas nil impe raturas graphicè eloquentia fœmineâ deſcripſit nec tacuit, unde puer accepiſſet conſilium, etiam de mediâ nocte migrandi è domo, nempe ut erat, ex ipſa Deiparæ Imagine IESVLVM tenentis, præſente Ioſepho, & jubentis, ut quamprimum fugerent, ni mallent imminenti ruinę implicari; ſed, heu mater, inquiebat, filioli verba neglexit. Ego plus fidei puero habui, nec temerè in hoc ſcamnum me abieci, auxilium Virginis ſperans; ſi fortè puer vera dixiſſet, ita preces non interruptas totâ penè nocte fudi, nunquam non gratias actura Deiparæ, quæ me ſub hàc ſua Icone tutata eſt inter collabentes muros, & morti eripuit.

Epiſcopus. Epiſcopus re ritè examinatâ S. Iconem in Cathedrali templo altari impoſuit ad venerationem publicam. Alterum miraculum fuit, & priore majus, quòd Hippolytus vitam in melius mutauerit, & ære ſuo ſacellum ædificaverit, in quo & S. Imago ſedem haberet, & ipſe cum conjuge ſepulturam. Interea Deipara pergit in hodiernum uſque diem eſſe benefica Recanatenſibus, ut ad me perſcripſit: perilluſtris D. Hieronymus Angelita.

***

CCCLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

AD SACRUM CRUOREM

Neukirchij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Vale Divi nati mons & arca pura gemma.*

1. *Converſio ſera ſed vera.*
2. *Ira admiratione major.*
3. *Ternarius etiam impijs placet.*

DUo omninò ſæcula ſunt, ex quo locus hic titulum à *S. Cruore* obtinuit: quot annis ante hæc duo ſæcula, in templo hæc S. Deiparæ Statua ſedem fixerit, non conſtat; opus rude, & multùm

Imago. ab hujus ſæculi arte abhorrens, ſculptorem arguit pium, ſed non peritiſſimum: vultus tamen Deiparæ Virginis non arte ſculptoris, ſed divinâ virtute dolorē & triſtitiam ſupra ingenij artem refert, pietatémque & miſericordiam intuentibus movent divina, ut dixi, non ſculptoris arte, amænum Virgini vultum, vel certè amæno ſimilem feciſſe, artifex creditur: quando Virginem alius non decet, ſi cum filiolo IESU fingatur.

hæ-

Cauſa tamen fecit, cur Virgo vultum mutaret, quam memoro.

Duo omnino ſæcula ſunt, cùm hæreticus quiſpiam Boëmus templum ingreſſus, Statuam Virginis in altari conſpexit, & velut in hoſtem ſuum incidiſſet, exordium pugnæ verbis dedit, plus quàm credi poteſt contumelioſis, jamq; quod ſine commilitone, ſine teſte, Statua hæc ferret, ferocior, ipſam propiùs aggreditur & ab altari raptam in proximum puteum deijcit.

Miraculum.

Illa locum averſata, virtute divinâ ad altare redit. Stetit hæreticus: ſed admirationem arcebat ira, iterum igitur raptam iterum præcipitat in puteum ſed & illa iterum è puteo ad ſtationem ſuam redit, neſcio quid etiam impijs in ternario numero placeat, tertiùm obfirmatè contumax, non ſine novis contumelijs ab altari abſtrahit, & in eundem puteum deijcit. Jam hæreticam vides contumaciam, quam devitatura Virgo, tertiùm quoque Statuam ſuam illæſam in altari ſiſtit, ſed nondum vicit, irâ hominē ad horrenda impellente, ad ferrum itaque & capulum manum applicat, ſtringítque acinacem jam ipſum etiam ſacrilegum, & verendo capiti immane & cruentum vulnus infligit. Et viſa eſt Virgo dolere in Statuâ; etenim vultum ita mutavit, ut ſcires graviter eſſe commotam.

Vidi ego ipſe, qui hæc ſcribo, cùm admiratione doloris acerbi nòtas, formam tamen & terrentis & minitantis ita conjungit, ut pietatem non ſeparet à Majeſtate. Vultus. Certúmque omnibus eſt, vultum hunc à ſculptore formari nequiviſſe, profuit homini, ita in loco divinâ virtute fixum fuiſſe; ut nec pedem movere, nec brachium retrahere poſſet, dum mutato animo in lacrymas ſolveretur & dolores, quin & abjuratâ hæreſi, voveret annuatim locum viſere, tum enimverò Virgo aliud ab homine non exegit, liberúmque dimiſit, & ut illa ferebant tempora, nec à Iudice ſiniſtri quid paſſus eſt. Ille voti memor: non ſemel, ſed ſæpius ſingulis annis locum ſacrum inviſit, & dignos pænitentiæ fructus fecit. Tanti eſt, hæreticum erroribus eximere, miracula etiam grandia magno numero hodiéque fiunt. Hæc ex relatione impreſſa.

CCCLX.

Imago B. V. Miraculoſa.

TRANS TIBERIM.

Romæ in Italia.

Progr. **AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.**

Anagr. *1, ſincera gemma, i pura tota munda vale.*

1. Fons olei.

2. S. Cæciliæ pietas.

3. Taberna meritoria.

Locus hic præ cæteris Romanâ in urbe glorioſus eſt, quia fonte (nunc ſiccato) conſpicuus ex quo die Nativitatis Chriſti integerrimò oleum fluxit, portento nun-

quam antè viſo. Scio, *Baronium Cardinalem* exiſtimare, id uno anno antè contigiſſe: ſed antiquiſſimæ traditioni ſubſcribunt hodierni Chronologi omnes, quotquot ob duos conſules in antiquis ſcripturis repertos, eo anno Chriſti nativitatem ponunt, magis mirum hoc miraculum vel ideo fuit, quòd pacis liquor loco militari ſcaturiret. Etenim tabernam ibi meritoriam fuiſſe, ex antiquis habemus, in quâ emeriti milites inter pocula quieſcerent. Sub *Alexandro* Imperatore auſi ſunt Chriſtiani jure non ſcio quo, ſed ſuo, locum petere: nec diſſimulârunt, matrem Dei ſe hic culturos.

Taberna. Litem moverunt Chriſtianis hoſpite, tabernæ patroni litémque decidit Imperator, ſententiâ pro Chriſtianis latâ, meliùs eſſe coli Deam, quàm milites græcari. Creditur anno poſt Chriſtum ducenteſimo vigeſimo quarto mutatâ tabernâ in formam templi, in quo primùm apertè Chriſtianorum Deus invocaretur, dedicatúmque partui Deiparæ, quem oleum illud jam olim portendiſſet. Imago, quæ hodie videtur, jam tunc altari impoſita creditur, & *Clementia* appellata, nec ulli dubium eſſe poteſt, quin vera narret fama, *Divam Cæciliam* frequentare hoc Deiparæ templum ſolitam: quando ſanctæ Virginis domus vix paucis paſſibus hinc diſtat. Octa.

Panzirola in ſuâ Româ.

CCCLXI.

Imago B. V. Miraculoſa. IN CRYPTA. *Monachij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Salve O intacta gemma, I, mira, nudè pura.*

1. Ex Synagoga templum B. V.
2. Infans Martyr.
3. Monialis à B. V. monita.

FElix Bavariæ annus fuit milleſimus quadringenteſimus quadrageſimus ſecundus, quo *Albertus* Sereniſſimus Dux, exactis Hebræis, hanc Cryptam ſuam fecit, quæ tot annis antè nequiſſimæ genti pro Synagogâ fuit, hanc unà cum domo, Medico ſuo *Doctori Hartlieb*, probatæ virtutis viro, donodedit, is in uſus ſuos ſuorúmque accommodatis totius domûs habitaculis, Cryptam ſubterraneam, impoſitâ Statuâ Deiparæ, pro Oratorio habuit: ut mater cum filio à ſe ſuáque familiâ honores ſaltem privatos reciperet; ubi antè non niſi blaſphemias malignæ gentis audierat.

Crypta. Fuêre, qui auderent hoc novum Oratoriũ novâ pietate inviſere; dum pietas abiret in plures: beneficia hîc petita, hîc obtenta nonnunquam æquabantur miraculis, denique concurſus publici facti ſunt, quos domus privata ſuſtinere cum non poſſet, nil Hero jucundius accidere potuit. Domum igitur nullo pretio emptam, ſed dono acceptam B. V. dona-

donavit totam, & in non invenuſtum templum pluribus altaribus inſtructum anno 1490. decorè mutavit, & Immaculatæ Conceptioni B. Virginis dicavit, relicta, ut erat, crypta ſubterraneâ.

Templum. Et ſanè ſuus honor templo novo ſtetit, cryptæ verò aliquot poſt annis, ceſſante hominum accurſu, omnis ademptus eſt decor & veneratio, ita ut ſervandis dolijs, & craſſiori ſupellectili ſerviret, nempe poſtquam Lutheri hæreſis ex urbe Auguſtanâ afflare cœpit Monacenſem urbem, in quâ tamen ſedem figere firmam nunquam potuit. Iacebat ita inter hæc retrimenta S. Statua uſque in annum milleſimum ſexcenteſimum duodecimum cum Monachij Soror *Catharina* Ord. S. Franciſci in Monaſterio S. Chriſtophori utroque pede dolores ſenſit, quibus pares nulli Chirurgi, nulli Medici inventi ſunt, & jam annum durabat integrum pertinax malum, nullo remedio curatum, cùm repentè pro ſanitate ſuâ impenſiùs oranti, Statua hæc menti objecta eſt, antea nunquam viſa: nunquam cogitata: ſimul & ubi lateret, indicatum eſt, & pedum omnis dolor repentè ablatus. Quæritur itaque in cryptâ ſubterraneâ, & intra retrimenta inventa, purgatáque priſco cultui reſtituitur, ejectis, quæ locum ſacrum devenuſtabant, impedimentis. Ab eo tempore frequentari iterum cæptus ſacer locus, hodiéq; velut civium Aſylum honoratur, & colitur, argento, auro, & gemmis viſendus. Cæterùm curam ejus gerunt RR. PP. Benedictini Monaſterij montis Andecenſis, quem *Sanctum* paſſim nominamus, propter inſignes & antiquas Sanctorum reliquias: quanquam in urbe Conventum non habeant. Ex Relatione impreſſa.

Statua. Moniali.

CCCLXII.

Imago B. V. Miraculoſa.

TRANSPONTINA.

Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Nite ut aurora gemma ſine Adam culpa.*

1. *Imago ex oriente allata.*
2. *A ſolis ortu uſque ad occaſum.*
3. *Laudabile nomen Mariæ.*

TEmplum Romæ eſt, quod RR. PP. Carmelitanis diſcalceatis ſummi Pontificis juſſu ceſſit, quod quia ultra pontem eſt pontíque vicinum, *à ponte* populus ei nomen & penè ex ipſo Tiberi vicino hauſit. Tranſpontina Eccleſia vel S. Maria Tranſpontina appellatur.

Hic Imago quæpiam Deiparæ picta ſumma in veneratione habetur, cujus originem nec ipſi, qui eam attulêre, Patres Carmelitani ſciunt. Antiquiſſima eſt, & jam pluribus ſæculis apud Orientales Chriſtianos culta: inde inter alias Sanctorum reliquias, in ipſam uſque urbem allata hic ſedem accepit, ſunt hoc in templo in magnâ veneratione Columnæ duæ ad

Tranſpontina.

quas SS. Apoſtoli Petrus & Paulus flagellati & cæſi ſunt, quas peregrini ſummâ cum devotione exoſculantur. Habetur hodiernum in diem pro miraculoſâ: curam ejus habent in adjuncto Conventu RR. PP. Carmelitæ diſcalceati Octav Panzirola.

CCCXLXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
CIVEZANENSIS.
Civezani in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En! tu divina gemma pura à mortali eſca.*
1. Concilium Tridentinum.
2. Pondus leve.
3. Antiqua obſcurantur à novis.

CIvezanum non ignobilis pagus ſeſqui horâ Tridento diſtat. Templum habet illi omnino æquale quo ad amplitudinem, & ſimile quo ad omnem interiorem ornatum, quod Tridentinæ urbis gloriam ſuſtinere putatur, in quo tredecim ſeſſiones Concilium Tridentinum celebrâſſe memoratur. Nam cæteras omnes in templo *S. Vigilij* Cathedrali celebratas, indubitata ibidem ſcriptura teſtatur. Templum. Utrumque tam Tridentinum, quàm Civezanenſe *Cardinalis Cleſius*, ante Concilium Tridentinum Epiſcopus, ſuo ære ſtruxit, fabricâ ſanè magnificâ, utrumque Deiparæ dedicatum? quin quòd illud Civezanenſe longè in hoc præſtantius eſt, Urbano, quòd in hoc nihil de miraculis aut beneficijs Deiparæ auditum unquam ſit, illud verò peregrinationibus celebretur, & tabulis beneficiorum receptorum teſtibus perantiquis ornatum ſit, hodiéque B. Virgo voti concepti reos quàm plurimos faciat, quo vel viſitatione loci, vel munere quopiam aut ſacro promiſſo ſanitatem emunt.

Miracula. Credibile non eſt, unà cum novâ & magnificâ fabricâ cæpiſſe hos Virginis honores, & favores. Cur enim, ſi muris hæ Cæleſtes gratiæ dantur, non illi quoque templo, quod in urbe eſt, obvenerunt? utraque magnifica eſt; utraque eundem Patronum, quin & Architectum habuit: utraque ad eandem prorſus formam figurámque, & fortè ad ejuſdem prorſus virgæ menſuram ab architecto inchoata & perfecta eſt. Neque Tridentini cives unquam dabunt, Civezanenſes ruſticos ſe virtute & pietate in Virginem Superiores eſſe.

Statua. Itaque hoc ſolum cogitari à prudentibus poteſt, antiquam Deiparæ Statuam, quæ in Altari ſummo colitur, olim hic loci cultam eſſe in templo exiguo, antiquo, & ruinam minante: ut facilè antiqua obſcurantur à novis; niſi librorum memoriâ ab oblivione vindicentur, quin quòd, cùm ipſe ego locum non ſemel viſitarem, viſæ mihi ſunt tabellæ, nonnullorum beneficiorum indices, antiquitate ſuperare novum templum, quod priore ſæculo ſtructum eſt, Quod ſi ita eſt, S. Statua jam ante honores, ſuos habuit.

Plura

Plura nec ipſe Excel. Princeps & Epiſcopus Tridentinus *Carolus Madruzius* invenire potuit. Nam quod nonagenarius ſenex ſe vidiſſe juratus aſſeruit; prægrandem ſummi altaris marmoreã & craſſam tabulam, in multos palmos porrectam, à duobus equis facilè advectam; inter miracula non pono, quantumvis id paſſim pro miraculo habitum ſit.

Cæterùm miraculoſam fuiſſe, teſtantur Anathemata antiqua, & templum novum: quod utique tali in loco tantis ſumptibus extructum non eſſet, niſi templum antiquum, in cujus locum hoc ſucceſſit, miraculis clarum feciſſet. Miraculoſam hodie eſſe Statuam, ultrà Civezanenſes & vicinos pagos, teſtatur tota urbs Tridentina.

CCCLXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SCALA.
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O ter pura gemma aula es dicata Numini.*

1. Imago ſub Scalis.
2. Merces pietatis.
3. Cardinalis munificentia.

HÆc ijs adnumeranda venit, poſtquam diu latuerunt, ſponte ſuâ ſe in libertatẽ aſſeruère. Domus fuit Cænobio S. Claræ ſubjecta, in hâc ſub ipſis Scalis latuit picta Deiparæ Imago, ſedet Virgo, filiúmque pectori appreſſum tenet. Digna ſanè ſi vel picturam ſpectes loco meliore, dum demum anno 1592. à quodam, cultu aliquo præſentiore honorata, miraculo obſequium rependit, quod verò primum illud fuerit, non legi.

Cæterùm quia in plures abijt facti miraculi fama, concurſu facto celebritatem accepit Imago, jámque propter collata miſeris beneficia inter miraculoſas habebatur, cum *Emin. Card. Coſmus* unà cum alijs hoc, quod videmus, templum à fundamentis extruxit, & tabulam jam miraculis claram Principi altari inſeruit. Templum quinque poſt annis, id eſt, anno 1597. traditum RR. PP. Carmelitis diſcalceatis, hodie etiam Monaſterio auctum eſt. Cæterùm Purificationis feſtum huic templo proprium & perpetuum eſt, nec aliud de hoc Octav. Panzirola. Miraculum.

CCCLXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
VIGANA.
Vigi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Veniſti munda O vita præclara gemma.*

1. *Mutatio vultus.*
2. *Negligentia Majorum.*
3. *Pietas populi.*

TErra eſt Diœceſis Tridentinæ, quam *de Virgo* nominant. Hic B. Virginis Imago miraculoſa colitur; Authenticum ad me miſſum eſt inſtrumentum ab *Excel. Principe & Epiſc. Tridentino*: in quo de origine nihil habetur: quod antiquitatem arguit. Cæterùm plurima in eo referuntur miracula, inter quæ unum eſt, quòd Illuſtriſſimus Comes *Matthias de Thun*, loci hu us incola ſeptimo Aprilis anno 1655. ſcribit in Epiſtola ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Principem Tridentinum Epiſcopum Carolum Madruzium, tanquam teſtis oculatus & major omni exceptione, præter quamplurima alia etiam hoc, quod ut in alijs terris non novum ita apud ultra montanos rarum, Imaginem hanc ſibi viſam ſæpius mutare vultum præſentibus pluribus, idémque teſtantibus. Hinc augmentum cultûs, qui hodie ſanè magnus eſt, non ſine miraculis, quæ omitto: quia communia ſunt, nec quidquam exoticum aut ſingulare habent.

CCCLXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

SCALA CÆLI.

Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. Ito gemma, verè pura lacta Adam in ſinu.

1. *Anima è purgatorio liberatur.*
2. *Miſſa S. Bernardi.*
3. *Scala cæli.*

HÆreticis, qui ex ſimilitudine arboris ad dextram ſiniſtrámque cadentis; purgantium animarum pœnas negánt, *Bernardum* oppono, qui Cœnobium ſuum non procul templo SS. Vincentij & Anaſtaſij habuit. Is ad hoc templum, quia vicinum, ſemel divertit, & ſacrificium pro Defuncto quodam in paucis claro fecit, vidit ille tunc, aperiente per revelationem Deo, vidit heu! nec inter damnatos animam amici eſſe, nec inter beatos, ſed SS. Sacrificio adjutam, per Scalam longiſſimam in cælum conſcendere. Hinc Imago, coram quâ SS. Sacrificium fecit, *Scala Cæli* titulum accepit. Miſſ.

Cæterùm ne credat lector, ſolum illum quem Bernardus vidit hoc ex loco Cælum conſcendiſſe: Decies mille trecenti & tres Sancti Martyres, quos S. Zeno exemplo præivit, & ad Martyrium fortiter obeundum hortatus eſt, hic ſunt à majoribus conditi, quorum magna, ſi non major pars, hoc ipſo in loco morte pro Chriſto obita Cælum conſcendit. I nunc, & mirari deſine, ex hoc loco ad januam cæli, id eſt, Mariam perveniri. Nec plura Octav. Panzirola.

CCCLXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
TREMEDALANA
Tremedalij in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemma ſana, ac pura malo in virtute Dei.*

1. Animus præſagit.
2. B. V. gregem curat.
3. B. V. honorat ſuam Statuam.

IN regno Aragoniæ rupes eſt, quam *Tremedal* nominârunt majores, hîc paſtoritius puer gregem porcorum paſcebat, arte honoratiore victum quæſiturus, ſi manus ſiniſtra officium ſuum feciſſet: quæ ſeu caſu, ſeu naturâ, nunquam ad uſus humanos aperta fuit. Huic porculario ſe claro die viſendam ſtitit Deipara, petijtque panem de perâ, paſtor non omnino ruſticus, ratus quampiam ex aulâ Dominam, liberali dexterâ peram aperit. At illa, *non hâc*, fili mi, *ſed alterâ manu panem mihi porrige.* Subridens ille medius inter gemitum & lætitiam (nam aliquid altius jam animus præſagiebat) *non ego*, inquit, *paſtoritiam agerem, ſi poſſem, quod jubes.* Paruit tamen, & unà cum pane, chariorem ipſo pane manum extrahit è perâ ſaniſſimam.

Manus. Hic jam non dubius, cum quâ loqueretur, procidens ingenua, inter jucundas lacrymas, egit gratias ſoſpitatrici. Tum illa, abi, deſcende oppidum; dic incolis, me hîc ſedem fixiſſe, & templum velle, nec ſolicitus de grege ſis: ego

Lætitia. interim curam ejus geram. Currit ille, & magnis clamoribus affert incolis feliciſſimum à Deiparâ nuncium: quin & more Hiſpanico præmium petit, facilè fidem invenit, plúſque credebatur ſiniſtræ non juranti, quàm dextræ, ſi eam ad ritus juramenti ſuſtuliſſet. Mox ad campanæ ſonum inſtituitur ordinata ad rupem ſupplicatio, fraudi fuiſſet, reſidere domi, ita omnes omnis ætatis incolæ huc accurrêre, rupem reptando aſcendunt magis curioſi, & Statuam Deiparæ, quam paſtor non viderat, inveniunt, & oppidum læti deportant, ac in templi Cathedralis altari maximo depoſitam integro die pientiſſimis modis honorant, obliti laborum: nam integrâ leucâ rupes ab oppidulo diſtat.

Conatus. Sub noctem à Magiſtratibus templi coacti, domum quiſque conceſſit, at ſummo manè ubi iterum civibus repletum eſt templum S. Statua loco ſuo viſa non eſt. Ablatam doluêre omnes; quotquot ignorabant morem ejuſmodi ſacrarum Iconum. Cæteri certatim cucurrêre ad rupem Tremedalenſem, & ſuo loco, quo reperta erat, pridie ſtantem invenêre. Hic hæſêre animis etiam prudentiſſimi, rupes penè in acceſſa; nivibus per hyemem tecta poſterorum pietati non parùm obfutura credebatur: mediâ viâ ſitus amænus promittebat majora:

&

& ampliſſimo templo, jam ſumptus promittebantur. Itaque exploratur, num hic locus etiam Virgini arrideret, non jam Orignellam, ſed in arcem, quæ medio itinere erat, deportant. Sed alterâ die iterum in rupe ſuâ reperta eſt Statua, noluêre tertiùm tentare Virginem prudentes: neque enim bonis probari poteſt, ſi Superi ad ſuperflua miracula cogantur.

Templum. Itaque decretum templum in in acceſsâ rupe, aderant lapides in calcem coquendi, & præter aquam nil deſuit. Putei foſſionem diſſuaſêre omnes in tam ſicca & alta rupe, fuit tamen, qui ſpe paulò altiore repetitis ictibus terram officij ſui moneret, quique poſt paucos ictus limpidiſſimum fontem, tantùm non ſponte erupturum fuit ad obſequia Virgini elicere: nemo prudentum fuit aut eorum, qui Deiparæ amantiores, qui fontem hunc miraculo non adſcripſerit, præſertim cùm viderent ægris quoque ſalutarem. Sed ut ſequioribus ingenijs, & nulla ſuâ voluptate Virginis gloriam audientibus, ingereretur veri miraculi auctoritas, fons ille in omnem fabricam liberaliſſimè ſuffecit: & eâ finitâ quàm primùm exaruit: nunc & nega miraculum. Scala.

Demum gradus in rupe exciſi, per quos incolæ portent preces & munera, reporténtque, quas petiêre à Deiparâ, gratias, miraculoſa eſt in hodiernum diem. Ita ad me *R. P. Carol. Sinik* Germanus, qui pluribus annis fuit in Hiſpania.

CCCLXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
SUPRA MINERUAM.
Romæ in Jtalia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Niveagemma instructa a Deo pura mali.***

1. Pictor Angelicus.
2. Reverentia pictoris.
3. Virtus artem auget.

BEatus *Ioannes de Fieſole* Ordinis S. Dominici, dum viveret, pictor Angelicus appellatus eſt, nomen hoc, ut creditur, *Michaele Angelo Buronorolâ* accepit, cujus temporibus vixit. Dicere is ſolitus eſt, cum Ioannis picturas conſideraret & vultus venuſtiſſimos intueretur: *Frater iſte*, ut credo *in ipſum uſque cælum peregrinatur, ut conſideret vultus Sanctorum, quos ad nos iterum delatus depingat*; Nec multum à veritate abluſit, etenim vir ſanctus mente ſemper in Cælum erectus & orationi deditus nunquam B. Virgini depingendæ penicillum in manus ſumpſit, niſi oratione præmiſſâ: quin ipſum Deiparæ vultum de genibus pingere ſolitus eſt, atque hujus Sanctæ manus opus eſt Imago miraculoſa *de Roſario*, innumeris tabellis ornata. Octav Panzirola.

CCCLXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CAPELLA, *Giennæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
An. gr. *Veniſti gemma vera alma, condita, pura.*
1. Supplicatio mirabilis.
2. Victoria.
3. Supplicatio in ſupplicationis memoriam.

GIennenſes Hiſpani Imaginem Deiparæ miraculoſam habent, quam de *Capilla*, ſive de *Capella*, aut ſacello nominant. Hic anno 1430. contigit, quod teſtibus omni exceptione majoribus probatum Epiſcopus *Gundiſalvus de Zuniga* confirmavit, viderunt iſti nocte, decimum diem menſis Iunij præcedente, pompam in ſupplicationis formam procedentium, ſinguli faces ſingulas geſtabant, inter quos ſeptem præcipuè fuerunt conſpicui, qui cruces geſtabant ſimilibus pompis parochiali ritu præferri ſolitas. Porrò cruciferorum iſtorum habitus fuit ad talos uſque gravis, nec invenuſtus, quia albus. Comitabantur hos ſeptem cruciferos velut laterum ſtipatores utrinque triginta, non minùs quàm illi candidati. Proceſſio.

Sequebatur demum Matrona parvulum brachio geſtans, veſtitu ad lucis uſque invidiam albicante, longiſſimum ſyrma poſt ſe trahens. Hæc pompam clauſit: ſiquidem nullus eam vel ſequi vel comitari viſus eſt. Hujus Matronæ fulgor adeò omnem latè viciniam illuſtravit, ut & tectorum imbrices & omnis circùm vicinia ſpectantium oculis plus mediâ nocte & clariùs quàm in ipſo meridie imminentis tunc ſolſtitij, vel ipſe ſol poſſet.

A longè viſæ ſunt ſequi promiſcuæ turmæ fæminarum unà, virorúmque altera, ſtrepitum edens, qui ex colliſione armorum ſequi ſolet. Hoc ordine à templo Principe ad uſque templum S. Ildefonſi proceſſum eſt, ibi viſa Deipara eſt, Statuam, quæ in altari Principe conſiſtit, diſſuaviari, & ſacratiſſimis amplexibus ſanctificaſſe. Et hæc una eſt Icon Virginis, quæ ob hunc Virginis è cælo deſcenſum apud Giennenſes in honore eſt. Auget S. Statuæ honorem, quòd Epiſcopus & Dux Gundiſalvus eo die magnam à Mauris reportavit victoriam, quid, quòd ab eâ Victoriâ indies ſecurior à Mauris urbs Giennenſis evaſit, Mauris ad ipſa urbis mœnia depopulantibus ſuburbia. Hodiedum annis ſingulis feſto D. Barnabæ Apoſtoli ſupplicatio quàm poteſt ſolenniſſima inſtituitur ad ædem S. Ildefonſi, in memoriam & gratiarum actionem tanti beneficij. Hæc non modò omnibus toto, regno nota ſunt; ſed etiam olim à *Becerra* probato hiſtorico litteris tradita, & impreſſa. Ita ad me R. P. Ferd. de Accevedo. Apparitio. Proceſſio.

CCCLXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PORTICU.
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *1., ſola in veritate, pura ac munda Gemma.*

1. Iudith Romana Bethulienſis æmula.

2. Imago è Cælo.

3. Peſtis abacta.

GAlla Romana, Symmachi illius magni Conſulis filia, viri quoque Conſulis uxor, ſanctitate nobilitatem generis ſuperavit, ſiquidem ſublato, ipſo nuptiarum anno, juvene & charo marito, urbis Romanæ Iuditham, ad invidiam Bethulianæ civitatis ſe præbuit, ſuadente viduitatem & perſuadente S. Fulgentio Epiſcopo. Inter cæteras virtutes ſingulariter extitit pietas in B. Virginem, huic ſecunda fuit liberalitas in pauperes. Certè quovis prandio duodecim liberaliter in ſuo palatio pavit. Placuerunt Gallæ mores ad omnē virtutem facti Deiparæ, digni quos cæleſti favore ipſa remuneraretur.

Architriclinus. Itaque cum die quodam Architriclinus prandio pauperum intentus diſcurreret, vidit in proximâ mensâ Deiparæ venuſtiſſimam Imaginem conſiſtere, nunquam antè ſibi viſam; ſed nec nunc bene oculis repræſentatam, ob radiantiſſimum fulgorem, nihil antiquius habuit fidelis ſervus, quàm ut hoc Dominæ actutum nunciaret. Illa relicto ſtatim prandio, accurrit & fulgorem. Cæleſtem non tamen Imaginem conſpicit, vocati in conſilium amicorum nobiliſſimi, ſplendorem illum non niſi divinum eſſe cenſuerunt.

Pontifex Itum itaque ad Palatium Lateranenſe, & *Sancto Ioanni Pontifici*, (qui deinde Martyrij palmam adeptus eſt) Galla cum lacrymis exponit, quidquid illi, quos ſecum adduxerat, vidiſſent. Rogat ad extremum, ipſe in rem præſentem venire dignaretur. Et venit ſanè indictâ toti Clero populóq; quàm ſolenniſſimâ ſupplicatione, viditque in loco radios cæleſtes, Imaginem autem Deiparæ cui blandiebantur hi radij, nec ille, nec ullus cæterorum conſpexit, procidit in genua ſanctus Pontifex preces fudit, auditæ ſunt ſtatim omnes urbis campanæ feſtivum ſonare, compertúmque poſtea eſt, nullâ id manu humanâ contigiſſe.

Interea S. Pontifex S. Iconem conſpexit in aëre à duobus Seraphinis ſuſtentatam. O Mater! inquit, dignare, ut & ego in manus meas te recipiam quo dicto Seraphini ei Imaginem tradidēre, & unà cum cæleſti fulgore diſparuerunt.

Omnibus aſt ipſa S. Imago lacrymas gaudij indices expreſſit, & ingens miraculum aliud Romam implevit, nam ſæva, peſtis, quæ tunc urbem premebat, eâdē horâ preſſa eſt, Româ inter favores cæleſtes tam eximios exultante. Galla Palatium ſuum poſt-

poſthac templum eſſe juſſit: Salvatoris & Deiparæ nomen templo datum de *Porticu* vicinâ, quam *Octavia* Auguſti Cæſaris ſoror fecerat. Ipſe S. Pontifex ſolenni ritu conſecravit, nec contenta donâſſe palatium Galla, gemmas quoque & aurum, argentúmque, factum & infectum addidit: & ne quid ultrà dare poſſet, ſeipſam totam dedit, facta Monialis in Cœnobio quodam juxta templum S. Petri, in quo vitã ſanctè finivit referente ita S. Gregorio Papa, qui etiam peſtem unam urbi moleſtiſſimã, translatâ, hâc S. Imagine ad S. Petrum, & altero die reportatâ non ſine miraculo urbe pepulit.

Peſtis. *Alexander II.* Confraternitatem inſtituit, quæ templi novi curam haberet, *S. Gregorius VII.* templum quod propè corruerat, iterum refecit, & dedicavit. *Caleſtinus III.* addidit, hoſpitale pro pauperibus infirmis: cujus memoria adhuc in muro legitur, *Calliſtus III.* iterum ſolenni ſupplicatione per urbem portavit, iterúmque peſtem fugavit, *Paulus II.* S. Imaginem ad ſe noctu afferri juſſit; ſed alterâ die cùm eam videre vellet, inventa non in palatio, ſed ſuo in templo, & altari eſt, quapropter templo dedit titulum *Diaconiæ Cardinalitiæ.*

Leo X. eam circumtulit per urbem pedibus nudis: cujus exemplum ſecuti Cardinales ſunt. Eam ſupplicationem, quâ ſub *Adriano VI.* fuit circumlata, Hebræus celebrem fecit, qui vultum avertit, cum præteriret, vultúmque ad finem uſque vitæ averſum, nullà vi convertere antrorſum potuit. Hebræa oculos clauſit, & nunquam ampliùs aperuit, cæca ad ipſam uſque mortem, placet apponere verſus tabernaculo marmoreo inſcriptos, & antiquitatem ſimplicem ſpirantes.

Hæc eſt illa pia genitricis Imago Mariæ,

Quæ diſcumbenti Gallæ patuit metuenti.

Creduntur hi verſus poſiti à *Gregorio VII.* in ſecundâ inſtauratione templi 17. Iulij feſtum inventionis celebratur. Ipſa autem Imago exiguis filis aureis conſtat Sapphirinæ tabulæ ita inſertis, ut & IESVM & MARIAM quàm pientiſſimè exhibeant, nec dubitatur, ab Angelis facta, quæ per Angelos approbata eſt. Hanc hiſtoriam præ cæteris bene explicuit & impreſſit anno 1605. venerabilis ſervus Dei R. P. Ioannes Leonardus Fundator Congregationis matris Dei, unde hæc accepi. Imago.

CCCXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
CIALENSIS.
Ciali in India.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, caligemma, i ara ſuperna, tuto munda.*

1. Exercitus Imagine B. V. tutus.
2. Viſa Mauris Virgo.
3. Animat Luſitanos.

Cialenſem voco hanc Deiparæ pictam & miraculoſam Imaginem, quòd miraculorum primum fecerit in prælio, quòd ad urbem, cui *Ciali* nomen eſt, Barbaris eripiendam Luſitani commiſère. *Iacobus Meneſius* Luſitanus exiguâ claſſe navigiorum varij generis Zamorinum fregit, ejúſque potentem exercitum profligavit. Bellum. Exinde *Ciali* opitulaturus, in illius portum per fulminantia hinc inde hoſtiû tormenta ſubijt, hâc Deiparæ Imagine, quam noſtri Patres ſecum tulerant, tutus: teſtantúrque complures, exploſos ijs globos, noſtrorum, id eſt, Luſitanorum quà pectori qua dorſo incuſſos ictu imbelli concidiſſe, uno illorum contactu emortuos. Ad Chiculû verò octingenti, qui arci præſidio erant Luſitani, provocati ad pugnam ab Izamaluco, ethnicorum militum ſeptuaginta millibus ſuperbo, die B. B. Apoſtolis ſacro tantam cædem eorum edidêre, vix ut media pars multitudinis tantæ evaſerit. Deum nempe ac cæli Reginam interfuiſſe prælio, confirmant prodigia, quibus victoriam ſunt adepti, accumulatis retro inaggerem undis, refluumq; mare per tres horas acceſſum ſuſtinuit; ne ſicci litoris oram Barbaris nudaret, ex quâ debiliorem arcis aggrederentur partem. Pluvia. Ad hæc omnes eorum machinas repentinus extinxit imber, cùm ex præcedente jaculatione glandium quadragies mille coacervaſſent Luſitani.

Poſtremò aciem Luſitanorum primam, quæ prælium inijt, proceſſit aſpectabilis Matrona ornatu regio, & terribili ſpecie: Apparitio. quæ ſubinde reſpectans, ſuos animabat, hoſtibus minabatur: qui pacis poſtea impetratæ conditionibus acceptis, videndæ Matronæ vehementer petebant ſibi copiam fieri, majorémque humanâ prædicabant, quæ tot arma & tela incolumis & intacta ſpreviſſet, ijs verò Imago Deiparæ, de quâ loquor, cùm eſſet exhibita, velut eandem, quam viderant, proſecuti ſunt adoratione, muneribus, & quidam etiam ſuperſtitionis patriæ ejuratione. Hinc Imago Luſitanis in majore honore, in quo verò templo poſtea repoſita ſit, non ſcribit *R. P. Daniel Bartholi S. I.* in Aſiæ hiſtoriâ ex quâ hæc accepi P. 1. lib. 7. num. 77.

CCCLXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD URSUM.
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Porta nati IESU cari gemma munda vale.*

1. Cæci Illuminatio.
2. Imago ſupra portam domus.
3. Oratio in platea.

Cuſtodem templi hujus, qui cum Rectoris titulo curam ha-

habuit, devotum Virgini fuiſſe, hæc ipſa miraculoſa Imago probat, quam ſupra portam domûs ſuæ conſtituit, ut ſecuritatem exeunti, & pacem intranti, quin & prætereunti, ſi pace dignus eſſet, præſtaret. Quoties intrantibus, exeuntibus, & prætereuntibus favore ſuo Virgo profuerit, ijs in libris legimus, qui olim aperientur, quoſque cuſtodes hominum Angeli ſcripsêre.

Miraculum. Primum, quod nobis alluxit, Sanctæ hujus Imaginis miraculum, in cæci oculos felici er illapſum eſt, qui aliorum relatu ſcivit, hic Deiparæ eſſe Imaginem, ut & cæci ſolent, memori mente & locum & loci ſitum repoſuit, nunquam S. Iconem irreverenter aſpexit, & ſemper demiſſis, imò clauſis cum ſuſpirio oculis, cùm præteriret, reveritus eſt, ſemel in Virginem, cùm oculis non poſſet, animo intentior hanc S. Iconem, & longè majore cum reverentiâ, quàm communiter tranſeuntes ſolent, prætcrijt, utique poſtquam à Virgine, quam plus oculis ſuis amabat, oculorum uſum cum fiducia popoſcit, nunquam in miſeros non prona. Virgo oculos petenti, oculos dedit: quos ille, cùm ætatem haberet, & pro ſeipſo loquipoſſet Romanæ urbi oculatiſſimus teſtis abundè probavit, ſe à Deiparâ accepiſſe, quam hac in Icone non videns eſſet veneratus.

Templi Rector indignum ſe exiſtimavit, ſub cujus tectum Virgo Deipara intraret, quam tot annis ſine tecto extra domum conſtituiſſet. Itaque majore reverentiâ dignam, intulit templo, in quo & honores à videntibus accipit, & titulum miraculoſæ non fictè in hanc uſque diem conſervat, cæci præſertim; & qui oculorum patiuntur vel defectus, vel dolores, hic opem quærunt, & inveniunt. Octav. Panzirola in ſuâ Româ. Domus.

CCCLXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE REMEDIIS.

Numantiæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *En! una gemma pura, I ditata amoris luce.*

1. Liberatrix Captivorum.

2. Imago ex Africa.

3. Anathemata ferrea.

Numantia ex antiquiſſimis urbibus Hiſpaniæ plures habet Deiparæ Imagines miraculoſas quas ſuo loco afferam, miſſæ mihi ſunt ex diverſis Hiſpaniæ urbibus à diverſis Soc. IESU Patribus quorum nomina poſui in indice ut ingratitudinis notam evadam. En! ultimam, quam de Numantia urbe accepi Marianam Imaginem, quam tenent coluntque RR. PP. de mercede, qui eam ex Africâ tulêre, fortè jam ibi miraculoſam, certè celebrem, namque ab ipsâ uſque Africâ apud Captivos in veneratione & in votis eſt, qui miraculoſè illic liberati

rati ſine munere Africano huc venire non ſolent: catenas ferunt, Catenæ. quarum pondere preſſi, ad hanc ſacram Statuam ſe voti vinculo ligârunt, & liberati ſunt, an verò etiam alijs quoque hîc Virgo opituletur, ad me non perſcripſit R. P. Benedictus Lopez Rector Collegij Compoſtellani Societatis IESU.

CCCLXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ARSENALI. *Venetijs in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Adeſto gemma jure nunciata pura mali.*

1. Minor cedit majori.
2. Deletur Imago S. Marci.
3. Revireſcit Imago B. V.

Singularis Deiparæ gloria per hanc ſacram Imaginem apparuit, qualem vix uſpiam invenias. Stetit in armamentario vulgo *Arſenali* columna lateritia, non magna Imagine Deiparæ decora, quis eam pingi curârit, quámque ob cauſam, ſcire quidem jucundiſſimum foret: ſed vetuit hoc majorum non ſcrupuloſa pietas, quæ magnarum rerum origines, quia parvæ erant, facilè neglexit Arſenale. Fuit, cùm eo in loco ad uſus arſenalis cellæ ſtruerentur, &c. ut ſolet S. Marci Imago Deiparæ, Venetæ inſigne, novæ fabricæ erat apponenda, viſa ad rem aptiſſima eſt, columna illa, quapropter deletâ Deiparæ Imagine, pictor S. Marci depinxit Iconem: & operæ etiam pretium tulit. Sed die alterâ viſus eſt Divus Evangeliſta ceſſiſſe Deiparæ: ſiquidem omnis nova pictura evanuit, ſtetítque, ut antè, vetuſta Deiparæ Icon totis heri penicillis deleta & coloribus obducta.

Viſa res eſt digna majore cultu, Cultus. maximè quia videbatur Deipara pron. ittere hoc in loco petentibus beneficia, eam ob cauſam fabricæ præfecti locum reliquêre, qui S. Imagini honorandæ ſufficere poterat, concurſu ad novum miraculum facto, viſum etiam eſt, ex congeſtis pecunijs ſacellum ædificar., in quo hodiéque beneficia petentibus Deipara liberaliter confert. Ioan. Bapt. Alberti.

CCCLXXV.

Imago B. V. Miraculoſa. SUBTERRANEA. *Avilæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eia pura, ac munda nites O rutila gemma,*

1. Honor in loco ignominiæ.
2. Vultus terret pectora.
3. Novendium.

Hæc ideo Subterranea vocatur, quia in ſacello colitur, ad quod per

per triginta omnino gradus deſcenditur; non aliam credo ob cauſam ibi ædificatum, niſi ut S. Statua ibi, ubi neglecta olim jacebat, coleretur, niſi forte conſuetâ loci mutatione ad hoc Architectos coëgerit, nulla hic ſcripta, ſola traditio fidelium fidem præſtat, & omnem narrationem abſolvit, antiquitatem probat materia incognita: argilla crederetur, niſi inſolitum pondus lapidem argueret ſedet mater IESVLVM brachio ſuſtentans, in publicis Avilæ malis huc concurritur.

Concurſus.

Quod verò cæteris præferatur miraculoſis imaginibus, quarum Avila dives eſt, crediderim eſſe vultum Virginis; qui peccatores curioſos nonnunquam terret, eos autem, quibus datura beneficium eſt, ſuaviſſimè quandoque intuetur. E miraculis adjungo duo, primum eſt. *Hieronymo Mariquez* Epiſcopo Avilano ad mortem ægro allata, ſubitò ſimul ac ab eo cōſpecta eſt, melius habere cæpit tanto incremento, ut novendiali devotione finitâ morbus quoque finiretur, & ipſe ſalvus ſuiſque pedibus conſiſtens S. Statuam comitaretur ad ſuum ſacellum. Ipſe Inquiſitor generalis totius Hiſpaniæ factus, poſtea miraculum hoc juſtis litteris confirmavit, alterum miraculum dat religioſa Virgo è Cœnobio S. Annæ, hæc defluxione pertinaci penè oculos perdidit; nullo prorſus mali remedio, quantumvis peririſſimi conſulerentur. Obtentâ veniâ ad novendialem devotionem in ſacello peragendam, cùm ad primum ingreſſum in hæc verba prorumperet: Domina! ego à te ſolâ ſanitatis remedium ſpero: repente convaluit; hæc aliaque ad me perſcripſit R. P. Michaël de Arbicu Soc. IESU.

Miracul.

CCCLXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. AD S. AVGVTSINVM. *Romæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Vivit clarè puragemma ſine nota Adam.*

1. Peſtis remedium.

3. Supplicatio.

3. Conſtantinopoli allata.

Hujus S. Imaginis originem operæ pretium eſſet, à Turcis petere, niſi altero abhinc ſæculo cum Conſtantinopoli unà etiam ea nobis Turcæ rapuiſſent; è quibus & hujus forte Imaginis origo deprehendi poſſet. Anno 1453. poſt captam direptámque alteram Romam faſtiditâ jam patriâ, Græcorum nonnulli Romam venere; viri magni & domi ſuæ nobiles. Interea, quæ ſubducere hoſtium unguibus licuit; Imago Deiparæ fuit; quam è templo quopiam; jam nihil temeratæ urbi profuturam; extulerunt; & navi reverenter impoſitam ſecum avexêre: ut ſcirent quis mare pacaſſet; ſi proſperâ navigatione Italiam attingerent.

Græci.

Venere Romam; Cardinali

Eſtrâtovillano facti familiares, ſacram Imaginem jam olim cultam Conſtantinopoli, dono dant. Is publico dignam, veritus privatis jungere cimelijs, Cænobio D. Auguſtini donat, jubétque altari, quod in templi Choro eſt, inſeri. Hic etiamnum ſtat: numerátque Roma hanc inter primas & miraculoſas, quin ſunt, qui non vanis conjecturis adducti, credunt opus D. Lucæ eſſe: quod ego, quia nulla habeo fundamenta, aſſerere non auſim, miracula pat âſſe etiam Romæ, dubitari non poteſt, poſtquam eam ipſe *Innocentius VIII.* velut Thaumaturgam veneratus eſt: etiam peſtiferæ lui, quæ Romam ſub annum 1485. afflixit, hanc ſolicitus Paſtor ovibus ſuis medicinam, inſtitutâ ſupplicatione, cum fructu prætulit. Deducta cum pompâ ad Baſilicam S. Petri, & poſt honores exhibitos huc reducta, Peſtilentiæ finem fecit. Etſi omnia alia deeſſent, ſatis hoc ad miraculoſæ nomen acquirendum, continuandúmque.

Donatio.

S. Lucas.

Octav Panzirola ex M. S.

CCCLXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PIETATE:
Verraci in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Gemma in auro, intacta à lue, Deum paris.*

1. Lucrum è lacrymis arborum.
2. Amica querela.
3. Aqua obtentà.

VBi templum Deiparæ nunc ſtat, ibi antè Pinetum fuit, ingens colonorum lucrum, qui picem è frequentibus pinis defluentem, pretioſas arborum lacrymas ad forum deportavêre, lucro colonis non ſpernendo. Hic cæleſtibus flammis inter denſiſſimos ramos hæc S. Statua indicata & reperta eſt. Coloni pauperes conjunctis operis ſacellum erexerunt, quod hodiéque ſuâ firmitate admirationem movet.

Templum. Vulgato prodigio allatæ quoque aliunde ſunt in ampliorem fabricam pecuniæ, ab ijs ſubmiſſæ, qui beneficia acceperant: donati fundi, aliáque. Extat hodie liber, qui rationes exhibet à centum & ſeptuaginta annis. Erecta confraternitas, dati loco procuratores, qui theſauro præeſſent. E miraculis gratioſum illud eſt. Fæmina diu lectodecubuit, ita dolôribus afflicta, ut ſe vix in lecto, ne dum è lecto, movere poſſet: ad hæc die quapiam, quæ unà cum febri ſitim afflictæ duplicabat, id ſolùm ægræ incommodum erat, quòd omnes omnino domeſticos agri labor occuparet: ita nemo domi fuit, qui vel guttam ſitienti porrigeret. Illa Deiparam admonuit pietatis, & aquam popoſcit: quid enim vilius poſtulare poſſet? multum tamen erat, hâc in neceſſitate vel hanc impetrâſſe, cùm ecce! ſe repentè ſanam ſenſit, quæ & aquam haurire, ne dum bibere ſine

da-

damno poſſet: & priuſquam redirent domeſtici: etiam ad templum accedere, & Soſpitatrici ſuæ gratias agere. Hoc anno 1619. contigit.

Quod ſequitur, adhuc rarius eſt, & anno ſequente accidiſſe ſcribitur. Puella fuit, quam etiam lectus ita detinuit, ut nec facultas nec ſpes eſſet, lectum unquam deſerendi, malum duplicavit omnium peritorum opinio, morbum eſſe congenitum, nec niſi morte ipsâ curandum. Illa aliquando inter dolores nullo facto voto, nullis precibus, ſe Virgini commendans, inter alios cum præſentibus ſermones in amicas & innocentes querelas delapſa eſt, quòd ſe miſeram ita torqueri ſineret, ſimul ac dixit, ſana & ſalva è lecto proſilijt, & ad templum, actura Virgini gratias, cucurrit, res ritè examinata, & probata, ad me cum cæteris perſcripta eſt à R. P. Michaele de Arbicu S. I.

CCCLXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

IN CAMPO MARTIO.

Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O divina pura gemma ſine tetra macula.*

1 Bonorum exilium urbis exitium.
2. Imago in puteo.
3. Incendium.

LEO Iſauricus Imperatoris titulo indignus, non Imaginum modò hoſtis fuit juratus, ſed & eorum, apud quos Imagines bene habebant. Ita brevi tempore Conſtantinopolim totam fecit ſceleſtam, quando bona, bonorum pars vel exilio vel morte eſt multata, integer ſacrarum Virginum cætus, meliores quæſitum ſedes, Romam petijt veterem, quando in novâ non licebat ampliùs eſſe bonis, ne ſolæ venirent, ſecum Camelis impoſuêre, quidquid olim ſancti reliquerant, poſteris honorandum.

Reliquiæ. Hos inter theſauros fuit corpus S. Gregorij Nazianzeni: quod, quia ſanctum cæleſti vi Camelos ſtitit, depoſuêre, Imagines verò plures Beatiſſimæ Virginis, quas ſecum advexêre, alio in templo expoſuerunt: quas inter hanc, de quâ loquor, fuiſſe ferunt à S. Luca pictam. Hæc ardente Monaſterio in puteum divinâ virtute delata eſt, ne incendio periret: néve crederetur res miraculo carere, ferebatur ſuper aquas ſacrum onus, non modò ut aquas non libaret, ſed ne tangeret quidem.

Priore ſæculo ruinam minante antiquâ fabricâ, templum, quod hodie videtur ædificatum eſt & tabernaculo S. Imago recluſa. Hoc ſacræ Virgines ita fieri volebant, ut nec laboris, nec ſumptuum rationem facerent, jnventus itaque eſt *Michael Angelus Bonarota*, ſculptor, pictor, & architectus, quàm qui poſſet maximè: & contulit ſanè operam ſuam artifex. Teſtatus ipſe eſt, voce è cæ- Bonarota.

lo auribus allapsâ ſe monitum, omnem diligentiam & artem adhiberet, unde unde hæc vox ad aures ejus devenerit, ipſe mercedis in cælo, ut ſperabat, ſecurus nullam à Cænobio pro opera præſtita etiam oblatam accepit. Octa. Panzirola.

CCCLXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

AD AQUAS SANCTAS.

In villa viridi in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. Gemma Adamante purior & janua lucis.

1 Qui ſitit ſomniat fontes.

2. Brachium aureum.

3. Pignus magnum.

IOannes bonus, paſtor non malus, inter Chriſtianos primas, quos Recaredi Regis tempora per baptiſmum generarant, ſiti tantùm non enectus, dum ad Bætim fluvium vadit, feſſus ſub umbroſa rupe ſe in gramen abjicit, ſomnum capit, & in ſomno videre ſibi novum fontem videtur; cujus viſionis lætitiâ experrectus, jam apertis oculis conſpicit, quem paulò antè viderat clauſis, vidit inſuper majus quidpiam in ipſius rupis vertice, Statuam B. Virginis ſex digitos non excedentem, ligneam quidem, ſed cujus ligni nomen regionibus illis inauditum & incognitum.

Brachium. Illud mirabile, quòd loco brachij dextri lignei aliud ex puro auro ſuffectum haberet Statua, ſed Ioannes ignarus, quanti pretij theſaurum inveniſſet, Statuam domum fert. At verò domum cum grege regreſſus, ſub ipſa pene porta villæ viridis vinum à Cauponaria petit, & pro vino Statuam repertam, cùm pecuniam non haberet, pignoris loco relinquit. Illa Statuam in ciſta recludit, ignara damni ſui, nam manè à tranſeunte paſtore, pecuniámque afferente nihil accepit; quia reddere Statuam non poterat.

Ioannes gregem agit ad rupem, Tranſlatio. pridiano ſomnio felicem, non tantùm pecorum causâ, ſed & ſuâ, nam & ibi Statuam ſe reperturum, non vanâ ſuſpicione augurabatur, ſimilium tranſlationum non omnino ignarus. Et verò felicitatis ſuæ augur non vanus fuit: ſiquidem Statua quæſita eodem prorſus loco ſitúque, quo illam pridie invenerat reperta eſt. Itaq; majore quàm pridie gaudio receptæ formã & materiam conſiderat: videtque dextrum brachium, ut ſuprà memoravi, aureum eſſe cætera lignea, miratus tamen, non totam eſſe auream, pugione extracto tentat terno ictu lignum, ſed tribus guttis puriſſimi ſanguinis huic trinæ quæſtioni reſponſum eſt.

Attonitus paſtor, relicto grege, Irreverentia. cum S. Statua & pugione ad Dominum ſuum in urbe properat: iſte Hiſpalim (quæ hodie Sevigli a eſt) ad Epiſcopum Sanctum Iſidorum, toti Hiſpaniæ notiſſimum. Is re perpenſâ, & S. Statuam; & pugionem ſanguine imbutum in ſacrario templi cathedralis recondit,

dit, omnia ad juris rigorem examinat, & approbat: quin & ſacellum deſignat in templo Cathedrali, in quo poſthac coli S. Statua pro meritis poſſit ac debeat.

Erat jam capſa argento gravis parata excipiendo tanto theſauro, ſed cùm arca ſacrarij aperiretur, præter pugionem nihil inventum eſt, furti ſuſpicio in paſtorem cecidit: is comprehenſus, latâ fronte; fallor, ait, aut eam in rupe invenietis, ſacerdos cum duobus Notarijs locum accedunt, ſtatuámque inveniunt, ſed cùm eam reportare vellent, quiſque vires ſuas probavit, ſed nemo eorum vel tollere potuit. Cùm itaque nemo eam reportare in urbem poſſet, omnia tabulis legitimè conſignata ſunt. S. Iſidorus ſacellum ſtruxit, quo & rupem & fontem incluſit texítque, ubi miraculis & accurſu populorum claruit uſque ad Gothorum tempora Hiſpaniæ infeſta; ſub quæ pius quiſpiam loci Parochus unà cum deſcriptione hujus originis S. Statuam in muro templi, eum in finem cavato, reclusit, quem locum obſcurum & anguſtum ſacra Statua incoluit ſexcentis, & quod ſuperat, annis: & recepta ſub Ferdinando rege Hiſpali, cuipiam ſacerdoti revelata eſt, ſiquidem Peregrinis legebatur è libro inventio, quam memoravi prima.

Sed quod ſine dolore memorari non poteſt, centum pòſt annis liber ille amiſſus eſt: nec quiſquam toto ſæculo inventus, qui eam originem ex illo libro deſcripſiſſet. Divino conſilio factum eſt, ut ſenex capularis omnem hiſtoriam dictaret, nullo miraculo. Etenim puer olim aquis ereptus, eam Peregrinis mixtus toties legi audivit, ut denique totam memoriâ teneret, hoc dictante velut altero Eſdrâ, tota hæc habetur Hiſtoria Ex miraculis pluribus, ad me perſcriptis, unum apponam, quod cæteris magis rarum & exoticum eſt. Puellæ cuipiam venter vitio tam occulto, intumuerat ut auctor tumoris inveniri non potuerit. Mater filiam ad hunc S. fontem adducit, & nudatam rivulo non profundo immergere ſe jubet, non ſine verbis, quæ filiã perſtringerent: nã ſi iam ea, inquiebat, nõ morbo, ſed peccato tuo tibi venter intumeſcit: denique non es Virgo. Illa tam, inquit, O Mater! Virgo ſum, quàm ipſa Virgo Virginum Maria: idque juramento teſtatur, vix hæc prolocuta abſorbetur ab aquâ non altâ, quæque nullo gurgite infida, ubique ad paucos palmos illimem fundum oculis exhibet: abſorbetur, inquam, ſolis capillis ſupernatantibus, quos ſollicita mater fortiſſimè prehenſos extrahit, ſed ſolos: nam filia ob mendacem blaſphemiam, non comparuit; ab aquis ad ignes æternos delapſa. Hæc ad me R. P. Ferdinandus de Acevedo Soc. IESU.

Memoria.

Blaſphemia.

CCCLXXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD S. BERNARDVM.
Romæ in Jtalia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Tu anima dilecta vera Syon, pura gemma.*

1. Opus S. Lucæ.
2. Anathemata multa.
3. Forum Traiani.

HAbet Cænobium S. Bernardus ad forum Traiani ab antiquo, & in templo Cænobij Imaginem Deiparæ miraculoſam, quæ vel ſolâ antiquitate ſibi venerationem conciliat, ne dum beneficijs præſtitis à tot ſæculis. Crediderim vix eſſe Cænobium aliquod ordinis S. Bernardi ubi non ſit vel certè eſſe poſſit Imago Deiparæ miraculoſa, ratio cur hoc opiner eſt inſignis Mariæ amor in Bernardum, quem utique etiam propagavit in filios quia & ipſi ſinceriſſimo amore feruntur in ſanctiſſimam Virginem.

Famam ſuam habet à ſanctò Luca, cujus opus eſſe creditur, felix origine ſuâ ſi hanc habet, ubi ante hujus Cænobij exordia fuerit, aut quomodo huc delata, aut quomodo inter tot urbis vaſtationes ſit ſervata, ignorat, qui de eâ ſcribit *Octav Panzirola.* Cæterùm hodiéque accurſu populi non caret, & appenſa Anathemata teſtantur beneficiorũ multitudinẽ.

CCCLXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
ANTIQUA.
Seviglia in Hiſpania.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, gemma ſana, & lucida pura omni reatu.*

1. Murus durus.
2. Lampades multæ.
3. Concurſus magnus.

EST in maximo templo Hiſpalenſi Imago Deiparæ depicta in pariete, quæ nomen habet ab antiquitate, & *Virgo Antiqua* Antonomaſticè nominatur. Statura eſt ſeſqui major humanâ, formâ ſpecioſiſſimâ ut miraculum ſit, inter majores noſtros pictorem fuiſſe tantâ arte præſtantem, & quod ipſo miro mirum magis eſt, in hanc uſque diem & integra eſt, & vel formæ, vel colorum paſſa eſt, nullum omnino damnum: veſtis tota deaurata eſt.

Origo, quantum ad me perſcriptum eſt, ignoratur. Fama eſt, antiquiorem Mauris eſſe, quin & fortiorem, & quam ipſi nullâ arte expungere potuerint: quantumvis & ligones & malleos adhibuerint. Cultus hodiéque ingens eſt: ardent perpetuæ in ſacello, quod Auguſtiſſimum eſt, lampades plu- Antiquitas.

res

res argenteæ, nulla diei hora ſacrum locum accedas, quin tibi via per confertum populum facienda, omnia penè ſuperant Litaneuticæ preces, quas *Lauretanas* vocamus, & quovis Sabbato, aſſiſtente toto Clero Cathedralis templi, numeroſi Symphonaſci non minore pietate quàm majeſtate concinunt, nec aliud ad me R. P. Alfonſus Rodriquez Soc. IESU.

CCCLXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE TRIBULATIONE.

Venetijs in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *I, nota gemma, I, præſervata luci munda.*

1. Septem dierum devotio.

2. Concurſus.

3. Auxilium certum.

DEmus hoc majoribus noſtris, qui omne adverſitatum genus, à tribulorum infeſtâ vexatione *Tribulationem* appellarunt. Demus hoc, inquam, nec ab ijs velut legislatoribus, certè nomenclatoribus factorum ſuorum rationem poſcamus.

Imago. Hæc Virginis Imago, quæ fugam in Ægyptum refert, *de Tribulatione* nomen habet, utique ab eâ, quam vel Ægyptus, vel ingrata patria Christo porrexit, niſi mavelis eas intelligere, quas tribulati hîc deponunt inter preces & ſuſpiria, quique factis ritè votis, ſi in tribulatione ſunt conſolationem cum miſericordiâ inveniunt. Neque hîc genus quodpiam Conſolatio. adverſitatis, ut alibi, certum eſt, cui ſoli hîc medela porrigatur à Virgine, quidquid eſt, quod affligit, quod tribulat, huc deporta, hîc depone: ſi tibi non oberit, abeſſe, liberaberis.

Hæc ut ſemper fuerunt, magnis tamen auctibus cum affluxu Tribulatorum crevit pietas, poſtquam è Ciſtercienſium ordine uni Virgo apparuit, juſſitque manibus preſſus incruentum filij ſacrificium hîc offerri, neque aliud lector petat divini viſi argumentum, quo verum eſſe probetur, Miſſa. quàm ipſam optatiſſimi eventûs felicem experientiam, quam Veneti, ſi petant, verbis factiſque cum gaudio referent. Ita enim inolevit opinio, infelicem prorſus eſſe, qui hic ſeptendiali devotione in ſuâ tribulatione non ingens decrementum experiatur: cùm pleríque modis miris, veriſtamen, omnino liberentur. Ex Relatione impreſſa.

diligenter conſcripta, edax tamen, ut dixi, flamma abſumpſit, nobiſque invidit. Eſtque hodie inter triginta quinque templa Parochialia non poſtremum hoc templum initium templo datum creditur anno 1107. quo tempore hâc urbis parte, nunc habitatiſſimâ, deſertum fuit paſcendis pecoribus. Hæc ad me R. P. Benedictus Vaſquez Rector Colleg. Compoſtell. Soc. IESU.

CCCLXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CÆLESTIA
Venetijs in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemma pura imo divina, ter ſancta vale.*

1. *Peregrinatio Ieroſolymitana.*
2. *Mundus muliebris.*
3. *Deſiderium Imaginis.*

IAm dudum in Soria inter Turcas, apud Chriſtianos tamen hoſpitabatur Virginis Deiparæ venuſtiſſima Imago, quam ipſa volebat eſſe Thaumaturgam, non tamen indignos tanti beneficij incolas fieri participes. Locus, quem Virgo pro Icone ſuâ præ omnibus elegit, Monaſterium fuit, in quo Venetijs Deo dicatæ Moniales vivunt, & *Cæleſtia* appellatur, ſive quia Cæleſtibus ſemper intentæ nunquam terrenis ſe rebus miſcent, ſive aliam ob cauſam, quam nobis abſcondit Antiquitas. Fuit, cùm de *Contarenorum* proſapia nonnulli ſacram navigationem inſtituerent Ieroſolymam: hi priuſquam vela darent, hoc Cænobium acceſsêre ſalutatur ultimùm duas è cætu, nobiles è proſapia ſua, & cognatas Virgines.

Nemo eſt, qui non optet, ab amico afferri ſibi rarum quidpiam è longinquis regionibus redeunte. Virgines illæ, quibus totus mundus muliebris jam pridem inter crepundia numerabatur, Imaginis cujuſdam deſiderium præſeferunt, vellemus, inquiunt, eſſet hæc Deiparæ Imago & antiqua. Chriſtiani ſunt incolæ plurimi, & multa à majoribus etiamnum inter Machometanos evaſerunt monumenta antiquæ pietatis, ſi difficiles erunt, accedet votis veſtris Virgo. Abierunt Contareni, & dum mari proſpero vela faciunt, Piſanis quibuſdam viæ comitibus, quos jam frequentiùs Oriens viderat, ſororum deſideria exponunt, ſimùlque tanquam peritos locorum rogare inſtituunt, utinam ſit, quo petentibus ſatiſfacere reduces poſſint.

Piſani locum nominant, Imaginem deſignant; quam & ipſi proximâ navigatione petijſſent; ſed fruſtra. Tentârunt id, cùm in Soriam perveniſſent Veneti Contareni, & ſive prece, ſive pretio ab ijs, quibus templi Soriani cura fuit, extorquent, eámque felice navigatione uſi in Patriam deferunt. Hæc eſt illa Imago quam aut bajulorum pia ſolicitudo, aut expe-

ctan-

ſtantium cognatarum Virginum accenſa deſideria, aut totius religioſi cætûs, cùm inferrêtur, læ-tit a Thaumaturgam fecit, certè ut nomen à Monaſterio ſumpſerit, famam eidem longè latéque propagavit, maximè poſtquam, quæ poſt recepta à Virgine beneficia delata ſunt, munera, templum & templi ornatum magnis impenſis auxerunt. Miraculoſam eſſe Veneti ſciunt, alióſque ſcire faciunt; dum eis mira, quæ Virgo operatur, recenſent. Hæc Bapt. Alberti lib. 2.

Fama.

***

CCCXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VICTORIA.
Malacæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. Gemma lucis idea, animatur pura nota.

1. *Donum Imperatoris.*
2. *Statua præſentia Victorioſa.*
3. *Victoria prædicta.*

STatua lignea eſt, ligni tamen ſpeciem nomênque hactenus invenit nemo: duritie cætera ſuperat illæſa, & ſine carie, moles. Altitudine hominem juſtæ ſtaturæ æquat, ſellæ inſidet, IESUMque ſupra genua in gremio geſtat: fecitque ſculptor, ut præter aliorum artificum mores IESULUS amoveri queat, ſubeſt pedibus baſis, & baſi hæc inſcriptio commendata: *S. Maria de Victoria* veſtes lineæ, earum color cæruleus auro diſtinctus: Coronam habet Imperialem, IESULUS quoque veſtibus amicitur pretioſis. Caput utriuſque ornant uniones. Quis artifex fuerit aut quâ orbis parte ſculpta ſit, ipſimet Hiſpani ignorant: pulcherrimam eſſe, quam tota habeat Bætica, plures aſſerunt. Id unum conſtat, ab Auguſtiſſimo Imperatore *Maximiliano* Regibus Catholicis *Ferdinando & Eliſabethâ* dono miſſam, regibus in ſuo ſacello decóre habitam, qui etiam eam contra Mauros eduxerunt in prælia; & fide publicâ conſtat, eâ præſente ſemper viciſſe Chriſtianos.

Hinc nomen *de Victoria* acquiſivit. Templi parietes catenis & compedibus ornantur, quos liberati à Mauris captivi attulère: quamquam major pars in templi uſus ceſſit. Anno 1487. dono data hæc Imago eſt RR. PP. S. Franciſci de Paula, cauſa donationis iſta.

Obſidio. Obſedit hoc anno *Ferdinandus V.* cum conjuge *Eliſabetha* urbem Malacenſem aderant quadraginta peditum, duodecim equitum millia, ſed ferociores in defendenda urbe Mauri compulère regem ad obſidionem ſolvendam, jamque receptui dies dicta: cùm ecce! adſunt duo fratres à S. Franciſco de Paula miſſi cum litteris, quibus ſanctus regi ſanctè pollicebatur, tertio ab hinc die urbis deditionem ſine ſuorum ſanguine futuram ſuſtinuit rex diſceſſum tri-

triduo, & tertio die adſuêre ab urbe præcipui duo Mauri *Heli* & *Amarben*, Regiſque clementiæ ſe ſuáque, nullam prorſus conditionem pacti, tradunt.

Victoria. Ita urbs Regi, S. Imago Fratribus minimis ceſſit. Addidit rex templum Virgini, & Cænobium Fratribus eo in colle, in quo tentorium Regis fuerat. Hodie totius Paulinæ religionis in Hiſpania caput eſt, & centum incolas regiâ liberalitate alit. Ab Imagine per Hiſpaniam ipſi Fratres nomen habent: & rarò Minimi, ſed communi populorum conſenſu *Fratres de Victoria* nominantur, miracula ſunt innumera. *Petrus Toletanus* Turcas, poſtquam ſe ſuóſque huic Deiparæ commendavit, devicit juſto prælio, poſt victoriam pileum ſuum in templo appendit, globo tormenti trajectum, vix ratis capillis. *Ioannes Auſtriacus* lampadem prætoriæ, quâ ipſe contra Turcas ad Naupactum vectus eſt, huc miſit appenditque, nemô Ducum militarium huc venit, qui Imagini ſacræ ſe ſuáq; non commendat. 'ta R. P. Ferd. de Accev. S. I.

CCCLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

IN COSMEDINO.

Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Gemma in ſe clara pura, & munda à vitio.*

1. Magna Gracia.
2. Imago in muro.
3. Accurſus.

NOndum Calabria magnæ Græciæ nomen amiſerat, cùm circa annum ducenteſimum ſexageſimum primum ex Eremitâ per gradus juſtos factus eſt Papa *Dionyſius*, is è domo, quam paulò antè incoluerat, Divæ Virginis templum ſtruxit, eámque loco pietatem intulit; quam plurimi poſtea Pontifices accumulatis redditibus auxerunt: quos inter, fuit *Pius V.* qui Deiparæ Imaginem templo intulit hodie miraculosã, hæc in muro proſtabat ante neſcio cujus domum: cúmque à prætereuntibus propter collata beneficia honores acciperet, ab accurrente populo tantò majoribus eſt affecta, examinatis & approbatis miraculis, judicata eſt digna, quæ templo inſerretur à *Pio V.* in quo hodieque Romanis in pretio eſt. Octavius Panzirola.

Vide lector quam vera, ſanctitas abſcondi nullâ ratione poſſit, nempe omnis tua, ſi aliter non poteſt, fumo ſe prodit, ita quo magis virtutem occultas, eo magis ſpectabilem oculis hominum ſe præbet.

***

CCCLXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE PONTEVEDRA.

Pontevedræ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *In Dei Gemmâ pura ſtat cælorum janua.*

1. Imitatio ſæpe periculoſa.
2. Reſtitutionis ſolicitudo.
3. Reſtitutio liberalis.

REm affero prorſus admirandam non imitandam, habuíque cauſas, propter quas deberem hanc totam hiſtoriam prætcrire, ne imitatores haberet, quia tamen bona tacere non tenemur; etiamſi mali inde mala exugant ut araneæ è roſis, rem ut ad me perſcripta eſt propono, fecerit culpâ ſuâ, nec tam felici eventu, qui ſi quis imitatione ſuâ ſibi malum creare volet. Fuit, qui ſine culpâ ſuâ ad extremas rei domeſticæ anguſtias redactus, incertus conſilij hæreret. *Mirum.*

Dura paupertas virum cæterà honeſtum afflixit: verecundia mendicare vetuit, vires non robuſtæ fodere, & laborare. Ad hæc ſpes fuit melioris & ditioris fortunæ, modò pecuniæ adeſſent, quibus Iconomiæ darentur principia, itaque conſilium dico nemini imitandum, ſacellum hoc accedit, & coram S. Deiparæ Statua ingenua provolutus, veniam facti, quod cogitabat, precatur, & ritè proteſtatur accepta beneficia redditurum ſe illud abundè, & cum fænore ubi ad opulentiorem fortunam rediiſſet.

Et ſanè permiſit ſe Virgo ſpoliari ab homine plùs ſimplice, quàm malo: cujus imitatores nec cælum probare poteſt, nec terra ferre. Illa partis quidem fruebatur; ſed parce: nec defuit induſtria, porrò ingens ſolicitudo hominem urgebat, ut quamprimùm poſſet, ablata & quidem cum fænore reſtitueret. Favit homini cælum, faverunt Superi: brevi inter divites numeratus, opulentiam ſuam ipſe non bene capiebat. Denique contracti debiti memor Sacellum hoc, quod olim ſpoliaverat, in hanc elegantem formam exſtruxit, centuplum reddens pro ſimplo, & ingenuè omnibus faſſus, quid egiſſet. *Spoliatio.*

Factum felix, & admiratione dignum, non imitatione. Cæterùm Deiparam quoque faventem ſimplicitas habuit: etenim hic loci miracula continua populi accurſum cient, & Virginis gloria ingentibus modis in dies augetur. Ita ad me R. P. Benedictus Vaſquez Soc. IESU. *Felicitas.*

CCCLXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN CAMPITELLI.
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Gemma puraà luto Adæ ruinam neſcijt.*

1. Purgatorium.
2. Pœna damni.
3. Vigiliæ antiquæ.

PErantiquam hanc oportet eſſe Virginis Iconem, cujus templum jam ſexto ab hinc ſæculo inter eas Baſilicas numeratur, quas per diverſas urbis regiones populus ſupplicationis ritu honorat, quando neceſſitas quæpiam ingruit, quæ publicum adigit ad preces. Hæc illorum temporum vigiliæ fuêre, Feſtis maximè Chriſti, & B. Virginis, coibat populus in ſupplicantium ordines, & noctem totam fumabat accenſis funalibus Roma, & aër cantibus replebatur. Ita de templo in templum ducebantur precantium catervæ, ipſis in terræ cavernis ſive catacumbis Roma tunc noctem agebat, & inter cadavera Martyrum intrepida, multa paſſuum millia nocturnâ ambulatione conficiebat: cerà quiſque ſibi lucem alijs modeſtiâ ſuâ exemplum præferebat. Vigiliæ.

Aureum tunc fuiſſe ſæculum Romæ, inde crediderim, quòd aureis moribus & adhuc incorruptis vivebatur, ſexto ab hinc ſæculo, ut dixi, hæc adhuc fiebant, placuit Superis verſa in diem nox, Feſto præſertim Nativitatis Chriſti, & feſto præludens nocturna & vigilantiſſima lætitia. Sed cùm nox conſilium dedit malis, & per nimis amica ſilentia noctis, peccatum eſt licentiùs, nec tantùm amantes, quæ ſibi ſomnia finxerunt, quærerent, ſed & ipſi ſurgerent media de nocte latrones, ut odiorum, amorúmque horæ fierent, quæ Superûm honori pietatíque debebantur: cùm vita gentium viveretur, ut Hilarij verbis utar juſtiſſimis imperijs omnis hæc vigiliarum cerimonia & pompa abrogata eſt. Nox.

Vixit ſub annum Chriſti milleſimum octogeſimum ſexto ab hinc ſæculo *S. Petrus Damianus* S. R. E. Cardinalis is rem memorandam ſcribit ſuo tempore contigiſſe: quæ, ſi hodierna ſpectemus tempora, multum ad Deiparæ honorem, multum ad animarum purgandarum auxilium facit, præterquam quod illorum temporum innocentiſſimam pietatem referat, ait itaque, Manoriam quandam fæminam honeſtam & piam Romæ diem ſuum obijſſe, hæc, vigilia quæ feſtum Aſſumptæ Virginis præcedit, anno integro poſt mortem, eo habitu, quo viva ſolebat, hoc in templo viſendam ſe præbuit cognatæ: cui hæc, Númne, inquit, tu Manoria es? Annuenti, quid ergo hîc agis, reponit, cùm jam plùs annum in vivis eſſe deſieris? Illa grandes pœnas, quas ſuſtinuiſſet in purga- Purgatorium.

 torio

torio, memorans, & pluribus etiam annis perferendas, ſed Virgo, inquit, plurium annorum veniam à filio impetravit: mihi crede, amicâ, plures è purgatorio cras mecum animæ ad cælum ibunt, quam vivos homines Roma habeat, interim jam doloribus perfunctæ vobiſcum Virginis templa viſitamus, & gratias liberatrici noſtræ agimus, vera ne vides? audis! egóne ſum illa Manoria? an luderis? ſed vera ex me audiviſſe ſcias, annum non ampliùs unum vives, & hac ipſa nocte morieris, & me ſequêris.

Purgatorium.

Hæc locuta, turbæ ſe immiſcuit, & videri deſijt. Et verò etiam exitus fæminæ ex hâc vita ipſâ Aſſumptionis Deiparæ vigiliâ, probavit, vera fuiſſe, quæ Manoria dixerat. Templum ſemper Romanorum charum, his annis in meliorem formam redactum eſt, & miraculoſa eſſe S. Imago non deſinit. S. Pet. Dam. apud Octav Panz.

CCCLXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE FONTIBUS.
Praſæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Io, en! alta pura gemma ſanctuarium Dei.*

1. Puer mutus.

2. Supplicatio Paraſceves.

3. Laudetur S. Sacramentum.

DE hac S. Statuâ Deiparæ, ejúſque ſacello, nihil præter antiquitatem aſſero, antiquum eſt ſacellum, antiquus populi concurſus, referens gratias pro acceptis beneficijs: omnium tamen antiquiſſimum eſt ipſum Deiparæ miraculoſum ſignum, ſive ſcriptorum negligentiâ, ſive temporum injuriâ id contigerit, ut ignoremus tanta beneficia, non habeo dicere. Certè in hodiernum uſque diem vera miracula experiuntur, qui piè locum viſitant, petúntque juvari. Puer mutus à Virgine ſibi apparente juſſus quære eleemoſynam pro oleo lampadis, non gratis, inquit, hoc mihi ſervitium præſtabis: loquelam diſtinctam & perfectam in præmium auferes ipſâ feriâ quintâ cænæ Domini, quæ jam imminet, juvenis nutibus, ut poterat, accuratè hæc alijs nunciavit, magnâ multorum expectatione.

Mutus.

Aderat dies, aderat quoque totâ die cum populo expectante Balthaſar: (hoc juveni nomen) ſed emanſit expectata loquendi peritia, donec finitâ ſupplicatione nocturnâ, in qua Balthaſar in honorem tacentis Chriſti, crucem bene ponderoſam geſtavit, flexis ante Statuam Deiparæ genibus, admonuit eam promiſſorum, recordaretur, diem abijſſe, populum expectare promiſſam loquendi facultatem. Cùm repentè altiſſimâ voce inclamat: *Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum.* Hæc prima loquentis verba fuêre: tum in laudes Virginis perfectiſſimâ oratione excurrit, populúmque

ob

ob Chriſti paſſionem mæſtum, tanto miraculo lætiſſimum dimiſit.

Aliud quoque ab Epiſcopo loci ritè examinatum, probatúmque ad me perſcripſit amicus. Fæmina fuit miſera, ſive morbos ſpectes, ſive paupertatem: præter fructus & aquam nulla ei ſuſtentatio, omnibus membris capta, & hoc ab ipſo die, quo nata eſt, verum prototypon omnium dolorum & miſeriarum. Huic Deipara apparuit, juſsitque bene eam ſperare feſto Purificationis propediem affuturo, portata ad templum, poſitáque ſuper altare, unionem de collo S. Statuæ, cor argenteum de manibus IESULI diripuit, partéſque affectas piè tetigit, & confeſtim præſente & expectante populo ſola deſcendit, ſola domum redivit: ut qui Thereſiam (hoc ei nomen) ante non noverant, nunquam fuiſſe ægram crederent. Hæc ad me *R. P. Michael de Arbicu S. I.* qui alia quoque miracula adjunxit: quæ quia communia ſunt, omitto.

Apparitio.

CCCXC.

Imago B. V. Miraculoſa. DE S.S. ROCHO ET MARGARITA, *Venetijs in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En! gemma pura nota divitiarum ſcala.*
1. Mirabile iter.
2. Feſtum per 30. dies.
3. Abitus è templo.

IMago hæc tua, ô Virgo! mirabile conſecuta eſt iter, quia Spartana eſt, etenim Lacedæmone (quæ hodie Miſitria civitas eſt, & totius Moreæ Metropolis) in templi maximi altari Principe locum habuit, Titulum *S. Mariæ Ortocoſta.* Occupatâ à Chriſti hoſtibus Moreâ, Imago reperta eſt Zachomæ; nec mihi liquet, an hominum, an verò Angelorum manibus, quod ſuſpicior, illuc ſit delata. Prima, quæ eam Zachomæ vidit, puella fuit paſtoritia, utique poſtquam poſt ſolis occaſum fulgor quiſpiam ſole non minor Sanctuarium hoc prodidit. Illa vicinos, hi alios movere: ita agnita ab incolis Imago, quæ olim in urbe Miſitria colebatur. Credebatur ab omnibus inde pulſa, hîc tectum & ſedem quærere: nec tardè Moreani dedêre, ut tempora ferebant, templum eodem titulo de *Ortocoſta* retento, Feſtúmque Aſſumptæ Virginis præ cæteris ita celebrârunt, ut quindecim dies ante, totidémque poſt feſtum ſolennes populo & feſtivi eſſent, quem ex omni penè Morea huc traxit miraculorum fama, dum denique etiam *Zachoma* in Turcarum poteſtatem venit: quando ſub urbis interitum miles ſibi minùs quàm Virgini charus non ſine vitæ periculo eam Barbaris ſubduxit, & Neapolim, quæ Romaniæ civitas eſt, detulit: ubi templo S. Theodori illata, multis annis cultum accepit, ſed non qualem voluit.

Feſtum.

Itaque ipſa per ſe ſine bajulo ad SS. Apoſtolorum templum conceſſit, donec demum Veneti vim Turcarum non ſuſtinentes, cedere Romaniâ coacti ſunt. Tum enimverò anno ſæculi decimo ſexto quadrageſimo primo *Franciſcus Barbarus*, noti nominis Heros, priuſquam Turcis in urbem admiſſis pactæ urbis claves traderet hanc S. Imaginem è D.D. Apoſtolorum templo ædibus ſuis intulit, ſecúmque Venetias allatam, Virginum Cænobio, cui à S. Rocho, & S. Margaritâ nomen eſt, dono dedit.

Cauſa tantæ donationis fuit *Caſſandra Barbari* filia, quæ virtutibus ſuis Cænobium Illuſtravit. Hodiedum miraculoſa eſt, & Aſſumptæ Virginis die Veneti magno numero ad feſtum confluunt Tota hæc narratio impreſſa eſt Veneti;s anno 1641.

CCCXCI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VACCIS.
Avilæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O vivat Gemma clara & munda ſine pari.*

1. Mutatio loci.
2 Parentum exemplum.
3. Papilio miraculoſus.

IN publico boum vaccarúmque ſtabulo hæc Deiparæ Statua ſe latâre, & inveniri voluit. Tanta felicitas obtigit Carbonario, qui inventam caſu Statuam domum tulit uxori, quæ, adaptato altari, liberis colendam propoſuit, ſed altero die amiſſam, calentiſſimis lacrymis deflevit, dum maritus ſequenti hebdomade ad urbem regreſſus, eodémque in ſtabulo divertens, eam eodem loco iterum repertam, iterum domum afferret, ingenti uxoris gaudio: quæ ne, Imago iterum abiret, cultum ſactum duplicavit, ſed iterum alterâ die non reperta, Imago Carbonarij diligentiam ſolicitavit. Itaque non expectato hebdomadario mercatu, ad locum properat, iterúmque inventam denunciat civitatis Primoribus, non ampliùs auſus eam tollere, illi quamprimum deſtructo ſtabulo, extſtruxerunt ſacellum, quod paulò pòſt in templum juſtæ magnitudinis excrevit, nomen inditum *à Vaccis* hodiéque nominatur *S. Maria de Vaccis*, porrò ſigna, quæ S. Statuæ fuliginoſæ manus Carbonarij, impreſsêre, hodie adhuc videntur, nec abradi queunt. Templum.

Miracula ſunt grandia & multa. Puella in ſtagnum templo vicinum delapſa, plus duabus horis quæſita, demum inventa, & extracta à matre, & in hoc templum deportata revixit. Alterum quod affero, majus eſt, quia perpetuum, Dominicâ ſecundâ menſis Maij, quâ feſtum celebratur pretio mille Ducatorum aureorum ſingulis annis, advolat unus inuſitatæ magnitudinis & venuſtatis papilio, & veſti adhæret Sanctæ Statuæ: quod- Miracula. Papilio.

que mirum eſt, nullis Muſicorum vociferationibus, nullâ populi clamosâ admiratione pellitur. Quandoque, dum ipſa ſupplicatio pompam ducit per urbem, advolat inſpectante urbe, nec ampliùs diſcedit. Finitâ celebritate ſeu vivus, ſeu mortuus, præcipuis viris donatur, anno 1655. Reginæ miſſus eſt.

Maximi hoc miraculum fit etiam poſt mortem papilionis: ſiquidem applicatus hic papilio ægris, quamplurimos ſanavit. Nec novum, quia hoc ſingulis annis inſpectante urbe contigit. Ita Deus nobis magna ſua beneficia largitur per ea, quæ alias ſpernimus. Hæc ad me *R. P. Michael de Arbieu* *Soc. IESU*, qui bis ſe hoc vidiſſe teſtatus eſt.

C C C X C I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MIRACULIS,

Venetijs in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Amoris dilecta gemma pura à lue criminis Adæ.*
1. Fama bona.
2. Negligentia majorum.
3. Concurſus.

HÆc ſacratiſſima Deiparæ Imago, titulum ſuum obtinuit à miraculorum numero, vel innumerab li vel certè non numerato. Atque ut omnia ferè grandia initium ſuum habent ab exiguis principijs, ita hæc quoque Deiparæ miraculoſiſſima Imago, in Capitello quopiam pingi juſſa eſt à cive quodam *Franciſco Amodi*, cujus propterea nomen adhuc in benedictione eſt.

Ad me perſcriptum non eſt primum Deiparæ beneficium, quo animati Veneti ad majorem venerationem remis veliſque acciti obtulêre, quæ ſuffecerunt ad tanti nominis fabricam, quæ in templi formam erecta adhuc ſtat, ſtabitque: quamquam initio loco ſuo mota, in anguſto quopiam templo expectare coacta eſt S. Imago, dum nova novi templi fabrica finiretur, & quamquam hactenùs de hâc Deiparæ Imagine plura ad me ſcripta non ſint; nolui tamen hæc pauca negligere, quia titulum habet *à miraculis*, miraculoſam eſſe, nemo prudens dubitabit.

* * *

C C C X C I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE ZAMOREA.

Zamoræ in Hiſpania.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu nota gemma pura à lue criminis Adæ.*

1. Statua ſe movens.
2. Sponſalia per annulum.
3. Annulus Cæleſtis.

STatua hæc Virginis etiamſi perantiqua ſit, primùm tamen ejus miraculum memoratur contigiſſe anno 1300. quo *Agnes* ſanctimonialis ſingulariter Deiparæ devota, nocturno tempore coram cæleſtibus delicijs frui ſolita, nocte unâ vidit IESULUM è matris ſinu ex altari deſcendere, annulúmque pulcherrimum ſuo digito inſerere, ſeque iterum in ſinum matris ſuæ recipere.

Adultâ nocte ſupervenit ea quæ Novitijs erat præfecta quæritq; an ſemper vigilaſſet. Agnes annuit, annulúmq; monſtravit, qui poſt ejus mortem inter cimelia Cænobij ſervatus eſt. Cæterùm Virginis Statua ardentiùs coli ſtatim cæpit non modò à Sanctimonialibus, ſed etiam à civibus Zamorenſibus; quando res tanta ſilentio diu premi non potuit *Hiacynthus Coquetius in lib. de viſceribus maternis B. V.*

De Annulis quos Beatiſſima Virgo quamplurimis donavit ſuo loco Deo volente loquemur, contulit Deipara favorem hunc, ijs qui ſummo amore eam proſecuti ſunt.

CCCXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PLANCTU.
Venetijs in Jtalia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *I, clara gemma tota pura ſine mundi va.*

1. Septem dolores B. V.
2. Septem dierum devotio.
3. Miracula.

IMaginis hujus miraculoſæ originem nō accepi, cauſa verò, cur tantopere paſſim celebretur, inde eſt, quòd infirmi præ cæteris hic auxilium reperiant, & non rarò integerrimam ſanitatem reportent, in templo RR. PP. Franciſcanorum eſt, à quibus decorè aſſeruatur.

Cultus. Porrò modus colendi, & beneficia obtinendi eſt experimentis teſtatus: ut ſeptem dolores Deiparæ precaturus in mente habeat, & quemque unâ oratione Dominicâ, atque unâ ſalutatione Angelicâ, ritè piéque pronunciatâ honoret, nec ſpem deponat; etiamſi per ſeptem continuos dies repetere hanc precandi formulam oporteat, contentus, ſi vel tunc beneficium, quod petit, reportet. Ex Relatione impreſſa.

De petitione ſepties repetendâ erit ſuus dicendi locus vel ideo plurimi ideo non exaudiuntur quia ſemel tantum petunt, ſi ſexies aut ſepties percuſſiſſes, inquit Propheta, Syriam percuſſiſſes. Septenarius.

CCCXCV.

Imago B. V. Miraculoſa.
CORONATA.
Gienni in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. Tu Gemma nata Deo unica eris pura mali.

1. Vincula.

2. Ruſtica architectura.

3. Turris defenſa.

Giennenſis urbs inter præcipuas Hiſpaniæ, & regni ſui Metropolis, inter prima ornamenta numerat hanc miraculoſam Imaginem. Regnabat in Hiſpania *Alfonſus decimus* filius Regis Ferdinandi quem Hiſpani *Sanctum* nominant; licèt nunquàm à ſede Apoſtolicâ canonizatum. Ruſtici in campo Giennio fodiebant, non ſcio quid quæſituri, campanam invenêre, utique à Chriſtianis, Maurorum durante inſaniâ, ita in terram defoſſam, ſed & campanæ inerat Statua Deiparæ lignea venuſtiſſima, cui *à Corona*, quam in capite geſtabat, placuit dare nomen, & vocare *Coronatam*.

Campana.

Prima omnium pietas in hanc S. Statuam erat ruſticorum, deìn civium, demum famâ gliſcente etiam captivorum, qui in circumjacentibus locis Maurorum potentiæ ſubjectis gemebant. Credi non poteſt, quot eorum initio ſtatim in libertatem miraculosè aſſerti, hic & vincula & vota depoſuerint, nec tamen S. Statua tunc quidquam habebat præter ſacellum, ruſticâ architecturâ erectum, quia à ruſticis, vinculorum ferreorum tanta copia pendebat: ut parietes tegerentur. Porrò ut ſacello conſuleretur contra Mauros, undique vicinos, ædificata quoque turris eſt, unde in Mauros adventantes, & eminus, pugnaretur tormentis & lapidibus cominus, ita ruſticos defendit hæc turris, & turrim Deipara: ut aliquoties, victâ & divictâ omni viciniâ, hæc turris intactâ à Mahometanis præteriretur. Anno 1500. RR. PP. Carmelitani ab Epiſcopo Gienneſi petiere ſacellum & obtinuere, non multùm repugnante Confraternitate, quæ locum hactenus curabat.

Sacellum.

Cœnobium.

Extructum ſubitò Cœnobium, & è ſacello factum templum, eo in loco, ubi S. Statua inventa eſt, accurſum auxit, auxit quoque Deipara, gratias. Sed & iterum omnis pietas in teporem abijt, quæ humanarum rerum miſeria eſt, certè vinculorum ferramenta in profanos uſus adaptata, & perdita ſunt, ſed & ipſa Imago miraculoſa ab ijs ſepoſita eſt, quibus ars erat in pretio, & alia pulchrior in loco collocata, quod ijs documento eſſe poteſt, quibus cordi eſt monumenta antiqua diruere, ut novis architecturæ artibus cedant: ſed & plerùmque favoribus cæleſtibus obſtruitur via, ut ſcaturigini fontium contingere ſolet à nimis curioſis foſſoribus. Ita certè incautos & ſciolos experientia docet;

Fons.

neque enim invenimus in templis noviter, & ſumptuosè erectis eum miraculorum fontem, qui priùs in loco ſimplici & deſtructo fluxerat.

Antiquitas.

Roma præ cæteris ab antiquo hoc advertit, etſi enim memorijs antiquis ſuperædificatæ ſint moles ſumptuoſæ, ſemper tamen aliquid de antiquo ſupereſt, qúod monſtrari queat, quódque antiquam pietatem ſpiret & inſpiret, ita hoc in templo omnia nova: ſic ut ipſa miraculoſa Statua, teſte auctore infrà citando, inter cariceſa retrimenta in arca aliqua latuerit recluſa.

Canonicus.

Canonicus Giennenſis fuit, cui hoc diſplicuit, huic Deipara apparens, vade, inquit, ad Priorem Cœnobij, & meo nomine jube, ut ociùs antiquam Statuam, rejectâ novâ, reponat *Caſpar Lopez* (hoc enim Canonico nomen) cogitationẽ hanc ſomnijs adnumeravit,

Appoſitio.

neglexítque, ſed iterum ſequenti nocte Deipara commotior, non niſi ſevero vultu eadem juſſit; inſuper, & arcam deſcripſit, quàm longa, quàm alta eſſet, locúmque, quem, & in quo angulo, occuparet. Ita ad inventionem Statuæ ſecundam Deipara hominem animavit, Cæterùm aliud etiam addidit, *Para te*, inquit, *ad mortem piè obeundam: Octavo enim poſt inventam Statuam die, ex hac vita migrabis.*

Apparitio.

Ille ad P. Priorem Cœnobij ſe contulit, & omnia ex ordine narravit, primùm ipſe Priori ſoli, deinde convocato ad nova Conventui univerſo, itaque aperuêre arcam: ſed contra opinionem arca Statuam non dedit, quia non habuit, ſtabat, ut aiunt, in ſicco Canonicus, & jam omnem apparitionem ſuam ad ſomnia relegabat. Statuam in arca recluſam fuiſſe teſtabantur, qui aderant, & tam exactâ narratione Canonici commoti quærendam eſſe judicârunt, quæſita eſt, inventa inter retrimenta & Sarmenta, huc quis dejecerit, omnibus mirantibus, omnes ignorabant, nemine fatente, ſed quod mirum magis, invenêre erectam, & integram, & pulchriorem, quàm cùm in templo coleretur.

Cultus.

Itaque inter campanæ ſonos, inter cymbalorum ſtrepitus, inter ſacros cantus & cereos accenſos, induti ſacris veſtibus, pompâ quâ licuit maximâ ad locum ſuum deportârunt, quo olim in Altari ſteterat: ſtetitque ad annum uſque millеſimum ſexcenteſimum vigeſimum primum, miraculoſa & accurſu populorum celeberrima. At verò propter aërem gravem, & locum morbis infeſtum, annuente Epiſcopo, Patres unà cum S. Statua in urbem migrârunt: ubi non tantùm ab agricolis ſed à civibus quoque in hunc uſque diem honores ſuos accipit, prioribus majores, mortuus quoque, ut Deipara dixit, eſt octavâ die Canonicus, mortéque ſuâ, hunc, quo dixi, accurſum pietatémque confirmavit, & auxit. Barth. Ximenius de Patono, Anno 1628. c. 14.

CCCXCVI.

CCCXCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ANCONETA.
Venetijs in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En! puritatis arca I, O munda Gemma vale.*

1. Imagines ſub dio.
2. Viſus dæmon mutat mentem.
3. Converſio.

ORiginem nominis non inquiro, quia neminem invenio, qui ſcire poſſit. Cæterùm Imago hæc à ducentis annis circiter cultum ſuum jam habet, vulgarem quidem initio, nec majorem, quàm illæ, quæ columnis ſeu capitellis impoſitæ à tranſeuntibus venerationem accipiunt, quam, quam & hic impetratas à Virgine gratias aiunt, quæ licèt publico, ut fit, probatæ ſatis per judicis ſententiam non eſſent, pijs tamen, & in rem ſuam vigilantibus multùm profuerunt, feceruntque ut plus honoris acciperet Imag. hæc ſub Dio, quàm aliæ quamplurimæ in templis. At verò ubi grave delictum grandem miſericordiam hic loci conſecutum eſt, vetari porrò non potuit, quin univerſi crederent, hic eſſe locum gratiarum.

Nauta. Contigit ſiniſtri aliquid Naviculario cuipiam Margerâ redeunti, quod bilem omnem homini everteret, quódque in deſperationẽ ageret multa ille ſecum in rẽ ſuam locutus, explicare ſe nequivit, ſeu potentiâ adverſariorum injuriam augente, ſeu ceſſantium amicorum ſocordiâ homini omne conſilium auferente. Prorſus admiranda eorum conſiliorum ratio eſt, quibus adiguntur nonnulli, ut malis minoribus velint mederi per mala majora, & ut illa effugiant, in hæc ſe præcipitant, perverſo utique ingenio: ſed deſperatio, & jactati cerebri turbatio id poſtulant.

Navicularius aliàs non magni conſilij homo, rebus afflictis per compendium remedia quæſiturus, cùm hâc fortè tranſiret, ad extrema malorum, ut putabat, remedia devenit. Itaque cacodæmonem ſerijs votis invocat, veniret ſeque volentem, quo vellet ipſe abriperet, nullum animæ pactus pretium utique nimis liberalis, vocatus in auxilium cacodæmon non venit, quia jam adfuit, quis enim alius hæc conſilia perplexo ingereret? nec aliud, vigili in prædam ſuam venatori faciendum fuit, quàm ut ſpectabili formâ ſe præberet, & volentem abriperet. At verò miſero, & viſus dæmon, & mors præſens, & quæ mortem conſequitur pœnæ æternitas, mentem mutavit, & ad tantorum malorum remedia ſuaſit reſpicere. Afflictus.

Itaque B. Virginem *de Anconeta* (nam commodum, ut dixi, hâc tranſibat) ſummis vociferationibus invocat. Audita vox in cælo eſt; quia cùm vera eſſet oratio, facilè

 cilè

cilè penetravit nubes, & Virginis juſſu hominem dimittere liberum, coactus eſt dæmon. Credidit homo, & verè, ſe ab inferis liberatum, ut qui ſciret, ſe jam plus uno pede ab inferis non abfuiſſe, Virgini coram hac Icone in gratias effuſus, tanti beneficij præconem egit: & facilè concurrenti populo perſuaſit, horror humano major, quem adhuc vultus non bene componebat. Præcæteris tamen factum probavit inſignis morum mutatio. Imago porrò reperit cultores, hià Virgine portentoſa beneficia, hinc nomen & titulus miraculoſæ meritò Imagini tributus invenit, qui ferrent Virgini munera, quæ in templum, quod hod e videtur, excreſcerent. Hæc ad me R. P. Alexander Boſelli Provincialis Soc. IESU. Cultus.

CCCXCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE COGOLLA.
Millani in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.
Anagr. *Oriatur Gemma pia, & munda in ſæcula.*

1. Imago aurea.
2. Victorioſa.
3. A regibus honorata.

HÆc prima inter omnes, quas inveni, Imagines aurea eſt. *Garſias* Rex Navarræ unde unde acceptam ad prælia ſecum deferre ſolitus eſt, proſpero ſemper eventu, hinc digna judicata eſt, quæ etiam populorum venerationi exponeretur, ſervatur hodiéque in regio Monaſterio S. Æmiliani, vulgò *Millan de Cogolla*, ut ſcribit *Ioannes de Amina in Faſciculo l. 2.* Plures habeo SS. Imagines, quas reges ad prælia ſecum adduxêre, ſed quia non conſtat, quibus in templis poſtea ſint repoſitæ, & publico cultui expoſitæ; aſſerere eas hoc libro ſuperſedeo, quo eas tantùm produco, quæ publico cultu ſunt notæ, infiniti laboris eſſet, omnes eas Deiparæ Imagines adducere, quæ privatis hominibus fuêre ſalubres.

Hic iterum lectorem monitum volo, ne hic quærat alias Imagines, quam eas quæ publico cultu ſunt celebres, & miraculis claræ.

CCCXCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SALUTE.
Venetijs in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vivat pura gemma Syon ante diem clara.*

1. Novus cultus.
2. Pulſa peſtis.
3. Dedicatio ſolennis cultus.

TEmpli hujus præſtantiſſimi, licèt fabrica nova ſit titulus tamen S. Imaginis à peritis judicatur antiquus. Devotio multorum particularis, & vix uſpiam, quod ſciam, uſitatus, dignus eſt, ut ſcripto tradatur poſteris. Ægri, vel aliunde afflicti, ſcripto neceſſitates ſuas offerebant, non alio ritu, quàm ſupplicationes porrigere Principibus ſolemus, quas appellant *Memorialia*. Hoc labente ſæculo cùm urbs graviſſimâ peſte laboraret, res publica Veneta votum Virgini fecit, novi & ſumptuoſiſſimi templi, ſi luis contagioſæ finis votireos faceret.

Votum. Factum, quod petebant, nec Patres diſtulere ædificationem, quæ patriæ etiam in futurum prodeſſe poſſet, ædificationem ſecuta eſt dedicatio ſolenniſſimâ quâ potuit pompâ: néve periret accepta beneficij memoria, vigeſimo quinto Novemb. Patres unà cum Sereniſſimo Duce huc convenire ſolent, & annuatim Feſtum celebrare ſolennitate, quâ urbs Venetiarum poteſt, id eſt, ſumptuoſiſſimâ. Relatio impreſſa.

CCCXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CRUCE.
Cubæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eia gemma iſta incorrupta, munda à lue.*

1. Statua loquens.
2. Signum viſionis.
3. Pollex retractus.

AGnes Martineza Virgo in Pago Cubano dum porcos paſcit, digna fuit, quæ Deiparam videret, & audiret loquentem. Beati profectò oculi beatæ aures! juſſa quoque eſt Cubanis dicere, ſi à divino imminente flagello immunes eſſe cuperent, ad Deum per pænitentiam converterentur. Nil effecit Agnes: quis enim ad unius ſubulcæ imperia pænitentiam ageret, cùm vix multi Concionatores ſufficiant, ut vel uni quandoque ſcelerato pænitentiæ cogitationem ingerant, itaque more ſuo, ſecundò ac tertiò apparens, ſecundò ac tertiò eadem puellæ in mandatis dedit.

Apparitio. Quartùm cùm appareret, ſignum Agneti dedit, quo ſibi fidem faceret apud ruſticos: pollicem enim Agnetis ad ſupremam brachij partem contraxit. Hoc nempe digito, quod credere deberent, monſtratum eſt ruſticis, adſcito itaque Parocho, qui tum forte finito ſacro aquam benedictam in circumſtantes ſpargebat, omnes ruſtici poſt auditas Deiparæ minas, ſaccis induti, nudis pedibus inter lacrymas inſtituerunt ſupplicationem ad locum, ubi B. Virgo hæc imperans ſubſtiterat, ſepoſuit pauliſper crucem ſupplicationis anteſignanus, quietis cauſâ,

Et puella quoque ſecedens à cæteris, interrogata, quò abiret ad Deiparam, reſpondit, quæ ibi me expectat. locum indigetans ruſticis. Secuti è primoribus plerique puellam invenêre, & crucem jam defixam; mirati, quis eam huc tuliſſet, quiſque fixiſſet.

Agnes, ipſa, inquit, Deipara, me vidente, crucem fixit & in arena hæc veſtigia ſua, ut videtis, reliquit, m is longè diſparia. Hæc etiam vobis nunciari jubet, hic ſe velle templum, quod de ſuo & crucis nomine titulum habeat, ægri ad veſtigia hæc veneranda admoti, ſenſere præſentem opem, & puellæ verba facilè confirmârunt, & templum facilè promovêrunt, ſtat hodiéque templum, & in templo Statua Deiparæ, qualem Agnes dictavit, Altari principi impoſita, & miraculis clara: è quibus tamen nullum adjungo: quia auctorem jam penes me non habeo, nec plura ex eo annotavi. Cæterùm hæc contigiſſe ſcribit Franciſcus Gonzaga anno 1449.

CCCC.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN MONTE MARTYRUM.
Pariſijs in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Cæli gemma ſit pura manè induta auro.*

1. Societas IESU.

2. Miraculum.

3. IESUS propitius Maria propitia.

CLaudo hanc quartam Centuriam Imagine miraculoſâ inſigni. Eſt in ſuburbio Pariſienſi Cænobium Sanctimonialium, quod B. Virgini dedicatum, habet nomen *à Monte Martyrum*, unde nomen hoc habeat, vel ſuam originem, non accepi, neque etiam comperi, quantis peregrinationibus aut votis locus celebris ſit, ſi plura accepero, in ſequenti editione adjungam. Cum bona tamen veniâ lectoris, præter iis miraculis mihi ignotis, miraculoſam dico ex uno; ſi enim illæ Imagines miraculoſæ nomen obtinent, quæ oſſa diſjuncta ad uſus juſtos coagmentant: hæc præ omnibus una eſt, quæ hoc officium fecit, ſiquidem Nationes montibus à naturâ diſjunctas, quæque nullis fœderibus, & nullâ pace bene conjungi poſſunt, hæc Deiparæ Imago probè & firmiter coagmentavit, miraculorum ſatis eſt: & ut miraculoſiſſima ſit, ac dicatur, neſcio quid ampliùs ſit requirendum.

Hic, coram hâc S. Imagine, in unum cor anima mque unam coaluêre viri doctiſſimi, Duce S. Ignatio Loiolâ, homine antè paucos annos militari. Hic *Societas IESU*, coaluit: hic primi noſtri Patres prima vota per manus Deiparæ Deo obtulêre, ſatis, inquam, miraculorum eſt, durat etiamnum hæc unio miraculoſa tot nationum in *Societate IESU*, quam obſtupeſcit mundus, quam miramur ipſi, quámque hactenus aut Soc. IESU.

ſolue-

ſoluere ita coagmentatam, aut diffringere ita unitam nullus adverſariorum potuit. Quin quod ipſæ inferi portæ adverſus eam non prævaluerunt dum naſceretur, adoleſceret, haud dubio indicio, non prævalituras quoque quamdiu virili conſiſtentia & divina ope roborata, latus Ducis ſui IESU non deſerit, cui idem demum illud Jobi in aures inſuſurrat, *Domine pone me juxta te & cujusvis manus pugnet contra me.* Hac ſi luce à ſtrenuus homo Societatis impiger extremos currit Maſtrillus, ad Indos *ubi* ut verbis S. Chryſoſtomi utar, *morbi ubi infeſtationes, ubi præmaturæ mortes, ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi perturbationes, ubi iræ, ubi cupiditates, ubi innumerabiles inſidiæ, ubi quotidianæ ſolicitudines, ubi perpetua ſibique ſuccedentia mala. ſunt, innumeros ex omni parte dolores afferentia.* Hac fiduciâ fretus homo Societatis inter adverſitates ridet, quando cum S. Paulo *in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in jejunijs multis, in frigore & nuditate, &c.* donec aut ferro, aut igne, aut, quæ utroque peior eſt, infanda Iaponum foſſa finem laboribus inveniat & præmium.

Amat Societatem Deipara propter IESUM cujus nomen ei pro titulo eſt, amat eam IESUS propter matrem, quæ ejus protectionem in hac primâ Dicatione in hoc monte Martyrum ſuſcepit. Hæc Pariſijs, ille Romæ nobis propitius eſt, neque his contenti per omnem latè mundum tam filius quàm mater Societatem ſuam ducit & tuetur. Quod hactenus experti ſumus, quodque poſthac futurum, ſine dubitatione ſperamus, & expectamus. Horum omnium inquam jacta ſunt fundamenta, hoc in monte, hoc in templo. Nempe ſanciendis legibus, legibus ſiquidem durare debent, montes à Deo deſtinati ſunt. Ita olim in altiſſimo Arabiæ monte ſinai, primæ leges digito Dei deſcriptæ ſunt, & nón multò pòſt in montibus Gelböe & Garizim promulgatæ iterum ac ſtabilitæ ſunt, ſed & poſteriora ſæcula id obſervarunt: etenim ipſe legislator Chriſtus cùm ſcriptam legem gratiâ ſuâ mitigaret, montem elegit, ad cujus radicem primùm de legibus novi teſtamenti concionē habuit; qua mercedem ſeu beatitudines explicavit obſervatoribus deſtinatas. Ut taceam Calvariæ montem, in quo teſtamenti novi tabulas morte ſuâ ſignavit, & montem Syon in quo prima Chriſti Eccleſia Spiritum ſanctum, obſervandis legibus oppidò neceſſarium, è cælo accepit. Neque ſequentibus ſæculis mos idem obſervari deſijt. Certè S. Sylveſter Papa Spiritum ſuum, quo renovavit faciem terræ, in monte Soracte accepit, renovandæ toti Eccleſiæ ſufficientem. Et ſi de familijs religioſorum, quæ gemmarum loco ſunt in Eccleſia, ſermo ſit S. Benedictus in monte Sublaco, quæ docturus erat diſcipulos ſuos, didicit. S. Franciſcus Aſſiſias in monte Aluerniæ, quinque velut ſigillis ſignavit, quæ

ſuis

ſuis jubente Chriſto præcepit. S. Bruno in montibus Carthuſijs accepit, quidquid toti ſuo Ordini Carthuſiano tradidit. Quid igitur mirum, ſi & Ignatius in monte, & quidem cui à Martyribus nomen eſt, primævos Societatis ſuæ ignes accendente Deiparâ accepit, quibus in hunc uſque diem fovemur & vivimus? Gratias illi demus maximas, quicumque ille fuerit, qui lapidem in templo poſuit, eique ſequentia verba inſcripſit, ne poſteros tantæ rei memoria lateret.

***

Siſte Viator
Atque in hoc Martyrum ſepulchro probati
ordinis cunas lege.
SOCIETAS IESV,
Quæ
S. Ignatium Loyolam Patrem agnoſcit,
Lutetiam Matrem,
Anno ſalutis M. D. XXXIV. Auguſti XV.
Hic nata eſt
Cum Ignatius ipſe
& Socij,
Votis ſub Synaxin Religioſè conceptis
ſe Deo
In perpetuum conſecrârunt,
AD MAJOREM DEI GLORIAM.

CEN-

CENTURIA V.

CDI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE RUBO.
Ognatæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En! rutila Gemma pura à dæmonis jactu.*

1. Rubus in templo.
2. Thronus argenteus.
3. Lampades viginti quatuor.

Locum hunc, ſpinis undiq; & undiq; obſitum, ſola piorùm veſtigia fecere acceſſum, nō ſine multo labore per plurima milliaria, per inhoſpitam ſilvam in altum montem, & magnâ anni parte nivibus obſitum. Hoc templum, de quo loquor, ſitum eſt. Porrò templum ſumptuoſum eſt, & amplum, vel in hoc etiam Deiparæ Charum, quòd cùm vorax flamma omnia latè circū bis vaſtaverit templo tamen huic pepercerit, ante altare Deiparæ viginti quatuor argenteæ lampades nunquam non ardent, præter viginti candelas majores, quæ tunc accenduntur, cùm S. Imago, remoris tribus velis oſtenditur.

Rubo. Hanc paſtor invenit ingenti clamore excitus, & relicto caprarum grege, ad hunc locum deductus, ubi hanc Deiparæ Statuam cum admiratione conſpexit, in Rubo decenter poſitam. Paſtor ante omnia Deiparam, his verbis allocutus eſt: Quid facis, O Domina! in Rubo? nec aliud quàm ut præ gaudio rem narraret viciniis. Hoc ſingulare, quod paſtor hîc ſtatim fidem invenerit, quamprimùm enim locus accurſu peregrinorum, & miraculis factus eſt celebris, tum etiam laboratum, ut aſpera eſſent in vias planas, deniq; ſtetit ſacellum, tegendo Rubo, neque Statuam ſacram primi architecti moverunt Rubo, nec rubum templo, ſed plura voluit Deipara, & plura etiam addidere cum accolis advenæ. Certè templum hoc ſtat magnificum; & S. Statua in throno argenteo formam Rubi non indoctè exprimens, veſtes porrò, & coronæ adſunt magni pretij, ſive aurum & gemmas ſpectes, ſive artificis ingenioſam manum. Sexaginta octo Religioſi S. Franciſci ſola Eleemoſynâ abundè vivunt. Miracula fusè conſcripta peculiari libro extant. Hæc ad me perſcripta ſunt à Provinciali Tolet. Soc. IESU. Donaria.

C D I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN S. CLARA.
Venetijs in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eja pura Gemma Syon, mundi cara tutela.*

1. Pluvia miraculorum.
2. Templum pretioſum.
3. Eleemoſyna liberalis.

TEmplum quod hodie in urbe Veneta poſſident Virgines, è D. Claræ familia, inter maxima, quæ in urbe ſunt, & ditiſſima numeratur. Tota interioris fabricæ cruſta marmor eſt magno artificio, & naturâ varium, & pellucidum, ſumptuoſiſſimæ fabricæ, tam templi quàm Cænobij, originem non accepi, ſolùm ad me perſcriptum eſt, tot ſimul ægris ſanitatem, tot afflictis ſolatium dediſſe, ut non ordine, ac per intervalla temporum, ſed decidentis inſtar pluviæ multis ſimul profuerit. Steterat Imago loco anguſto, & multitudinis tantæ non capaci, quin etiam profano.

Itaque loco decentiori illata ubi eſt, allata quoque è cælo eſt munificentia amplior. Triginta millia aureorum paucis menſibus ij tulere, qui beneficia miraculoſa abſtulere. Hinc templum, quod hodie videtur, factum eſt circa annum 1483. hodie ut miraculorum nomen ab antiquo tenet, ita non adeò nominis ſui famam amiſit, quin quandoque Veneti hoc etiam in loco Virginem experiantur propitiam. Felix Aſtolfi l. 11. Liberalis.

C D I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
OLIANA.
Caſtiluedræ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemma nata ridens pura vitio macula.*

1. Viſio mirabilis.
2. Lumina mirabilia.
3. Lampades accenduntur.

HAnc Deiparæ S. Ædem miraculoſiſſimâ eſſe oportet: ſiquidem ingenti portento uſpiam audito, & quidem perpetuo, ſeſe præ cæteris laudandam proponit, hoc ſolum appono, cætera miracula lectori cogitanda relinquo, quę utique & grandia, & multa eſſe debent: quæ tamẽ ad me non pervenerunt, ſingulis annis, inquit, *Marinæus ſiculus l. 5. de rebus Hiſpanicis*, menſe Martio, feriâ ſextâ, ex inſulâ fluminis vicini tria lumina cærulei coloris aſcendunt, & templũ hoc per feneſtras ingrediuntur, ac quotquot in templo ſunt; lampades accendunt: denique iterum per eaſdem feneſtras regrediuntur ad inſulam; & videri deſinunt.

Is

Idà populis vicinis fidedignis affirmari, ait prædictus nec aliud hâc vice habeo, quod ſuper hoc miraculo ulteriùs afferam, uſque dum per litteras ex Hiſpania intelligam, quid hodie fiat.

CDIV.

Imago B. V. Miraculoſa.

S. MARIA MAIOR.

Venetijs in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Gemma ter pura à luto, incisa à manu Dei.*

1, Virtus in paupere.
2. Imago loquens.
3. Creditur ſimplici.

ANno 1443. magna in paupere quodam veracitas reperta eſt, ut itique alijs virtutibus, & vitâ jam dudum probè actâ velut fulcris ſuſtentata: quis enim ad pauperis vocem unam, imò penè ſomnium, celebritatem inſtituat? *Auguſtinus* itaque (hoc pauperi nomen) paupertati ſolandæ Iconem Deiparæ parieti ligneo affixit: hæc illi pro templo erat, & pro altari; ubi inter pias querelas & noctem & diem inchoare ſolitus, plus à Virgine, quàm optabat, impetravit; ſemel certè clarà voce ſic alloquentem ſe audivit Deiparam: nolo ampliùs hîc eſſe. Hæc effata, ſiluit: ſilere tamen non potuit Auguſtinus, in lacrymas ſolutus, & ſuam miſeriam plangens; quando ſolatium ejus unicum Virgo, dedignata locum, & loci Dominum, aliò properabat.

Commodùm tunc Moniales quas *S. Franciſci Eremitas* vocant, templum ſibi novum ex ædificârunt, ſollicitæ quem templo è Divis Præſidem darent, quódque Divo altare: cùm Auguſtinus, quando, inquit, Deiparæ Imago Tugurio meo contenta amplius non eſt, accipite eam: fortaſſe eum in finem me allocuta eſt: ut veſtro templo nova Patrona importaretur. Omnia hæc ritè ab ijs, quorum intereſt, examinata: & creditus eſt Auguſtinus, verum dixiſſe. Itaque Imago ſolenniſſimâ ſupplicatione templo illata, ſupplicantibus benefica ſtatim eſſe cæpit, atque in hodiernum diem eſt, cur autem *S. Mariæ Major* ei titulus ſit, alia ad me cauſa non eſt perſcripta, quàm quòd *S. Mariæ Majoris* effigiem referat: neque enim plura de hac ab *Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Primate Moroſino* ad me miſſa ſunt, ex urbe Venetâ. Moniales.

CDV.

Imago B. V. Miraculoſa.

LEGIONENSIS.

Legione in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Procul à te ira Adam Gemma viva nitens.*

1. Rex coronatus.
2. Dedicatio ſolennis.
3. Virgines offeruntur.

INtegro ſæculo poſt natum Salvatorem hæc urbs à fundamentis ædificata eſt, ut habent Hiſpani pia traditione, à Legione ſeptima Romanorum, unde nomen habet: Triano Imperatore, concedente Prætereo urbis hiſtoriam: & *Ordonium* Regem Chriſtianorum memoro, pium, Belliſoſum, qui cùm anno Chriſti nonageſimo decimo octavo Victoriam à Mauris repoitaſſet: Deiparæ, quam in bello adjutricem & Patronam ſemper habuit, templum regium regio ſumptu ædificavit, quod ubi ultimam manum ab operarijs accepit, ſolennitate quàm potuit maximâ dedicationem inter Epiſcopos celebravit; ut Virgo propitia Caſtellæ regno eſſet, ſunt enim, qui hanc Caſtellæ metropolim eſſe velint. Septendecim omnino Epiſc. Gerimonias primi Feſti peregêre præcipuas poſtremâ ſibi Rex reſervavit, ſibíque ab Epiſcopis regni Coronam imponi voluit coram Deiparâ: ne memoriam Virginis ulla unquam deleret oblivio, néve alium regiæ dignitatis datorem ipſe agnoſceret, quàm Deiparam; quæ regnum jam penè totum manibus Maurorum eripuiſſet, & ſibi reſtituiſſet, nec regi ſolùm Deipara, ſed & populo hac in æde ſemper miraculosâ, ſemper propitiam ſe præbuit: quod ex cumulatis donarijs conſtat, id ſingulare eſt, quod annis ſingulis duodecim Virgines *Deiparæ Aſſumptæ* Feſto ſingularibus Cærimonijs offerantur, Moniales poſtea futuræ, ut ait Marinæus Siculus lib. 3. & Mariana lib. 4. c. 5. & lib. 7. c. ult.

Mauri. — Cerimon.

C D V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

IN ARA CÆLI.

Romæ in Jtalia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Tu jure divina gemma palàm cares notâ.*

1. Scala pretioſa.
2. Imago S. Lucæ.
3. Cerimonia in ponte.

LOcus hic tam profanâ, quàm ſacrâ antiquitate nobilis Romanæ urbi ſemper in pretio fuit. Ad vaſtæ moli templum, quod Religioſi S. Franciſci juxta Cænobium in monte Capitolino habent, ſcalis aſcenditur pluribus, quàm Gemoniæ fuerint. Quid mirum, ſi ad Aram cæli acceſſus ſit per altos gradus? Hanc, quâ occaſione Auguſtus Cæſar poſuerit Aram, dicam.

Cæſarem itaque Auguſtum aiunt adijſſe Delphos, ſeu, quod verò propius eſt, miſiſſe, qui ex Apolline ejus nomen quæreret, quẽ ipſe in imperio ſucceſſorem habiturus eſſet: neque præter hos verſus reſponſum aliud tuliſſe. Lubet verſus in ſcholis decantatos apponere.

Cæſar.

Me

Me puer Hebræus, Divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtémque redire ſub orcum.
Aris ergo de hinc tacitus abſcedito noſtris.

Hanc itaque aram primogenito Deo in monte Capitolino poſuit novúmque Deum ritu, quo potuit ſuum face e thure, libamine, victimâ con endit. Ita non Athenienſibus modò; ſed & Romanis ignotus Deus colebatur.

Cæterùm Imago, quæ in altari Principe videtur, opus eſt, ut aiunt S. Lucæ, & j. m ante Gregorium magnũ hic collocata quam que diem Pontifex in ſolenniſſima illa, & omnibus retro ſæculis decantatâ ſupplicatione, è diverſis ſeptem templis inſtitutâ, inter alias Deiparæ Imagines ad templum S. Petri deferri juſſit, ſeptem omnino fuiſſe, tradunt, omnes penicillo S. Lucæ venerandas, & illo jam tempore miraculoſas. E quibus una, quam ſecutus eſt ipſe Pontifex, ab Angelis, è mole Adriani ſalutata eſt ſolenni cantico, ſeu antiphonâ Regina Cæli Lætare.

Quam communis & antiqua traditio habet illam fuiſſe quæ vocatur S. Maria Major, quod & ego credo li et Ganzaga fol. 134. putet hanc fuiſſe.

CDVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE HENAR.

Henari in Hiſpania.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, pia I, ſanctagemma revera munda luto.*

1 *Ignis ſacer.*
2. *Ex templo ſtabulum.*
3. *Olei multiplicatio.*

PAgus hic novem horis diſtat Segoviâ: nomen à fæno habet, quod Hiſpani *Henar* vocant. Hic pagus ita à Mauris olim vaſtatus eſt, ut nec domuncula ſupereſſet, quæ argueret, hic ſtetiſſe pagum *Sanctius Martinus* fuit, qui hanc Deiparæ Statuam furori Maurico ſubduxit, & ducentis à loco paſſibus terræ mandavit, ne ab igne periret, & ne à vicino fonte periculum haberet, ſtudioſè incluſit. Interea ſemidirutum templum Mauris pro ſtabulo fuit, manſitque ſtabulum etiam poſt exactos Mauros, uſque in annum 1600. quo *Ioannes de Scrivano*, homo honeſtus, Eremita factus ædiculam collectis eleemoſynis reficere inſtituit, ut magno incolarum & accolarum bono, ita & auxilio, ſiquidem turmatim accurrentes & materiam comportarunt, & pecuniam, quæ operarios acciret.

Stabulum. Fuit quoque, cui Deiparà apparens ſepultam Statuam monſtravit, quæ loco ſuo reponeretur; quanquam hujus nomen poſteritas ignorat, quia majores ſcriptum non reliquerunt, unum ex miraculis ad me perſcriptum eſt, quanquam & plura, & exotica hic fieri

memorent: Lampades deficiente oleo extinctas Sabbato ſancto per ſe accenſas fuiſſe: quin & vas olei, unde lampades nutriebantur, no vo miraculo plùs quàm mille lychnis ſuffecit, nam non vulgari miraculo, & jam ſæpius patrato, repletum eſt: ſed viſæ cadentes guttæ olei ab Eremita, quæ lentè & miro modo vas implebant, nec plura ad me de hac S. Imagine ex urbe Segovienſi perſcripta ſunt.

Sabbatum.

CDVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LUCCA.

Luccæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Aurea gemma capitis nitor vale.*

1. Ludus impar.

2. Familiaritas nimia.

3. Brachium punitum.

LUdit in orbe terrarum Deus: ludit quoque orbis terrarum cum ludente Deo, unde mirum noneſt, ſiquandoque familiaritas hæc contemptum pariat. Hoc luſorum ſceluseſt raròſolum, námque ut plurimùm facinore quopiam nefando comitatum prodit, & ſc iptorem fatigat. Lucca Etruriæ urbs, & antiqua respublica Virgini non indevota, Imaginem habuit, quam neque auctor, neque locus celebrem fecit, muro non ſcio cui appictam, ſi quiſpiam è tranſeuntibus moto pauliſper pileo eam honoravit, rem fecit, quam non omnes ſolent. Hic lucri cupidus, & nunquam dives Euclio oculatus ludum inſtituit cum commilitone, (nam miles erat) jámque venerem mercuriúmque è fritillo proijciens, nunquam non victus à ſocio eſt, ſic fortuna homini iniqua fuit, ut omnis pecunia marſupium deſereret, migrarétque, ita jubentibus teſſeris, ad ſocium. Ille ne inanis domum rediret cum marſupio, vivum blaſphemijs clamoribus implevit, quin etiam cælum: nam & illic auditas blaſphemias fuiſſe, Deipara teſtata eſt, poſtquam jactu non grandium cubulorum, grandi tamen facinore Virginis Imaginem, quam in proximo muro conſpexerat, offendit, expectas, lector vel clamores Virginis, vel lachrymas: non dedit Imago, nec ſuccenſuit, major erat is motus affectibus, quibus nomen invenimus, ne tamen non auritos putaret Superos improbus laniſta, os brachij, quo infamibus armis Imaginem petijt ruptum eſt: quod ſi luxatum tantùm fuiſſet, ipſe blaſphemus cum ſciolis in jactum minùs dextreè inſtitutum culpam reieciſſet. At verò quia ruptum brachij os dolores ciebat, quales nulla luxatio etiam funalis efficere poteſt, ipſe quoque miraculum agnovit: & ne ab urbis judice ſupplicium aliud inſuper expectandum eſſet, ſe inter concurrentem turbam ſubduxit. Fama eſt, actâ ritè pænitentiâ, brachium à B. Virgine, non

Luſor.

Brachium.

Pænitentia.

non à chirurgo ſanitati reſtitutum. Hoc certum, concurrentes ex templo cives Imagini ſacræ honores, ab impio luſore ablatos, factis votis reſtituiſſe: quæ tamen civium vota Virgo reciprocâ, & miraculosâ plerumque pietate rependit, Imaginem periti architecti unà cum parte muri intulerunt templo principi: cives in numeroſam ſupplicationem coiêre, & comitati ſunt. Hodie quos ipſa in contumelia ſuppreſſerat affectus, civium bono Imago ſacra non raro oſtendit: ſiquidem pallores, & loquentis animæ deliquia, aliique affectus malorum præſagi in pictura obſervantur, unde inter Imagines Virginis præcipuas, quas Etruria habet, ſemper numerata eſt. Felix Aſtolfi l. 14. Viadana in theſauro cæleſti. Proceſſio.

C D I X.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E H A Y R U M.

Silviæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.

Anagr. *Io, es Adamas unica gemma ter pura luti.*

1. Statua diffracta.

2. Terra vindex.

3. Reſtituto honore ceſſat pœna.

Silvia civitas in confinibus Maurorum, à Christi annis ædificata, etiam hodie à loco, in quo eſt, olim *Hayrum* dicto, apud plures nomen habet. In hac urbe ſupra muros Chriſtiani Statuam Deiparæ collocârunt. Captâ urbe, Mauri in hanc Statuam exeruere vires; pedes manúſque amputant, caput detruncant, demum inter iocos & blaſphemias in mare abijciunt, vindicavit terra impium facinus, & nec herbas pecoribus dedit, nec hominibus fructus: hinc lues & mors tam pecorum, quàm hominum & jumentorum, Seniores Maurorum ſuſpicati id, quod erat, ſuos ad pænitentiam hortati, Statuam illã Deiparæ ita malè habitam famis peſtíſque cauſam eſſe, Deum in imaginibus honorari à Chriſtianis, honoréſque hos acceptos Deo: quapropter ſi caput, ſi manus, pedéſque trunco ſuo iterum apponerentur, terram officium facturam, & daturam fructus.

Fidem invenit ſeniorum conſilium: acciti qui malum fecerant, & juſſi quærere partes Statuæ; quas in mare abiecerant. Difficile, quin & impoſſibile peritis viſum imperium: nam eas in altum fortiſſimo jactu proiecerunt, quas nullus maris refluxus amplius littori reſtituit jam integro anno: poſſe jam fortè certius apud Indos reperiri, quàm in Hiſpania, locum tamen maris acceſſere, & piſcationem non profuturam injectis retibus inſtituerunt, ſed contrà quàm opinabantur, felicem: nam paucis tractibus manus, pedéſque cum capite extraxerunt, integerrima omnia, tum partes partibus appoſuêre; ſuis pedes, manus brachijs, & collo caput: néve ali- Conſilium.

qua deformitas fiſſurarum Statuam redderet deformem, argento quin & auro liberaliter velut armillis ornârunt, ſtatuámque loco ſuo reſtituerunt, & adfuit ſtatim merces ſua operi. Terra fruges dedit, & cælum imbres, & ante omnia lues finem fecit.

Victoria. Obtentâ iterum urbe, Chriſtiani ad hæc uſque, tempora eam inter miraculoſas habuêre. Hæc narrat *Rogerius de Haveden* antiquus rerum anglicarum ſcriptor qui claruit circa annum 1200. in deſcriptione peregrinationis ſuæ Hieroſolymitanæ. Hæc ad me *R. P. Michael de Arbicu Soc. IESU Provincialis*. qui advertit, ab aliquibus vocari locum *Faro*: eſſe tamen idem ac *Haro*, quod apud Hiſpanos frequens eſt.

C D X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE OROPPA.
Biellæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tanta IESU gemma procul à ruina Adami.*

1. *Sacellum templo incluſum.*
2. *Opus S. Lucæ.*
3. *Tres Statuæ.*

EST in montibus civitati *Biellæ* adjacentibus, *de Oroppa* nuncupatis, ſacellum Deiparæ ſacrum, magnificentiſſimo templo incluſum, non Italiæ ſolùm, ſed, exteris quoque gentibus frequentatum, & miraculis clarum. Ibi Beatiſſimæ Virginis Imago è cedrino ligno confecta, pro opere S. Lucæ Evangeliſtæ conſtànter ab antiquo habita: atque à *S. Euſebio Epiſcopo Vercellenſi* ab ipſa uſque Hieroſolyma huc aſportata, originem altiùs repeto. Eo tempore, quo Arrianorùm perſecutio in Catholicos ſæviebat, S. Euſebius legationis honore à ſummo Pontifice decoratus, in Palæſtinam navigavit, cúmque celeberrima terræ ſanctæ loca perluſtrâſſet, Hieroſolymam tandem pervenit, ſingulari beneficio huc ſe veniſſe intellexit: ſiquidem divinâ revelatione monitus de loco eſt, in quo inventurus eſſet, tria Deiparæ ſimulacra à S. Luca confecta. Fodit, invenit, abſcondit. Redux è terra ſancta Sardiniam Patriā ſuam inviſit in urbe Calaritana, cui unā reliquit. Alteram *Creanæ* urbi dedit, in Dominio Monferratenſi, de qua alibi loquor. Tertiam denique & omnium venuſtiſſimam *Vercellas* ſecum tulit, ſtatuítque Statuam collocare in templo ſuo Cathedrali. Sed Arrianos fugere coactus, ad montes *de Oroppa* ſe contulit, & in ſpelunca quadam S. Pignus depoſuit, ne tamen aut ab eluvione fluminis detrimentū caperet, neve honore ſuo privaretur, ſacellum ædificavit, quale ſuadebant & aſperi montes, & montium pauperes incolæ, & denique fuga. Atque hoc Euſebij opus ultimum eſt nàmque Vercellas reverſus, ab Arrianis exceptùs lapidibus

dibus eſt, & æquali cum Stephano Levita Martyrio coronatus, anno 361.

Igitur ſanctiſſimum hoc Deiparæ ſimulacrum, ex cedrino ligno confectum à S. Luca, mille trecentis abhinc annis Hieroſolymis à S. Euſebio inventum, & Vercellas ab ipſo allatum, inde in Oroppæ montibus collocatum, parvo Sacello, ab eodem extructo ſervatur etiamnum hodie, Sacellum magnificentiſſimo templo hodie incluſum eſt: templum autem ab utroque latere ampliſſima habet hoſpitia, & ſi licet dicere, regia; in quibus peregrini, cæteríque magno quotidie numero perhumanitèr ac liberalitèr excipiuntur. Adeò ut in præcipuis Deiparæ feſt vitatibus quatuor vel quinque millia hominum etiã

Hieroſolyma.

è longinquis aliqui regionibus numerentur. Accurſus hic ad quinquaginta millia hominum ſe extendit, Feſto Virginis aſſumptæ anno 1620. cùm Vercellenſis Epiſcopus *Iacobus* triplicem ex auro coronam Deiparæ non ſine ſingularibus cerimonijs impoſuit. Adſunt in ampiâ planitie Sacella plura, quæ peregrini, ne otio tempus fallant, toto die viſitant. Templi parietes non alio periſtromate ornantur, quàm pictis tabulis, quibus miracula proponuntur, nuper anno 1661. nonis Martij, horâ vigeſimâ, linguam, quæ à la ronibus amputata, & radicitus octo antè annis eruta eſt, Virgo Deipara, quæ linguas infantium facit eſſe diſertas: *Ioanni Sa*, Sabaudo miraculosè reſtituit. Hæc ad me R. P. Aloyſius Montanari Soc. IESU.

CDXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PIETATE.
Toloſæ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Super te viva alma gemma non cadit ira.*

1. Antiquitas mediocris.
2. Concurſus populi.
3. Miraculorum fama.

Statua hæc Deiparam refert ſedentem, & filium de cruce depoſitum genibus excipientem. RR. PP. Auguſtiniani pereleganti in altari expoſuêre publico cultui, quem ad duo & ampliùs ſæcula aliqui referunt.

Et quia quotidianis & miraculoſis ſanationibus jam ab antiquo ſibi famam fecit, hinc mirum non eſt, quotidie etiam à populo frequentari, & longè latéque celebrari. Cæterum quia nec alia origo, nec miraculorum ullum in particulari ad me perſcriptum eſt, quod raritate ſuâ lectorem delectare poſſet, aliud non adjungo. R. P. Petrus Poſſinus Societatis IESU, quanquam addat, valdè miraculoſam eſſe, & magno concurſu præſertim majoribus Deiparæ feſtivitatibus, celebrari, nec longinquis ignotam, ſed etiam ab ijs frequenter viſitatam.

Ttt CDXII.

CDXII.

Imago B. V. Miraculoſa. PINSCENSIS SOC. IESU. *Pinſci in Poloniâ.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu clara & pura in anima ô gemma dives,*

1. Miles inventor.
2. In privatis ædibus.
3. E domo templum.

SUb annum 1649. nobilis miles ex iis unus, qui Coſacos ex urbe Pinſco exturbârunt, inter ſpolia Deiparæ Imaginem alicubi repertam & raptam, invenit, hanc ſuæ nepti (Luchinſci quatuor Leucis ab urbe Pinſco) dono dedit, Domeſticorum repentinâ pietas & fervens devotio Virginem eſſe propitiam coëgit, ſed volentem, re cognitâ peregrinationes inſtitutæ, pro acceptis miraculoſis beneficiis dona argentea, allata, adhuc tamen intra ædes nobilis privatas hæc ſe pietas continuit. Bonâ Heri veniâ denique domus ad templum Societatis IESU, coëmpta eſt; in quo honor S. Statuæ fit publicus, maximè Feſto *Virginis Præſentatæ*: tum enimverò & pietas in populo, & beneficia Virginis incrementum priore majus accepêre: Hodiéque non deſinit. Hæc ad me R. P. Thomas Klagius, Soc. IESU.

CDXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MERCEDE. *Valentiæ in Hiſpaniâ.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O gemma munde rutila, Arca Patris vitæ.*

1. Ordo de mercede.
2. Votum mirabile.
3. Revelatio Regi facta.

PRo hac Deiparæ Imagine benè deſcribenda, recenſenda mihi ſunt exordia Religionis de *Mercede*, ſeu *de redemptione captivorum.* Circa annum 1213. Iacobus Rex Aragoniæ ſuperatus à Montfortio Comite, præcipuò Gallorum Duce, Germanicâ nobilitate, ut volunt, in hanc dignitatem aſſumpto, Carcaſſonam ductus eſt, & in captivitate detentus. Is ad preces verſus, Deiparæ vovit, ſe Ordinem religioſum inſtitutūrū, qui captivos à Mauris liberaret; ſiquidem ille Gallorum manus & carcerem evaderet, res citiùs confecta eſt, quàm ipſe cogitarat: regnóque ſuo ſanus & ſalvus eſt reſtitutus.

Multa ille contra Mauros, tunc Hiſpaniam vaſtantes, fecit non

non improſpero ſucceſſu, uſque dum Deipara anno, quo dixi 1233. Kalendis Auguſti oranti ſe viſendam præbuit, laudavit conatus; & inſuper juſſit ordinem quem promiſerat, inſtituere, qui redimeret captivos à Mauris: ordinique titulum daret *Deiparæ de Mercede redemptionis captivorum*. Eâdem quoque nocte apparuit eadem Beato Raymundo Iacobi Regis Confeſſario, eadémque, quæ Regi, dixit, Raimundo quoque imperavit, néve mora intercederet, in urbe Barcinonenſi eâdem ipsâ nocte Deipara ſe ſtitit Petro Nolaſco, & de viſione dubitanti:

Deipara. *Ego*, inquit, *ſum Deipara Virgo, & Redemptoris IESU Chriſti Mater. Robuſtus eſto & fortis, nec dubites, hanc eſſe veram & divinam revelationem, divinâ providentiâ & voluntate factam, ut ſub meo patrocinio is à te inſtituatur ordo; qui fideles Chriſtianos è poteſtate Saracenorum liberet.*

Non difficile fuit, Petro per ſe in omnia bona proniſſimo credere revelationi; ſed qui Ordinem ipſe inſtitueret, non diſpiciebat: nam licèt opulentus eſſet; nec difficulter omnes profuſurus opes in Virginis honores; tanti tamen operis molem non bene digerebat: Commodum fuit, quòd Petrus

Confeſſarius. eodem B. Raymundo Confeſſario utebatur, quo rex ipſe Iacobus; viſa itaque Petrus, Raimundo confeſſario narrat, & Raimundus Petro, quæ vidiſſet ipſe; neutri dubium; quin vera vidiſſet. Tum Raimundus; quid ſupereſt; inquit, niſi ut regem accedamus? Ille jam dudum in Gallia vidit Deiparæ votum non diſpar noſtris revelationibus. Rex utrumque audivit, ſeque tertium junxit, narravítque, quæ viderat ipſe, quæque à Deipara audiſſet. Accitus Perengarius Epiſcopus Barcinonenſis imperat Petro, tanquam fundatori, à B. Virgine conſtituto; regulam ordinis novi ſcriberet. Hæc omnia Kalend. Auguſti facta ſunt.

Petrus regulas ſcripſit, quas poſtquam Perengarius Epiſcopus approbavit Auguſti die decimâ, Feſto S. Laurentij, B. Raimundus è pulpito prælegit populo, & ternas Deiparæ revelationes facundè propoſuit, inde Miſſæ ſacrificium ſolennitate quâ potuit ſummâ Epiſcopus incepit: quo durante B. Raimundus; Petrum Nolaſcum habitu Religioſè veſtit, & primum Generalem Magiſtrum promulgat novi Ordinis B. Mariæ *de miſericordia, ſeu de Mercede & Redemptione captivorum.* Regulæ.

Habitus ordinis & albus, cum inſignibus regni Arragoniæ in pectore: Regula S. Auguſtini, cum nonnullis S. Dominici. Hæc rata eſſe voluit Epiſcopus, dum ſedes Apoſtolica ultimam adderet confirmationem, quam *Gregorius IX.* poſt undecimum annum dedit. Profeſſionem facientes, hæc verba dicunt: *Et in Saracenorum poteſtate, in pignus (ſi neceſſe fuerit) ad redemptionem Chriſti fidelium detentus manebo.* Obligatio.

Petrus poſtquam aliquot annis ſanctè religioni ſuæ præfuit, ſanctè vitam clauſit Anno 1249. nunc officium de eo Alexander VII. decrevit die 29 Ianuarij: Hæc omnia

neceſſariò præmittenda fuere, nunc de Imagine loquar, ſciat lector, Valentiam inſtinctu S. Petri de Nolaſco à rege Iacobo receptam, Mauróſque exactos. Itaque pro novi ordinis Cænobio quæſitus à regelocus, repertúſque eſt in hunc modum, nocturno tempore accenſa lumina, eo ordine, quo ſolemus ſupplicationes publicas inſtituere. Cùm itaque res hæc divinum quidpiam innueret, foſſores conducti ſunt, qui Cænobio darent principium, & primo lapidi locum, omnes, ad ſingulos ictus nonſcio quem tinnitum audierunt, donec eorum unus impacto ligone æs campanum ferit.

Campana. Poſt extractam campanam plura indies reperêre magni templi rudera, quod RR. PP. Benedictini ante quingentos & decem annos ædificârunt, & Mauri jam dudum deſtruxerunt, terráque obruerunt, cum ingenti theſauro, etenim præter campanam reperta quoque tabula eſt marmorea, duos cubitos alta, unum cum dimidio lata, in qua ſculpta erat Deipara ulnis filiolum geſtans. Hæc ſemipalmaris prima Ordinis Imago ſtatim beneficia ſupplicibus dedit: éſtque hæc ipſa quæ tantis miraculis in hodiernum diem celebratur, cujus inventionem ſi per ambages propoſui, nil tamen otioſum ſcripſi. Hæc ad me R. P. Michaël de Arbicu Soc. I. ex Annalibus Rel. de Mercede.

C D X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE COLUMNIS.
Turonis in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
An. gr. *I, alta gemma pura à viro centies munda.*

1. Templum Conſtantini.
2. Columnæ mirabiles.
3. Architectura Cæleſtis.

IN urbe Turonenſi templum à *Conſtantino magno* Deiparæ fabricatum eſſe, ait *S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus, de gloria Martyrum c. d.* in quo initio ſtatim Deiparæ miraculorum famam ſparſit, ad meliora ipſa S. Epiſcopi verba quæ ſic habent. *Deipara Baſilica ab Imperat. Conſtantino mirabili opere fabricata renidet: ad quam adductæ columnæ cùm præ magnitudine levari non poſſent, eò quòd eſſet circuitus earum ſexdecim pedum, ac diebus ſingulis caſſo labore fatigarentur: Apparuit artifici ſancta Virgo per viſum dicens: noli mæſtus eſſe, ego enim tibi oſtendam, qualiter hæ queant elevari columnæ: & oſtendit ei, quæ optarentur machinæ, qualiter ſuſpenderentur trochleæ, atque funes extenderentur, illud addens: conjunge tecum tres pueros de ſcholis, quorum hoc adjutorio explere poſſis, quod cùm ille vigilans, quæ præcepta fuerant, coaptâſſet, vocatis tribus pueris ab ſcholis, erexit ſummâ velocitate columnas. Præſtitum eſt populis videre miraculum admirandum, ut quod multitudo virorum fortium levare*

nequi-

nequiverat, tres pueruli abſque virtute perfecti corporis ſublevarent. *Hac S. Greg. Tur. de gloria Martyr. c. 9.*

CDXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SYLVA.
Toleti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Intemerata janua O dulcis pura gemma.*

1. *Viſiones Virginis nobilis.*
2. *Immaculata Conceptio B. Virginis.*
3. *Bullæ inventio.*

BEatrix à *Sliva* nobilis Toletana Virgo, Deiparæ à prima infantia addictiſſima, inter orandum vidit Deiparam ante ſe ſtantem candido & cæruleo ornatu venuſtiſſimâ ne indonata abiret, Beatrix Virginitatem ſuam dono dedit, & voto firmavit. Abiere dies non multi, cùm ei ſe videndos præbent S. Franciſcus & S. Antonius de Padua. Hi Beatricem allocuti: *Filia*: inquiunt, *ſcias te, favente Deiparâ, multarum filiarum matrem fore*: illa, *nec filios*, reponit, *nec filias peto*: *Virgo ſum, & Virgo manebo*: *ita Deiparæ promiſi, & voto firmavi.* *Fiet hoc*, inquiunt illi, *ſine voti tui damno.* Quo dicto, videri deſierunt. Bulla.

Inceſſit ſubitò Beatricem, ingens deſiderium fundandi Ordinem Monialium, ſub titulo *Immaculatæ Conceptionis.* Hoc Reginæ Eliſabethæ retulit. Hoc Eliſabethæ Reginæ placuit: Hoc Innocentius Octavus approbavit, nam Beatrix duodecim Moniales è Cænobio D. Dominici eduxit in palatium, quas Regina hos in uſus Beatrici donaverat, & ordinem incepit. Apparitio.

Memorabile eſt, quod, memorant. Bullæ, quâ Innocentius Papa novam religionem approbavit, & raram eſſe juſſit, in mare cecidit, ſive naufragio, ſive alio caſu cúmque triſte hoc nuncium afferretur Beatrici, riſit illa, &; ſalva, inquit, & illæſa eſt ſummi Pontificis Bulla: ſimul eam è ſcrinio extrahit, & ijs monſtrat, qui eam Romę acceperant. Porrò hæ Moniales ſemper ſecū geſtant Deiparæ Imaginem radijs cinctam, & filiolum habentem, in brachio, & ſtellis coronatam, ne vel per momentum apud ipſas pereat Dei parentis memoria. Diebus feſtis, & Dominicis, eo utuntur Breviario, quo Romana Eccleſia, cæteris diebus ſolo officio *Immaculatæ Conceptionis* Chorū honoranr. Quamvis primæ duodecim Moniales eſſent ex ordine S. Dominici, tamen quoad directionem in ſpiritualibus, ob titulum *Immaculatæ Conceptionis* ſubeſſe voluerunt Ordini S. Franciſci. Ipſa Beatrix cum opinione ſanctitatis obijt, viſáq; eſt ejus fronti ſtella lucidiſſima inſidere. Henriquez. 8. Octob. Breviarium.

CDXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GRADU.
Agatæ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu Deipara, tu o gemma, urna neſcia mali.*

1. Urbs antiqua.
2. Veſtigia B. Virginis.
3. Miraculum memorabile.

Agatenſis urbs in Gallia Narbonenſi eſt propè mare mediterraneum. Temporibus Cyri regis à ſe ædificatum Maſſiliam Agatenſes dicunt, urbs hæc ſanguine Martyrum olim celebris, noſtris temporibus à Calvino multum paſſa eſt, ſuperavit tamen hos Hugonotorum turbines Sacellum B. Virginis *de Gradu*, quod circa quintum à Christo ſæculum jam ſtetiſſe affirmant, credúntq; illud ipſũ eſſe, quod *S. Severus* Epiſcopus ſtruxit, quódque ob ſcaturiginem limpidiſſimi fontis olim dicebatur *B. Virgo de aqua viva*, adjunctum paulò pòſt Cœnobium, in quo S. Severus centum ſexaginta Monachis præfuit. Cænobij rudera etiamnum extant, ſacellum hodiéque peregrinorum affluxu celebre, vocatur hodie *B. V. de Gradu*, id eſt, de lapide, ſuper quo (ut tradunt) viſa eſt Deipara orare pro Agatenſibus: hodiéque monſtrant Virginis Deiparæ veſtigia. Porrò cauſa orandi fecit, ne filij juſſu, mare exundans, inundaret urbem Agatenſem. Lapis autem ipſe iſte priùſquàm ſacello ampliato clauderetur, magno ſemper in honore fuit. Lapicida contra mandatum Magiſtri ſui, tentavit hunc lapidem ſtrato pavimento coæquare: omnes quos dedit ictus, ſibi ſe dediſſe ſenſit, ſuaſit ei denique immanis pedum dolor ceſſationem ab opere proh bito; quin etiam facti pœnitens ſanitatem recepit. Plura alia, quia communia omitto. R. P. Iacobus Baiſſenk, Soc. IESU. Veſtigium.

CDVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
MELIORATA.
Avilæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *I, mira Gemma, tu naſcenti Deo pura aula.*

1. Dos magna.
2. Nomen novum.
3. Vita Eremitica.

IN urbe Avila *Maria Perez* honeſtiſſimorum & divitũ parentum, filia virtute ſuâ ipſis parentibus ſe ita commendavit, ut ei triplo majorem dotem darent, quàm cæteris. Hanc illa temperantiâ ſuâ, & parſimoniâ multùm melioralora-

lioravit, (ſit venia voci, quæ ipſi Deiparæ non diſplicet) interea ſibi tugurium in fundo ſuo erexit, & vitam vixit aliquantiſper Eremiticam, non alio ſolatio, quàm quòd è B. Virginis Imagine non optimâ manupictâ traxit.

Theſaurus. Hunc, nón alium theſaurum habuit in ſuo Eremitorio, dum meliùs è cælo inſtructa, in Cænobium abijt. Tum dote Cænobio datâ, melioramenta dotis huic legavit, unde tugurio in templum muttoa, nomen accepit inuſitatum, & *Deipara meliorata* eſt nuncupata, floruit anno 1300. & in hanc uſque diem Imago miraculis claret, ità ut inter Avilenſis urbis celebriores numeretur; curant eam Hieronymiani ita Iacobus Signaza in hiſt. Ord. S. Hieronymi T. 2. l. 1. c. 23.

CDXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
TOROSELLANA.
Toroſellæ in Galliâ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *I, gemma I, Laureata ac purâ mundo nites.*
1. Inventa pecunia.
2. Templum dedicatum à Chriſto.
3. Auxilia in tempore.

TOroſellanæ Deiparæ Statua peranti qua eſt, nec ejus origo ad me perſcripta, id famâ majorum conſtat, quod, cùm Statuæ utique jam tum miraculis claræ; templum ædificaretur; pecunia; ut fit, & unà conſilium defecerit, quia moram eſurientes operæ non ferebant, dederitque Maria Virgo pecunias; nam ab eo, qui ſtruendi templi auctor fuit; marſupium in tempore inventum eſt tantâ pecuniâ fartum, quanta ad illum diem Operis ſuffecit.

Ita auxilia ſua divinà Virgo in numero, pondere, & menſurâ tribuit, & tempore opportuno; ſed grandius miraculum eſt, quod ſequitur, & Eremitano in Helvetiâ non diſpar. Perductâ ad finem fabricâ cum Epiſcopus Dedicationem pararet; divinâ voce remigrare in urbem viſus eſt: Ædiculam, quæ jam à Superis conſecrationem accepiſſet; ejus operâ opus non habere. Hæc ad me R. P. Iacobus Baiſenc S. I. Rect. Carcaſ. Auxilium.

CDXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
KIRITEINENSIS.
Kiriteini in Boemia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum:
Anagr. *Deipara gemma en tu unà carniſti malò:*

1. In-

1. *Inter vepres.*
2. *Fulgor Cœleſtis.*
3. *Cæcus in cunis.*

STatua hæc lapidea eſt, ſeptem pedes alta, jamque quatuor omnino ſæculis clara miraculis, aliam ejus originem non accepi, quàm quòd credatur cæleſtium ignium indicio inter vepres, inventa, artifex quisquis fuit, magnus fuit, ſcivítque facere Deiparæ Statuam gravem, amænam, virginali modeſtiâ venuſtam, deniquetalem (ſiquidem talis eſt, ut ſculpitur) quæ inter pulcherrimas locum habeat. Cæterûm hoc inſigne miraculum, quod hoc ſæculum tulit, memorare inſtituo.

Puer Puer in vicinia natus eſt omnibus, ut puto, membris integer, ſanus, & ſalvus, hunc caſus neſcio quis adhuc in cunis inter faſcias vagientem excæcavit. Triſte parentibus ſpectaculum, filius cæcus, ad remedia ſollicitos coëgit: ſed qui remedium porrigeret, nemo fuit. Suasère amici. D. Virgini facto voto ſe obligarent, puerum cum munere ad templum ductutos, ſi viſum reciperet, ſed obſtabat conſilio fides heterodoxa, longè aliter de Virgine, & ejus ſacris Statuis, de Virgine, & ejus apud filium gratia, & de miraculis ſentire & credere docta; ſed ingerebant eadem Catholici, & ni ipſi ſibi impedimento eſſent, certam hîc illis fore opem aſſerebant, quam tot ſæculis quàm plurimi accepiſſent.

Fecêre illi, quod naufragi ſolent, qui obvia quæque cum fide apprehendunt. Ita iſti vovent Votum. Virgini, quæ miſeri ſolent: & puerum plus triennio cæcum (ut alij ſcribunt quinquennio) recepto oculorum uſu domum reducunt. Puer cum parentibus jam oculatior, diſpulſis, errorum tenebris ad veræ & orthodoxæ fidei lucem reſipuit: utque Deo, ſuæque Soſpitatrici nunquam non gratus eſſe poſſet, *Zabrdunenſi* in Cænobio vitam religioſam inſtituit, & cum hæc ad me perſcriberentur, Prioris officio functus eſt, atque hæc, quæ ſcripſi, oculatus ipſe teſtis aſſeruit, vide lector, quàm etiam hæretici, ſi pertinacia & contemptus abſit, maternos à Virgine amores expectare poſſint.

Cæterùm duo præ cæteris feſti Feſtus dies hîc celebrantur, Dedicatio namque *Dominicâ Exaudi*, ut vocant Patrocinium verò Feſto *Virginis Viſitantis* celebratur: quo die tantus accurſus eſt, ut ſex quandoque millia eo die ſacro epulo reficiantur, conſtanti denique famâ habetur, Walachos locum ſpoliaturos, truci vultu à Virginis Statua ita territos fuiſſe, ut locum intactum reliquerint, & præcipiti fugâ ſalutem quæſierint. Ita R. P. Andreas Schambogen Provincialis Boëmiæ Soc. IESU.

CDXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE AURATA.
Toloſæ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *I, ò purè inſtructa I, gemma amanda, vale.*

1. Domina Cæli.
2. Supplicatio annua.
3. Conceptio Immaculata B. Virginis.

TEmplum hoc creditur hâc in urbe omnium antiquiſſimum, ſtructuræ ſpecies, & cætera indicia facilè fidem faciunt. Peritiores tamen non ultra temporá ea ejus originem promovent, quibus Gothi Toloſæ dominabantur, ut ut ſit, certum eſt, pluribus jam ſæculis celebrari locum à fidelibus magno numero undique accurrentibus, in eo templo videtur Deiparæ Statua multis miraculis notiſſima. Eſt ea è ligno nigro, refertque Virginem, & in Virginis gremio filium.

Primam ejus originem puto eſſe incompertam: cùm ipſi RR. PP. Benedictini, qui loci curâ habent, nihil de origine hujus Statuæ in monumentis reperiant, ſolent Toloſani cives, quoties ſiccitate nimiâ fruges areſcunt vel immodicis imbribus flacceſcunt, mali remedium à *B. Virgine de Aurata*, id eſt, ab hâc Statuâ petere: neque unquam, ut aiunt, hoc fruſtra fecère, majorum mos habet, ut incidente ejusmodi caſu, octo viri Capitolini, qui ſunt annui Magiſtratus, urbis curæ ac cuſtodiæ præfecti, nomine civitatis univerſæ à *Diva de Aurata* æditui poſtulent, ut Statuam B. Virginis è ſuo tabernaculo producant, & Venerationi publicæ & quotidianæ, exponant in loco eminentiore, eâ re impetratâ, concurſus fit civitatis, ſerenitatem aut pluviam, uti uſus exigit, petentis. (Tempeſtas.)

Tum etiam ſupplicatio inſtituitur celebri per urbem pompâ, quâ etiam ipſa Deiparæ Effigies in ferculo circumfertur. Eſt in eodem templo antiquiſſima religio *Concepta ſine macula Virginis*, cujus origines quanquam non ſatis explicatæ videntur, tamen *Sixti II.* imò *Concilij Baſileenſis* tempora excedere. Ita ad me R. P. Petrus Poſſinus Societatis IESU Toloſâ. (Proceſſio.)

CDXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

COIAVIENSIS.

Coiaviæ in Boemia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Adamo licet gnata mirè pura navi ſum.*

1. *Monſtrum hominis.*
2. *Aurea Sabbatha.*
3. *Vigiliæ antiquæ.*

COiavienſis Deiparæ, jam dudum, miraculis claræ, gloriam auxit vehementer miraculum præ cæteris exoticum. Marcus quiſpiam è matris utero progreſſus eſt pedibus non mòdò curvis, ſed & averſis miſer, & deformis, & quis tam afflictâ prole parentibus ſenſus? Mater ubi primùm licuit, templum quadrageſimo die ingredi, prolem ipſa ſimul intulit, & Virgini Coiavienſi, ſuper altari poſitum oſtendit, ipſa videret, curarétque miraculum.

Lacrymæ. Commendabant matrem filiúmque communes lacrymæ; jámque ſpe plenâ, non poſſe tantarum lacrymarum, filium perire, in pedes ſe erigens, videt, audítque articulos non ſine ſtrepitu ſonóque in ſedes ſuas redire, brevibúſque momentis rectis & erectis inſiſtere puerum pedibus, Marcus poſthac juſſu matris nomen duplicavit, vocatúſque eſt *Marcus marianus*, atque is ipſe eſt, qui Societatem IESU poſtea ingreſſus, Rector Glacenſis Collegij fuit, per Epiſtolas in hâc causâ *Atlantis Mariani* notus.

Templum ſanè magnum, & elegans eſt, vix tamen multitudinis capax, quæ tribus *Aureis Sabbathis*, ut vocant, affluit. Facibus templum, plateæ accenſis pyris lucent, præcedens dies unà cum parte noctis audiendis, abſoluendíſque reis datur.

Mediâ nocte, ſolenni Muſicorum choro ſacrum inchoatur, ſub quo peregrini ſacro epulo reficiuntur, auditúrque avidè poſt ſacrum cantatum concio. Ita undique ad vigiliarum antiquarum ſpeciem nox inter ſacros cantus tam intra quàm extra templum inſumitur; poſt ad cantum populus revertitur, & domum repetit, ut ex aliquot hominum millibus vix decem poſt horam reperias, ſcripſit de his *Aureis Sabbathis* ad me, qui his ipſis Sabbatis audiendis confeſſionibus in ſacro tribunali celebritatem auxit R. P. Bohuſlaus Aloyſius Balbinus Societatis IESU. Vigiliæ.

CDXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. IN BRUGERIIS. *Toloſæ in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vitalis unio, gemma amanda certè pura.*

1. Templum ſepultum.
2. Ager theſaurum habens.
3. Reverentia in bobus.

HÆc quoque Deiparæ Virginis Statua, perinde ut plures aliæ, à bobus inter arandum reperta eſt, non ab agricola, eóque majore miraculo, quòd Statuam defoſſam non viderint. Collem arabat ruſticus, & in loco procidêre in genua boves. Stimulis erecti perrexêre non inviti. Et verò ubi altero ſulco in reditu ad eundem locum iterum ventum eſt, iterum procubuêre boves, niſi fortè & tertiò factum hoc ſit. Colonus altiora ſuſpicatus foſſionem inſtituit, & S. hanc Virginis Statuam reperit, theſaurum in agro. Reperit quoque Virgo, quos portentoſum hoc Statuę indicium, moveret ad templum in colle condendum: in cujus fundamentis eruendis, quia muri aliqui reperti ſunt, in templi non domûs, formam porrecti, creditum eſt, Virginem olim ibi templum, & hanc Statuam in templo habuiſſe. Templum. Albigenſes hæretici nempe ſolo æquârunt, ingens hic ſemper ob præſtita beneficia concurſus, præſertim Feſto *Nativitatis Deiparæ.* Hoc templum, quod altero ab urbe lapide diſtat, curant in adjuncto Cænobio RR. PP. Ordinis S. Dominici. Ita ad me R. P. Petrus Poſſinus Soc. IESU. Toloſâ.

CDXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ROSA. *Budwicij in Boemia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Diva munda amicta ſole, Mater puri Agni.*

1. Iuvenis ſeductus.
2. Miraculum in patibulo.
3. Furtum pium.

VEnuſtiſſima hæc Deiparæ Imago, quæ duodennem, vel etiam annis aliquot minorem, piè ſimul & peritè repræſentat Virginem, quàm antiqua ſit, ad me perſcriptum non eſt, idoneis conjecturis conſtat, diu in templo ſtetiſſe, nullo, quod ſciam, miraculo celebrem, fuiſſe tamen populo in veneratione, dubium non eſt. Etenim juvenis quiſpiam ex ijs unus erat, qui frequenti ad Imagines Virginis acceſſu Aſylum ſibi maturè proſpiciunt, ut in tempore habeant paratum auxilium,

juvenis hîc, relictâ tantiſper patriâ exteras gentes petijt, unde multi non meliores, multi omnino non redeunt.

Is, inquam, ubi in Italiam venit, Mediolanum cum ſocijs ingreſſus, non diù mores diſſimulavit, quos ſecum tulit, ſibi magis quàm alijs nocituros. Sive itaque ſcelus fuit, ſive ſceleris non bene vitata ſuſpicio, in carcerem ab apparitoribus conijcitur, & quia judici Innocentiam ſuam non probavit, latâ mortis ſententiâ in forum producitur, longa littera futurus in furcâ, unde alij meliores legerent mores. At verò, elusâ carnificis operâ, vita ei conſtitit; Nam ſemper illi in mente, ſemper in ore fuit Deipara Budvvicenſis. Viſo inter tot teſtes Miraculo, ipſe judex hominem dimiſit liberum, quem ſupremi judicis mater tanto portento abſoluiſſet. Ille jam non mortis, ſed Voti reus, ante omnia in patriam feſtinus remigrat, Virgini ſe ſiſtit in urbe & templo Budvvicenſi, & inter ſuorum exultantes lacrymas animos civium docuit, poſſe hâc in Icone ſperari Reginæ Cæli auxilium. Ita cæteris miraculis factum eſt initium, unum ex omnibus adjungo.

Captivus

Princeps fæmina (narratio impreſſa vocat eam Duciſſam Mediolanenſem) Mediolano venit in Boëmiã, ſive amicos viſura, ſive gravioribus negotijs in aulâ Imperatoris, & curiâ Pragenſi, finem factura.

Hæc in reditu Imaginem hanc Thaumaturgam inviſit. Fecit, quod pij ſolent, cûmque ſatis ſuperque affectui in Virginem litare non poſſet, mnemoſynon aliquod auferre auſa eſt, cujus intuitu per viam S. Statuæ memoria non elaberetur. Mentem Duciſſæ bonam juvit roſa, quam neſcio quis dextræ Virginis manui impoſuit. Hæc, inquit, jam S. Statuæ contactu ſacra cum ſit, mea erit, nam ſi roſas aureis hierothecis, quibus filius ſpectandus proponitur, imponimus, & recipimus, quid ni & iſtam auferre mihi liceat, quam Virginis Thaumaturgæ manus ſacrârunt, Dixit; &, quâ potuit pietate, roſam eximit, ſecúmque mnemoſyni loco aufert in viæ præſidium ſed piam, & cætera nulli incommodam rapinam Virgo non probavit, recepit quam primùm, quod ſuum erat. Ita poſtero mox die roſa dextræ Virginis inſerta ſtetit, & hanc ipſam fuiſſe, non ſine terrore verecundo, Duciſſa aſſeruit, poſteaquam ſuam cum diligentiâ quæſitam non invenit Narratio impreſſa.

Ducisſa.

Roſa.

CDXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. ROTOMAGENSIS. *Rotomagi in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Magna Diva Cæliſum, intemerata pura;*

1. Thronus aureus.
2. Campana ingens.
3. Dux Aquitaniæ.

TEmplum munificentiâ Regiâ erexit anno Chriſti 913. *Robertus* Beati Audoeni Rothomagenſium tunc Epiſcopi hortatu. Statuam Virginis ita honorávit, ut ei ſedem faceret auro gravem. Ita merebatur. Artis ſuæ miracula hic plures Artificum depoſuêre. Ex omnibus de Campana audi, quid probatus Auctor dicat. Hæc, inquit, fuſa ab Artifice eſt anno ſæculi prioris primo: latitudo ejus eſt decem pedum, altitudo, ut ſolet, ſi anſas quoque comprehendas, totidem, circuitus triginta ſex millia librarum pendet, lingua verò ferrea decem ſupra ſexcentas habet. Hæc artis miracula ſunt, Virginis miraculum in altari vi- Campana. detur *Gulielmus Aquitaniæ Dux*, cujus oſſa ad hanc Deiparæ Statuam Majores depoſuêre. Peccavit ille ſanè, quod Principes ſolent, pænitentiam verò egit quam Principes nō ſolent, quod S. Ambroſius de ſuo tempore affirmabat. Hanc Bernardo ſuo prædam Virgo in caſſes egit, quâ ille obiecto ſub panis Schemate filio caperet, ut aliqui ſcribunt, vinctus catenis liberam egit captivitatem; oculis ubi ad fortitudinem ſuam reſpexit, captus, dum ſe iterum deſpiceret. Immane robur in pænitudinem & conſuetos pænitentium labores impendit, nullo mundi loco ſecuram quietem inveniens, dum hic ad Virginis Statuam deponeretur; Princeps, peccator; pænitens ſanctus. Merula in Coſmographiâ lib. 3. p. 2. c. 30. Felix Aſtolfi l. 4.

CDXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
ALTWILMSDORFFENSIS.
Altwilmsdorffij in Boemia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Arca nova at munda ivi repletâ gemmis.*

1. Rei domeſticæ felicitas.
2. Corvus mirabilis.
3. Veſtis B. Virginis.

DUos pagos habet Comitatus Glacenſis ejuſdem nominis *Wilmsdorff*, hac ſolâ differentiâ; quòd ut ætate, ita & nomine differant, in hoc ſecundo ruſticus fuit ante ducentos annos, nomine, non officio *Sartor*, qui mirabili infortunio, nullo ſuo vitio, penè ad incitas redactus eſt, nullus laboribus reſpondebat fructus, præ cæteris animalia & jumenta fædis ægritudinibus peribant; quis memoret boni, ſed miſeri hominis curas? ſemel in ſomno conſilium accepit, omnia meliùs in re domeſtica ſucceſſura, ſi Statuam Deiparæ curaret, locarétque in altari hujus templi. Curavit ille fieri quampiam Statuam *Deiparæ Doloroſæ* factámque in templum prædictum ſpe plenus deportavit, nec ſpe ſuâ fruſtratus eſt; Animalia & jumenta convaluêre, omnis res domeſtica meliùs habere cæpit; denique è paupere

& miſero non incommodarum opum Colonus evaſit, mirantibus accolis. Poſtquam verò intellexêre totum, quod mirabantur, provenire à S. Statua, properè & ipſi Statuam honorare cæperunt, non multùm diſpari fructu: quod in hodiernum uſque diem faciunt; unum adjungo ex omnibus. Statua.

Fuit Anno 1645. cùm militaris furor omnia vaſtaret, & nemo ſecurus domi ſuæ viveret, ſive hoſtici, ſive amici milites advenirent: nec enim refert, à quo ſpolieris, quando utrorúmque eadem auri fames. Fuit, inquam, colonus, qui theſaurum ſuum non multis ungaricis Ducatis conſtantem, ſtuppâ & lino bene involutum, juxta arborem cavitate ſuâ facilè notabilem defoderet in terram, quæſitúmque ad uſus domeſticos poſt paucos dies non reperiret, in terram proſtratus, Deiparæ *Altvvilmsdorffenſi* veſtem vovit, ſi pecunias ſuas defoſſas reperiret, cùm ecce! advolans corvus omnem pecuniam lino, ſtuppáque, ut erat, involutam, roſtro portat, & ante *Georgij* (hoc ruſtico nomen) pedes deijcit, functúſque officio ſuo avolat. Ille gaudio vix par, rem omnem fideliter Parocho ſuo enarravit, & Ungaricum unum Ducatum pro veſte S. Statuæ curanda reliquit. Parochus *Rupertus* in ſuo publico teſtimonio, quod hac ſuper re authenticè formavit, Georgij ruſtici prædicti mores laudavit, & hominem optimæ vitæ, & veracem, quàm plurimùm prædicavit: ut ad me perſcripſit R. P. Io. Scheſtak, S. I. Gaudium.

C D X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
D E G R A T I A.
Goæ in India

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Renuo pia maculas, uti mater Dei magna.*

1. Satietas pecuniæ.
2. Mira liberalitas.
3. Inſperata Converſio.

QUartum & decimum jam annum ex Indiâ in Sinas & Japones mercaturã exercens, navigavit *Ferdin. Mendez Pintus*, natione Luſitanus, Patriâ monte majore veteri, S. Xaverio amiciſſimus, cujus etiam in illo magnifico aditu, ad annunciandam Bungenſi regi magno Dei fidem, partes geſſerit ſuas. Aderat tunc è commercio Japonenſi, & divitiarum ſatur, ſi minùs habitarum, tot ſaltem per maria quærendarum, adornabat receptum in patriam, placidè illic, parto fruiturus, priùs tamen quàm mare ultimum tentaret, voluit animum vitæ omnis exactæ confeſſione expiare, legítque ad hoc Patrem Nunnium Parretum, quo cum in Choranum ſeceſſit inſulam tertio à Goâ milliari. Illic in Sacello Deiparæ *à Gratijs* dicto voti affatim compos, & tanquam gravi levatus pondere, lætúſque ſecuri jam animi Peregrinatio.

nui

mi, cæpit cum P. Barreto de Chriſtianitate Japoniæ colloqui, & quæ ipſemet ſpectârat prodigia, de ſanctimoniâ Xaverij & miraculis narrare, quæ dum perſequitur, momento patriæ oblitus Barreto confirmat, ſi vellet in Japoniã conſilia vertere, ſe in obſequiũ fidei ſacroſanctæ, & Societatis in Japoniâ ſedem, pardonum duodecim millia, quæ in numerato ſibi eſſent libentiſſimè collaturum, præter vim mercium opulentam, quam ſecum parabat in Luſitaniam vehere: nullam enim eſſe Orientalium, quas propè omnes adierat, Japonicâ gente obſequentiorem agnitæ rationi, & in ſemel ſuſcepto virtutis propoſito immobiliorem: millibus quatuor Pardonum Collegium nobis Amangucij ſe fundaturum: illinc tum ſpargendos toto imperio noſtros in Evangelij prædicationem, juvaret, ſuo etiam utcùnque ſe erga Xaverium amori facturum ſatis, ſi, quod mortuo dare non poterat, Japoniæ daret, uſque adeò Xaverio charæ, ut doni gratia redire in illum videretur.

Converſio.

S. Xaverius.

Hæc Fernandus Patri Nunnio. Quæ tam ab omni ſpe & opinione longinqua mutatio eo in homine, qui vitam infelicem in id contriverat, ut dives fieret, tunc dives, & in procinctu ad patriam, ad quietem, ad ſui deinceps arbitrium, & pingue otium, mutabat cogitationes, repetebat inopiam veterem: quidquid tantis accumulâſſet periculis, donabat Evangelio propagando: Hæc ejus voluntatis adeò inſperata converſio, viſa eſt Patri Barreto non poſſe aliunde, niſi à Deo naſci: & quando exitum ſortiri non poterat, niſi in Japoniam tranſiret, velut illuc Fernandi ore à Deo vocaretur, apud ſe & ipſe, jam diu dubius, decrevit, eò vocantem Deum ſequi.

Poſtquam omnia ad navigationem parata erant, condictâ in diſceſſum die Pater Nunnius Barretus, ſub occaſum Choranum inſulam cum Fernando traiecit, ſalutaturus ultimò Deiparam, & precaturus itineri ab eâ benedici, cujus, ante illius aram prima deſideria concepiſſet; noctem ferè ad illius pedes orando traduxêre, hinc Cælo albente, Aprilis quinto & decimo anni 1554. P. Nunnius rem ſacram facit, in quâ noſtri more Societatis conſueto ſua vota inſtaurârunt ſenſu incredibili pietatis, ſpectabat hæc Mendez Fernandus avidè, utque puras animi voluptates nunquam experti, ſolent ad primum earum ſaporem ebrij ultra modum exire, & ſe promiſſis illigare: Ita Mendez flens, & in Deo totus, páríque cum alijs voce paupertatis votum, caſtitatis, & obedientiæ nuncupat, vivendi moriendíque in Societate, totum ſe ſuámque rem omnem in uſum Chriſtianitatis Japonicæ conferendi.

Deipara.

Hujus primas voces cùm quidam è ſocijs tentaret abrumpere, (adhuc Novitio) ille toto feruoris impetu properans, inceptum peregit, Pater Nunnius cælitus factum exiſtimans, confirmavit, piáque admonitum cohortatione recepit in Societatem. Illinc digreſſus à Patribus, & ab ijs requiſitus, deprehenſus eſt, in templo pre-

Devotio.

Annuli. pretioſos ſibi annulos detrahens, & ijs pueri IESU digitos coronans, quem illic Statua Virginis inter brachia ſuſtentabat. Cæterùm originem hujus S. Statuæ non reperi: quæ hic ex Aſiaticâ hiſtoriâ *R. P. Danielis Bartoli Societatis IESU* appoſui, ad Virgins honorem pertinere duxi.

* * *

CDXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN CATHEDRALI.
Pariſijs in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Iam clamitat mundus. En! Eva Regia, pura.*

1. Cereus mirabilis.
2. Pietas ſubditorum.
3. Rex captivus.

MIraculoſam fuiſſe oportet Deiparæ Imaginem, quæ Pariſijs in templo Cathedrali colitur, & quidem præ cæteris æſtimatam, ut per quam maxima quæque à Deiparâ impetrari poſſent. Anno 1356. 19. Septemb. in conflictu infelici Pictavienſi *Ioannes* Gallorum rex ab Anglis, tollitur, & carcere recludendus, in Britanniam deducitur. Pia obtulit vota pro rege ſuo, & ejus ſalute, regnum univerſum, ſolennis ſtatio Pariſijs ipſo Feſto *Aſſumptionis* anno 1357. adhanc ædem indicitur, non ſine cærimonia nunquam antè audita. Cereus ad altiſſimæ turris, quam urbs habebat, longitudinem dimenſus eſt, qui diu noctúque ante Virginis Statuam arderet, rotæ circumligatus: ut eſt quidem *Maſſei* ſententia. At *Ægidius Corrocetius* non ad turris altitudinem cereum productum vult, verùm ad totius Pariſienſis urbis circuitum: cúmque conſumpto alimento ardere deſijſſet, labentibus retro annis iteratum continuatúmque fuiſſe. Ex hoc lector arguet, quanto in honore fuerit tunc hæc S. Statua. Hæc ex Corrozetio lib. Antiq. Pariſi. Cereus

* * *

CDXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
ALBAQUENSIS.
Albaqui in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Adinventa ſemper Immaculata Virgo.*

1. B. V. dicit diem & horam mortis.
2. Heri boni ſervi boni.
3. Patris boni filius bonus.

EST *Weiſwaſſer* pagus Sileſiæ: in hoc Sacellum, eſt B. Virginis viſitantis Eliſabetham, ab immemoriali tempore peregrinorum copiâ celebre. Origo tantæ pietatis incerta ob hæreſes, integro penè ſæculo terras illas inundantes. Denique

nique B. Virginis Sacellum deſertum ac deſolatum omnino concidit, & in cuſtodiam pomorum decrevit, certè inter murorum rudera non ſpinæ modò, ſed & arbores creverunt; donec iterum anno 1602. ſub Hero Catholico *Chriſtophoro Barone de Maldiz* templum à fundamentis novum ædificatum eſt. Gratam fuiſſe Virgini hanc fabricam, non dubiè probat ſingularis gratia, quâ templi auctor & fundator monitus à Deiparâ eſt, de die & horâ mortis: quâ adveniente, ſe veſtiri præcepit amictu pullo, poníque in ſellâ, horâ noctis duodecimâ, ubi uſque ad mortem, quæ uti prædixerat, mediâ primâ ſecuta eſt, actibus amoris Dei inflammatus vitam feliciter finivit. Addo alterum priore jucundius.

Sacellum.

Peregrinus.

Paucis ante mortem diebus peregrinus, viſitatis locis per orbem ſacris, Niſſam venit, & non longè à domo dicti Baronis Chriſtophori de Maldiz divertit, homo nemini notus, & qui neminem noviſſet, miſit illi Baro ſæpius de menſâ ſuâ prandium & cœnam. Defuncto, ut ſuprà dixi, Domino, famuli ad mores Domini facti peregrino tamen cibos tulêre, primus eorum, puer honorarius *Henricus Geisler* fuit, qui hoc officium præſtitit peregrino: eum intrantem peregrinus ſtatim his verbis allocutus eſt: Bene agitur cum Domino tuo: oblata mihi hâc nocte viſio eſt lætiſſima, vidíque eum ſtatim à morte ſuâ cælos petentem: cauſamque audivi, quòd in montanis templum novum in honorem B. V. condidiſſet. Hoc Henricus ætate virili, & in majore dignitate conſtitutus, nō ſine ſenſu pietatis paſſim omnibus recenſuit.

Templum.

At verò ut ad templum revertar: Filius Ioannes, devictis hæreticis anno 1620. in pugnâ decretoriâ Pragenſi, loco ſacro antiquam pietatem revocaturus, Dedicationem templi quàm celeberrimam per Suffraganeum Wratiſlavienſem procuravit. Ex eo tempore non modò vicinorum pius accurſus, ex ipsâ uſque Boëmiâ factus, ſed & ipſa Deipara beneficia ſua cumulatè contulit petentibus. Atque ut de antiquis nil extat, nova certè plurima ſunt & rara, ſed nullum ad me perſcriptum eſt à R. P. Ioanne Scheſtak, Soc. IESU, à quo priora accepi.

C D X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.

C L A R I A C E N S I S.

Clariaci in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Gemma realis, vita pura ac munda niteo.*

1. *Cereus mirabilis.*
2. *Pericula ſignificantur.*
3. *Lætum portentum.*

Clariacum tribus omnino millibus paſſuum Aurelijs diſtat. Hic Virgini templum Galli ſtruxêre anno 1428. poſt acceptam ab Anglis cladem. *Ludovicus XI.* ingentibus donis locum jam toti Galliæ ſacrum decoravit, ſub annum

num 1480. nihil eſt, quod miſeri à Virgine hoc loco non petant, non expectent, præ cæteris tamen eorum miſeratione Virgo maximè tangitur qui inter infeſti maris pericula cum morte luctantur, & vota faciunt inter aquas, quæ ad portentoſi cerei flammam deponant, ipſe namque ingentis molis olim cereus, quia lætari non poterat, lætitiæ, tamen ſigna portentoſa dabat; etenim ſimul ac quiſpiam inter ſævi maris funeſtos caſus, huic ſe Iconi votivum fecit, à Virgine exauditus eſt, nec mirum eſt, ſi qui è periculo emerſit, lætatus ſit: illud verò perquam mirum eſt, cereum ad ſigna, quibus non ſuam, ſed alterius lætitiam teſtaretur, proſiliiſſe: in gyrum enim actus eſt inſpectantibus omnibus, nemine manum admovente, aut impellente. Certum iis, qui lætiſſimo portento, interſunt, brevi adſuturos, qui & vota ſua Virgini exſolvunt, & maris exantlata pericula cum fide recenſeant, non tam periculorum victorias mirantibus, quàm quòd ipsâ horâ ſint ab ardente cereo ſignificata. Ita habet Ferreolus Locrius fol. 425.

Cereus.

C D X X X.

Imago B. V. Miraculoſa. BOSKOUIENSIS. *Boskovij in Boemia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Regia ſupera niteo, munda Immaculata.*

1. *Nix in æſtate.*
2. *Labor Angelorum.*
3. *Fons miraculoſus.*

Quantum per Huſſitarum Iconoclaſticam rabiem licuit, ad me pervenêre authentica inſtrumenta de hâc S. Statuâ, Sigillis quatuor octogenariorum teſtium firmata, & ſubſcripta. In Roſtok loco vicino olim propter ſitum, aliáque commoda, decretum templum eſt, publico ſumptu ædificandum. Convecta materia, & in cumulum congeſta manus expectabat operarum. Interea hoc in loco Boskovij adultâ jam æſtate nix cecidit: quæ quia formam habuit figurámque templi, creditum eſt, Superos non illo, ſed hoc loco templum petere, maximè poſtquam cum lapidibus calcem viderunt nocturno tempore huc translatam. Id unum ſupererat, ſcire, quis Superûm hoc templum habere tot portentis geſtiret, ſed & hoc dubium ſoluit inventa eodem in loco Deiparæ Statua: quæ & operarum manus fecit properare, & fervere corda.

Duravit pietas uſque ad tempora Huſſitarum non irremunerata: nam fons limpidiſſimus & ſalubris exortus, etiam morbos pepulit ab iis, quos huc in Deiparam fiducia traxit. Sed quomodo cum hæreſi ſtare poſſet Deiparæ templum? Nec ſanè ſtetit, ſed eo in furore cum aliis totius regni templis pleriſque etiam hoc dirutum eſt. Nec

poſt exactam hæreſin omnia reſtaurari ſtatim poterant. Plurimùm etiam impedivit bellum propè dimidij ſæculi, donec pax qualiſcúnque locum pietati fecit. Annò 1655. & ſequenti ad quatuor millia numerus peregrinorum excrevit, Feſtum anni maximum eſt *Nativitas Deiparæ*, fons quoque ſalubritate ſuâ hodiéque quàm plurimis ægris ad ſanitatem prodeſt. Ità individuus pietatis Cōmes eſt Deiparæ favor, hæc ad me R. P. Michael Thomaſti Rector Githſchinenſis Col. S. I. qui ad me Authenticū Inſtrumentum miſit.

CDXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa. ASPRICOLLENSIS. *Lugduni in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Animata purè, ardeo ignita ſummâ luce.*

1. Statua Aſpricollenſis.

2. Extaſis felix.

3. Teſtimonium Medicorum.

HAbent hàc in urbe præclarum Cænobium Religioſæ Virgines, quas vocant *Vrſulinas*. Harum una, Angela nomine, dum ab alio ſui Ordinis Monaſterio, in quo negotiorum causâ ſe aliquamdiu detinuerat, rediret, in via Conventum Sanchamontenſem divertit, & ab Epiſcopo benedictionem petijt, ille impertitâ benedictione Epiſcopali, ne abiret indonata, dono dedit Statuam Deiparæ Aſpricollenſis è ligno fabricatam, illius arboris hinc Lugdunum venit ipſo die S. Ioſephi, ubi in Conventu ſui Ordinis divertit Anno 1646. illic una Monialis *Clara à S. Franciſco* lecto decumbebat continuis & acutiſſimis, febribus, hydrôpe, Paralyſi, contractione tibiarum, aliiſque malis afflicta, & jam dudum à Medicis deſtituta, jámque extremâ unctione munita, expectabat Medicos, qui cranium perforarent remedio periculoſo.

Monialeſ. Cranium.

Interea, illatâ in cubiculum S. Statuâ, ad vota & preces ſe convertit, & animo linquente in extaſin rapta per duas horas immobilis hæſit: cúmque ad ſe redijt, ſalvam ſe ſanámque vidit. Poſtridie Feſti S. Ioſephi, ideſt Feſto S. Ioachimi itum eſt ad templum inter pios cantus, & *Clarà de S. Franciſco* S. Statuam detulit in altare templi, egregiò operè ornatum. Ante omnia miraculi veritas ſtabilienda erat: quod egregiè præſtitère publico teſtimonio Medici, aſſeruêre hi, dictam ſororem *Claram* minimùm octo menſes morbos ſuſtinuiſſe prorſus incurabiles, Credi non poteſt, quantus ſtatim afflictorum fuerit accurſus, & quæ mala morbíque curam acceperint ab hac Statuâ. Plurima ad me perſcripta ſunt ſanè magna; ſed quia ab ordinarijs non differunt, prætereo. Hæc & cætera ad me miſſa ſunt à R. P. Petro Arimont S. I. Ægrotādo.

CDXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. WISSEGRADENSIS. *Pragæ in Boemia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tota nivea clara, purà ſum in gemma Dei.*

1. Pluvia obtenta.
2. Imperatoris Cimelia.
3. Pictura græca.

IN antiquiſſima parte urbis Pragenſis, ubi olim Regum ſedes erat, templum eſt, in quo Imago Deiparæ colitur, quæ laudem ſuam accipit à manu pictoris: ſiquidem quamplurimi ſunt, qui credunt, à S. Luca pictam, quam opinionem ut illi nullo ritè fundamento, aut litteris probare poſſunt, ita ego opinionem piam refutare nolo. Græca pictura, ut alibi dico, plurimos per omnem Europam in hoc decipit, ut putent illi, qui multas non viderunt, S. Lucæ opus eſſe, ubicunque in tabulâ Deiparam vident pictam. (S. Lucas.) Unde ea in hoc templum venerit, dicam. Inter cimelia *Rudolphi II.* Imperatoris fuiſſe aiunt, ſciunt quando & ſub quo Imperatore Pragam venerit, & in theſauro recondita ſit. *Illuſtriſſimus D. Andreas Hannebald* (juvat nomen ſcire) ab Imperatore eam petijt, & obtinuit. Hic Imaginem jam ſuam, huic templo intulit: ut publico pateret, nec abeſt Pragenſium in Virginem fiducia, nec Virginis in Pragenſes favor. (Pietas.) Fama publica eſt, narrantúrque exempla publica & plurima à civibus, certam ſemper pluviam obtineri, ſi hæc Imago in Proceſſione circumferatur, & qui hæc ad me perſcripſit R. P. Bohuslaus Balbinus Soc. IESU Authenticum ejus rei ſcriptum ſe vidiſſe aſſerit.

CDXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DOLOROSA, *Machmæ in Palæſtina.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Integra & munda à macula IESUM pario.*

1. Olera in templo.
2. Dolor triduanus.
3. Helena architecta.

ELbir villa hodie deſtructa, olim in ſcriptura vocabatur *Machmas*, civitas magna decem ab Ieroſolymis milliaribus ſita, in hâc urbe habitavit olim, Heros ille Machabæus. Hoc, inquam, in loco hodiéque eſt templum cum Monaſterio. Ædificavit id Helena, deſtructo Monaſterio. Supereſt hodie pars templi magni & capacis, ex quadratis & dolatis lapidibus, pulchrè elaboratis, & ornatis, (Templum.) nempe tria Sacella integra. Cæterum

rum in pavimento templi hodie plantantur olera.

Templum. Porrò cauſa fabricandi templi fuit, quòd, cùm Deipara Virgo inter fœminas, Ioſeph inter viros Ieroſolymis tardè exeuntes reverterentur in Galilæam, id eſt, primâ nocte, completis decem milliaribus, Italicis, id eſt, itinere diei, quo tardè egreſſi erant ex urbe, deprehenderent abeſſe IESULUM pignus chariſſimum, vehementer indoluerint. In hujus doloris memoriam eo ipſo in loco, in quo abeſſe IESUM cognovère, Helena Imperatrix Deiparæ devotiſſima hoc templum ſtruxit, utique in altari Principe myſterij Imagine propoſitâ. Et quia hodiéque ſupplicibus hoc loco propitia eſt, fuiſſe etiam olim, nemo niſi impius, & in Virginem injurius dubitare poteſt. Quareſmius t. 2. fol. 787.

C D X X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.
L I B E S S I C E N S I S.
Libeſſicij in Boemia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Agno IESU dicam, en mater tua pura mali.*

1. Vitrum feneſtræ.
2. Incendium innocuum.
3. Honor debitus.

HÆc Imago in vitro picta eſt, pars antiquæ feneſtræ, Anno 1638. exortum incendium ex horreo Parochi proximo Eccleſiæ, totum omnino templum abſumpſit: ipſæ feneſtræ omnes diſſiliére, lique facto plumbo. Hæc ſola Deiparæ Imago integerrima permanſit, & quod miraculum auget, feneſtra hæc omnium proxima fuit horreo unde omnis flamma erupit, de ſimilibus incendijs quæ Deiparæ imaginibus pepercerunt ſæpius hoc in opere fiet mentio, & plerúmque miraculis teſtata eſt Deipara tantam ignis in ſuas S. Imagines reverentiam, unde deinde origo gratiarum. Honores poſteà S. Imagini factos eſſe, intellexi: qui tamen illi fuerint, & an plura miracula ſecuta ſint, ad me non perſcripſit, R. P. Boh. Balb. Soc. IESU.

C D X X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
I N G E T S E M A N I.
Ieroſolymis in Palæſtina.

Anagr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Progr. Pura Mater Amati age, Deum in cunis alo.

1. Mors B. Virginis.
2. Iudæi ſcelus.
3. Sepulchrum B. Virginis.

POſtquam, acceptâ ab Angelo Palmâ, è læto mortis nuncio, Deipara SS. Reliquias, quas ha-

buit de filio, Ioanni Apoſtolo conſignavit, veſtéſque ſuas ancillis tradidit, adfuêre divinâ virtute per Angelos adducti à cardinibus terræ Apoſtoli omnes, celebraturi tam pretioſum funus. Quiſque laudes morituræ Virgini dixit, ut habet *F. Amedeus Ord. S. Franciſci in ſuâ Apocalypſi*, quam Romæ dictavit.

Sepultura. Obijt denique Deipara, & ad ſepulchrum longâ viâ, ordinatâque ſupplicatione inter cantus ſacros, accenſa lumina, deducta eſt non ſine miraculo: nam accurrens Iudæus ſandapilam evertere conatus eſt, irrito tamen conatu: nam & manus evulſæ à brachijs ad hæſerunt ſandapilæ, ſtupente cum cæteris, & dolente ipſo Iudæo: à Petro tamen poſt reprehenſionem converſus, animatúſque, trunca brachia iterum manibus applicuit, eáſque à ſandapilâ facilè avulſas, ſibi habuit ſanas & ſalvas, ut antè. Ad hortum itaque ut ventum eſt, ſepulchro marmoreo (ut traditio habet) decorè clauſerunt ſacratiſſimum Deiparæ corpus Apoſtoli, è quo ſive tertio, ſive eo die, à filio evocata, ſurrexit, & ad Cælum inter cæleſtium omnium geminata gaudia eſt deducta. Sepulchrum. Placet ſepulchri compendioſam deſcriptionem addere, ſepulchrum eſt è candido marmore, paulò latius Chriſti Domini ſepulchro, ſuper quo velut altâri hodiéque ſacrificium Deo offertur.

Cæterùm eſt hoc ſepulchrum nunc infra terram. Sacellũ, in quo ſepulchrum, eſt longum pedes quindecim, latum quatuordecim, altum novem: Eccleſia, quæ Sacellum ſepulchri tegit, eſt longa paſſus quadraginta, lata viginti quinque. In hac Eccleſiâ retro ipsũ Sacellum ſunt altaria nationum orientalium, & Catholicorum, id eſt, Romanæ Eccleſiæ in Sacello ipſo ardent lampades, habetúrque hoc ſepulchrum in veneratione etiam à Turcis Mauris, per quinquaginta gradus politi marmoris deſcenditur ad hoc templum: circa medium ſcalarum hinc inde altaria S. Ioachimi, & S. Annæ, & S. Ioſephi, & creduntur ibi eſſe eorum ſepulchra. Eſtque hæc tota Sepulchrum. fabrica opus Reginæ *Milecendis*.

Huic ſepulchro ornando primi Chriſtiani Sacellum ſtruxêre, cui Imperatrix Helena templum ſuperaddidit, in hoc tam à primis Chriſtianis, quàm ab Imperatrice Helena Deiparæ Imaginem poſitam qui negat, probet contrarium.

Nec de miraculis ólim factis Miracula. dubitemus: quando terræ ſanctæ deſcriptores hodiéque fieri ibi miracula aſſerunt: éſtque locus etiam apud Turcas in veneratione. Plura qui volet, terræ ſanctæ Scriptores videat. Feſto *Aſſumptionis* convenire ſolent in hoc templo ex urbe RR. PP. Franciſcani, faciúntque noctem illam diémque ſequentem Deiparæ feſtivum, præſentibus magno numero Chriſtianis, videri poſſunt. Quareſmius, Bucherus, alij.

***

CDXXXVI.

CDXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DOLOROSA.
Pragæ in Boemia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Luceo animata pura ſum, Mater agni Dei.*

1. Furtum punitum.
2. Manus ſceleſta.
3. Iuſtitia bona.

IN templo RR. PP. Conventualium S. Franciſci Statua eſt Deiparæ Doloroſæ, quam antiquitas commendat: ſiquidem pro certo habent, eam jam ante tempora Huſſitica cultam fuiſſe, & honoribus auctam. Tria omninò ſæcula creditur æquare, ſi non ſuperare. Anno 1400. hoc quod ſequitur miraculum contigiſſe, vetuſtiſſimus codex docet. Fur gemmis inhians, quibus S. Statua lucebat, æditucs fefellit, & in templo pernoctavit.

Itaque jam ſui ſecúrus, S. Statuam aggreditur, & manum admovet, ſed S. Statua ſe defendit, & manu furis prehenſâ, hominem ſtitit uſque ad lucem, re ad Magiſtratum delatâ, impunis non abijt, & quia præter facinus attentatùm in homine nihil repertum eſt, in vitam ſævire juſtitia noluit; quia tamen eum Virgo ultrà non defendit, ſed deprehenſum à ſupervenientibus liberum reliquit, truncatâ per carnificem dextrâ, liber abire permiſſus eſt. Furtum.

Manus ad aliorum terrorem è ferreâ catenâ hodiéque ad murum juxta altare pendet: & nemo penè Pragenſium eſt, qui hanc hiſtoriam è majorum traditione neſciat, ipſe ego, inquit, qui hæc ad me perſcripſit, manum vidi; & in antiquiſſimo M. S. totam hanc narrationem legi. Cæterùm ultrà quàm facilè credatur, Statua hæc gemmis ornata eſt: quibus ditiſſimus quiſque beneficium teſtatus eſt à Deipara acceptum, ubique miraculoſum, cum quotidiana & ordinaria gemmis compenſari non ſoleant. Ita R. P. Bohuslaus Balbinus Soc. IESU. Suppliciu.

CDXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
ANNUNCIATIONIS.
Nazareti in Palæſtina.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Luceo animata pura, ſum Mater agni Dei.*

1. Domus Lauretana.
2. Columna marmorea.
3. Miracula multa.

FRanciſcus Quareſmius gravis auctor, & ultimus, quod ſciam, è Scriptoribus terræ ſanctæ, quam ſcriptionem duobus magnis tomis in folio perfectè executus eſt, tomo

tomo 2. lib. 7. peregrinatione 3. c. 1. Sacellum deſcribit ſubterraneum, ſupra quod aliud magnum templum olim ſtetit, nunc dirutum. Hoc Sacellum vocant *Domum Annunciationis*: *& Incarnationis*, probátque citatis auctoritatibus, & rationibus, eo in loco Gabrielem perfeciſſe notiſſimam ſalutationem, & Deum factum hominem. aſſignat in Ichnographiâ duas columnas, alteram eo loco, quo Gabriel, alteram quo Deipara ſtetit: ad quas columnas dolores laterum, aliique morbi hodiéque curantur, non Chriſtianorum modò, ſed & Turcarum, & Maurorum.

Fundamenta. Addit inſuper, ibidem reperta fuiſſe fundamenta domûs Lauretanæ ad unguem muris reſpondentia, poſt aſportata rudera, quæ quatuor propè ſæculis illic congeſta erant. Sanctam inſuper illam domum Deiparæ, à peregrinis, & nationibus orientalibus in maximo eſſe honore, miracula quoque ſi non quotidiana, certè tot fieri, ut mirentur illi, ſi ex iis quæratur an ſanitatem contactu columnarum receperint, quaſi mirum eſſet, ſi fruſtra Deiparam invocâſſent. Porrò in altari Principe myſterium *Annunciationis* figuratum proſtat. Atque ideo etiam hoc templum ego inter miraculoſa numero.

Lauretum. Nec aliud habeo contra totam doctiſſimi viri narrationem, quā quòd aſſerere videatur, partem domûs ſanctæ principaliorem relictam in manibus Turcarum, partem verò minùs principalem ab Angelis per tot miracula Turcis ereptam & Saracenis, ad nos per tria maria deportatam ab Angelis eſſe. Porrò partem domûs Nazaretanæ Principalem illam dico, in quâ myſterium Incarnationis, Angelo nunciante, per Spiritum ſanctum eſt peractum; quod in eâ domûs parte Bullæ Pontificiæ dicunt, quæ in agro Piceno ferè jam quatuor ſæculis à totâ Europâ pro tali colitur.

Bullæ. Malim ego Bullis Pontificum inhærere, quàm traditioni orientalium, quæ ut rei ſubſtantia ſemper ſit vera, in una tamen, aut alterâ circumſtantiâ facilè errare poteſt, ſic enim & Angeli ab errore grandi defenduntur, quos credimus ex ſummorum Pontificum Bullis partem domûs Nazaretanæ Principalem, id eſt, pluribus myſteriis, præſertim incarnatione filii Dei honoratam Saracenis eripuiſſe, & ad nos deportâſſe.

CDXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
ASPRICOLLENSIS. S. I.
Pragæ in Boemia.

Progr AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En mater! at Virgo immunis à culpâ Adæ.*

1. *Error ſculptoris.*
2. *Materia loquendi.*
3. *Molendinum innoxium.*

ORiginem hujus miraculoſæ Statuæ, quæ in templo Soc. IESU

IESU Domûs Profeſſæ colitur, accipe Lector prorſus extraordinariam. *R. P. Thomas Lutring* domûs Profeſſæ Præpoſitus, ob curatum ſibi à Deiparâ brachium, dum eſſet Novitius *Brûnæ* in *Morâviâ*, in omnem Deiparæ cultum ſemper intentus, ipsâ Deiparâ diſponente, bene magnam partem de quercu Foienſi, non ſcio per quem, & à quo, obtinuit. Ex hoc ligno optabat ille Statuam Foienſi ſimilem, quam in domûs Profeſſæ templo S. Nicolai, exponeret. Locavit eam ſtatuario, ut ei Foienſis Deiparæ formam figurámque induceret. Ille neſcio cujus errore, relictâ Foienſi, induxit formam Virginis Aſpricollenſis æque miraculoſæ, & longæ narrationis materiam poſteris dedit, quando ómnibus dicitur, materiam eſſe de Foienſi, figuram verò de Aſpricollenſi.

Error. Hoc equidem crediderim factum non ſine Virginis ſingulari inſtinctu, ut quæ utriúſque Statuæ Beneficia collecta velit eſſe in unâ, nec mihi videor abludere à vero: ſiquidem vix expoſita in templo, & conſpecta eſt nova Virginis Statua, ſtatim miracula magno numero inſecuta ſunt, præcipua centum & quinquaginta notata ſervantur. Miracula Ancilla rotâ molinariâ circumacta per aquas, nil paſſa eſt. Phrenetici ſibi reſtituti, ſtrue lignorum obruti, nullâ ſui parte læſi: aliáq;. Ita felix nonnunquam error eſt, qui Deiparæ gloriam omnia humanâ prudentiâ, feliciùs promovet. Quis enim ſenſũ Dominæ novit, aut quis conſiliarius ejus fuit? Hæc ad me R.P. Boh. Balb. S.I.

CDXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE FONTE,
Malhareæ in Ægypto.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Nitéo ſumma Diva integra ac, almè pura.*

1. Fons miraculoſus.
2. Peregrinatio Chriſti.
3. Lapis B. Virginis ſacer.

DEiparam cum filio IESU peregrinationem inſtituiſſe per Ægyptum, adeóque non in uno loco hæſiſſe, dixi alibi. Inter Heliopolim & Babyloniam, ut memorat *Brocardus p. 2. c 4.* medio ferè loco eſt hortus balſami, qui irrigatur à fonte parvo, ſed ubere in quo fama eſt à Deiparâ IESUM filium ſæpe lotum. Eſt & ibidem lapis, ſuper quem dicitur ſiccâſſe pannos *Ianſen. c. 11. Concord. Evang.* ait, ibi eſſe Sacellum, eo ædificatum loco, quo aliquantiſper Deipara habitavit. Saraceni nunc ſacelli illius domini, habent eam in veneratione, & lampadem accendunt. Altare, quod eſt inibi, Deiparam exhibet, ab antiquo: & quia hodiéque hic beneficia à Deiparâ recipiuntur, antiquis utpote Catholicis adhuc magis beneficam fuiſſe, nullum dubium eſt.

CDXXXX.

Imago B. V. Miraculoſa. SOCIETATIS IESU. *Oberſtorffij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Acre malum Adam evaſi, pura non tetigi.*

1. Statua miraculoſa.
2. Supplicatio annua.
3. Accurſus populi.

COllegium Societatis IESU in urbe Niſſâ pagum habet, cui nomen *Oberſtorff.* Hic anno 1651. in colle amæno excitatum à R. P. Rectore Sacellum eſt Deiparæ. Primum lapidem poſuit Epiſcopi Wratislavienſis Suffraganeus, ſolennitatem auxerunt quatuor millia hominum ritu ſupplicantium è diverſis circumjacentibus pagis addidit denique Indulgentias *Innoc. X.* ſummus Pontifex pro Dom. infrà Octavam Aſſumptionis. Porrò anno ſequente finita fabricâ, ex urbe Niſſa, Deiparæ Statua è ligno Foienſi *Oberſtorffium* eſt deportata, comitantibus ferè tribus hominum millibus, ijs in hunc numerum non computatis, qui cum Oberſtorffianis ſacræ ſupplicationi, ad unum & ampliùs lapidem obviam ivêre.

Hæc initia ſunt pietatis, quæ nunc in immenſum crevit: primum enim ac S. Statua loco ſuo repoſita eſt, fiduciâ neſcio quâ præſentes animati, vota fecêre, & votorum ſuorum rei paulò pòſt reddiere non ſine muneribus, quæ paſſim templi parietes ornant, argumenta divinæ opis, ex Relatione R. P. Ioann. Scheſtak, Societatis IESU.

CDXLI.

Imago B. V. Miraculoſa. AD PISCINAM PROBATICAM. *Ieroſolymis in Palæſtina.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Dei Amatum, mirè pura genui, ſancta alo.*

1. Domus S. Ioachim.
2. Templum S. Annæ.
3. Meſquita Turcarum.

HIc domus fuit, in quâ divertere ſolebant S. Ioachimus & S. Anna: in hâc ſi non nata, certè concepta fuit Deipara, ut univerſalis traditio habet, quanquam plerique aſſerant etiam hîc natam: quòd ego non determino. Hoc in loco primi Chriſtiani fecêre templum cum titulo S. Annę. Appono, quæ de hoc templo habet *Franciſcus Quareſmius t. 2. f. 104.* ſunt, inquit, in eâ Eccleſiâ periſtylia, ſive clauſtra, ut vocant, dormitorium, & alia monaſtica habitacula.

Traditio. S. Anna

Eccleſia ſub titulo S. Annæ dicata, pulchra & ſpatioſa eſt, ſubtus eam ſacellum eſt, ubi cubiculum fuiſſe

fuiſſe dicitur, in quo concepta, & in lucem edita creditur B. Virgo Maria: & hoc intuitu magna cum pietate ad devotione à fidelibus inviſitur, & ſacris alataris ſacrificijs ſanctificatur, & in Feſto S. Annæ, quodam perſoluto pretio habitantibus Turcis, Fratres S. Franciſci miſſam ibi ſolenniter decantant, non tamen in Superiore Ecc'eſiâ: quia in Turcarum Meſquitam converſa eſt, deſcenditur ad S. locum per anguſtum oſtiolum, & brevem ſcalam, ubi etiam nonnulla alia Eccleſiæ ſigna cernuntur. Credunt etiam fideles, eo in loco meritis Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, & Venerabilis Matris ejus Annæ, in ejus Viſitatione ſe ſuorum criminum veniam conſequi: ut de loco iſto ad finem *lib. 5. Revel. S. Brigittæ* dixit Deus Pater ad Brigittam: *Ergo qui ad locum iſtum ſanctum, ubi Maria nata, & educata fuit, venerit, non ſolùm mundabitur, ſed & erit vas in honorem meum.* Imaginem Deiparæ hic olim fuiſſe, crede mecū Lector, & non errabis, nec alia miracula require.

Indulgentiæ.

C D X L I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. MARIA MAIOR SOC. IESU.
Brünæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Originariæ macula mundaſum: patet.*

1. S. Maria Major.
2. S. Franciſcus Borgias.
3. Miraculum utile.

PRimus, ni fal'or, fuit S. Franciſcus Borgia, olim Dux Gandiæ, & poſtea Societatis noſtræ tertius Generalis, qui à ſummo Pontifice obtinuit licentiam, quâ S. Mariæ Majoris Imago, S. Lucæ opus, depingeretur, factum id ſæpius, ita ut nemo nunc penè Catholicus inveniatur per omnem Europam, qui ejus ectypon non viderit, unam ex primis Beatus Generalis miſit Brünam ad Novitios Societatis, quâ ſolarentur labores Novitios, miracula edita non ſunt, quod ſciam, facta tamen plura circumferuntur fideliſſimâ traditione, unum eſt, quod cum *R. P. Thoma Lutring*, poſteà domûs profeſſæ Pragenſis Præpoſito contigit, is cùm Novitius Brünæ degeret, brachium ei areſcere cæpit, morbo nullâ Medicorum arte curabili. Ex morbo facta calamitas eſt: nam juveni indictâ eſt à Societate dimiſſio, & quidem die poſtero, is còram hâc ſe Imagine proſternens, curam brachij ſui Medicis deſperatam à Deipara repentè obtinuit: nam periculum in mora erat. Hinc ſumma Imaginis in hanc diem veneratio. Externa quia ad me perſcripta non ſunt, addere ultra hæc domeſtica non poſſum, R. P. Boh. Balb. Soc. IESU.

Calamitas.

CDXLIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
PRÆSENTATA:
Ieroſolymis in Palæſtina.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Macula Adam en pura ignota Matri IESU.*

1. Occupationes B. Virginis.
2. Præſentatio B. Virginis.
3. Scalæ templi.

QUantæ venuſtatis, magnitudinis, & pretij ſit B. Virginis templum Bethlemiticum ab Helenâ ædificatum, dico alibi. Hoc illi non impar, ſive ab Helenâ, ſive à Iuſtiniano Imperatore ædificatum. Loci ſanctitas ab antiquo jam in honore fuit. *In hoc*, inquit *Cardinalis de Vitriaco in hiſt. Ieroſol. c. 62.* S. Ioſeph. *B. Virgo donec Ioſepho deſponſata fuiſſet, cum alijs Virginibus dicitur miniſtrâſſe, templi cortinas, & veſtimenta ſacerdotalia præparando, litteras ſacras addiſcens, jejunijs, vigilijs, & orationibus, & divinarum litterarum ſtudio, prudenter & humiliter vacans: annis etiam puerilibus à parentibus ut ſiſterent eam Domino, ad templum adducta, omnes gradus, quibus aſcenderetur, ad templum per ſe abſque ullâ difficultate dicitur aſcendiſſe: quod in oculis omnium mirabile viſum eſt, à ſæculo de parvulo infantulo inauditum.*

Hoc itaque templum ad honorem Virginis Præſentatæ ædificatum, utique hiſtoriam pictam, aut ſculptam habuit, in altari quopiam: nec à Chriſtiano in dubium vocari poteſt, hîc invocatam Virginem fuiſſe propitiam multis & magnis miraculis, quapropter eam Imaginem meritò inter miraculoſas pono, quocúnque per tot diſcrimina devenerit. Plura Quareſmius t. 2. fol. 87.

CDXLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE FEBRIBUS.
Barri in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Iuſta Dei Mater pura om nigenâ maculâ.*

1. Febris cura.
2. Legatus.
3. Feria ſexta miraculis apta.

PRopè Inſulas, in urbe Barrenſi, in Suburbanâ æde Prioratûs Fivienſis, à plurimis annis hæc S. Imago venerationem obtinuit. *De Fieves* à nonnullis, plerúmque tamen *de ficures* ſeu *de Febribus* nomen habet, opinio ingens eſt, febrientibus hîc meliùs eſſe, & conſuli etiam abſentibus, ſi quempiam ad Deiparam huc pro ſe mittant interpellatorem, feriâ ſextâ Concurſus. præcipuè, quia videre eſt majorem ſolito concurſum, ſive pro ſe, ſive pro alijs non perfunctoriè deprecantium, votis plurimorum

ſatis

ſatisfieri apud omnes indubitatum eſt, & ipſe multorum annorum conſtans concurſus probat. Hæc ad me R. P. Thouſſanus Bridoul, Soc. IESU.

Præterire non debeo quæ rerum Catholicarum id eſt divinarum ignari, magno ſuo malo inter alia neſciunt, rationes divinorum decretorum noſtro examini non ſubijci, quis enim ejus conſiliarius fuit & novit; cur Iacob dilexerit, Eſau autem odio habuerit, cur Europam Aſiam Africam tam maturè fide Chriſtianâ imbui voluerit Americam omnem tam Pervanam quam Mexicanam tot ſæculis æterno animarum damno neglexerit. Idem nobis judicium eſto de miraculoſis Deiparæ imaginibus, cur uno in loco quandoque ſint tam multæ, in alio paucæ, vel etiam nullæ, cur uni morbo ſalutares non pluribus, ſit nobis pro ratione voluntas miſerentis Dei, & in hâc cum debitâ gratiarum actione quieſcamus. Cæterum in indice ponam Catalogum peculiarem quæ gratiæ cuique Imagini miraculoſæ à Deiparâ dentur quantum ex his hiſtorijs colligere potero.

C D X L V.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN MONTE SION.
Ieroſolymis in Paleſtinâ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Neſcit ò Adam Regina pura avitam luem.*

1. Prima miſſa.
2. Spiritus Sanctus.
3. Templum.

DOmus, in quâ IESUS agnum Paſchalem cum Diſcipulis comedit, plurimis alijs myſterijs repleta, à primâ ſtatim Chriſtianitate in honore fuit: nam & ibi prima miſſa celebrata eſt ab Apoſtolis, ut fusè probat *Theoph. Reinaudus tractatu de prima miſſa.* Cætera myſteria prætereo, duo memorò: primùm, quòd in hâc domo Spiritum ſanctum Deipara cum Apoſtolis acceperit: alterum, quòd paucis paſſibus ab eo angulo, in quo Spiritum ſanctum Deipara in formam linguarum accepit, vitam ſuam ſanctiſſimè clauſerit, & mortem obierit. Primum hoc templum fuiſſe, in quo ſacrificium miſſæ celebratum ſit; nemo, quod ſciam, negat, qui *Reinaudum* citatum legit. Dedicatum ab Apoſtolis eſſe Spiritui ſancto & Deiparæ, aſſerit *Venerab. Beda*, qui hæc ſola duo myſteria nominat. B. Virgini dicatam Eccleſiam vivæ fuiſſe, qui dubitat, legat ea, quæ in Imagine *Maſſilienſi* ſcribo. Templum hoc in meliorem formam à primis Chriſtianis redactum eſt: dum in ampliſſimam fabricam exurrexit, cum Monaſterio, de quo *Venerab. Beda:* In Superiore, inquit, montis Sion planitie, Monachorum cellulæ frequentes Eccleſiam magnam circumdant, illic, ut perhibent, ab Apoſtolis fundatam, eò quòd ibi Spiritum ſan-

(margin: Templum.) (margin: Templum)

ctum acceperint ibíque S. Virgo Maria obierit. Ecce duo myſteria, ob quæ præ cæteris templum hoc ſuam originem habuit, de hoc templo etiam ſcribit *Adamnanus l. 1. c. 13.* ex S. Arnulpho, qui peregrinationem Hieroſol. peregit anno 690. hic poſitam fuiſſe in templo hoc, à primis Chriſtianis Deiparæ Imaginem, dubium non eſt, nec de miraculis, etiam quibus Deipara ſibi ſupplices beaverit. Ieroſolyma.

CDXLVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VINOVO.
Vinovi in Sabaudia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ut Adami parens venit, ergo Immaculata.*

1. De bobus narrat arator.
2. Tegula.
3. Reditus.

Ruſticus. Colebat agellum ruſticus, non multùm bobus, quos agebat, humanior: etenim cùm hi repentè medio in agro gradum ſiſterent, & progredi recuſarent, ille ad verba & clamores primùm verſus, ea bobus ingerebat, quæ intelligere poſſent: & ſanè intellexiſſe etiam, inde conſtat, quod ad obſequium heri vires collegerunt, quibus ſe promoverent: ſed cùm nec duo boves, nec ſemi homo quidquam proficeret, ad verbera deventum eſt, quæ in furias actus liberaliter cumulabat: dum eques fortè præteriret, qui ſemihominis inſaniam miratus ac damnans, videsis, inquiebat, ne quid hîc lateat, quod Deus à te inveniri velit: Boves, ut opinor, non ſponte hîc pedem figunt. Boves. Perſuaſit homini eques, ut arrepto ligone exploraret, quid portenti terra ferret. Vix glebam ſupremam removerat cum tegulam reperit recenti non abſimilem, in qua vetuſtiſſima Deiparæ Imago opere ſigillario extante conſpecta, utrúmq; admiratione & pietate implevit. Fuere, qui accurrerent, & prima à Virgine beneficia auferre contenderent: quibus ut abundè & portentosè ſatisfactúm eſt, Imago ſacra, decretâ pompâ, templo Parochiali illata eſt; ſed (ut ſolet) Proceſſio. poſtero mox die eodem loco à colono reperta, iterum ac tertiò in templum reportata, iterum ac tertiò in agro reperta, ſatis ſuperque docuit, agrum ſibi placere præ vico. Itaque templum ſacratiſſimæ Iconi è collatâ ſtipe ædificatum eſt, quod hodie curant RR. PP. Carmelitani, miracula non ſunt infrequentia: è quibus tamen nullum ad me perſcriptum eſt. Hæc, quæ ſcripſi, accepi ex Felice Aſtolfi lib. 11.

***

CDXLVII.

CDXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SPASMO. *Ieroſolymis in Palæſtina.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Sum munita, Dei opera, integra à macula.*

1. Spaſmus.
2. Equile.
3. Traditio.

Acceptâ à Pilato ſententiâ, cùm IESUS traditus eſſet voluntati Iudæorum; inſtituta eſt, lamentabilis & plena dolore deductio; ubi paucis à curiâ paſſibus coronatus, & veſtibus ſuis indutus IESUS progreſſus, cruci ſubjectus eſt, licèt catenâ unâ, & duobus funibus fortiſſimè vinctus, quam per plures paſſus ſolus portavit. Interea Mater à Ioanne per alias vias ducta, in angulo exiguæ plateæ conſtitit, viſura filium tranſeuntem. Tranſijt paulò pòſt ille, Tranſitus. & de facie ad faciem (nam propter malos carnifices, & non meliores Pontifices, verbis non licuit) locutus, perrexit. Illa filium intuita, & dolore obruta, ſenſum doloris maximum oſtendit, omnes Orientales Chriſtiani in hæc uſque tempora eam aſſerunt, in deliquium cecidiſſe. Picturæ infinitæ per omnes Chriſtianorum regiones deliquium hoc exprimunt, S. Helena in loco, Deiparæ templum capax & pulchrum ædificavit, noménque ei templo Chriſtiani populi à tot ſæculis dedêre, *Beata Virgo de Spaſmo:* in quo utique etiam pictura fuit, quæ Spaſmum, ſeu deliquium Virginis proponebat, ſatis utique olim miraculoſa, quando in hoc templo noſtris temporibus *Sangiaci*, Præſidis Turcæ filius ſtabulum extruxit, eíque bis terve, referente *Buchero Gallo Ordinis S. Franciſci* in ſuâ deſcriptione, terræ ſanctæ, unâ nocte omnes equi mortui concidêre, magna ſemper hîc fuit Chriſtianorum devotio, dolorem Virginis ex loco æſtimantium. Quod Spaſmus. verò nunc moderni aliqui auctores negent, Virginem aliquid paſſam, eſſe indecorum Chriſtianæ magnanimitati, ut quę ſub ipsâ cruce firma ſteterit, vehemenrer approbo: quòd verò dicant, totam Orientalium Chriſtianitatem jà temporibus uſque Helenæ graviter erraſſe, probare non poſſum: quia univerſali continuæ traditioni, quâ S. Mater Eccleſia multùm nititur, non parùm adverſantur, ſic enim ex ipſorum ſententiâ caderent traditiones, quæ minore fundamento nituntur, ſi ſub voce *Spaſmi* vel *deliquij* tale quid intelligamus, quod Deiparæ nihil indecorum affingit: ſiquidem Spaſmus, aut deliquium pro indecoro habetur, quod utique antiqui aſſerere noluerunt: neq; etiam credi poteſt, primos Chriſtianos vel tam malitioſos, ut Deiparam re, aut tam ſimplices, ut eam voce quapiam infamatam apud poſteros vellent. Bucherus.

CDXLVIII.

CDXLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. SICHEMIENSIS. SOC. IESU. *Turnoni in Sabaudia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Aagr. *Tota mirè munda maculis, verè pia agna.*

1. Concurſus.
2. Cæcitas curata.
3. Statua Sichemienſis.

ANno ſæculi hujus decimo quarto extructum eſt Turnoni in templo Soc. IESU ſacellum ſatis pro loci anguſtiâ magnificum, in eóque locata eſt B. Virginis Statua è quercu *Sichemienſi*, ſeu, ut alij vocant, *Aſpricollenſi*, quæ formam quoque & figuram *Sichemienſis*, quantum artifici licuit, refert magnam exinde habuit, habétque hodie venerationem, non apud loci tantùm incolas, vicinóſque Heluios, ſed etiam apud Delphinates, qui ſolennibus Deiparæ diebus, maximè tamen Feſto *Aſſumptionis*, agminatim accurrunt. Excitur tanta multitudo curationibus morborum, quæ hic præſtantur, aliíſque innumeris, quas in ſuos clientes benigniſſima mater confert, beneficijs, Cultum maximè promovent, quæ hic miranda accidunt quàm plurima, quorum multa publicis tabulis ſibi fidem vendicant, viſum cæcæ mulieri reſtitutũ aſſerit *R. P. Gaulterius in ſuâ Chronologiâ* ſæculo decimo ſeptimo, columnâ, de eventis memorandis, plura miracula edidit. *R. P. Petrus Rebaut Soc. IESU* in appendice ad *Iuſti Lypſij* miracula, anno 1614. adſunt porrò per omne templum Anathemata calices, veſtes ſacræ, alia donaria. Hæc ad me R. P. Antonius Savignacus, Rector Turnonenſis Collegij Soc. IESU.

Miracula.

CDXLIX.

Imago B. V. Miraculoſa. APPARITIONIS. *Ieroſolymis in Palæſtina.*

Anagr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Progr. En! ſacra Diva, pura mali ut gemma niteo.

1. Reſurgens Chriſtus.
2. Miraculum.
3. Diſtractiones.

TAnquam certum ſuppono, quòd apud pleróſque indubitatum eſt, Chriſtum Servatorem noſtrum poſt reſurrectionem ſuã matri ſuæ dilectiſſimæ, quamprimùm apparuiſſe, & de gloriâ cæleſti locutum fuiſſe. Hæc opinio non rationibus tantùm nititur, ſed univerſali Orientaliũ Chriſtianorum antiquiſſimâ traditione, ut fusè probat *Quareſmius tom. 2. fol. 568.* Hinc S. Helena eo in loco Sacellum ædificavit in ipſo Reſurrectio-

Traditio.

rectionis Dominicæ templo, latum palmos 24. longum triginta duos. Tribus hodie altaribus decorum eſt, in quorum una nulli dubium eſſe poteſt, quin etiam olim Chriſti rediuivi, & cum matre loquentis pictura poſita ſit, Porrò miraculum hîc præ cæteris maximum eſt, quòd Macarius Patriarcha ad diſcernendas tres cruces in foſsâ inventas hunc maximè locum elegerit, in quo Chriſtus redivivus matri apparuit, & in hoc per miraculum ſeu ſanati ægri ſeu ſuſcitati mortui, crucem Chriſti à duabus alijs dignoverit. Fuit olim hîc magna S. crucis pars, quam tamen Armeni abſtulerunt. Fuit quoque hîc columna flagellationis, quam *Princeps Columnenſis* Romam tulit. Sacellum hoc hodiéque in honore eſt, nam & RR. PP. Franciſcani in eo omnes chori cantus & cerimonias peragunt, & quotidie proceſſionem ex hoc Sacello educunt per ſacras templi ſtationes, memini me legere apud *R. P. Bucherum Ord. S. Franciſci*, hoc in Sacello, ubi Horæ Canonicæ à RR. PP. canuntur, pietatem & devotionem ſingularem Fratres experiri, nec diſtractionum moleſtias, ut alibi, ſentiri, quod pro magno miraculo haberi poſſe nemo negabit, præſertim quia hæc ſingularis gratia perpetua eſt, plura olim hîc facta miracula pius lector credet.

Reliquiæ.

Diſtractiones.

C D L.

Imago B. V. Miraculoſa.
CAROLI MAGNI.
Aquiſgrani in Germania Sup.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Clarus unio & Dei gemma animata pura.*

1. Alphabetum.

2. Litteræ.

3. Clerici.

Litteralis Imperatoris primum monumentum eſt Aquiſgranenſis Statuæ Imperatorium templum. Quid ni enim magnificum *Carolum* in cujus perſona (ita jura loquuntur) Imperium Romanum à Græcis ad Germanos translatum eſt, litteratum nominem, quando nemo alius Alphabeti litteras ad leges architecturæ, tam magnificè, támque ſumptuosè figuravit? Quam notum paſſim eſt Caroli Magni Alphabethum, tam ignotæ ſunt ipſæ litteræ. Templa dico, quibus ordine Alphabetico nomina dedit, quibus vel religioſorum Cænobia, vel Clericorum Epiſcopalia Collegia cum redditibus adjunxit. Hoc in Alphabeto primæ litteræ locum obtinuit, *Aquiſgranenſe* regium templum, huic S. Statuæ ſtructum, ne quære antiquiorem Statuæ originem: quam, etſi fuiſſet, litteræ tamen ante Carolum commendare vix potuiſſent; ut quæ ſub Carolo maximum incrementũ accepêre. Certè ut ut ſe litteræ tunc in Germania habuerint, litteratorum populus tunc non fuit, qui hæc traderet poſteris. Hæc Baſilica, ſi *Ferreolo Locrio*

Alphabetum.

Litteratum.

crio credimus, à majoribus appellata eſt Monaſterium S. Mariæ, quod viginti Clerici à Carolo Magno inſtituti, &, ut ferebant tempora, in commune viventes ſub obedientiâ, intra clauſtrum ſimul manducantes, & dormientes, ut inquit *Molanus 28. Ian. in notat. Sanctorum Belgij*. Duravítque hæc virtus uſque ad *Ottonem III.* ſub quo *Nordgerus Epiſcopus* aliam ijs vivendi formam permiſit, &c. Hic ſeptem concilia celebrata. Hic Carolus Magnus ſepultus. Hic ſemper Statua Deiparæ celebrata miraculis. Marecic. Carolus, quem nec ipſi Heterodoxi Magnum fuiſſe inficiantur, Virginem Deiparam magnificè coluit: eámque ob cauſam plurium Sanctorum reliquijs undique magno ſtudio conquiſitis, templum hoc ſuum inſtruxit, néve dubitarent poſteri, Chriſtianum fuiſſe, quatuor Evangeliſtarum hiſtoriam, néve putarent fortè minùs Chriſtianum, ideſt, non Catholicum, Chriſti à cruce pendentis effigiem, in qua veræ S. Crucis pars, ſecum deponi in ſepulchro voluit. Et verò etiam ipſa Deipara in Imagine ſuâ Imperatorem Marianum, in ſepulchrum uſque comitata eſt, etenim thecam libri, ſalutans Virginem Gabriel, cum ipſâ Virgine, argentarij manu pereleganter ornat.

Quidquid de Virginis filio ſine aliorum locorum injuriâ conquiri potuit, huc contulit. Clavi unius, ſancti ſudarij, arundinis, ſpongiæ partē in hæc uſque tempora ſervant, cingulum quoque adeſt, & pannus, quorum uſus Chriſto patienti fuit: faſcias quoque videre eſt, tam quibus Deipara filium involuit, quàm quibus eum in cruce texit, ut minùs tormenti ſentiret verecundia. De manna, atque de flore Aaronis ideo his theſauris adjunxit, quia ad Virginem & ejus filium ſpectare videbantur.

Præ omnibus tamen Induſium, Induſium. ſeu ſubucula Deiparæ hîc loci in honore eſt, & Capillorum pars. Quid ad hæc illi, quorum fides herinata, ſpes vana, Charitas nulla? Sed & ipſi majoris Caroli ſancti caput, cui hæc omnia debentur, & dextrum brachium, quo fidei hoſtes preſſit, inter reliquias poſuêre: quin & ipſum gladium, utique non rarò eorum ſanguine cruentatum. Dent fidei ſuæ tam antiqua documenta, & credimus eis. Diem clauſit extremum Carolus Carolus Magnus. Aquiſgrani pleuritide laborans, ſeptimo infirmitatis die, 28. Ian. oleo ſancto inunctus, & viatico ſumpto confortatus ex hâc vitâ diſceſſit, ſepultúſque eſt eâdem die magnificè veſtibus imperialibus indutus in hoc templo. Fundavit præterea decem Epiſcopatus, viginti ſeptem Abbatias: in quibus propè modum omnibus templa Deiparæ dedicavit, ſummus ſemper Deiparæ Virginis cultor.

CDLI.

Imago B. V. Miraculoſa.
BETHLEMITICA.
Bethlemi in Palæſtina.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vitis magna, pura, jam alo nectare Deum.*

1. Locus Nativitatis Chriſti.
2. Præſepe.
3. Tres Reges.

HIc loquor de ſubterraneâ Baſilicâ Nativitatis Domini noſtri IESU Chriſti ab antiquo miraculoſiſſima: ubi Imago, quæ eſt in altari principe, eſt Deiparæ, quæ IESUM natum filium & Deum ſuum adorat, quod idem ex latere facit S. Ioſephus. Non ægrè feret filius, ne dum lector, ſi locum hunc ponam inter miraculoſâ Deiparæ templa, cùm Imago ſimilis ab origine Chriſtianiſſimi ſemper ibi fuerit, nunquam autem locus ſacratiſſimus miraculis caruerit. Hæc Baſilica poſita eſt ſub Eccleſiâ majore S. Mariæ, de quâ loquor alibi. Ejus pavimentum & parietes teguntur marmoreis tabulis cinerei coloris. Camera olim tota opere Moſaico operiebatur; ſed nunc totum ferè antiquitate corruit, & ad ejus ornatum & decorem alia ſuperinducuntur ornamenta pro Feſtorum exigentiâ in ejus ſuperiore parte eſt locus, ubi B. Virgo Maria peperit filium ſuum unigenitum, & in terrâ poſitum ſupplex adoravit, in cujus memoriam ibi Sacellum conſtructum eſt: ejus planum ſive locus qui primò natum Redemptorem ſuſcepiſſe creditur, eſt circularis figuræ, ſive dimidij circuli figuram habens, marmore albo coopertus, in ejus medio ſculpta eſt ſtella, in cujus centro cavum eſt, & porphyreticus lapis, deſuper laminâ argenteâ circumdatus ſequentes litteras continens: *Hic de Virgine Maria IESUS Chriſtus natus eſt.* Album illud marmor locum operiens fractum eſt, & id fregiſſe Fratres, ne ſurriperent Turcæ, intellexi, ſatiùs exiſtimantes fractum retinere, quàm integro privari, ſupra hunc ſacratiſſimum locum eſt tabula marmorea alba, ſupra quam Deo incruentum altaris ſacrificium offertur, ſupra altare eſt depicta Icon, myſterium Nativitatis Chriſti oculis objiciens, Beatam, inquam, Virginem Deiparam orantem, complicatis manibus, & flexis genibus ante parvulum ſuum in lucem editum, abſque obſtetricis vel ancillarum miniſterio, ſponſo Ioſeph myſterium contemplante, Angelis gloriam Deo in altiſſimis decantantibus, bove & aſino, halitu vagientem in præſepio natum parvulum foventibus, ac paſtoribus eundem Salvatorem mundi adorantibus, olim erat opere Moſaico idem myſterium repræſentatum. Sacellum hoc ſericis tapetibus ornatur; locus ſanè devotionem & pietatem promovens, ipſi Turcæ locū venerantur. Ad hunc locum deſcenditur per duo oſtio-

Marginalia: Baſilica. — Bethlehem. — Angeli.

la, hincinde poſita, ex ſuperiore templo, ſunt optimè elaborata, & æreis portis clauduntur. Communiter tamen aliunde eſt ingreſſus. Parùm recedendo à ſacro loco Nativitatis, tribuſque gradibus deſcendendo ad dexteramBaſilicæ partem, & lævam altaris, invenitur ſacratiſſimus locus, in quo S. Deipara, poſtquam filium ſuum peperit, & pannis involuit, reclinavit in præſepio, aptiore hujus ſpe uncæ loco: & hic fuit à paſtoribus adoratus. Tegitur hic locus marmore albo ſubobſcuro: retinet præſepij formam, ſicut ſemper retinuit, ut ait *Brocardus*: & *præſepium Domini* nuncupatur, ejus fornix eſt nuda & impolita rupes ſpeluncæ, abſq; alio ſuperinducto tegumento, & ornamento; non tamen tantæ altitudinis, ut ibi poſſit S. Sacrificium miſſæ celebrari. E regione hujus præſepis eſt locus, in quo fertur B. Virginem fuiſſe cum puero IESU, quando eum Magi adoraverunt: & ad hujus myſterij memoriam conſervandam altare, quod potuit erigi, erectum fuit, in quo miſſa celebratur, & ab illo Magorum Regúmque obſequio, *Regum altare* nominatur, in hujus altaris Icone eſt Virgo Maria cum Salvatore in gremio, quem Orientales Magi & reges proni cum muneribus adorant, ſunt tria memorata loca quaſi in triangulo, poſita: & in primo angulo & capite Eccleſiæ eſt locus, ubi Chriſtus natus eſt: à latere & parte auſtrali eſt alius, ubi fuit à Magis adoratus: & hunc tertius reſpicit in parte occidentali, ubi fuit à Virgine in præſepio reclinatus & à paſtoribus adoratus, ſuntque ita bene diſpoſita, ut omnia videri & honorari poſſint à ſtantibus in ſuperiore majore Eccleſiâ per jam memorata oſtiola, ex auſtrali enim locus Nativitatis, & Aquilonari præſepe & altare Regum cernitur. Hæc lectori pio admetiri placuit verbis doctiſſimi *Quareſmij tom. 2. fol. 629.* qui tomus cùm magnus ſit, in omnium manibus non eſt: & ea quæ hic exſcripſi, ad rem pertinere judicavi, ne deſiderio lectoris pij deeſſem.

Præſepe. Magi.

C L I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

BETHVNIENSIS.

Bethunij in Germania Infer.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Me agnam jure puram lo laudatâ ſancti.*

1. Fortitudo.

2. Vita.

3 Bellifuror.

DUabus, quà ex urbe Inſulenſi Bethuniam itur, Leucis celebritatem obtinuit non vulgaribus miraculis hæc Deiparæ Imago, quam cur Bethunienſem vocent, ignoro. Et duo præſertim, ut Seniores memorant, à Virgine obtinebantur beneficia. Primum eſt, firmitas & robur corporis, ſeu morbo, ſeu aliâ de causâ perijſſet. Alterum eſt, infantum mortuorum ad vitam revocatio, quos præ propera mors baptiſmo citiùs ſub-

Baptiſmus.

ſubtraxerat, quàm Sacramentali lavacro ad vitam æternam renaſcerentur, & melius poſt mortem haberent, quàm ſine inſolito hoc Deiparæ beneficio habuiſſent. Hæc beneficia inviderunt nobis milites, qui ſubjecto igne templum cum S. Statuâ exuſſerunt. Quæ hos incendiarios mors ſecuta ſit, inter tumultus militares obſervari non potuit. Terram levem non merentur, orco digni. R. P. Touſſanus Bridoul, Societatis IESU.

CDLIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE TIMORE.
Nazarethi in Palæſtina.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Agna Sion verè Immaculata Deum parit.*

1. Timor.

2. Supercilium montis.

3. Mala nova.

QUartâ milliaris parte à domo Deiparæ, cujus pars adhuc Nazarethi eſt, ſupra collem templum ſtetit, cujus pars, & quidem orientalis Sacellum, ſcilicet adhuc extat cum ruinis Monaſterij, ut fertur, Monialium quod templum ut olim, ita hodie ab indigenis appellatur, *S. Maria de Timore*, ratio nominis, & illius ædificationis eſt, quod credatur B. Virgo hoc loco intellexiſſe, duci filium ſuum à Nazarethanis civibus ad ſupercilium montis, inde præcipitandum, unde timor Virginis, & in horroris hujus memoriam templum, probabiliter à S. Helenâ ædificatum. Huc credo S.Helena ab antiquo accurriſſe, quotquot foris pugnas habebant, intus Timores; nec dubitant hîc miracula facta eſſe, quotquot ſciunt, templa non facilè ædificari ſolita ſine præcedentibus, & quidem miraculoſis beneficijs. Proderit lectori, ſi ſe B. Virgini hoc loco commendet, quando timoribus mentem pulſari ſentiet. Timuit Virgo, ut nos redderet cordatos in recordatione opis, quam ab ipsâ ſperamus. Quareſmius t. 2. f. 842.

CDLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
A MISERICORDIA.
Inſulis in Germania Inſer.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *En! Virgo data apertè immunis à macula.*

1. Luſores.

2. Imago B. Virginis.

3. Pæna.

STatua hæc in templo RR. PP. Auguſtinianorum colitur, cultus tanti origo à quatuor ho-

minibus naucifuit. Steterat Imago hæc ad murum tabernæ cujuſpiam nemini gravis, nemini moleſta; dum quatuor hi obcauſam neſcio quam (ſi ludus abſit) in rabiem acti, contumelijs certatim hanc S. Deiparentis Iconem affecêre. Verbis feſſi, Iconem ſacram in terram armatis ferro manibus dejecêre, & ne ſceleri malè eſſet, ad urbis mænia deportatam in
Foſſa. foſſam præcipitârunt, ſepultum unà cum Icone, & factum, & facti memoriam rati, ſed fuêre, qui audirent, viderentque impios, quíque Magiſtratui deferrent. Confeſtim quæſiti, repertíque pœnas dedêre, minores quidem ipſo ſcelere, ſed quæ in exemplum cæteris eſſent. Imago cum reverentiâ è foſsâ & ſqualore protracta, & templo huic illata eſt tantâ ſolennitate, ut priorem ignominiam ſibi vel ipſa Virgo reſtituram abundè miraculis teſtetur, ab uſque anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, quo hæc 30. Iulij contigêre: quorum tamen nullum ad me perſcripſit R. P. Touſſanus Bridoul Soc. IESU.

C D L V.

Imago B. V. Miraculoſa.

CÆSARIENSIS.

Cæſareæ in Palæſtina.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ut arca IESU pia, malum Adami nongeret.*

1. *Res ſacra.*
2. *Homines profani.*
3. *Defenſor. B. V.*

HÆc Deiparæ Imago Eccleſiam Epiſcopalem ſibi dedicatam habuit, inſuper & commendatam, nam cùm Iulianus Apoſtata contra Perſas profecturus à S. Baſilio Cæſarienſi Epiſcopo commeatum pro exercitu peteret, illéque reſponderet, non convenire, ut de rebus ſacris, hominibus profanis commeatus pararetur, ju-
Iulianus. ravit Iulianus, ſe in reditu hoc Deiparæ templum everſurum, & ſolo æquaturum, quod ut caveret Deipara, ſupplex Filiolo facta eſt, ita vidente S. Baſilio, Filius è circumſtantibus quærit, quis templi tutelam ſuſcipere velit: tum S.
Mercurius. Mercurius Martyr ſe obtulit cujus arma pendebant è tholo templi, & cujus S. Corpus ſepultum in templi medio erat. Surgit itaque emortuum cadaver, reſumptóque ſpiritu arma ſua induit, templo digreditur, ad exercitum properat, & nullo impediente per ipſas legiones ad ipſum uſque Imperatorem Iulianum accedit, eúmque transfixâ per apertum pectus haſtâ interfecit: iterúmque nemine uno prohibente per confertas legiones redit, ſéque armis nudatum, reponit in ſepulchro. Recenſuit altero die ſuis Epiſcopus, quæ vidiſſet; arma non pendebant è tholo templi: apertum ſepulchrum, abeſſe S. Mercurium Martyrem docuit. Triduo abſuit S. Martyr, cùm iterum & SS. oſſa in ſepulchro ſe ſtiterunt, & arma

de tholo templi, ut antè iterum pependèreſolúſque Epiſcopalis Baſilius cum ſuis ſciebat, quis ille ignotus homo (ita enim auctores de eo loquuntur) fuerit, qui Iulianum occiderat, ſolâ blaſphemiâ illâ memorandum: *viciſti Galilee viciſti.* Hæc Amphilochius in vita S. Baſilij Niceph. lib. 10. c. 35.

CDLVI.

Imago B. V. Miraculoſa. ACRENSIS. *Acrenæ in Germania I.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Munda Mater pariat ſine jugo maculæ.*

1. Caſus turris.
2. Sanguis è naribus.
3. Sanguis annuus.

ACrena pagus eſt ad fines Hanoniæ, Flandriam verſus, diſtátque ab Athenſi urbe leucis duabus. Ibi Deiparæ Imago ſacra colitur, quam Acrenſem ab ipſo loco vulgus appellat, Statua è quercu eſt, tres pedes alta: Sedet mater, & IESULUM gremio geſtat, nec aliam veſtem habet præter illam, quam dedit ſculptor, quámque pictor auro inducto, decorè ornavit, facies venuſta, vultus ſerius, tam pictorem, quâm ſculptorem commendant. Clareſcere hæc Statua miraculis cæpit, & populi concurſus fieri ab annis plùs trecentis duplici ex capite, Primùm prolapſione turris, Turris. quando inter acervos lapidum, & rudera dejectæ molis illæſa omnino reperta eſt Imago, alterum, quod hæc ipſa Statua è naribus prodigioſiſſimum ſanguinem emiſerit, nunquam audito miraculo, qui in lipſanarium collectus, multis deinde etiam remedio fuit. Exinde jam ab illis uſque temporibus in hanc uſque diem ad ejus altare concurſus, & miraculorum patratio: quando etiam noſtro tempore quædam fiunt etiam inter miracula admiranda. Etenim anno 1629. clarè hoc innotuit in oculo corrupto & ſuppurante, qui priſtinæ ſanitati, invocatâ Deiparâ Acrenſi, reſtitutus Oculus eſt, ita tamen, ut quot annis ſanata perſona, cùm Acrenam habendis Deiparæ gratijs pergeret, idem oculus perſanatus, coram omnibus quaſi ad miracu'i perennem teſtificationem innoxiè ſanguinem mitteret. Res hæc publicis tabulis ac cenſurâ *Reverendiſſimi Archiepiſcopi Cameracenſis* legitimè confirmata effecit, ut dies decimus ſeptimus Februarij, quo prodigium iſtud per continuos octodecim annos viſum fuit, celebratiſſimus, ad ejuſdem Deiparæ cultum, & populi pietatem, in hæc uſque tempora permanſerit. Hæc ad me *R. P. Marcus Xoſcornanix Rector Athenſis Soc. IESV*, miracula Acrenſis Statuæ collegit *R. P. Theodoricus du Mont Soc. IESV* & Gallicè impreſſit.

CDLVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN DOMO ZACHARIÆ.
In Montanis Palæſtinæ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Agna mera, ritè munda alvo IESUM capit.*

1. Domûs Zachariæ.
2. Benedictus.
3. Magnificat.

Zacharias. A Bantro, in quo S. præcurſor Chriſti vixit, duorum milliarum itinere, eſt in pede montis, in colle aliquo, domus Zachariæ Patris magni Ioannis Baptiſtæ, in quam introivit Deipara, cùm ad Eliſabetham profecta eſt. Duas in hâc domo Eccleſias ſtruxit S. Helena, ſuperior penè tota nunc collapſa eſt, & diruta, ſolæ ruinæ apparent, & aliquid de parte templi ſuperiore. Cernuntur adhuc picturæ, etſi temporis injuriâ admodum conſumptæ, retentâ ferè formâ domûs, paucis immutatis pro templi ſtructurâ. In hâc ſuperiore Eccleſiâ, Zacharias factus ex muto diſertus in circumciſione filij, ſolenne illud canticum, *Benedictus*, cecinit, ut habet Orientalium traditio. Inferior Eccleſia, propter quam hæc ſcribo, Deiparæ eſt, & parva ad Sacelli ſimilitudinem, in capite eſt fornix, ſive Sacellum cum ſuo altari: ex iſto per ſcalam lapideam eſt aſcenſus ad ſuperiorem. Scala porrò illa met eſſe creditur, per quam Virgo aſcendit, & deſcendit toto trimeſtri, quo hîc moram fecit. Hoc in loco erat Eliſabeth, quando fuit à Virgine ſalutata, ad cujus vocem ipſa cum ſuo filio Baptiſta fuit Spiritu ſancto repleta. Elisabeth. Hîc Deipara mente ſpirituque lætabunda in laudes Dei ſe profudit, & illud divinum canticum, *Magnificat*, voce Virgineâ cecinit, in cujus memoriam Peregrini, poſt preces privatas, & ſecretas, altâ voce cum jubilo hoc canticum decantant, uti in ſuperiore Eccleſiâ canticum *Benedictus*. Porrò in hoc altari fuiſſe Imaginem Deiparæ *Viſitantis*, & in hoc Sacello Deiparam fuiſſe miraculosè beneficam, probare ulteriùs opus non eſt fidelibus, in fidelibus probare nolo, videri de hac re poſſunt Auctores, qui ſcribunt de terrâ ſanctâ, quos paſſim cito.

CDLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE NEMORE.
Atrebati in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Roſa nivea Immaculata anguem perdit.*

1. Carcer

1. Carcer pro templo.
2. Inſueta ſeveritas.
3. Equus in templo.

IAm olim, ut ſcribit *Locrius*, nomen huic S. Imagini fuit *de Nemore*, crediderim quia in nemore arbori cuipiam affixam reperit pia antiquitas, & ob beneficia de cælo data, tanquam meliore ſede dignam, huc deportavit. Miracula. Ædiculam habet non magnam, nec procul Atrebato, magna tamen Atrebatenſium ſemper fuit in hanc S. Iconem pietas. Cæterùm duobus maximè exemplis Virgo hodiernis beneficijs dedit initium. Alterum conſuetæ pietatis fuit, inſuetæ ſeveritatis alterum. Anno 1497. *Ioannes Courchellanus* in Braijenſi ad Somonam fluvium Captivus. villâ commiſſo piaculo in carcerem compingitur, & compedibus vincitur. Tempus & locus orationem ſuadebant miſero: namque omnis carcer pro templo eſt. Itaque voto Virgini ad has aras ritè facto, repentè & rupta in pedibus vincula, & portam carceris apertã intuetur, nec morâ ad has aras properat, beneficium deprædicat, ipſo judice non difficulter pœnam condonante ei, quem Virgo tam portentosè abſolviſſet. Alterum, quod affero terret eos, quos nulla ſacrorum reverentia tangit, *Ioannes* quidam *Paludanus* Loënſis (pagus eſt inter Furnam & Dixmudam) anno 1478. equo vectus, hoc in templo diverſorium quæſivit, nullâ loci reverentiâ inducto in templum equo. Equus. Sed ingentibus auſis occurſũ à Dæmone eſt, qui obtorto homini collo animam extorſit; nunquam rediturum, nunc I & temnere Divos incipe, quiſquis hæc fabuloſa eſſe credis. Exinde in hanc diem Deipara & amari, & timeri hic cæpta. Ferdinandus Locrius.

CDLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SCRYPTA. *Bethlemi in Palæſtina.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Io reſpuit maculam una agna Dei Mater.*

1. Lac B. Virginis.
2. Terra rubra fit alba.
3. Remedium morborum.

NOn procul à ſacratiſſimo antro Nativitatis Domini noſtri IESU Chriſti versùs Auſtrum extra Bethlemum, eſt quidam locus ſubterraneus in quo tria cernuntur loca in rupe excisâ, & in medio unius ex iſtis eſt altare, ubi quandoque ſacroſanctum miſſæ ſacrificium celebratur. Locus iſte appellatur *Crypta*, ſeu *antrum B. Mariæ Virginis.* Fit hujus mentio in Bulla quadam *Gregorij Papæ XI.* in quâ conceditur, facultas ædifican-

Crypta. ficandi. In hâc Cryptâ latuit Deipara cum puero IESU non rarò quin etiam ipſa contemplationi quandoque in hoc antro ſolitario vacabat: factûmque aliquando, ut ibidem ex ejus ſacratiſſimis & fæcundiſſimis, de cælo plenis uberibus lac prodierit; terrámque illam aſperſerit, ex quo magnam virtutem accepiſſe terra, creditur ad corporalium infirmitatum curam, & experientiâ comprobatur: hinc enim terra illa *lac B. Virginis Mariæ* appellatur, ac per omnem Chriſtianum orbem circumportatur atque inter reliquias ponitur, habet ſpeciem elaboratiſſimi & candidiſſimi lactis, addo Lac. modum, quo perficitur. Excavatur terra ex hoc antro, quæ rubra potiùs eſt, quàm alterius coloris, pilâ contunditur, & in minutiſſimum pulverem pluribus cribrationibus reducitur: tum fontanâ purgatur, demum ſoli expoſita ſiccatur, & induratur: uſque dum fiat ipsâ nive candidior, & lacti ſimillima: quæ deinde iterum in pulverem redacta propinatur in potum, infirmis, præſertim fæminis lactis defectu laborantibus, certo remedio, etiam inter Turcicas fæminas probato. Porrò ſupra antrum, rudera ſunt ampliſſimi ædificij, quod illud fuerit, nec divinari quidem è congerie lapidum confusâ poteſt. Cæterùm traditio fidem habet: fuiſſe Cænobium Virginum cum ſuo adjuncto templo, à S. Paula ædificatum, nec plura Quareſmius.

✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽

CDLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE CONSOLATIONE.

Barrij in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Amanda Virgo & in ſe purè Immaculata.*

1. Mare cauſa boni.
2. Votum felix.
3. Votum impletum.

IN ſuburbio urbis Barrenſis Sacellum Deiparæ eſt, Statuâ & beneficijs impetratis inſigne, conditor Sacelli hujus fuit *Ioannes Naveronius*, vir equeſtris Ordinis, & pius, ſub annum Chriſti 1515. ſtruendi Sacelli occaſionem dedit mare, in quo, cùm omnia præſentem viro intentarent mortem, ad Deiparam converſus Sacellum vovit ſe conditurum in plurimorum ſolatium, ſi ipſe hîc loci inter varia mortis pericula à Virgine opem Pericula. nanciſceretur, vix factum ab eo votum eſt, voti ſe rerum ſenſit: etenim quàmprimùm detonuêre venti, componíque fluctus cæpti ſunt, navíſque læta turgentibus velis ad portum properavit. Hodie inter miraculoſas haberi ſcribit R P. Touſſanus Bridoul Soc. IESU

Ad

Ad hanc Deiparæ miraculoſamImaginem recurrentes, in neceſſitate nautas, opem invenire dubium non eſt, & cuicunque optima ratione probatur quia primum compoſiti maris miraculum, quod Deipara ad ſupplicantis deſiderium patravit, originem dedit templo & occaſionem porrexit omnibus quibus maris ira ventorumque ferocia vitæ periculum minantur, invocandi Deiparam in hac potius quam alia Statua.

C D L X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
INCLUSA.
In M. olivarum in Palæſtina.

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. Gemma rutila, Roſa pia ac munda veniet.

1. Teſtimonium dæmonis.
2. Incluſus quid.
3. Imago B. V.

POno hanc S. Imaginem inter miraculoſas, oppido magna, id eſt, dæmonis auctoritate. Habuit hanc S. Imaginem incluſus quidam (ut verbis Sophronij utar) certator maximus, ne Lector in voce hæreat, eos & olim vocabant incluſos, & hodie, qui ſe votoobſtringunt, cellâ ſuâ non egreſſuros, eúmque in finem muro & quovis alio firmo pariete undique claudunt, victum aliáque vitæ neceſſaria per feneſtram accipiunt, quæque ad ſalutem animæ ſunt, cum ijs, quos ſibi elegerunt, ſuperioribus conferunt. Hic, inquam, certator maximus multorúmque præliorum victor, Imaginem Deiparæ impenſè coluit. Hæc illi Sacellum, templum, altare fuit, hæc in prælio vexillum, in victoria triumphus. Fuit, cùm feſſus, dæmoni ita loqueretur: Quamdiu non dimittis me, recede jam à me, quia mecum conſenuiſti. Dæmon ſeni ſe viſibilem ſiſtens: jura mihi, inquit, te nemini dicturum ea, quæ nunc tibi dicam, & te amplius non oppugno, ſi feceris, quod peto, juravit ſenex. Tum dæmon: noli venerari hanc Imaginem & ultra te non oppugnabo. Altero die Abbati Theodoro Eliotæ narravit, quæ viderat, quæque audierat, ille confortatum ſenem ad Imaginem Deiparæ adhuc magis honorandam, adhortatus eſt: quandoquidem tantum in ea contra dæmonem præſidium eſſet expertus, an cella in Sacellum ſit verſa ignoro. Sophron. cap. 45.

Cella. Dæmon.

CDLXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CONSOLATIONE SOC. IESU.
Eſqueriny in Germania J.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Regalis anima pura ovat, emicet munda.*

1. Diſenteria deſperata.
2. Comes ſanatus.
3. Bellorum incommoda.

NOn procul ab urbe Inſulenſi meridiem versùs viſitur ædicula *Eſquerinenſis*, antiquitate & Imagine miraculosâ celebris, referunt quædam manu ſcripta & vetuſta monumenta, id opus eſſe *Balduini Flandriæ Comitis*, ſiquidem augmentum ſpecies: Etenim, cùm diſenteriæ morbo dictus Comes ultra Medicorum auxilia laboraret, & penè animam ageret, ad divam *Equerinenſem*, tunc per commodè coli cæptam, confugit voto facto, & ſanitatem recepit. Hinc cultus acceſſit major, quem indies Inſulenſes non modò conſecrant, ſed etiam pietate ſuâ ſingulari augent: quia inter eas numeratur, quæ præ cæteris miraculorum famam habent. Cæterùm Statua *Tungrenſi* Statuæ non eſt abſimilis, colitúrque hodie propter bellorum incommoda in templo Societatis IESU, in urbe Inſulenſi, unde verò nomen *de Conſolatione*, & à quo acceperit, ad me non perſcripſit R. P. Touſſanus Bridoul Societatis IESU.

Diſenteria.

CDLXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MONTE.
Neocæſareæ in Ponto.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Aurea integritas munda macula pomi.*

1. Origenes.
2. Templum B. V.
3. Miraculum.

CIrca annum ducenteſimum trigeſimum tertium *S. Gregorius Thaumaturgus* Epiſcopus Neocæſareæ factus eſt. Hic olim *Origenis* diſcipulus multa hauſit, de quibus jure merito dubitavit, an eſſent veræ & orthodoxæ fidei conformia. Et quia Dei genitrici erat addictiſſimus, hoc maximè in puncto ad illā recurrit. Illa unà cum *S. Ioanne Evangeliſta* noctu ſe Gregorio ſiſtens, juſſit Ioanni Chriſti IESU diſcipulo, ut Gregorium inſtrueret in quamplurimis fidei ſecretis. Evigilans ille ſcripto, quæ doctus erat, conſignavit: per quam doctrinam uſque in præſentem diem inſtituitur illius civitatis plebs, quæ ab omni hæretica pravitate intacta permanſit, ut habet *S. Gregorius Nyſſenus* in oratione de

Gregorius.

vita

vita S. Greg. Thaumaturgi. Porrò cùm vellet eidem Deiparæ ædificare Eccleſiam in loco apto, videtque locum anguſtiorem, quàm res exigebat, eò quòd ex una parte, Mons. mons, ex altera mare & maris rupes obſtaret, venit nocte ad locum, & genibus flexis admonuit Dominum promiſſionis ſuæ, ut montem longiùs juxta fidem petentis ageret: & manè facto reverſus, invenit montem tantum ſpacij reliquiſſe ſtructoribus Eccleſiæ, quantum opus habuerant, ait Venerabilis Beda lib. 3. commentarij in Evangelium S. Evangeliſtæ Marci.

* *

C D L X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.

ORSENSIS SOC. IESU.

Orſæ in Lithuania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tegit immenſum in aula pura adeo cara.*

1. Schiſmatici.

2. Pictor religioſus.

3. Puer nobilis.

AD initium fundationis Collegij Societatis IESU Orſenſis, ſub annum Christi 1612. ædituus templi noſter hanc Deiparæ Imaginem pinxit pro ara templi majore. Cùm verò ſequentibus annis majoris pretij picturæ aris n. ſererentur, Imago hæc ad pagum vicinum, in ipſius Collegij præ- Miraculum. dium delata eſt. Miraculoſa eſſe cæpit anno 1630. quo nobilis puer, membris omnibus ab ipſo utero materno captus, ad hanc Imaginem invocatâ Virgine convaluit, & in pedes erectus eſt. Crevêre hi favores maximè ab anno 1638. & ipſorum Schiſmaticorum concurſu celebrior factus eſt locus. Ita ad me *R. P. Albertus Koialobiz Rector Colleg. Vilnenſis Societatis IESU*, qui addit, miracula jam tot & tanta eſſe, ut ipſe, ſi per bella poſſit, quàmprimùm & totius hiſtoriæ decurſum, & ipſa miracula, jam approbata, nec vulgaria, editurus ſit: quæ tamen ad me hactenus non pervenerunt.

C D L X V.

Imago B. V. Miraculoſa.

IN IASPIDE.

Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Iam candor agni eam veſtit puram à lue.*

1. Imperator pius in B. V.

2. Monaſterium.

3. Exercitus religioſus.

QUo tempore terrâ marique partâ pace, Tyrannidem invehere conatur in Europam Turca, ecce tibi Imperatorem Orientis cultu Mariano ad ſaniora regreſſum.

Fuit gemmeæ hujus Virginis poſſeſſor ut ex inſcriptione patet, *Nicephorus*, cognomento *Botoniates*, Græcorum vigeſimus quintus Imperator, qui à Nicephoro Phoca oriundus, per omnes militiæ gradus ad ſupremum evectus eſt, *Michaël* de imperio per vim fraudémque deturbato. Eam ob cauſam fuiſſe à *Gregorio VII.* excommunicatum refert *Baronius*. Triennium omnino imperium geſſit: tandem quæ fecit alijs, & ipſe ab alijs paſſus eſt, juſtâ talionis lege. *A Comnenis* in Monaſterium detruſus eſt, eáque conditione vitâ donatus, ut Monachum ageret. Fertur, ſeriam egiſſe pœnitentiam, etiam ad ſacerdotium promotus, exemplo Michaëlis prædeceſſoris ſui, quem deturbaverat è ſolio, qui & ipſe capite tonſus, Monachus Epheſi effectus eſt, vitæ quietioris non impatiens. Quo tempore Nicephorus hanc in Iaſpide viridi cælatam diviniſſimæ matris Imaginem coluiſſe, aſſerit *Chiffletius Burgundus* in ſcripto ſuo, quod hâc ſuper re edidit, tanquam tutelarem vitæ melioris & ſanctioris. In medio ſanctiſſima Deipara palmas extendit habitu Panmacariſtico; ſtatu Beatorum: quòd nimirum ipſa ſit Cælum, templum, & thronus divinitatis: meritóque vocatur à ſuis cultoribus per antomaſiam *Beata*. Inſcriptio porrò, *Mater Dei*, græcis imaginibus penè omnibus communis eſt: in odium Neſtorij, qui id negabat, miraculorum ſatis eſt, quòd hac S. Imagine tantus paulò antè Imperator in Monaſterij anguſtias per vim detruſus, Monaſticam ſuam & inſuetam ſolitudinem ſolatus, atque ex turbulento & ſeditioſo milite pacatus modeſtúſque religioſus evaſerit, nam ita ſe geſſiſſe ſcribitur, ut ſacerdotij gradum meruerit. Hæc S. Imago utique ijs in partibus publicò expoſita, & miraculis clara, in noſtras denique partes delata, *Sereniſſimo Leopoldo Gulielmo, Ferd. II. filio, Ferd. III. Fratri*, dum Belgio præeſſet, ceſſit, ampliores utique honores publicos habitura, ſi vita fuiſſet, nec plura citatus ſuprà Chiflerius.

Imperator. — Pœnitentia. — Neſtorius.

C D X L V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE BRAZZA.

Brazzæ in Dalmatia.

Anagr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Progr. Amata pura Virgo en Adami luem neſcit.

1. Sudor muri.
2. Imago B. V. portendens.
3. Miſſa ſolennis.

INſula maris Dalmatici eſt, cui *Brazza* nomen, in hac eſt templum B. Virgini dicatum pervetuſtum, novo alio templo adjuncto auctum. Hoc in templo Sacellum eſt SS. Fabiano & Sebaſtiano ſacrum: ſupra ipſum Sacelli ingreſſum in muro extat pictura antiqua omnino indiſtincta, & velut nube obducta, ut mens pictoris, nec divinari quidem poſſit

Pictura.

ſit

ſitâ peregrinis. At verò ubi dies SS. Fabiani & Sebaſtiani Feſtus illuxit, (addunt, id etiam fieri Feſto S. Eliæ) & divinum officium cantu ſolenni peragitur, dum Angelorum canticum, *Gloria in Excelſis*, canitur, vel certè ſi tunc non contingat ob cauſas occultas, ſub ſacratiſſimæ hoſtiæ Elevatione, videri ſolet miraculum prorſus inauditum: paulatim enim velut nubeculâ abundè, ſerenatur pictura ita clarè, ut & Salvator ſedens, benedicénſque populo, uti etiam Beatiſſima Virgo ad dextram Salvatoris, & S. Ioannes Baptiſta ad ſiniſtram clarè appareat: quin & eorum nomina adſcripta, uti & numerus (anni circiter do) 400. quàm diſtinctiſſimè videri queat. Sudor. Sudant inſuper muri non eâ templi parte, quæ nuper adjuncta eſt, ſed templi vetuſtiſſimi, ſudor ille aqueus goſſipio exceptus, medetur morbis, præſertim ijs, quibus oculi torquentur. Et quod mirum eſt, poſt unum alterúmve diem, & ſudor hic murorum ceſſat, & umbra illa iterum Imaginem, velut obductum ſiparium, abſcondit, olim etiam campanæ nullâ manu admotâ pulſabantur. Cæterùm ſi alijs diebus per annum hæc pictura, recedente umbrâ, apparet, nullo civium gaudio id contingit, ſiquidem ſemper aut inſolitum maris terræque tempeſtatem, aut malignam quampiam ægritudinem, ſi non ipſam peſtem, aut terræ ſterilitatem, & ſecuturam famem, vel, quod omnium peſſimum, incurſionem à Turcis, ſeu bellum portendit. Hæc ad me R. P. Albertus Alberti Soc. IESU.
Româ.

CDLXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CIPRESSO. *Smirnæ in Oriente.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura eat incolumis navis & mare Adam.*

1. Lux nocturna.
2 Miracula non petita.
3. Templum Cyri.

Cyri Smirnenſis Epiſcopus Templum Deiparæ ædificavit, quod paſſim templum *Cyri* vocatum eſt, ne fundatoris nomen periret. Cæterùm meliùs *à Cupreſſu* dici poteſt: ſiquidem olim neſcio quis in Cupreſſu Deiparæ Statuam poſuit, quæ cùm ramis undique porrectis videri ampliùs non poſſet, faces nocturnæ, & cæleſtes radij arborem illuſtrârunt, nemo non Miracula. cæleſte quidpiam & ſanctum ſibi imaginatus eſt, utique poſtquam, qui piè locum acceſsêre, ægri rediêre ſani, ingens miraculorum vis (ita auctor loquitur) deſiderium movit, quærendi, unde hæc è cælo beneficia. Tum enimverò inventa eſt hæc Deiparæ Statua, cui Cyrus Epiſcopus pulcherrimum & ampliſſimum templum ſtruxit, in quo Deiparæ beneficia magnificentiùs recipiuntur, tam

ab ijs, qui bonâ valetudine utuntur, quàm ab ijs, qui morbo quopiam affliguntur. Niceph. lib. 14. cap. 46. Baronius Anno 446. & ex his alij.

CDLXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CEISLA.
Monte majore in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Lucem aperuit amata Sion Regia munda.*

1. Lepus infauſtus.
2. Regis pietas.
3. Monachus miles.

FUit, cùm *Alfonſus Rex Hiſpaniæ* ad Mundæ fluvij ripam deambularet non longè ab oſtio, quo ſe dictus fluvius in Oceanum exonerat. Certior factus, ædiculam Deiparæ non longè illinc abeſſe, nullò ſingulari cultam ornatu, accolarum tamen pietate celebrem, eò ſtatim veſtigia vertit, ſequente aulâ, dum itur inter pios de Virgine ſermones, lepus è proximo dumeto proſiliens, quendam è Nobilibus provocavit ad venationem, itaque concitatiſſimo cuiſu leporem inſequitur: ſed, veſtigio fallente, ita cum equo in terram proſtratus eſt, ut arbori vicinæ vehementiſſimè alliſus, pro mortuo ab omnibus haberetur. Regis juſſu deportatur in Deiparę Sacellū, à quo non longè aberant, ſive ſepeliendus, ſive Deiparæ beneficio ad vitam revocandus, vix ſacello importatus, & vitæ ſigna dedit, & perfectæ ſanitati quàmprimùm eſt reſtitutus, ad hæc rex gaudijs cæleſtibus delibutum ſe ſenſit, ita ut per omnem retro vitam teſtaretur, nil ſe ſimile unquam fuiſſe expertum. Hæc cauſa fuit Ciſtercienſium religioſorum Cænobij, quod magnis ſumptibus, Rex quamprimùm ædificavit. Hactenus de S. ædiculæ Marianæ augmento, & pietaris incremento, nunc de ejus origine, quæ longè illuſtrior fuit, ſermonem inſtituo. Occupatâ à Mauris Hiſpaniâ, pauci, qui ſupererant Chriſtiani, ſub Legionenſis Regis Imperio, malè ſuſtinebant impetum & vires Barbarorum, & acceptam à majoribus religionem, ne penitùs extingueretur, majore animi ardore, quàm vi armorum utramque ſervabant. Reſtabat prope Conimbricam urbem regiam, vetuſtum S. Benedicti Cænobium, Lorvanum nomine: degebant in eo Monachi ſanctitatis famâ illuſtres, adeò ut Mauris ipſis Chriſtiani nominis hoſtibus non modò chari, ſed etiam venerabiles eſſent. Horum ſe inſtituto addixit *Ioannes*, Alfonſi Regis Legionenſis patruelis, & Ramiri Regis avunculus, tantæ virtutis, ut etiam Abbatis dignitatem communi Monachorum conſenſu aſſequeretur. Huic dum Abbas eſſet, donavit *Alfonſus Rex* Montis majoris Principatum, eâ tamen conditione, ut caſtrum juſto ſemper militum præſidio

Lepus. Suſcitatio. Mauri. Abbas.

ſidio munitum teneret, & ab hoſtium incurſionibus defenderet. Abbati non difficilis fuit militaris animi conditionem implere, qui ipſe olim ſtipendia plura fecerat. Evenit, ut unus ex Abbatis domeſticis deficeret à fide, & in Maurorum mores abiret, ſalutem ſuam animæ & corporis pactus cum rege Cordubenſi *Derammene* Mauro: cui ita fidelis fuit, ut Maurorum exercitui præficeretur contra Luſitanos, quos undique flamma ferróque perſequebatur, denique etiam ad montem majorem pervenit, Abbatis Domini olim ſui oppidum oppreſſurus: ſed ab armatis civibus repulſus, quos vi non potuit, fame ſuos facere decrevit. Itaque extra telorum jactum caſtra poſuit, & obſidione remotâ oppidum obſedit, vetuítque accolas vitæ ſuſtentamenta inferre. Inter has rerum anguſtias deliberatum, concluſúmque eſt, fæminas omnes infantes, cæteróſque bello inutiles jugulare; ne hoſtibus ludibrio eſſent: dein hoſtes adoriri ultimo, tamdiúque pugnare, dum omnes tandem victi glorioſè occumberent. Primus dicitur fuiſſe *Ioannes* Abbas, qui ſororem ſuam, ejúſque duos filiolos jugularet. Nec poſtea reliquis difficile fuit, ad ducis exemplum ſuos obtruncare.

Strategema.

Itaque in hoſtes itum eſt, cædes fuit, non prælium, nam & ultimas vires armaverat ira, accenderat rabies, & præ omnibus confidentia ſingularis in Virginem, non jam optantium vitam, ſed victoriam, & cum victoria honeſtam mortem, inter hoſtiorum cadaverum ſtruem. Denique Mauris aut fugâ dilapſis, aut cæſis, datum ſignum eſt receptui, & ad ſpolia itum, regia ſanè, & urbem ditatura, ſi ſupereſſent, qui frui ijs poſſent, jámque inconſiderati & præcipitis facinoris memoria torquebat conſcientias: cùm ecce! poſterò die omnes, quotquot pridie jugulàrunt, vivos ante ſe conſpiciunt, & ſibi obvios, nihil ab eo diſcrepantes ſtatu, in quo eos pridie mors invenerat, niſi quòd cicatrix rubra vulneris veſtigia monſtraret. Movit *Ioannem* Abbatem tantum portentum; ut eo in loco, ubi perſequi hoſtes ceſſaverat, Deiparæ Sacellum hoc, de quo loquor, ædificaret; ne tantarum rerum memoria periret. Statua, quam poſuit, lignea eſt, & palmos duos altitudine non excedit. Virgo IESUM amplexu ſtringit, linea rubra monilis inſtar, Matris & Filij collum ambit, unde verò Abbas hanc Statuam acceperit, nemo prodidit. *Ioannes* Abbas ad pedem altaris ſibi ſe pulchrum elegit, nec inde ullâ vi aſportari aliò unquam potuit ab ijs, qui ei ſepulchrum regium deſtinabant.

Prælium.

Sepulchrum.

Grandia ejus oſſa nuper effoſſa, hominem arguunt giganteæ proceritatis. Hæc ad me *R. P. Antonius de Macedo, S. I.* Ex Franciſco Bernardo de Brito regio Hiſtorico, parte ſecundâ Monarchiæ Luſitaniæ. Grandia hæc ſunt, & quæ alteram hiſtoriam de Rege Ramirio, de quâ alibi ſcribo, confirmant, ut & illa fidem ſuam apud incredulos Iuvent.

CDLXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE CAIRO.

Cairi in Ægypto.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Emicat Virgo munda alma vitæ parens.*

1. Habitatio B. V.
2. Somnus Chriſti.
3. IESUS peregrinus.

IN hâc urbe, de cujus antiquo nomine diſputationem non inſtituo, Deipara cum filio habitâſſe traditur majore temporis parte, quo in fugâ illâ Ægyptiacâ verſabatur, vel ut antiqui loquuntur, peregrinabatur, monſtratur hodiéque Eccleſia, fertúrque conſtanti Orientalium Chriſtianorum *Traditio.* traditione, eo omnino loco ſtare, in quo Deipara cum IESU filio ſuo, & Ioſepho aliquantiſper habitaverat. In hâc Eccleſiâ ſacerdotes peregrini ſacrum miſſæ ſacrificium celebrant, inſuper locus ſupereſt, & monſtratur, in quo compoſuiſſe IESULUM ad quietem & ſomnum creditur: ut ait *Quareſmius t. 2. fol. 948.* in hâc Eccleſiâ, quam primi Chriſtiani è domo formârunt, ſi non fallor, altaris Imago repræſentavit myſterium fugæ Ægyptiacæ, vel reclinationis IESULI factæ in hoc loco, nec dubitare licet, hic Virginem fuiſſe ſupplicibus propitiam, ſi uſpiam alibi: ut non immeritò miraculoſis imaginibus accenſeam.

CDLXX.

Imago B. V. Miraculoſa.

AD PORTUM.

Oliſſipone in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Non admiſit maculam Eva regia & pura.*

1. Templum ſolis & lunæ.
2. Templum B. V.
3. Inventio terrarum.

AD Portum Oliſipponenſem rudera etiamnum videntur magnifici fani, quod antiqui ſoli lunæque ſtruxerunt, dedicârunt. Porrò tantæ molis ſtruendæ cauſa fuit, quod alto ſe commiſſuri, neceſſaria præ cæteris Numina & lumina, quibus Iupiter diei noctiſq; regimē tradiderat, redderent ſibi propitia, ſine quibus nec vellent nec poſſent proſperâ navigatione uti, itaq; & vela facturi vota faciebant, ferebantq;, proſperè do-

Fides. domum reverſi. Fide Chriſtianâ illis terris importatâ, viluit cum ſuperſtitione ipſum fanum, & denique ita per ſe concidit; ut hodie vix rudera appareant. Chriſtiani eandem maris patientiam optârunt, quam olim Ethnici, ſed prudentiore, non tamen ab antiquis abludente conſilio, uſi Deiparæ auxilio, quæ eſt electa ut ſol, & pulchra ut luna, denique quæ ſtella maris eſt, Sacellum ei ſtruxêrunt, ubi peterent & obtinerent ſibi cum ventis obſequens mare. Tum Oceanum magnis animis ingreſſi; præter aquas in ipſis aquis invenêre terras novas, quia nunquam ab Europæis viſas, & reduces, vota in abitu promiſſa duplicabant. Hinc brevi tempore Sacellum in regium templum excrevit, & ut ſunt mirabiles elationes maris, ita etiam mirabilia ſunt miracula, quæ in mari operata eſt Deipara huic ſe loco devoventibus. Piſces, naves, vincula parietibus appenſa teſtantur. RR. PP. S. Hieronymi locum curant inadjuncto Cænobio. *Maffeius* noſter rerum Luſitanarum diligens & accuratus ſcriptor libro ſecundo ait, hîc omnis navigationis Principium & finem eſſe Luſitanis. Cæterum ad me miraculum nullum perſcriptum eſt; quia litteris non niſi per mare via fuit, propter bella continua. Sacellum.

C D L X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.

TALLENSIS

Poſſonij in Ungaria.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Apis una Mater aculeum ignoret Adami.*

1. Fons ſacer.

2. Statua ſudans.

3. Miracula ordinaria.

MOnaſterium *Tallenſe* diſtat *Poſſonio* duabus leucis Statua illic Deiparæ eſt pedis unius, & octo unciarum, lignea vetuſtiſſima. Quis memoret originem? quando bella unà cum litteris omnes prope litteratos abſtulêre? Traditio conſtans eſt, quâ dicitur reperta ad radicem montis juxta fontem, quem vulgo *ſacrum* vocant, accurſus ad hanc S. Statuam eſt aſſiduus ex omni parte Ungariæ, Feſto præſertim *Nata B. Virginis.* Bibunt ex fonte quocunque morbo ægri, & ſanitati reſtituuntur tam multi, ut, quia pro re habetur ordinariâ & conſuetâ, miraculi loco non ampliùs habeatur. Fertur, imminente graviore malo, ſudare Virginis facies, ante mortem auguſtiſſimi, & ceterâ memoriâ digni Cæſaris *Ferdinandi II.* ſudâſſe, eſt obſervatum à pluribus omni exceptione majoribus teſtibus, ut ad me perſcripſit *R. P. Bernardus Geyer Societatis IESU, Provincialis Auſtriæ* qui aliud miraculum non adjunxit. Concurſus.

CDLXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. MARIÆ IN BETHLEHEM.
Bethlemi in Palæſtina.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Diva repulit à ſe anguem iram ac notam.*

1. Auctorum differentia.
2. Locus circumciſionis Chriſti.
3. Templum.

NOlo præterire templum toto orbe pulcherrimum ſi *Brocardo* credimus. Fecit hoc Helena, poſuitque ſupra Baſilicam, quæ eſt infra terram in loco Nativitatis Domini noſtri IESU Chriſti, & Matri dicavit, hinc ab antiquo vocatur *S. Maria in Bethlehem.* Adrichomius, non oculatus teſtis, ait quatuor Ordines columnarum habere ducentas columnas. *Quareſmius* oculatiſſimus teſtis ait, non eſſe plures quàm quinquaginta, ideò quæ in *Quareſmio t. 2. f. 643.* legi, appono. Parietes ex quadratis lapidibus ſunt erecti, Teſtudines, concamerata, & laquearia ex cedro vel Cypreſſo: columnæ cum baſibus ex marmore rubeo ad album vergente, capitella ſunt ex albo marmore operis Corinthij; ſunt quatuor ordines columnarum, quibus quinque fornices ſuſtinentur, Columnæ omnes ſimul numerum quinquageſimum non excedunt, ſupra murum feneſtræ ita ſunt amplæ (undecim è quavis parte) tantùmque lucis admittunt, ut ſub dio eſſe videatur, veſtibulum templi latum eſt. Tria præcipua continet Altaria: ad medium ſex gradibus aſcenditur, in capite juxta murum eſt ſedes Patriarchæ, Sacerdos dum celebrat, ſtat ſupra locum Dominicæ Nativitatis. Hinc inde ſunt alia duo altaria: id quod eſt ex parte Aquilonari, vocatur altare *trium Regum*, eò quòd reges relictis jumentis ibi ſe præpar ârunt, ad ingrediendum locum Nativitatis. Altare, quod eſt ad meridiem, altare *Circumciſionis* dicitur, eò quòd hic credatur ab Orientalibus Chriſtianis, IESUS fuiſſe circumciſus. Tota Eccleſia plumbo tegitur, media navis latitudo eſt palmorum 35. & 3. Unciarum, latitudo quatuor navium lateralium æqualis, id eſt, palmorum duodecim & ſex unciarum, diſtantia unius columnæ ab altera in longitudine eſt palmorum ſeptem, baſis columnæ eſt lata palmos tres cum dimidio. Columnæ diameter eſt palmorum duorum cum dimidio. Columnæ circulus palmorum ſex cum dimidio, altitudo columnæ ſeptem palmorum, ordo columnarum eſt Jonicus, quamquam capitella ſint Corinthia, longitudo totius templi eſt palmorum 128. latitudo centum. Hæc ferme *Quareſmius t. 2. f. 643.* Iterum dico, in altari Principe fuiſſe Imaginem Deiparæ à S. Helenâ poſitam: cum terræ ſanctæ ſcriptores dicant, opere Moſaico fuiſſe omnes tam veteris quàm novi teſta-

Bethlehem. Reges. Columnæ.

teſtamenti figuras & hiſtorias in muris deſcriptas, ergòne ſolum altare picturâ caruit? Fuit itaque in altari figura B. Virginis; ſive Nativitatis Chriſti fuerit, ſive circumciſionis, miracula quoque ibidem facta aſſero, quando verò quiſpiam id negare auſus fuerit, lapides loquentur, undique à ſerpente miraculosè fiſſi, ne illos Turca abriperet; ut videre eſt loco citato.

CDLXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE INSULA.

In Inſula Danubij in Vngaria.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Opera IESU integra munda Immaculata.*

1. Monaſterium.
2. Regina Monialis.
3. Inſula.

DAnubius in Ungariâ latiſſimus Iuſulam habet, magnorum ædificiorum capacem, in hâc Monaſterium ſanctimonialium S. Dominici olim fuit, nomen aliud hoc Cænobium non habet, quàm ut Monaſterium *B. Virginis Mariæ* vocetur. Miraculum, quod originem huic loco dedit, magnum eſt. Filia Regis *Belæ Margarita*; Regina. quæ Regum Boëmiæ, Siciliæ, Poloniæ votis petita, votum Virginitatis Chriſto & B. Virgini fecit, votúmque ſanctiſſimâ vitâ confirmavit, jámque aulas exoſa, & ſolitudines ambiens, non difficulter pium Patrem movit, ut Cænobium in Inſulâ Danubianâ ſtrueret, in quâ ipſa cum Monialibus, ſancti Dominici vitam viveret Religioſam. Memorant plurima ibidem à peregrinis obtenta beneficia; ita ut inter miraculoſas numerari hæc S. Imago meruerit jam ab anno 1270. quo anno, die 28. Ianuarij *Margarita* beato fine vitam ſuam clauſit. R. P. Bolandus tom. 2. Ianuarij 28.

CDLXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CANDELA.

Ochi in Palæſtina.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Malum ac nævum ignoret iſta Deipara.*

1. Peregrinatio.
2. Candela ardens.
3. Eremita.

IN ſpeluncâ morabatur ſenex in partibus villæ, quæ dicebatur *Socbus*, viginti millaribus ab Hieroſolymis. Habebat ſenex in ſpeluncâ ſuâ Imaginem Immaculatæ Dominæ noſtræ (liceat mihi uti, verbis approbatiſſimi Sophronij) Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, in ulnis ferentem Chriſtum.

ſtum. Dominum noſtrum,& Salvatorem noſtrum ſuſcepturus piam peregrinationem ſenex vel Ieroſolymam, vel in montem ſinai, vel in vaſtam ſolitudinem, vel ad ſanctorum Martyrum memorias, candelam accendebat,& ſtans coram Deiparæ Imagine dicebat: S. Domina noſtra Dei Genitrix, quia longum iter iturus ſum, diebus multis perficiendum, Candelæ tuæ tu curam habe,eámque, ne extinguatur, juxta propoſitum meum ſerva: ego enim adjutorio tuo comitante iter arripio. Hiſque ad Imaginem dictis egrediebatur, reverſus poſt plures quandoque menſes, candelam tamenſemper non modò accenſam ſed & integram invenit. Et quanquam hoc ſolum miraculum memoret *Sophronius in prato ſpirituali c.180*, nullus tamen dubito, quin plura contigerint, & demum in templum publicum ſpelunca excreverit, præſertim cùm non niſi quatuor leucis locus Ieroſolymâ diſtaret, peregrinis & civibus facilè adeundus.

C D L X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. MARTHA.
Maſſiliæ in Gallia.

Anagr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Progr. Innoteſcit alma gemma, vera Diva pura.

1. Templa B.V.
2. Templa S Petri.
3. S. Martha.

MAſſilia Galliæ civitas à portu ſuo famoſa, majorem longè famam gloriámque à portu ſalutis Deiparâ Mariâ habet, ſi ipſa felicitatem ſuam conſideret. Narrat *Vincentius Beluacenſis l. 8. ſpeculi cap.29.* ex annalibus Francorum rem orbi notiſſimam, Martha Lazari & Magdalenæ ſoror miris caſibus Maſſiliam delata eſt, ibíque Deiparæ adhuc vivę templum ædificavit, in quo etſi ſcriptum non reperiamus, fuiſſe Imaginem Deiparæ poſitam, ſupponimus tamen: quia illi ſoli negant, qui ignorant propiores magneti annulos majore virtute præditos eſſe quàm remotiores. Adeóque cùm his ſæcu- (Lazarus.)lis Imagines virtute miraculorum præſtent, illas primas ſimili miraculoſâ virtute præditas fuiſſe, dubium non eſt. Cæterùm ut ſemel ijs reſpondeam, quibus durum eſt, credere B. Virgini adhuc viventi templa erecta eſſe; ſciant D. Petro vivo plura erecta eſſe, nam *S. Savignianus* diſcipulus Chriſti ab eo miſſus in Galliam, Senonenſem urbem, tunc metropolim, ubi convertit confeſtim D. Petro Magiſtro ſuo templum erexit, ut habet *Lyranus in Pſal.18.* S. Maternus ab eodem Apoſtolo Petro in Germaniam miſſus, propè Argentoratum non longè Molshemio ædificavit eidem Apoſtolo Petro adhuc viventi templum; quod hodiéque vocatur *Dumpeter*, ſeu *domus Petri*, ut ait *D. Petrus Caniſius* (Templum.)

niſius ex Annal. Colonienſibus, & Trevirenſibus. Clemens Romanus lib. 10. recognitionum c. ult. ait, Theophilum Antiochenum Nobilem à S. Petro converſum ad fidem, eidem S. Petro ſuam domum convertiſſe in Eccleſiam & in ea Cathedram S. Petri poſuiſſe. Cathedra. Idem, feciſſe S. Marcum Alexandriæ vivo Petro, eique Eccleſiã dedicâſſe aſſerit, & probat *Volater. lib. 11. Geograph. fol. 110.* S. Ioanni Apoſtolo etiamnum vivo templum erectum Epheſi teſtatur *Abdias Babylonicus*, de templo Cæſarauguſtano à S. Iacobo Deiparæ erecto, & quidem Deiparâ vivente, apparente, & in jubente, dixi in Imagine Cæſarauguſtanâ; quid itaque mirum, ſi & Martha Deiparæ amiciſſima hoc idem feciſſe credatur aſſerenti antiquitati, qui & Imaginem ejus, quam facilè à notiſſimo ſibi Luca habere poterat, poſuiſſe? Narrant inſuper, hanc Eccleſiam fuiſſe dedicatam 17. Sept. præſentibus tum Epiſcopis Maximo Aquenſi & Trophimo Arelatenſi, & Eutropio Auriacenſi: qui & primi Galliarum vineam excoluêre. Dedicatio. Durat hodiéque Maſſilienſium antiqua in Virginem pietas, quam in ejus S. Staturâ colunt, Vincent. Belvacenſis in ſpec. hiſt. t. 8. c. 92. ex Annal. Franc.

CDLXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
TUCCOVIENSIS
Tuccovij in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Neſciat, ignoret Eva pura malum Adami.*

1. Converſio Poloniæ.

2. Captivi.

3. Impune non movetur Imago.

Aquonam hæc Imago ſacratiſſimà picta, aut Turcoviam allatà ſit, ipſi Poloni ignorant: quanquam Originis annum nominent milleſimum quadringenteſimum nonageſimum quintum, centum circiter annis, poſtquam ab Idolis ad veram fidem ſe convertit Poloniæ regnum; Polonia. ſemper Imaginem hanc in honore fuiſſe, & quidem non vulgari, ex eo conſtat, quòd in ſupplicationibus deferri conſueverit. Animadverſum tamen eſt, incolas ſenſiſſe manum irati Numinis, quoties loco ſuo mota eſt, ſecuti ſunt plerúmque morbi contagioſi, quandoque & incendia. Probatum hoc eſt ſacris magiſtratibus, per idoneos teſtes, & Imago poſthac loco ſuo mota amplius non eſt. Captivi apud Turcas huc vota fecêre, & patuiſſe ſibi portas carcerum, ruptáque vincula; teſtati ſunt appenſis ad tholum compedibus; Anathemata. poſtquam ſuæ Soſpitatrici hoc in templo gratias egerunt. Plura his habet *Martinus Mitonius Ord. S. Benedicti* in deſcrip: impreſſa hujus S. Imaginis, uti ad me perſcripſit R. P. Urbanus Ubaldini Soc. IESU.

CDLXXVII.

CDLXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE DONIS.
Avenione in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo amanda eia penitus arcet malum.*

1. S. Martha ſoror Magdalenæ.
2. Monaſterium Monialium.
3. Cella S. Marthæ.

NOn repeto, Lazarum cum duabus ſororibus, ex Maximino Chriſti diſcipulo navi impoſitum, ſine remis veliſque ad portum Maſſilienſem, quæque ſcripſi de templo Maſſilienſi, etiam Martham Avenionem uſq; profectam, ibíque & templum ædificâſſe Deiparæ, & Imaginem ejus poſuiſſe, aſſerit antiqua traditio; ſcriptíque annales: quin addunt; S. Martham vixiſſe vitam Monaſticam; & fuiſſe matrem multarum Virginum. Certè *Thomas de Trugillo* *tom. 2. theſaur. Concion.* in vita S. Iacobi affirmat, eam Eccléſiam hodie eſſe Archiepiſcopalem, & vocari Dominam noſtram *de Donis*: atque in Eccleſiæ Clauſtro hodiéque videri Cellam S. Marthæ, ex quâ antiquiſſimâ & fideliſſimâ traditione ſatis refutantur illi qui, heri nati, temerè audent negare S. Martham S. Magdalenam S. Lazarum unquam in Galliam veniſſe; cùm tamen neminem ſcriptorem oſtendere queant, qui unquam hoc negarit, major eſt traditionis Auctoritas, quam ut his reſpondere debeat.

S. Martha.

CDLXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
SOKALIENSIS.
Sokalij in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Seponatur ritè à macula gemma divina.*

2. Lithuania converſio.
2. Pictor bonus.
3. Peregrinatio.

SOkalium oppidum eſt Palatinatûs Volmenſis, duodecim Leopoli milliaribus diſtans. Hic in RR. PP. Franciſcanorum templo Deiparæ miraculoſa Imago raræ originis. *Ulagislaus Iagello* magnus, Dux Lithuaniæ in Regem Poloniæ electus, ſacríſque Baptiſmi aquis ablutus, Lithuaniæ quoque ſuæ, fidem Chriſtianam intulit, pictorem tunc Lithuania habuit tantæ artis, qualem pauci illis ſæculis, illíſque in terris quæſiviſſent. *Serpentulus* linguâ maternâ vocabatur, receptóque Baptiſmo *Iacobus* appellatus eſt, is præterquam quòd nihil non peritiſſimè calamo deſignaret, tantæ inſuper memoriæ fuit, ut ſeu hominem, ſeu

Lithuania. Pictor.

ſeu effigiem quamlibet, ſi vel ſemel eam intuitus fuiſſet, etiam poſt multos dies ſummâ fide ederet Ectypon prototypo ſuo ſimillimum, is in aulam accitus, artique plùs quàm par eſt intentus, lippitudinem oculorum contraxit. Itaque remedio uſurus, quod nova fides ſuadebat, ad Deiparam *Czeſtokovienſem*, quæ tunc ſummis miraculis clarebat, votivam peregrinationẽ ſibi indicit:& voti reus, recepto oculorum uſu, ſiſtit ſe Virgini, votum in grati animi ſignum concipit, depingendæ, quàm poſſet arte accuratiſſimâ, Imaginis. Itaque eam diu multúmque intuitus, domum revertitur: ubi ſe à ſuorum gratulationibus expedivit, tabulam arripuit, in quam Imaginis conceptam ſpeciem doctâ, manu conijceret. Tentatum ſanè id ab eo eſt ſtrenuè, ſed dum errores non niſi novis erroribus emendaret, denique omnium penè, quæ in Imagine obſervârat, oblitus eſt. Itaque alteram peregrinationem inſtituit, & multo ſtudio penè omnes S. Imaginis lineas memoriæ commendavit, iterúmque in Lithuaniam revertit; ſed non feliciore ſucceſſu, quàm nuper penicillum coloréſque tractavit. Tenerâ Neophyti conſcientia, culpam agnovit, ubi culpa non erat: credidítque occulti cujuſpiam ſceleris pœnam eſſe inſolitum memoriæ cætera fidiſſimæ lapſum. Itaque ſuorum adhortatione clauſis quã diligentiſſimè artis ſuæ inſtrumentis, tertium è Lithuaniâ in Poloniam abit: Czeſtocoviæ factâ ritè confeſſione ſacro epulo ſe refecit, virginémque inter lacrymas precatur ne artem ſuam ſperneret, aut

Peregrinus.

ſuorum Sokalienſium pronam pietatem. Tum ne iterum concepti prototypi ſpeciem infida memoria perderet, quàm celerrimè potuit domum properavit, & importunos ſalutatores abominatus, rectâ officinam petit, in quâ omne pictorium Inſtrumentum, ut dixi, cum tabulâ incluſerat. At verò ubi reſeratâ portâ pedem officinæ intulit, inſolita primum lux hominem in admirationem rapuit: hanc auxit Imago Virginis eodem ipſo in aſſere picta, quẽ reliquerat: candela quoque lucidiſſimæ flammæ ante Imaginẽ ardens, hæc omnia ita illuſtravit, ut hominem proſterneret in terrã. Tacentem, tótque rerum novâ raritate, territum vox inſolita refecit, teſtata placuiſſe Virgini deſiderium depingendæ Imaginis Czeſtokovienſis. Hanc verò ab Angelo pictam ſciret, vitæ reliquum viveret, & finiret: fore miraculis celebre opus, quod Angelus fecerat, nemini fuit facilius hæc credere, quàm Iacobo non ignaro, & à penicillo ſuo, ſuáve arte non profectam, multò minùs ab alio pictore: qui ſciret ſe inter omnes non optimum, ſed unum unicúmque eſſe, qui artem calleret; huic tamen nec parem, nec ſupparem. Itaque cæleſtibus imperijs morem geſſit; tabulam Sokalium detulit, vitámque Chriſtiano dignam beatâ morte clauſit, nemo quoque fuit, qui Imaginem crederet ab alio pictore elaboratam; cùm parem ſibi Iacobus non haberet in totâ, quanta eſt, Lithuaniâ, ſi quempiam ſuſpicio uſſit, finxiſſe hæc omnia Iacobum, ſuſpicioni obſtitit turba aſſeren-

Miraculum.

Suſpicio.

tium, manum tabulæ non admoviſſe Iacobum. Denique & mores Iacobi à fictione alieni, & ſecuta miracula os clauſerunt obſtinatis, & rem indubitatam reliquere. Pontifices duo *Clemens VIII.* & *Paulus V.* locum Privilegijs auxêre. Hanc narrationem ex libro Ruthenicâ linguâ ſcripto ad me miſit R.P. Urbanus Ubaldini S. I.

C D L X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
SENONENSIS.
Senonis in Gallia.

Anagr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Progr. Turpem odit maculam agna ſeria nivea.

1. Metropolis Galliæ.
2. Diſcipulus Chriſti.
3. Civitas aurea.

S. Savignianus unus è Chriſti Diſcipulis, à D. Petro Chriſti Vicario miſſus in Galliam, civitatem Senonenſem convertiſſe ſcribitur ad fidem, quæ tunc erat Galliæ Metropolis, & *civitas aurea* vocabatur. In hâc urbe Deiparæ adhuc vivæ, templum ædificavit: nec dubium, quin ejus Imaginem ibi poſuerit, & ſi opinionibus locus
S. Lucas. eſt, crediderim à D. Lucæ penicillo prodijſſe, quæcunque illa fuit. Cur enim Lucas Deiparæ accuratiſſimus ſcriptor & pictor amantiſſimo Condiſcipulo ſuo Savigniano, in hâc vitâ nunquã amplius fortè videndo, non daret tabulã Gallicis oris inferendã, è qua videri poſſet, quæ poſt Chriſtũ Servatorẽ ſummè coli debeat? nec dubiũ, facta ad hanc viventis Mariæ Imaginem miracula: cùm ad Carnotenſẽ Statuam ſæculo plùs uno, antequã Maria naſceretur, factam, factum ſit miraculum omni exceptione majus, ut dixi in Statuâ Carnotenſi. Plura videri poſſunt de hâc magine apud Lyranum in Pſalm. 18.

C D L X X X.

Imago B. V. Miraculoſa.
RAVENSIS SOC. IESU.
Ravæ in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En Dei Roſa, pura mali, anguem mactavit.*

1. Scala infelices.
2. Corona.
3. Temeritas.

Rem miram affero, quæ, dum Sueci Poloniam invaderent, contigit, in Collegio S. I. Ravenſi. Breviter rem evoluo, fusè ad me perſcriptam; ne noſtra jactare videar. Eſt in Collegij Ravenſis templo Deiparæ effigies in altari, Immaculatæ ejus Conceptioni ſacra. Ut Imaginem direptor Suecus non curaret; corona tamen capiti Statuæ inſidens, quia ex auro erat, famem non ſacram latro- Sueci-cus.

latroni excitavit, & ſalivam movit. Ergo per allatas à ſocijs ſcalas aſcendit, non per eoſdem rediturus: ſiquidem manu nondum ad coronam uſque extentâ, præceps in terram delabitur, fractáque cervice nihil ultrà fatus moritur, non terruit hic caſus ſocium, qui caſum hunc caſui adſcribens, ita eſt, inquit, ſcalas conſcendere non debent, quibus vertigo caput gyrat, mihi nempe ſcalaris hæc corona debetur, ſimúlque non jam his ſcalis fiſus templi laqueare lignеum aliâ viâ accedit, totóque ventre incubans aſſeri extenſo, per apertum laqueare, brachio, inhiat coronæ, ſed hiante ſubitò laqueari, & ipſe in terram delapſus, vivere deſijt, nemo è circumſtante latronum turba tertius eſſe voluit. Ita Imago ſacra, ſe ſuáque tuetur. Nemo, ut dixi, tertius eſſe voluit, nemo ampliùs coronam Virginis ambiuit. Hæc omnibus nota, & litteris ritè conſignata, ad me perſcripſit R. P. Bohuslaus Aloyſius Balbinus Soc. IESU. Caſus.

CDLXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PISIS.
Turone in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. ***Communi à lapſu Adam Eva ritè integra.***

1. Piſa in ſcalis.
2. Dæmon puer.
3. B. V. medica.

EXtruxit S. Martinus, Turonenſis Epiſcopus notiſſimus Chriſtiano orbi, Monaſterium prope Turones Deiparæ Virgini Mariæ, quòd hodiéque *Monaſterium Majus* appellatur. Placuiſſe opus & operis auctorem, ipſa teſtatum fecit, ut quæ viro ſancto ſæpius ſe viſendam præbuit, & ut *Sulpitij ſeveri* verbo utar, familiariter cum eo locuta eſt. (Apparitio.) Fuit cùm nocte quadam ſurgeret ex more, ut cum fratribus matutinas laudes, decantaret, & ad templum properaret, vide lector dæmonis impotentiam, & riduculum robur, quin & ingenium puerile. Facturus itaque Sancto malè, ut quam poſſet maximè: piſa ſcalis iniecit, nempe ut vir ſanctus unà cum capite gulam frangeret, qui toties idem feciſſet ſimulacris dæmonum. Et ſanè ſucceſſit fraus puerilis: ſiquidem fraudis inſcius Martinus, fallente primo ſtatim veſtigio volvebatur per ſcalas inter clamores ſuorum. Credebantur diſcerpta cum fibris oſſa, & eliſa è corpore anima, ſed ut ad, finem ultimum ſcalarum ventum eſt, oſſibus integris ſenex ſurrexit, nempe Deipara ipſo in caſu viſibilis virum protexit: néve putarent invidi, periculo caſum caruiſſe, vulnera & tumores paſſim per omne corpus, quotquot alij viderunt, ipſe tamen præſentiore ſenſu cum doloribus ſenſit, nulli uſtamē hominis adhibuit manum medicam; ut quem Deipara ipſa è terra levatum erectúmque, ſuiſque ſanctiſſimis (Scalæ.)

manibus ſanatum, ad propriam cellam reduxit.

Iam quis piſa poſuerit, quis ſceleris auctor in Prælatum Epiſcopum & Sanctum, non perfunctoriè quæſitum eſt, & proximus quiſque Monachorum in ſuſpicionem vocatus; alea ul ima utique in innocentiſſimum caſura, ſed ne tantum piaculum cum infamia impingeretur ſanctiſſimæ diſciplinæ Monaſterio, ipſa Virgo ſolicitè cavit, indicavitque Martino, neminem è fratribus ſceleris conſcium, multò minùs reum, dæmonem ſolum pueriliis fraudis auctorem fuiſſe. Hiſtoria in templo depicta eſt, & Virgo ea, quâ apparuit formâ Martino, populis occaſionem dedit, ad petenda & obtinenda auxilia contra dæmonum fraudes. Hanc antiquiſſimam picturam ſe vidiſſe aſſerit Gononus in Chron. anno 400, hiſtoriam ſcripſit fusè Sulpitius Severus in vita S. Martini.

Infamia.

CDLXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
ANASTASIA.
Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vale Diva mirè magna tota purè micans.*

1. Templum in Palatio.
2. Templum magnum.
3. Imperator pius.

HUjus templi mole maximi & ſumptuoſiſſimi origo fuit exigua, Gregorius Nazianzenus Patriarcha, cui templorum ſatis non erat in urbe, in ipſo ſuo Palatio Deiparæ templum erexit, parvum quidem, ſed in quo ipſe perdius & pernox, quantum per negotia liceret, Deiparam ſolus & ſine teſte venerari poſſet, neque ita tamen parvum fuit, quin etiam orthodoxi fideles accedere poſſent paſtorem ſuum, cùm cætera templa penè omnia tenerentur ab hæreticis, facta hic ad Deiparæ Imaginem miraculo ſocum fecêre glorioſum, multos Virgo præſentiâ ſuâ recreabat, multorum morbis medebatur, multorum indigentiæ ſuccurrebat. *Anaſtaſia* nomen templo datum, quòd, Gregorio prædicante, in eo revixerint decreta Concilij Nicæni, & vera fides reſpirârit. Hæc *Sozomenus*, addit *Metaphraſtes*, hanc Baſilicam, quæ brevis & anguſta fuerat, Gregoriũ prædixiſſe, futuram longè majorem, quàm nunc eſſet. Hic labor *Martiani* Imperatoris fuit, qui auditâ viri ſancti prædictione, rotundam magnæ molis Baſilicam, atrijs & porticibus cinctam, ita exædificavit; ut antiqui templi forma figuráque intacta remaneret. Porrò fabricę hujus pretium tantum fuit; ut omnia alia urbis templa ſuperaret, ſecuta eſt Dedicatio modis, quibus potuit, ſolenniſſima, & placuiſſe honores hos Deiparæ, ipſa ſequentibus ſignis miraculorum grandium copiâ & multitudine, ut Metaphraſtes loquitur, toti Orienti monſtravit.

Patriarcha.

Anaſtaſia.

CDLXXXIII.

CDLXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
A PRINCIPIO.
Neapoli in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mater Agna janua Dei te puram colimus.*

1. Miſſa S. Silveſtri.
2. Conſtantinus Magnus.
3. Feſtum.

SAcellum Neapoli Deipara habet ab ipſis Conſtantini Magni temporibus, Sacelli auctor & Architectus fuit *S. Silveſter* Papa, ſumptus dedit Conſtantinus Imperator. Opus eſt tumultuarium, ne Imperatori ſacroſanctum miſſæ ſacrificium differretur. In hoc Sacello S. Silveſtrum dixiſſe miſſam præſente Conſtantino ferunt, ſi non quotidie, certè frequenter, viſitur hodiéque in eo Sacello Imago Deiparæ, operè muſivo, ad quam ab omni antiquitate ingens populi concurſus eſt in hodiernum uſque diem. Tanti porrò facit hoc Sacellum urbs Neapolitana; ut in Patrocinio, & à litibus forenſibus, & ab omni opere ſervili, ritu feſtorum abſtineatur. Porrò titulum *à Principio* ideo auguror à S. Silveſtro datum, quòd hoc fortè primum ſtabilitæ & ſecuræ Chriſtianitatis Sacellum fuerit in urbe Neapolitana. Petrus Stephanus de locis ſacris Neapoli.

S. Silveſter.

CDLXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. NICOLAI.
Miræ in Oriente.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Aſpidem necavit una Mater, alma Virgo.*

1. Colaphus.
2. Depoſitio Epiſcopi.
3. Gratia B. Virginis.

NOta nimis eſt S. Nicolai Mirenſis Epiſcopi libertas, ob quã mitram Epiſcopalem & pallium amiſit, ſedebant Patres in concilio, examinabatur Arrius hæreſiarcha: qui cùm inter alia diceret, IESUM Chriſtum non eſſe conſubſtantialem Patri, Nicolaus tantæ blaſphemiæ impatiens, de ſede ſua ſurrexit, hóminem nihil tale timentem acceſſit, & omnibus inſpectantibus, Arrio blaſphemo, quanto pondere potuit, colaphum impegit, quo, inquam, fortiorem non potuiſſet. Hinc ſubiti Patrum clamores, fuêre quoque, qui ex aggeratum Græcâ eloquentiâ factum in ipſius Concilij & ſancti conſeſsûs contemptum & contumeliam detorquerent. Certè Nicolaus punitus eſt, deponere à Patribus mitram & pallium Epiſcopale juſſus, non abnuit Nicolaus,

Arrius.

ſed Patribus paruit: conqueſtus tamen identidem Virgini eſt, pænam gravem ob ſcelus nullum ſibi inflictam, ſemel cùm ſolenniter miſſæ ſacrificium coram Deiparæ Imagine celebraret, ardentiùs Virginem precatus eſt, pallíumque & mitram, & cum his Epiſcopales honores repetijt. Illa præſentem ſe ex Imagine ſtitit, mitrámque & pallium ab Angelis allata, impoſuit Nicolao, quo miraculo Patres attoniti cauſam Nicolai cum veneratione extulerunt, Arrij depreſſerunt, & ejus damnationem citiùs abſoluerunt. Mirenſem potuiſſem vocare Imaginem: quia Mirenſi Epiſcopo miraculosè bene fecit. Cæterùm qualicúmque eam nomine antiqui vocârint, primum hoc, non tamen ultimum miraculum fuiſſe, credendum eſt: quando publico expoſita, populo quoque in veneratione fuit. Petrus de Natalibus.

S. Nicolaus.

C D L X X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
B O C H N E N S I S.
Bochnæ in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo mea pura nitet ſine macula Adam.*

1. Lacryma cruenta.
2. Curio incurius.
3. Incendium innoxium.

BOchna oppidum eſt quinque leucis Cracoviâ diſtans in hoc RR. PP. Dominicani habent Imaginem Deiparæ, miraculis celeberrimam. Initium fuit à falſis, imò cruentis lacrymis, uti ſcribit *R. P. Thomas Rokizzevvſcki Ord. Prædicatorum* in ſua hiſtoria, quam *ſcutum aureum* & *lacrymam cruentam* vocat. Priuſquam templo inferretur, *Chriſtophori Bakovvſcki* civis perhoneſti fuit in oppido *Vielicenſi*, qui eam templo Parochiali intulit, aſſerens multa ſe cælitus per eam domi ſuæ obtinuiſſe beneficia. Nolle ſe publicum tanto theſauro privare, Parochus tabulam non altari, ut civis optabat, impoſuit, ſed clavo non ampliùs uno neglectim proximo muro affixit; quin & paulò pòſt civis, Parocho non invito, tabulam denuo recepit, ſolus marianis favoribus domi fruiturus, quando hos publici nomine ſpreverat incurius Curio.

Scutum.

Incuria.

Fuit, cùm oppidum concepto igne flagraret totum. Civis coram Imagine ſua provolutus, ſuam domum Virgini commendavit. Advolant amici eripiendæ flammis ſuppellectili intenti, ſpondéntque operam, renuit ille, & ſólicitos ad ſua remiſit, flammâ vicina quæque abſumpſit domûs hujus ne tegulam quidem, aut ramentum auſa corripere. Gratus Virgini civis, iterum Imagini majores honores decrevit, eámque RR. PP. Dominicanis donò dedit: qui Curione ruſtico prudentiores altari impoſuêre, eique *à Roſario* nomen dedêre. Placuiſſe Virgini ſedem, miraculis

Incendium.

culis

culis teſtatum eſt, ringente Curione ob ceſſans lucrum, bis lacrymas fudit: primùm anno 1637. die 28. Iulij, quando præter lacrymas etiam ſanguinem ſudavit, adſunt teſtes idonei, qui ſe rem vidiſſe, juramento teſtati ſunt. Alterâ vice anno 1638. 15. Maij lacrymis hominum more ſalſis non contenta, ſanguineas dedit, admoti tantæ novitati judices, dum examini teſtium vacant, dum audiunt: ecce iterum in lacrymas ſanguineas ſolvitur Imago, omnia idoneis iterum teſtibus probata, à judicibus ſacris approbata, dubiam veritatem nemini relinquunt.

Hæc ad me R. P. Urbanus Ubaldini Societatis IESU.

CDLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MARI.

Veſontione in Burgundia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Eva magna: Eva orta, ſimpliciter munda.*

1. Excenſio matura.
2. Naufragium miſerorum.
3. Imago B. V. in mari.

HÆc nobilis pictura eſt B. Virginis IESULUM geſtantis, inter alia à nobili quodam Burgundo, Canonico Bizuntino, *Claudio Meneſrier* ex Italiâ in Galliam deportata, naves ſimul duæ à portu ſoluebant. Placuit tamen Claudio poſt maris aliquam jactationem, cùm Marſilia in oculis eſſet, excenſionem facere, & reliquum Maſſilia. viæ Marſiliam uſque pedibus conficere. Factum ſanè prudenti conſilio: nam interea navis, vento undiſque impar in partes dirupta eſt, in auxilium naufragorum ſubmiſſi, præter hominum, ut mos eſt, etiam rerum piſcationem fecerunt. Triduo integro hæc pictura jacuit in aquâ marinâ, nullo vitio, cùm tamen cætera omnia fœdè deſtructa eſſent, ut ultra duo aureorum millia ipſe perdiderit. Poſtea Marſiliâ redux RR. PP. Dominicanis Imaginem dono dedit: qui eam ſummâ ſolennitate exceptam in arâ S. Roſarij collocârunt. Hæc anno 1632. contigêre. Interea crevit adeò populi pietas, & Deiparæ in ſuos liberalitas: ut parietes quantumvis, tabulis votivis veſtiti, ſatis tamen loqui non poſſint. Anathemata. Duodecimò Ianuarij feſtum proprium Imaginis ſacræ celebratur ſingulari concurſu. Adſcribo carmen à Poëta pio adſcriptum.

Hæc pelagi cùm Virgo foret jactata procellis,
Se ſervavit aquis, nos tuitura ſolo.

Hæc ad me de Imagine perſcripſit R. P. Petrus Arimont Societatis IESU.

CDLXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. MARIA MAIOR,
Cracoviæ in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Manſio divina, ea claret ut pura gemma.*

1. Solitudo Novitiorum.
2. S. Franciſcus Borgias.
3. Credo Credo Credo.

POſtquam S. Franciſcus Borgias Generalis noſter tertius à ſummo Pontifice impetravit licentiam depingendi Imaginem S. Mariæ Majoris, fuêre quàm plurimi, qui hanc quoque ſecundam depingerent, certè negari à nemine poteſt, omnes Imagines S. Mariæ Majoris, quotquot per omnem mundũ circumferuntur ab hâc ſecundâ Imagine provenire. Harum una delata Cracoviam eſt, & in Novitiorum communi aulâ affixa, anno circiter 1597. Hinc grandia, ſed intra privatos parietes, beneficia: quæ tamen ita celari non potuêre, quin ſæculares quoque quamplurimi & reſcirent, & locum frequenter viſitarent. Hinc S. Imagini datum altare eſt, cum ornamentis reliquis, nullo tamen, quod ſciam, miſſæ ſacrificio culta eſt. Accurſus tamen in dies auctus non parùm turbavit ſolitudinem, Novitijs amicam & debitam: cûmque & ipſa S. Imago jam digna templo eſſet, anno 1616. non ſine aliqua ſolennitate illata eſt altari, in templo noſtro ad hoc præparato. Mentionem aliquam præteritorum fecit Eccleſiaſtes noſter: & ecce concurſus populi, præſertim devoti fæminei ſexûs, cui nunquàm antè viſa S. Imago. Una fuit, quæ primam gratiam retulit. Tredecim omnino annis lecto affixa, pedem movere non potuit, ſuaſu Confeſſarij deportata ad altare, ibíque S. Epulo refecta ſurrexit, & ſola ſine grallatum hominúmque auxilio læta domum redivit. Domeſticum eſt, quod ſequitur. Pater quidam oratorio ſuo innixus, ter dubitare cæpit, an hæc Imago eſſet miraculoſa, ter pulſari oratorium ſuum diſtinctè & fortitèr audivit, præ terrore ter exclamavit *Credo, Credo, Credo*: creditque poſthac ſemper; utique poſtquam, neminem unum in totâ cubiculi ſui viciniâ fuiſſe, qui locum quocunque modo concutere poſſet, ad eam maximè dubitationem, quam nullo clamore, nulla voce, nullo geſtu palàm feciſſet, ita ut vel dæmoni innoteſceret. Epiſcopus Cracovienſis anno 1633. votum pro peſte avertendâ fecit, & reum ſe voti ſtitit huic S. Imagini eo modo, quo S. Gregorius olim Romæ fecit; numeroſiſſimâ ſupplicatione inſtitutâ. Hæc ex R. P. Andrea Gutterer S. I. qui omnibus in Provinciâ munijs functus eſt, oculato teſte & pietatis auctore. Ad me perſcripſit R. P. Urbanus Ubaldini Societatis IESU.

Cracovia. Novitiatus. Miraculum.

CDLXXXVIII.

CDLXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LACUNA. *Carinennæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Agna caſta renuet edulium amari pomi.*

1. *Ruſticus invenit fidem.*
2. *Ruſtici in pietatem promti.*
3. *Templum.*

Carinenna villa eſt, quam Hiſpani *Fideliſſimam* vocant, ideo nominatiſſima quia ſtagnum habet vicinum quod ipſi *Lacunam* vocant. Hic Deipara Peniſtæ inſidens Paſtori ſe ſpectandam præbuit, quin etiam non parum paventem benignè allocuta, templum ab eo popoſcit. Templa Virgini mille optavit, dediſſetque lubens ſi habuiſſet unde templa fieri ſolent pecunias, & quanquàm divitijs careret dedit tamen Virgini templum, ſiquidem ubi Virgo diſparuit ſtatim ad ſuos abijt ijsque tantâ eloquentiâ quæ videtat audierátque expoſuit ut pij Agricolæ & Paſtori quamprimum fidem darent & Virgini templum decernerent in loco, neve Virgini diutius expectandum eſſet, templum ſuis ſumptibus ſuiſquè manibus extruxerunt, quod in hodiernum uſq; diem *de Lacuna* nomen habet. Promtitudo ruſticorum, non potuit non vehementer placere Deiparæ, quando tam brevi tempore nullis fatigata probationibus templum vidit in quo grates referre poſſet tam charis incolis. Certè & incolis & latè circum accolis magno præſidio eſt quià miraculorum copia celebre eſt. Tanti eſt ſimplicibus quos Virgo mittit habere fidem cur autem Virgo plerumque ſimplices mittat ad ſua negotia tractandà ut ex indicibus ſuo loco in fine operis patebit, in quirere non inſtituo, quia ad me pertinere non exiſtimo.

CDLXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. IN ARENIS. *Cracoviæ in Polonia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Repleta vi amoris una age munda micat.*

1. *Sepulchrum ſub dio.*
2. *Incendium innoxium.*
3. *Cantus Angelorum.*

Picta hæc Deiparæ Imago eſt extra Cænobium, quod in Arenis RR. PP. Carmelitæ habent, quà Cracoviam reſpicit: pinxítque eam ante ſeſqui ſæculum pius ejuſdem inſtituti Religioſus, ſæpe eam, dum viveret flexo genu ſalutavit, moriturus petijt & obtinuit, ſub dio ad hanc ſuam Imaginem ſepeliri. Pro-

ſtabat deinde publico S. Imago, ſed neglecta, nemine uno invento, qui ſingulari pietate coleret; dum anno 1512. ſeptena è cælo lumina nocturno tempore illuſtrarent, monitus ab excubitoribus Magiſtratus, legum diligentiâ perſcrutati veritatem, fidem populo fecêre, honores huic S. Imagini è cælo decerni: velle quoque ipſam Virginem hîc coli teſtabantur, qui inter primos huc deportati ſunt, ægri, appenſiſque miſeriæ ſuæ notis, redîere ſalvi, gratiarum novarum præcones. Nec intra vulgus pietas ſtetit; adſuêre frequentes Proceres, & ipſa Regina vidua olim *Sigiſmundi Magni* conjux, quæ donis regiis plebeiorum liberalitatē cumulavit, jam muro novo Imago cincta erat, formámque ſi non Sacelli, certè ſacrarij habebat: cùm anno 1587. militari ſive injuriâ, ſive incuriâ, Cænobium cum templo in cineres abijt, nullâ templi Cænobijque parte ſuperſtite, ſi ſacrarium hoc Deiparæ excipias: quod cum omnium admiratione à flammis intactum manſit. Fuit, cùm ſacrilegus quiſpiam theſauros auferret, quiS. Iconem ornabant, cadens è manu malleus, vultum Virginis abſtracto colore reddidit nonnihil invenuſtam, refici à pictoribus renuit Imago, teſtem maculam illatæ injuriæ in hodiernum uſque diem non erubeſcens. unus pictorum cæteris pervicacior, quia ſæpius admoto penicillo Iconi moleſtus fuit, brachij ſtupore pœnas dedit. Peculſus miraculo, picturas vovit per omne templum ſine mercede ſe facturū, & brachij ſanitatē pro mercede habuit, nec auſus eſt credere, hæc caſu facta eſſe. Auditus nonnunquam fertur cæleſtium Geniorum cantus, ſæpiúſq; viſi micare ſeptē illi cæleſtes ignes magni ponderis. Anathemata, ex auro argentóque appenſa, arguunt frequentia Deiparæ beneficia, unum præ cæteris rarum eſt. Anno 1634. SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ feſto die facies matris filiique in pallorem primùm abiêre: deinde in fuſcum colorem ſenſim mutatæ, dum ex fuſco nigerrima utriúſque facies appareret, hæc ante meridiem eo tempore, dum divinum ſacrificium offerretur, contigêre, vidit hoc tota penè Cracovia, ſub meridiem abijt ſenſim nigredo, & demum nativus faciebus color redijt. R. P. Urb. Ubal. S. I.

Magiſtratus. Incuria. Pictor.

CDXC.

Imago B. V. Miraculoſa.
HILDESHEIMENSIS.
Hildeshemij in Germania S.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Iam eam mirè ornat dum ſine culpa regnat.*

1. *Venatio pia.*
2. *Imago immobilis.*
3. *Monaſterium.*

Ludovicus Pius Imp. poſt 27. annos Imperij piè obijt inſignis pietate in Deiparā, cui, ut ait *Cranzius l. 2. c. 26.* ita addictus fuit, ut ne venatum quidem próficiſceretur, niſi S. Imaginem Deiparæ ſecum deferret, ut coram

illâ in media ſolitudine ſuas funderet preces, quæ devotio, ut ait *Cranzius*, dedit occaſionem fundationis Auguſtiſſimi templi & Monaſterij Hildeshemienſis in honorem Deiparæ erecti. Quippe devotus ac verè religioſus Imperator cùm ſolito more mediâ in ſilvâ coram B. V. Imagine, & reliquijs ejus, preces fudiſſet, conſcenſo equo in urbem redijt ad Palatium: redijt quoque & Capellanus, ſed feſtinatione ipsâ, aut incuriâ premente, oblitus Imaginis: quam poſtridie reverſus requirens, imò & inveniens, levare tamen, aut auferre nullâ vi potuit: quâ de re Imperatorem monens, admiratione complevit, ſed Ludovicum ſequenti nocte monuit revelatio divina, ut eo loco in Deiparæ honorem templum ædificaret, ubi Imago conſtiterat. Fecit hoc Ludovicus, & Imaginem ſacram, templo honoravit, quin etiam Monaſterio ditiſſimo. De miraculis ne dubita, quanquam Cranzius Metrop. lib. 1. cap. 10. & lib. 2. cap. 26. nihil dicât.

Silva.

C D X C I.

Imago B. V. Miraculoſa.
LERAYSCENSIS.
Leraijſcij in Poloniâ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Arcam Agni manſueti altè puram video.*

1. Parochus Scandaloſus.
2. Miracula plurima.
3. Mors Parochi infelix.

LErayſcum oppidum Iaroſlaviâ diſtat leucis quinque, civem olim aluit *Thomam Michaëliz.* Is quoties in ſilvas lignatum abijt, non ille aut manum ſecuri aut ſecurim arbori admovit ſine precibus, quibus labores ſuos Deiparæ initiaret. Anno 1590. dum ipſa in ſilvâ globulos precatorios volueret, lucem primùm inſolitam, diſtincta deinde luminaria aliquot conſpicatus, divinúmque aliquid ſubeſſe ratus, locum venerabundus accedit; videtque ſtantem cum Ioſepho Deiparam humanâ ſpecie Auguſtiorem, ut ſciret eſſe cæleſtem. Illa Thomam tacentem allocuta, huncſe locum elegiſſe, ait: hîc ſe propitiam fore certúmque peccatoribus refugium; deniquè ad Magiſtratum de latere legatum mittit, templúmque poſtulat; multa Thomæ obſtabant, quò minùs Deiparæ morem gereret: & plura obſtitiſſent; ſi, quas ſcribo, hiſtorias legiſſet. Templum Magiſtratus, ignobilitas ſuorum natalium, deniquè inſolita & fortè falsâ apparitio; hominem non parùm turbabant. Redit tamen poſtridie, eadem videt, auditque; jámque non dubius de voluntate Virginis incertus tamen de eventu, optâſſet alteri hanc ſpartam, ſed nec ego hominem damno, non ignarum, quâ injuriarum pluviâ doctus mundus perpluere ſoleat eos, quos videt in favorem Virginis afferre nova. Qui inde lu-

Imago.

Lucrum. crum expectant, tamdiu probant, dum lucro poriantur. Cæteri, qui ad expenſas vocantur, etiam adverſantur, omnes novitatem, & quidem ſub pijs titulis, abominantur, ſi ferrum, & vincula, & exilia abſint. Ito nunc ſodes, & Mariæ cultum novis (licet ab Eccleſiâ approbatis) modis promove. Vide Imaginem *Eberbardo Cluſanam*, mecum ſenti, & tace. Inde non miror, Thomam tunc non quidem incredulum, ſolicitum tamen, tertiò locum eundem acceſſiſſe: ubi eum Deipara cum Ioſepho etiam tertiò præſtolabatur, & ſic alloquebatur: metuis invidiam Thoma? Non eam effugies,
Supplicium. vereris ſupplicium? Et hoc te manet, reformidas carceres? ut ſcias tè à me adjutum, ſimul omnem templi futuri molem oſtendit, ſignâtque duodecim altarium loca. Ipſos denique Patres S. Franciſci de Obſervantia templi cuſtodes deligit, iterum certiſſimam opem promittens non incolis modò, ſed & accolis quoque, quin & unde unde venturis peregrinis. Jam ſe ipſo major Thomas pr[illegible] conſulem nonagenario majorem *Georgium Strikovium* adit, rémque, uti à Deiparâ accepit, exponit. Is per ſuos quàmprimùm Crucifixi Chriſti effigiem ipſo in veſtigio Virginis locat. Hac tenus ſe proconſulis pietas extendit. Cæteris fabulam dixiſſe creditus eſt Thomas. Interea ceſſantibus hominibus, pecudes officium fecêre, identidem cùm præterirent locum, in genua adorantium ritu lapſæ, ſed & lu-
[illegible] mina pluribus paſſim viſa, & auditæ campanæ.

His denique populus accitus, ſalutatâ in loco Deiparâ, frequenter ibat redibátque, ringente *Alberto Viſegrot* Parocho Leray ſcenſi, lucris ſuis plùs quàm debebat intento. Turpe fuit, Parochum conſcenſo equo peregrinantium ordines intentatis verberibus diſpergere, relictóſque fugientium ſcipiones igne cremare, Scandalo proximum fuit, Thomam in jus trahere, apud judices efficere, ut in carceres & vincula compingeretur. Dum hæc ſpirans minarum Parochus in diſcipulum Dominæ Thomam agit, adeſt clienti ſuo Virgo, carcerem illuſtrat, vincula ſoluit, & vulnera verberibus inflicta ſanat. Eodem tempore Parochus febri corripitur, quam Itali *S. Antonij ignem* vocant, brevi- S. Antonius.
bus periodis abſoluta, dedit cadaver carbone nigrius. Hoc habet, utinam ad multorum noſtri temporis exemplum, qui obſequium ſe præſtare Deo exiſtimant, quando Marianis progreſſibus, magnis niſibus obſtant, & ſe denique viros credunt, quando cum gigantibus cælum oppugnant.

Mors Parochi inſolita nonagenarium proconſulem terruit. Thomam exemptum carcere ingenti munere mactat, quatuor Polonicis (duobus Germanicis) florenis, ſeu duodecim Iulijs Romanis. Is pecuniam hanc in templi fundamenta abiecit. Interea *Caſpar Gotukovius* vices proconſulis ſenis obiens, & ipſe clavam ferream Thomæ in- Clava.
tentat: ſed obrigeſcente brachio, voto dandæ ſtipis facto ſanatus eſt. Hæc ſuffecerunt, ut ſucceſſor Parochi vir bonus conatibus Tho-

mæ

mæ faveret. Itaque hic Epiſcopum Præmiſlavienſem, ille Regem *Sigiſmundum III.* adit: locum obtinent, in quo impenſis *Lucæ de Brinopaliſchi* ſtrueretur Deiparæ templum, & S. Franciſci Fratribus de Obſervant â daretur. Sapuit Parochus: nam coram frequentiſſimo populo ſermonis thema accepit illa verba Chriſti, *Confiteor tibi, pater, quia hæc abſcondiſti à ſapientibus & prudentibus & revelaſti ea parvulis.*

Imaginem Deiparæ ab *Eraſmo* quodam Sacerdote notæ virtutis pictam, templo cum ſolenniate intulit anno 1592. inter prima miracula fuit oculorum reſtitutio Sacerdoti pio facta, poſtquam ſtrophiolum tactu Imaginis ſacrum oculis admovit. Strophiolum. Alterum eſt, quando muta puella in has repentè voces erupit: *Ave Maria.* Uladislaus IV. Rex Turcas voto huc facto vicit, & victoriæ ſigna hîc poſuit anno 1642. Cætera quis memoret? nemini enim fiduciam huc ferenti, ſive incola ſit, ſive accola, ſive civis, ſive peregrinus, deeſt Virgo: quamdiu ſunt, qui non ceſſant orare, tamdiu illa non ceſſat exaudire. Hæc ad me perſcripſit R. P. Urbanus Ubaldini, Societatis IESU.

CDXCII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE BELLO MONTE.
Bellmonti in Lotaringia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemuit Adam, ea non, pura maculæ, riſit.*

1. Puella Aurelianenſis.
2. Fœmina militaris.
3. S. Michaël inſtructor.

NUnquam Gallia in majore periculo fuit, quàm tempore *Caroli VII.* quo Angliæ Rex majorem Galliæ partem ſubegit cum ipsâ urbe Pariſienſi penè totâ. Actum de regno erat, niſi B. Virgo manum juveni Regi porrexiſſet. Virgo. *Ioanna* Virgo ruſtica paſcendis pecoribus intenta, ubi vel pecora, vel domum deſeruit, alibi quàm in hoc templo nec quæri debebat, nec inveniri poterat, ita velut in ſinu Deiparæ ab infantiâ educata. De antiquitate templi hujus atque origine nihil ad me perſcriptum eſt, nec potuit: dudum enim eſt, quòd cultu ſolenni carverit, quid enim ædicula inter Vallicolorem & Domprenium ſita multùm acciret accolas, quando nemo fortè in vivis erat, qui beneficium à Deiparâ accepiſſet? utut de origine ſit; certè ſummus in hanc diem à *Ioanna* honor templo huic obvenit.

Delectus enim à Deiparâ ad res maximas, & orbi non auditas, Archangelus Michaël, operatricem earum *Ioannam* in hoc Deiparæ Sacello quæſivit, invenit, ſalutavit, & Cælorum Reginæ Imperia expoſuit, modúmque ea exequendi docuit; S. Michael. Virgo es, inquiebat: exinde oportet te virili habitu veſtiri, agitare equos, tegi ga-

leâ, ferro indui, & gladios manu tractare, volo, ut non tantùm militis, ſed & Ducis officium facias, urbes Galliæ hoſtibus eripias, Anglos denique è Galliâ exturbes, & regno regem, regique regnum reſtituas, obſequentur milites, parebunt Duces, ſi Deus pro te, quis contra te? Fecit Imperata Angeli *Ioanna*, & invenit promiſſa è cælo auxilia, nempe qui obtemperant, inveniunt Deum veracem. Quantâ porrò audaciâ, quámque tremendâ fortitudine omnia perfecerit, non deſcribo, ad Auctores rerum Gallicarum remitto lectorem. Virgo.

Huc pertinet, omnem Galliæ fortunam tunc abjectiſſimam atque profligatiſſimam in hoc Deiparæ templo reſurrexiſſe. Quod etſi inter miracula nec olim, nec nunc numerent Angli: Galli tamen, & cum Gallis Europa univerſa inter miracula hactenus eſt admirata, certè cultus Deiparæ hoc in loco augmentum accepit etiam à Lotharingis: hodiéque ob beneficia miraculoſa apud totam Lotharingiam in pretio eſt. Hæc R. Pater Franciſcus Poiræus Societatis IESU t. 3. trip. Coron. c. 7. 82.

CDXCIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE OLEO. *Bivonæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Roſam age, vidi à maculâ perenni tutam.*

1. Fontes Olei.
2. Figura Crucis.
3. Cronologia.

NAſcituræ miſericordiæ divinæ prodromus fuit prodigioſus Olei fons, trans Tiberim Romæ integro die ſcaturiens: & eo quidem die, quo Deus homo natus eſt vigeſimo quinto Decemb. ita habet antiquiſſima & unanimis Chriſtianorum traditio: quam elidere Chronologi tentârunt, poſtquam autem in tabulis antiquis duo conſules reperti ſunt, quos reliquæ tabulæ omiſerunt, deprehenſum eſt erraſſe Chronologos, non Chriſtianos. Tanti eſt Chronologiam accommodare traditioni; in quâ verioris hiſtoriæ fundamenta ſunt. Miſericordiam, inquam filij portendit fons Olei. Matris miſericordiam apud Bivonenſes alius fons Olei portendit, unde ſpei ſuæ teſſeram habent, imo teſſeras, nam uno non contenta, plures Olei fontes ſcaturire fecit, mirum ſanè! & neſcio, an ulla in orbis parte tanto portento Deipara ſpem faciat gratiarum, ad jactum lapidis hi fontes ſunt à templo diſſiti: & hyeme quidem, ut torrentes ſolent, parciùs currunt, at verò ubi ad menſes æſtivos annus vergit, quaſi laxatis habenis curſu cum cæteris rivulis certant. Oleum eſt, non aqua, niſi balſamum dicere malis, propter excellentem odorem, quem Oleum hoc ad bal-

Chronologia. Fons.

balſami cujusvis invidiam ſpargit; veſtem ſi intinxeris, ſervabit diù receptum odorem: quin ipſi lapides ex alveo extracti, ſine hoc nobili odore non ſunt. Atque ut Oleum, non aquam eſſe ſcias; maculam retinet, quidquid oleum recipit: neque ullis lotionibus tela linea aut pannus è lana eas deſeret, idem de ligno & lapide intellexi.

Cæterùm an ardeat quoque, an cibis junctum olei vicem faciat, ut affirmare non audeo, quia ad me perſcriptum non eſt, ita negare non volo. Illud, quod additum in litteris eſt, omnem admirationē ſuperat guttam olei ſi ex alto deijcias, quocunque cadet; ſemper crucis formam macula faciet. Quisquis hoc non miraculo, ſed naturæ adſcribere voluerit, ab eo cauſas requiro, cur inter omnes liquor hic ſolus Bivonenſis hoc Privilegium à naturâ acceperit, cæterùm qualitates & occultas & innominatas velut diſputantium conſueta effugia reijcio, & dum nominata hujus olei qualitas ritu verè Philoſophico adducatur & nominetur, pace contradicentium inter miracula ſaltem naturæ repono, & quia natura nil facit fruſtrà, credam interea cum Bivonenſibus, fuiſſe quoque cauſas, cur tantum portentum in Virginis honorem hîc loci conſtitueret: quando nec ipſe Deus quidquam fruſtra egiſſe: creditus ſit etiam à veri numinis ignaris.

Hinc mirari deſino, tantum ex omni Siciliâ ad Bivonenſem Deiparam accurſum, vis magna portentoſi etiam in morbos olei per omnem Inſulam diſtrahitur: & vix quiſquam peregrinorum ex Italia & Sardinia (nam & inde veniunt) locum viſit, qui ſecum non auferat oleum, quod amicis in Patriam redux ferat. Et verò hoc ſignum tantum gratiarum eſt, quantæ porrò, quámque inſignes ipſæ gratiæ ſint; quas Virgo ad hanc Statuam inter ſuos ſpargit, lector ex hoc ſigno colligat; & ex tabularum numero, qui ingens eſſe ſcribitur parietes templi decorè ad gloriam Virginis veſtiti. R. P. Placidus Planza Rec. Coll. Briconenſis S. I. hæc ad me perſcripſit. Poregrini.

CDXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CODE.
Toraluæ in Navarra

Progr. AVE MARIA; gratiâ plenâ; Dominus tecum.
Anagr. *Atram pomi luem neſcit Agna vera Diva.*

1. Lintea oleata.
2. Translatio captivi.
3. Ex nobili Eremitâ.

PRope urbem Toraluā, in magnâ celebritate eſt ſimulacrum Virginis Deiparæ, quam *de Code* vocant, confluentibus in ejus templum magno numero, voti & religionis causâ, non Navarris modò in quorum ditione eſt, ſed finitimis etiam Caſtellanis. Ab anno 1523. aucta magnis incrementis Pietas.

mentis celebritas eſt, eo námque tempore, cùm latronum turba, duce *Ioanne Lupo* notiſſimæ audaciæ homine, munitum caſtrum in prærupto monte, cui nomen *Puni caſtro*, occupâſſet, atque inde maximis finitimorum damnis excurſiones faceret, contigit, ut hominem in viâ captum in caſtrum latrones deferrent, conſtrictúmque compedibus recluderent. Ille per noctem fuſis enixè precibus ſalutem ſuam B. Virgini *de Code* commendavit, nec mora: paululùm poſt preces obdormiſcens, ante fores templi, ita ut erat vinculis conſtrictus, alto ſopitus ſomno repertus eſt: vinculis exemptus à Toraluenſibus paſtoribus liberatrici ſuæ Virgini ante aram vincula appendit, auxítque religionis famam, ſeptimo pòſt anno *Ioannes Merinus* vir nobilis vitam Eremiticam inſtituit, ac mutato nomine *Ioannes Codenſis* dici voluit, is panniculos oleo lampadis ante S. Iconem ardentis intinxit; populóque paſſim diſtribuit, hi ægrís cum invocatione Virginis *Codenſis* appliciti, ſupra medicamentorum vires profuerunt, vice, quàm ingenioſa ſit pietas erga Virginem. Hæc ad me R. P. Martinus Lecava Provincialis, Soc. IESU. Somnus.

CDXCV.

Imago B. V. Miraculoſa.
CHANGCHEVANA.
Changeu in Regno Sinenſi.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tecta auro, en gemma divina pura malis.*

1. *Imago Lauretana.*
2. *Pia pijs adſcribenda.*
3. *Beatus P. F. Odericus.*

IN regno Sinenſi, in urbe *Changeu* intra mœnia ſculpti lapides non pauci crucis ſaluriferæ ſignum referunt: nonnulli etiam Dei Genitricis Imaginem quam cæleſtes genij genibus flexis honorant, nec multùm Icones hæ à Lauretanâ Deiparâ abludunt, nam & lampades pendulæ duæ cum ſuis lucernis non deſunt, & alij, quæ Lauretanæ ſimilem efficere poſſunt, quàm diligentiſſimè artifex poſuit. Sina.

Quæ Imagines quamvis à *R. P. Martino Martini Societatis IESU*, in ſuo Atlante Sinenſi à miraculis non celebrentur; ſpes tamen eſt; propediem Chriſtianos datâ licentiâ in publicum prodituros, fidémque teſtaturos, quod ubi factum fuerit, Imagines hæ cultum ſuum accipient, utique non ſine miraculis; quod ego ex ore *R. P. Martini* ipſe accepi. Cæterùm quis hos lapides poſuerit, non facilè invenias: qui putant, *Marum Polum Venetum* eos poſuiſſe, in hoc errant primò; quòd homo hic ſæcularis, fidei curam vel exiguam, vel nullam habuit, ſolâ curioſitate in illas terras inductus. Adhæc homini opus erat favore, aut certè maximi alicuius Magiſtratûs, tam ad faciendas has Imagines, quàm ad perfringendos muros, ut ijs Imagines. inſere-

ſererentur, tantæ potentiæ *Marcus Bolus* nec tantarum divitiarum fuit, cùm Sinas pertranſiret. Si mea ſententia exquiritur, credo R. Patrem Fratrem Odericum Ordinis S. Franciſci has Imagines procuráſſe: nam & Regi Sinenſi cum ſuis Chariſſimum fuiſſe, & plurimos Chriſtianos feciſſe, legimus in vita ipſius apud Bolandum.

CDXCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
IRAXANENSIS.
Iraxani in Navarra.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Iam celſa Virgo mea niteat, purâ mundâ.*

1. Præda B. Virgini ſacra.

2. Catena urbis.

3. Rex pius.

IRaxanenſe Benedictinorum PatrumMonaſterium prope urbem Stellam ſitum eſt, B. VirginisStatuâ miraculosâ clarum: quam *Sanctius* Pompelonenſium Rex (eo titulo priſci Navarræ Reges utebantur) ab initio regni ſui, quod in annum ſalutis nongenteſimum quintum incidit, per caſtra ſua circumtuliſſe in bellis contra Saracenos geſtis, conſtans fama eſt, liquétque ex tabulis *Sanctij* Regis cognomento *majoris*, tertij ejus nepotis, tritavum ipſius Sanctium Regem; quo die caſtrum S. Stephani ſex milliaribus hinc diſtans expugnavit, in hoc templo ante âram Beatæ Virginis voto ſe obſtrinxiſſe, quidquid eâ expeditione captum de Saracenis eſſet, in ſpolium Virginis ceſſurum: ſtatímque ab imploratâ ejus ope, inſtructâ acie caſtrum oppugnâſſe, & expugnâſſe. Centum & quadraginta circiter annos ex donatione regia caſtrum S. Stephani, ſeptémque ſubjectos pagos Iraxanenſes Monachi poſſederunt: donec cum *Garſia* Rege *Sanctij majoris* filio permutationem aliquam inſtituerunt. Extant regia diplomata magno numero donationum factarum Deiparæ Iraxanenſi. *Sanctius* Rex, cognomento *Fortis*, ornavit templũ monumento victoriæ ſuæ ad navas Toloſanas partæ; extátq; hodie catenula ante aram Virginis appenſa, ejus catenæ ectypon, quam ipſe Prætorio obtenſam perrupit. Non novum eſt Hiſpaniæ & Navarræ regibus, captarum civitatum catenas appendere Sanctis, pendet etiamnum catena urbis Tunetanæ, quam Carolus V. expugnator, Romam miſit ad S. Petrum.

Caſtra. Monachi.

CDXCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
CAPOCAVANA.
Capocavanæ in Regno Peru.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Agna Eva paritura Deum, neſcijt malum.*

1. *Luſor converſus.*
2. *Annulus felix.*
3. *Epiſtola ad B. Virginem.*

CApocavana oppidum eſt fortunatiſſimum in Inſulâ quadam regni Pe vani. H c templum Deiparæ eſt miraculis celeberrimum, cujus origo hæc eſt *Franciſcus Titius Indus*, Deiparæ devotiſſimus, Statuam ſculpſit Deiparæ emendam, ut opinabatur à novâ Confraterntiate B. Virginis, in famis remedi m, quâ tunc premebatur tota Inſula, ſed nemini Statua placuit, quam fecerat ſtatuarius non bonus, homo non malus, ſcu'ptor eam ad Cænobium S. Franc ſci depoſitavit, atque aliquamdiu ibidem reliquit. Obſervatus in loco eſt non rarò ſplendor cæleſtis, reſcivit hoc Prætor, & miraculoſam fore auguratus, quàm primùm S. Statuam juſſit collocari in templo Parochiali. Item, anno 1588. adfuère, qui poſcerent à Deiparâ gratias: nec defuit, quæ daret gratias, Maria.

Statuarius.

Cæterùm in Statuâ ipsâ primùm penè miraculum apparuit, impoſita IESULO corona matris faciem tegebat, juſſus neſcio quis ſculptor per artem corrigere hunc errorem, ſed manè facto cùm manus eſſet admovenda ſacro ligno ipſe IESULUS inventus eſt tantundem receſſiſſe, quantum optabatur. De milite res prorſus inaudita, is aleæ ludo uſque ad annulum digito ſuo inſertum, omnino omnia perdidit: hunc ad templum Deiparæ portavit ejus digito inſerendum, vetuit hoc Statuæ ſculptor, qui digitos omnes eodem è ligno, non diviſos, figuraverat digiti tamen propter pœnitentis, lacrymas miraculoſè fiſſi, & ſejuncti, locum annulo dederunt. Nobilis Indus æger ſanitatem petijt, miſſâ Epiſtolâ, quam amicus Statuæ ſacræ digitis inſeruit, alterâ die reperta epiſtola eſt aperto ſigillo, & explicata, ne fraus interveniſſe dici poſſet, abſens æger ſtatim convaluit: & inſuper per viſum monitus eſt, ut S. locum ipſe accederet. Fuit, qui vultū Virginis judicaret vetulę, quā Virgini ſimiliorē. Alius qui homicidium mente perpetrârat, uterque quoties Statuam ſacram intuitus eſt, magnos dolores capitis paſſus eſt Fur nocturnus cùm gemmas collo appenſas diriperet, vidit moveri S. Statuam, & fulgura per templum ſpargere. Euclio omnibus membris captus, & huc deportatus, poſt pietatem novendialem ſalvus ſanúſque abijt, & torquem aureum in grati animi ſignum Deiparæ dono dedit. Domum redux, gratulantibus amicis ſanitatem receptam, ſani-

Annulus. Miraculum. Statua

ſanitatem quidem, inquit, habeo ego, ſed illa habet torquem aureum, ſimul ac dixit, iterum membris omnibus captus eſt, ut antè. Néve injuriam ſibi factam à Virgine criminaretur, torquem ſuum ante pedes ſuos jacentem vidit. I nunc, & dona tua Virgini exprobra, bonorum noſtrorum non eget Domina.

Quidam aliunde venit huc æger: nec tamen novendiali oratione ſanitatem reportavit, reverſus domum, ſanitatem Deiparæ per litteras petijt, & obtinuit. Mulier mulo vecta, per altiſſimi montis præcipitium unà cum beſtia in ſubjectam vallem decidit, plùs uno ſtadio devoluta: implorata Deiparæ ope in plana devenit, & iter ſuum feliciſſimè proſecuta eſt, nihil omnino læſa, Indus in officina ferraria malleo adſtitit, qui mille & ampliùs librarum ingens ferrum cudebat, cecidit infra malleum & incudem Indus, jámque malleus ictum minabatur; ſed contra omnem rotarum & aquæ vim in alto retentus eſt, dum homo ab incude removeretur. Paſtor quidam camelorum, ad baptiſmum admiſſus non eſt, quòd orationes, quæ fidei articulos continent, adhuc neſciret, una è beſtijs manè audiente paſtore quotidie recitavit diſtinctè orationes illas: ita paſtor à beſtia doctus, baptiſmo initiatus eſt, & veritatem hujus miraculi vitâ & moribus Chriſtianis probavit. Malleus.

Pagi unius incolæ hoc loco pro impetranda pluvia SS. Sacrificium miſſæ celebrari fecêre, obtinuerúntque pluviam: quæ tamen ſolius pagi illius agros perpluit: ad hoc miraculum alius quoque pagus idem per SS. Miſſæ ſacrificium petijt, idem obtinuit, ſemel ipſa S. Statua, pro pluvia impetranda, circumportata per agros, pluviam dedit abundantiſſimam, durante ſupplicatione, omnibus madore diffluentibus, S. Statuâ, licèt ſine ullo tegmine, intactâ, & nec unicâ guttulâ aquæ madefactâ. Mercator omne lucrum diviſit cum B. V. Capocavana, ex eo argento confecit machinam in forma lampadis ſex millium librarum, artifici pro opera dedit triginta millia aureorum dublonum: ingentis artificij eſt: habet trecenta ſexaginta quinque brachiola pro candelabris & cereis, qui cùm in feſtis omnes accenduntur, miro ſplendore recreant: notandum quoque, machinam hanc eſſe tam magnam, ut intra ejus ambitum *feria quinta Cœnæ Domini*, & miſſa ſolennis cum miniſtris celebretur, & omnes illius diei ceremoniæ perficiantur. Agri. Lampas.

Statua ad hanc formam facta; poſitáque in urbe Limenſi, in Sacello ligneo diu ſtetit ſine ſingulari honore, & propè deſerta. Fuit, qui tectum Sacelli ligneum amoveret, & Statuam faceret ſtare ſub Dio. Cæpit S. Statua ſudare, è quo ſudore intra duas horas duo calices ſunt repleti; ſudore hoc quamplurimi ægri curati. Templum, in quo hodie hæc S. Statua colitur, olim Idolorum fuit: præ omnibus tamen ſol ibi colebatur ritu, quem nunquam legi: oraturi priuſquam ad ſimulacrum. Solis Sudor.

accederent, propere ſcelera ſua & peccata confiteri cogebantur: nec defuit pœnitentia, ſiquidem pro meritis Papa ille manus & tergum pœnitentis & ſic confeſſi, lapide percuſſit, juſſitque ad tempus abſtinere ſale, pipere, carne: tū enimverò ita expiatus, ad orandum Numen admittebatur. Curam templi & Statuæ tam miraculoſæ hodie habent RR. PP. Auguſtiniani.

Cerimoniæ.

Hæc *R. P. Hippolytus Marracius, è Congreg. Clericorum Regularium Matris Dei*, hanc hiſtoriam Romæ impreſſit anno 1656. ex pluribus Auctoribus, quos citat. Vir mihi amiciſſimus, qui plures libros doctos & bene materiatos ad honorem Deiparæ ſcripſit, & impreſſit, & multa pro honore Beatæ Virginis tulit.

C D X C V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E U S U A.

Planchæ in Regno Navarræ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pernicies, aut malum Adam, ignorat Eva.*

1. Columba.

2. Urbs ædificata.

3. Cor Regis.

Erga ſacram Imaginem Deiparæ *de Uſua* (ſeu *de Columba*) non minor hodie celebritas eſt, quàm eo tempore fuit, quo reperta eſt. Erat is locus, ubi hodie ſitum eſt templum ad honorem ejus ædificatum, deſertus & confragoſus: quò cùm paſtor gregem deduxiſſet, non ſine admiratione notavit columbam, frequentiſſimo volatu in exeſæ rupis ſpecum ſe abdere, egreſſámque ſæpius, eundem in locum revolare. Baculo atque lapidibus columbam pluries abſterrere conatus, cùm fruſtra omnia tentaret, majus aliquid ſuſpicatus eſt. Itaque ſuperatâ loci aſperitate in ſpecum irrepſit, ſacrámque Imaginem reperit, ad cujus pedes columba immota atque imperterrita ſtabat; miratus columbæ indicium, ac loci numen veneratus paſtor, in proximum oppidum (quod *S. Maria Planchæ* vocatur) regreſſus, rem incolis nunciat. Illi actutum in ſupplicationem coacti, ad ſpecum deveniunt, ſacrámque Imaginem, & coram eâ adſtantem columbam inveniunt, & quia arbitrati ſunt, eam ſibi ſedem elegiſſe Deiparam, excîſis ferro rupibus, areâque æquata templum extruunt, quod poſtea Regum munificentiâ amplum & magnificum evaſit.

Columba.

Mox religione loci illecti, deſerto oppido ſuo (cujus ruinæ ad tertium milliarium hodie conſpiciuntur) in rupem, quamquā omni ex parte præruptam commigrant, novum- Rupes.

novúmque oppidum condunt, cui *S. Maria de Uſua* (ſeu Columba) nomen dedêre, ipsâ voce cauſam conditi oppidi atteſtante. Templum Navarræ Reges tum ob ſanctimoniam loci & miraculorum frequentiam, tum quia ab ipſa uſque Italiâ religionis causâ à multis frequentatur, magnis muneribus auxere, oppidanóſque multis immunitatibus donârunt. *Caroli II.* Regis cortheca incluſum in templo conſpicitur: quod ipſe devoti erga Deiparam animi documentum teſtamento legavit. Filius quoque *Carolus III.* paternæ pietatis hæres quamplurima argentea vaſa, quæ hodieque videntur, templo donavit. Hæc ad me R. P. Martinus de Lecava, Provinc. S. I. Ref.

CDXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

REGIA.

In Monte Badonico in Angliâ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Luem duri pomi neſcit vera agna amata.*

1. Rex fortis.
2. Statua ſacra cultus.
3. Prælium mirabile.

Locum, in quo fuit honorata hæc ſacra Deiparæ Imago, nominare non poſſum: quia rabies hæretica omnia ſacra ſuſtulit. Regiam Imaginem voco: (quanquam fortè alio nomine ſit appellata) quia eam Rex *Arturus* ſuis armis inſuerat in obſidione montis *Badonici*, & nongentos hoſtium Obſidio. ſolus adorſus incredibili cæde profligavit, ut habet *Wilhelmus Malmesburienſis l. 1. c. 1.* de geſtis Regum Angliæ. Idem Rex aliam Deiparæ habuit Imaginem, de quâ poſtea, Imaginem hanc templo alicui illatam, & publico utilem fuiſſe, non dubito: quæ tam inaudito portento cæteris miraculis viam ſtravit, plura tamen non habeo dicere.

* * *

D.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE ASCENSU.

Stellæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ea ſit munda, ac pariat Virgo Emmanuel.*

1. Stellæ volantes.
2. Cantus Angelicus.
3. Urbs Stella.

In urbe *Stella* templum eſt dicatum B. Virgini, quod *de Aſcenſu* nominant, ſeu *de Pui*: nam id

id ſonat hæc antiquiſſima vox Hiſpanica. Situm eſt in colle edito urbi imminenti. Ubi S. Deiparę Virginis ſimulacrum magnâ populi frequentiâ ac religione colitur, claretque miraculis. Fama tradit conſtantiſſima, hanc Statuam inventam eſſe, quo tempore *Sanctius* Ramirij filius, Navarræ & Aragoniæ Rex, cum *Alfonſo* Caſtellæ Rege obſidionem Toletanæ urbis auxiliaribus copijs urgebat. Paſtores è vicino oppido *Abarzuza*, indicio circumvolantium per plures noctes Stellarum & Angelici concentûs perculſi, *Lizarræ* incolas monent. Hi purgato colle, à ſentibus hactenus obſito, & inacceſſo, abditam in ſpecu hanc S. Statuā repererunt. Pervulgatâ Toletum uſque famâ, *Sanctius* Rex finito bello in honorem Deiparæ *Stellam* urbem amplam & magnificam ædificavit, multiſque privilegijs in honorem Deiparæ cives honoravit: urbi *Stellæ* nomen indidit. Hæc ad me R. P. Ioſephus Moretus Societatis IESU, Pampelonâ.

Rex.

CEN-

CENTURIA VI.

D I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CLYPEO.
Londini in Anglia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Neſciunt luem Adam, ergo anima pura.*

1. *Imago B.V. in Clypeo.*
2. *Vires ex aſpectu Imaginis.*
3. *Honor benefactori debetur.*

REx Angliæ *Arturus* Deiparæ devotiſſimus præter illam B. Virginis Imaginem, quam veſtibus inſutam geſtabat, aliam habuit, in parte interiore Clypei ſui depictam. Clypeum hunc præferri agminibus voluit, cùm in prælium ibant phalanges, Clypei vice fuit ipſa Virgo, quæ legiones miraculoſè plerúmque defendit, ipſe Rex Clypei geſtator plerúmque fuit, & inter primos: labore prælij feſſus Clypeum ſuum inſpexit, & vires recepit. Hanc quoque S. Imaginem alicubi in templo expoſitam nequidquam dubito, credunt hoc, quotquot *Arturum* non ingratum faciunt, cur enim publici honores negarent ei, quæ publicis in prælijs toties aſtitit, profuit? Londini expoſitam fuiſſe opinari libet; ne multùm à Regè abeſſet, neque enim locum alium lego apud Iacobum Philippum Bergomatem Anno Chriſti Servatoris noſtri 489.

Clypeus. Rex.

D II.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SACRARIO.
Pampelone in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Adami maculam per juſta Eva non gerit.*

1. *Regum unctio.*
2. *Remedium neceſſitatis.*
3. *Fiducia populi.*

IN urbe Pampelona, quæ totius regni caput eſt, inſignis eſt, & religio, & populi frequentia erga Imaginem Deiparæ Aſſumptæ, quæ *de Sacrario* nomen habet, in templo magnifico & vaſto, cujus curam habent Canonici Regulares S. Auguſtini, in hoc templo conſueverunt inungi & iu-

inaugurari Reges Navarræ, qui magnis donis & cenſibus templum dotârunt, & ditârunt, vel ideo etiam, quia Regibus pro ſepulturâ eſt. In maximis quibúſque populi neceſſitatibus hæc Deiparæ Imago publicâ ſupplicatione per urbem circumfertur, & ſalutaris imprimis habetur contra imminentes grandinis tempeſtates: quod frequentiſſimis experimentis compertum eſt, nam ſi nimbo imminente in publicum proferatur, actutum cernere eſt, quaſi ſpiculo perfindi nubes, nimbúſque diſſipari. Atque jam B. Virginis tutelam inſtar perpetui miraculi celebrat populus: ſive fiducia devotæ plebis miraculi cauſa ſit, ſive miraculum frequentiùs repetitum augeat fiduciam, mutuâ, ut aiunt, cauſalitate. Hæc ad me R. P. Martinus de Lecava, Provincialis Soc. IESU.

Sepultura.

Tempeſtas.

D I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. MEXICANA.
Mexici in Regno Mexicano.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Diva en purè micat, aula gemmis ornata.*

1. *Flores miraculoſi.*
2. *Imago non manufacta.*
3. *Pallium in altari.*

AUriferi Regni metropolis eſt urbs Mexicana. Ex hâc urbe Indus quiſpiam Chriſtianus, cujus nomen ad me non pervenit, in villam abijt Surburbanam viâ aſperâ & Saxoſâ. Vix ſtadium ab urbe progreſſus; obviam habet commendabilis formæ Virginem quæ eum redire in urbem juſſit, & Archiepiſcopo nunciare, velle cæli Reginam eo in veſtigio ſibi templum extrui, ſimul hoc dicto, viam aliam ingreſſa videri deſijt, ſpecies tanto imperio digna (ut cætera abeſſent) coëgit Indum relegere viam, & Archiepiſcopo viſa auditáque nunciare; ſed quis Indo crederet ſive ludenti, ſive deluſo; ſive decipienti, ſive decepto? Itaque & ipſe Indus ad ſobrietatem ſapiens, dixiſſe contentus, ad negotium pauliſper intermiſſum ſe in villam contulit, ſed eodem iterum veſtigio in Virginem incidit, non minus jucundam facilémque ut ante; niſi quod acerbiùs, templum non jam ſuadebat, ſed intentatis minis etiam imperabat.

Apparitio.

Indus.

Fecit Indus, neglectâ villâ officium, & verbis jam non ſuis, ſed obviæ Virginis, & jam bis ipſos ante oculos diſparentis, quod nuper nunciavit, nunc denunciavit, ſed quis, inquit, Epiſcopus, tot ædificet templa, quot ſibi ſimpliciſſimus quiſque vel fabricat ipſe, vel fabricari ab alijs optat? Si Deiparæ cum hoc ſermocinatio fuit, non ægrè tertium redibit. Itaque vade, inquit, & ſi iterum Virgo occurrit, pignus fidei poſtula: ſine quo ſimplicibus hodie credi non poteſt, minùs debet. Sed & tertium villam petituro Virgo adfuit, & petenti, ut juſſus erat, fidei

pignus

pignus dedit, nam abductus ab eâ eſt paucis paſſibus in hortum floribus obſitum, ex quo decerptos flores totis manibus in expanſum ab Indo pallium abiecit, hoc, inquiens, pignus eſto. Ille anhelans, relictâ viâ, urbem & palatium ingreſſus, pallium exoneravit in proximam menſam: & hoc, inquit, juſſus afferre pignus, jam quod ſemel iterúmque ſuaſi templum, etiamnum poſtulo. Hiberni temporis rigor floribus non amicus, ad hæc hortus, qui nullus illic loci erat, verbis fidem fecit, ſed ubi flores ipſi, attentiùs à peritis inſpecti ſunt, inter exoticos ſunt habiti, ut quos tota regni gleba producere non ſoleret, & ſicciſſima loci arena non poſſet. At verò, excuſſâ pauperis Indi lacernâ, viſa inſuper Deiparæ Imago eſt venuſtiſſima, intextæ propior, quàm depictæ.

Flores.

Hic enimverò & Imaginem ipſâ ſui origine miraculoſam proximus quiſque veneratus eſt: ac ubi res famâ increbuit, quamprimum loco ab ipſa Virgine deſignato templum ædificatum eſt, in quo Indi hominis pallium venerationi ipsâ in arâ exponitur, quia id B. Virgo impreſſione Imaginis ſuæ dignum fecit hoc honore. Magno cultu cives & accolæ hanc Deiparæ Imaginem proſequuntur, & inter Mexicanas gazas pro theſauro habent. Hæc ad me *R. P. Alfonſus Rodriquez Soc. IESV R. P. Didacus de Moroij Procurator Mexicanæ Provinciæ.* Imaginis ectypon ſecum Romam tulit, & cupro incidi curavit.

Imago

D IV.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE VIA.

Pampelone in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. Omnis lingua campuram à reatu edicat.

1. Fures pij.

2. B. V. furtum approbat.

3. Imaginis fuga.

HÆc Deiparæ Imago, quæ Sacellum habet in templo S. Saturnini, *de Via*, nomen habet, magnâ eam religione populus frequentat ob inſigne miraculum, quo huc deducta eſt, in ripâ Iberi amnis in oppido *Alfaro* olim colebatur. Hinc ob inſignem miraculorum famam pio furto à quibuſdam ſublata, ac *Pampelonam* allata eſt, ſed repetentibus eam *Alfarenſibus* injuriam conqueſtis, regij Navarræ Senatû; ſententiâ *Alfarum* reducta eſt. At verò poſt paucos, quàm reſtituta eſt, dies, Angelico, ut creditur, miniſterio, humano certè nullo, ad priſtinam D. Saturnini ſedē ſtupente populo Pampelonenſi redijt, Alfarenſi populo ultrà repetere non auſo. Eam adeò ſibi perpetui domicilij ſedem miraculo ipſa elegit. Pompelona beneficium agnoſcit, & miris Statuam modis honorat. Nec Virgo minùs in Pampelonenſes benefica eſt. Hæc ad me R. P. Ioſ. Mot et. S. I.

Furtum.

D V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE NIVIBUS.

In urbe Conceptionis in Regno Chile.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Magna verè prodivit, ſane Immaculata.*

1. *Sitis obſeſſorum.*
2. *Os putei loco altaris.*
3. *Imago Barbaris ſubtracta.*

VRbs regni Chilenſis, in quâ hæc miraculoſa Deiparæ Imago colitur, *à Conceptione B. Virginis Immaculatâ* nomen habet. Cæterùm Imago quàm antiqua ſit, non conſtat; attulit eam in has terras ex Hiſpania *Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D Franciſcus de S. Michaële*, cùm ab Imperatore *Carolo V.* in hoc regnum mitteretur ad Epiſcopatum civitatis Imperialis capeſſendum, vix dubiũ ulli eſſe poteſt, jam tum in Hiſpaniâ miraculorum famâ celebrem fuiſſe. Is itaque uſus navigatione proſperâ, in templum Princeps Imaginem cum pompâ intulit. Habitam fuiſſe pro miraculoſâ, & jam illâ in urbe miracula patrâſſe, aſſerit Auctor hiſtoriæ Chilenſis, è quibus non niſi unum refert: quod quia rarum prorſus eſt, placet lectori hîc apponere. Obſidebatur à Barbaris urbs quædam, ferebant ſanè Hiſpani ipſâ obſidione graviora incommoda, animo, ut ſolent, forti & conſtanti. Ut cætera gravia fuerint & periculoſa, ſitis tamen præ omnibus malis obſeſſos oppugnavit; nec mirum: Cælum illis in terris ardentiſſimum cùm ſit, & ipſa terra plus arenæ, aut ſabuli, quàm glebæ ferat, facilè ſuſceptos calores retinet, ſitis itaque cùm cives affligeret, viribuſque ariditate ſubtractis inhabiles neceſſarijs militiæ laboribus redderet, multis conſilium fuit, urbem cum civibus Barbarorum arbitrio committere, non tam vitæ ſervandæ, quàm acerbæ mortis aliquantiſper differendæ, & fortaſſe placuiſſet paucos poſt dies conſilium, invaleſcente ſiti, etiam cæteris, niſi Epiſcopus importunos conſultores melioribus conſilijs imbuiſſet. Ergóne, inquit, Chriſtiani cùm ſimus, omnia humanæ ſapientiæ tribuimus, nihil cælo? Videt Deus, ad cujus nomen propagandum, relictâ patriâ, in hæc deſerta venimus, ærumnas noſtras, & ſi volumus, ſi matre ejus utimur Patronâ, etiam miſeretur.

Ut quid enim ceſſat Deiparæ Statua, quam jam olim miraculis claram ad vos ex Hiſpaniâ attuli? ſcitis ipſi, quæ per eam Virgo his in terris, hâc in urbe largita ſit dona ſingulis, ſingulorum itaque preces cum non ſpreverit, nefas eſt dubitare, admiſſuram preces quas fundent univerſi. Hæc fatus, populum cogit in ſupplicationem. Thaumaturgam Statuam inter cantus & preces præcedentium, & ponè ſequentium, pom-

Epiſcopus.

Mare.

Sitis.

Proceſſio. pompam ad ipſum uſque puteum, jam pridem arefactum defert, puteóque, altaris in formam ornato imponit.

Hîc verò ad ſuos conversus, Moyſen memorat, & Clementem Papam, & omnes denique, quotquot aquas levandæ ſiti à Deo impetratas è rupibus extorſerunt. Fidem modò haberent tanto portento dignam. Finitis cum pompâ precibus, ad templum Imago relata, & puteus repentè à quærentibus ſcaturiginem dare viſus juſſu Virginis meliorem, quàm priùs ſponte dederat. Abſtulêre primi plus, quàm ſiti levandæ requirebatur, & in futuram neceſſitatem providi, quidquid aquam capere poterat, aquâ repleverunt, verentibus cæteris, ne putei modici, non perennis forte ſcaturigo deficeret. Sed dedit Virgo, ut filius ſolebat, liberaliter menſuram bonam, confertam, & coagitatam: etenim toto obſidionis tempore puteus officium ſuum fecit, & tantum aquæ deſideratum non eſt, quantum puteus ad obſequiũ Virginis inſtructus haurientibus obtulit, ſequentibus deinde annis erepta tandem Hiſpanis hæc urbs eſt: cùm inter alia hæc quoque miraculoſa Deiparæ Imago barbaro furori ſubtracta, & in civitatem *Conceptionis* delata eſt: ubi hodiéque miraculoſæ titulum continuatis ſemper beneficijs tuetur. Accepi hæc ex ipſa Historiâ Chilenſi Romæ impreſſa.

Puteus.

D V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE RONCAUALLE:
Roncavalle in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Iam Virgo patet munda ſine rea macula.*

1. Valetudinarium peregrinorum.

2. Pecunia parva par expenſis.

3. Catena prætorij votiva.

IN Diœceſi Pampelonenſi, non procul Galliæ limitibus, planities eſt altiſſimis Pirenæis montibus cincta, quam *Roncavallem* dicunt. Hoc in loco peregrinis voti causâ *Compoſtellam*, atque alia pia Hiſpanorum loca adeuntibus, & utique jam non parùm feſſis, in viæ ſolatium eſt hoc Beatiſſimæ Virginis templum, Collegio Canonicorum S. Auguſtini nobile. Hîc dona peregrini vident Principum, Regúmque; & omnium propè totius Europæ gentium. Hi penè dixerim communi ſtudio templum hoc excoluerunt, atque Templum. ampliſſimis cenſibus, per Hiſpaniam, Galliam Germaniam, Angliámque dotârunt, & durârunt; hæc pietatis indicia, quamdiu veræ fidei optimæ leges durârunt.

Ut verò hæreſis omnium ſacrorum ingluvies ſupervenit, & illa quoque finem ſuum invenerunt. Magnificum hîc hoſpitium eſt, ubi in honorem Deiparæ, omnium gentium peregrinis largè Christiana miſericordia impenditur:

tur: & ſi qui eorum ægrotent, in valetudinarium deportantur, curantúrque perhumanitèr, nec niſi refectis omnino viribus progredi porrò ſinuntur. In ijs peregrinorum hoſpitum expenſis quotidianũ Deiparæ miraculum eminet, nam cùm redditus æquare expenſas nequeant, uti è ſupputatis rationibus conſtat, quot annis tamen ſufficere deprehenduntur. Quo tempore coli cæpta ſit ſacra Virginis Imago, propter vetuſtatem non ſatis liquet. Ex ijs una eſſe creditur, quas Chriſtiani Maurorum armis per Hiſpaniam vexati in ſpecus abdiderunt, ut barbaris ſubducerent. *Doctor Navarrus* ejus templi Canonicus Regularis S. Auguſtini, ad *Caroli Magni* ætatem refert; & Angelici concentûs indicio deprehenſam, ait, quanquam Roncavallenſes *Sanctium Roſam* Epiſcopum Pampelonenſem ſub annum Chriſti 1140. *Sanctiúmque* Navarræ Regem, cognomento *Fortem*, circa annum 1200. Conditores ſuos nuncupant ob reditus legatos, templique ac domûs magnificentiorẽ extructionẽ. *Sanctius* ipſe Rex hunc ſepulturę ſuę locum delegit, ornavitque templum appensâ ante aram Virginis catenâ ex ijs unâ, quibus vallatum *Miramammolini* prętorium ipſe perruperat, memorabili ad Navas Toloſanas cum Afris mahumetanis prælio. Hæc ad me *R. P. Ioſephus Moretus Soc. IESU* Pampelonâ, qui de miraculis plura addidit, quia tamen hæc ab alijs non diſcrepant, ne lectorem fatigarem, omiſi.

Hoſpitium. Rex.

D I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
TRAVANCORITANA,
Travancori in India.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Nude eam cano regiam puritatis aulam.*

1. Aſpectus Imaginis movet.
2. Lacbrymæ IESULI lactea.
3. Ex milite Religioſus.

EA Indiarum parte, cui Travancor nomen eſt, jam olim fides Chriſtiana prædicata, & proximo ſæculo laboribus & curâ S. Xaverij aucta & confirmata eſt. Hinc quàm longo tractu hæc provincia excurrit, plurima ibi Chriſtianorum templa altis turrium apicibus conſpicua ſunt, contigit, ut miles, qui ſub Rege Luſitano merebat, templum intraret: & quia ad rem facit militis nomen, & patria, & vita, ex auctore appono.

In Inſularum una, quibus *Terceira* nomen eſt, natus hic miles nomen habuit, *Benedictus Goës*: vitam vixit planè militarem & diſſolutam. Is, inquam, templum ingreſſus cum ſocio comite, coràm altari flexit genua, intuitus Statuam Deiparæ ligneam IESULUM brachio tenentis, hîc apertis animæ oculis vidit, quã propè eſſet ab inferno. Flevit itaque, & tan-

Altare.

tantùm non deſperavit, vidit tamen (prô ſolatium) infantem IESUM flere, ſed lachrymas fundere lacteas. Hinc animo confortatus, ſocium militem vocat in teſtem portenti, hic cæteros; nemo fuit, quem non IESULI lachrymæ ad lacrymas permoverent, res Duci indicata eſt publico plauſu digna. Itaque B. Virgo à militiâ pedeſtri, more militari ſalutatâ eſt tribus omnino exploſionibus, etiam majorum tormentorum, & ſic hoc lætitiæ ſigno actæ gratiæ ſunt. *Benedictus Goës* tantarum lacrymarum cauſâ, confeſſione generali ſe ritè purgavit, & Societatē IESU ingreſſus eſt. In hâc oblatū ſacerdotium (non enim perfunctoriè litteris imbuuts erat recuſavit, laicus permanſit, temporalis adjutor factus: tum ſocius R. P. Hieronymo Xaverio (magni Xaverij nepoti) datus, in regnum Mogor abijt, ibíque vitam pluribus annis religioſè actā religioſè finivit. Deiparæ Statua utique publicis honoribus excepta, & votis honorata eſt à poſteris, quia tamen nil de hâc re ſcribit *R. P. Daniel Bartoli* in ſuâ Chinâ *fol. 465.* unde hæc accepi, nihil ampliùs de miraculis apponere poſſum.

Lachrimæ.

Statua.

DVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. MARSIACENSIS.

Marſiaci in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Unica gemmâ palam nivea ut roſa ridet.*

1. Remedium peſtis.

2. B. V. ſacellum imperat.

3. Concurſus peregrinorum.

Circa annum 1622. in oppido Marſiacenſi erectum eſt Deiparæ Sacellum. Intereſt ſcire originem & cauſam hujus ædificij: laborabat oppidum atrociſſimâ lue, quæ plurimos jam cives depopulata, finem tamen tantæ calamitati non dedit: cùm Deipara apparuit mulieri cuidam, dixítque, non antè ceſſaturam, quàm eo loco in honorem ſuum Sacellum ædificaretur. Ædificatum eſt templum, ceſſavit Peſtilentia.

Apparitio.

Hodie totiùs provinciæ concurſu fiunt peregrinationes ad hoc Sacellum, quod non longè à ſuburbio in campo ſtat, templo, ut dixi, quàm Sacello ſimilius: fiuntque in eo frequentiſſima & illuſtriſſima miracula. Reddita ſubita ſanitas paralytico: Luſco alterum, quo carebat, lumen reſtitutum: aliáque id genus multa, quæ Auctoritate Archiepiſcopi Auſcitani tabulis ritè mandantur, & brevi typis mandabuntur. Hæc ad me R. Pater Iacobus Baiſſene Societatis IESU.

***

D IX.

Imago B.V. Miraculoſa.
ANGOLITANA.
Angolæ in India.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Sion arca Eva nil impurum Adam tegat.*

1. Imago hoſtibus inviſibilis.
2. B. V. apparens terret hoſtes.
3. Victoria in Feſtis B.V.

HÆc S. Imago primum ſuum cultum habet à Duce quopiam Luſitano, qui eam exercitui prætulit, cùm Angolitanos oppugnaret, quotidie flexis genibus, & publicâ prece honorem ſuum à militibus accepit, & paucis Luſitanis, contra plurimos barbaros in prælijs. Hanc certè Imaginem hoſtes aliquandò, explicatis omnium Luſitanorum ſarcinis ſcrinijsque reperire nequiverunt. Proceſſio. Denique magnâ pompâ, ut miraculoſa in arcem Angolitanam delata eſt: ubi adhuc magis prodeſt Luſitanis, ſiquidem in aëre ſupra arcis faſtigium conſpicua, duodecies centena millia Angolitanorum terruit, & paucis Luſitanis in cædem tradidit.

Et quia Societas IESU ibi ſedem habet, Virgini Congregationem erexit, titulo *de Victoria*, non vano, nam Luſitani, quæ bello proſperè illis in partibus acta ſunt, huic S. Iconi in acceptis referunt. Hic nuncupant vota ad bellum profecturi: hinc diſcedunt expiati ſacris myſterijs: Huc redeunt Anathemata. cum donis vota perſolventes, quin & ipſam etiam Dei Genitricis effigiem ferunt in caſtra, & quia memorant, omnes dies Deiparæ ſacros Victoriâ quapiam felices fuiſſe, vix alijs diebus ad prælia vadunt, In ſtativis ædificant Imagini ſacræ Sacellum extemporaneum, quod iterum, cum mutant locum, deſtruunt, ne ab hoſte profanetur. Ita R. P. Franciſcus Benzius noſter in Reſidentia Angolitana. Anno 1587.

D X.

Imago B. V. Miraculoſa.
SARRACINA.
Sarracinæ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Terra pia ac munda à malo genuit IESUM.*

1. Bos natans ad Statuam B. V.
2. Saxea Statua B. V. natans.
3. Arbor juxta flumen immobilis.

LOcus ad Pirenæos montes in extremâ Galliâ creditur habere nomen *à Saracenis*, quos ibi *Carolus Magnus* profligavit, vallis erat ſilvis denſiſſimis obſita, adeóque ſolis paſtoribus cognita: quorum unus dum frequenter boves in

paſcua

paſcua illuc agit, animadvertit taurum quotidie ſeſe gregi cætero ſubduxiſſe, & quo pergeret, inſcius, decrevit eum inſequi. Taurus ad *Gavium* flumen, quod vallem interſecat, rectà contendit, quaque parte rapidiſſimus eſt fluvius, tranſit: ſuperatóque alueo in ipſâ ripâ procumbit in genua: quod tamdiu miratus eſt bubulcus, dum conſpexit Deiparæ exciſam è lapide Statuam prope ingentem ſilicem. Rem Epiſcopo indicandam prudens bubulcus ratus, quamprimùm acto domum grege, id omne, quod vidit, indicat Epiſcopo, is fidem paſtori habuit, & cum toto Clero civibúſque ordinatiſſimâ ſupplicatione ad locum devenit, S. Statuam ſuſtulit, & in templum Cathedrale detulit. Excitâ undique novitate miraculi viciniâ, magno numero viſendæ Statuæ cupida, ad ædem poſterâ die confluxit; ſed Statua jam locum ſuum repetiverat. Itaque Epiſcopus Sacellum eodem in loco decrevit, quod paulò pòſt ædificatum, plurimorum donis magnificè eſt ornatum & ampliatum.

Taurus.

Statua.

Hodie curam habent RR. PP. Præmonſtratenſes, qui quadringentos & ampliùs annos locum obtinent. Floruit locus miraculis, è quibus hoc ſolum memoro. Fuere, qui vellent omnem loci pietatem extinctam; itaque S. Statuam loco ſuo dimotam præcipitant in vicinum fluvium. Illa tamen velut natare docta, nunquàm fundum, ſemper littus petijt; ſæpius namque ab undis ad littus actam iterum magnis viribus egerunt in altum; tantæ molis erat horum ad frugem converſio. Viſo namque ſaxi portentoſa natatione, ipſi quoque meliora conſilia agitarunt. Salix, prope quem Statua ſedem fixerat, nullis rapidiſſimi fluminis vorticibus moveri loco unquam potuit; quantumvis arbores alias etiam majores nonnunquam radicibus evelleret, & domus cum fundamentis avulſas ſecum veheret, quin, quod incolæ memorant, ſæpius à peregrinis fruſtillatim ſilex iſte tantùm non aſportatus, nihil tamen de mole ſua perdidit. Hodie adhuc miraculis claret, & peregrinationibus celebratur. Ita ad me R. P. Georgius Hokius Rector Bethun. Soc. IESU.

Statua.

D X I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE BALUANERA.

Baluaneræ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. *E vi margarita penitus munda macula.*

1. *Ex latrone Eremita.*
2. *Apes colunt B. V.*
3. *Cinis mirè miraculoſus.*

IN montibus Pirenæis, qui totam penè Hiſpaniam ſecant, locus eſt *Baluanera* dictus, in hoc Cœnobium eſt S. Benedicti, nomen loci retinens, verè vallis venarum,

narum, ob metallorum & aquarum copiam. In hoc Cænobio Statua Deiparæ eſt, quatuor ferè pedes alta, materiam nec periti quidem agnoſcunt; ante mille trecentos annos inventam aſſerunt in trunco querno, ſemper miraculoſa, & apud accolas in cultu fuit, ſi inventorem quæras, fuit

Leuo. is *Mugno onne*, vir nobilitate clarus, ſed latrocinijs & cædibus notior, denique publicus latro: ad ſe tamen aliquando reverſus, pœnitentiam ſcelerum inſtituit, in ſpecu rupis altiſſimæ, quam in medio montis reperit, factis laborioſa arte gradibus, per hos cum Sacerdote ſuo contubernali ibat redibátque pluribus annis non parvæ virtutis Eremicola. *Mugnus* iam Deo charus meruit ab Angelo edoceri, quo loco hæc Deiparæ Statua lateret. Quercum, inquit, altiſſimam quære, & in cavo ejus trunco reperies Statuam Virginis.

Hæc Angelus. ille actutum jugum montis conſcendit, viditque, quam docuerat Angelus, arborem: quam cùm per ambages quæſitam demum inveniſſet, plura reperit, quàm Angelus nunciarat, de ſolâ Statuâ Virginis ſolicitus, ſiquidem ad pedes S. Statuæ, exa-

Apes. men apum vidit, induſtriè mellificantium, & ſub ipsâ arbore ad radicem, fontis ſcaturiginem dulciſſimam & ſaluberrimam. Stabat quoque juxta S. Statuam capſa ſacris reliquijs plena. Cæterùm ut ad hunc locum veniret, labor fuit, ſexaginta dierum pertinax, quibus ſemitam anguſtam vi ferróque, quin & igne aperuit, ſexaginta non ampliùs paſsibus longam, inventi theſauri fama protinus pagos urbéſque longè latéque pervaſit, acciti undique populi ad vota & preces incitantur, nec fruſtrà, nam vix S. Statua coli cæpta eſt; ſunt quoque videri miracula cæpta.

Id parum fuit, ſi non omnino Eremitæ novum & inauditum, reperti, qui ſibi hinc inde per ſilvam cellulas ſtruerent è ramis arborum contextas, & vitam ducerent Eremiticam, non alio quàm hujus S. Statuæ ſolatio: inter quos fuit *S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus*, ſi auctoribus credimus, qui hâc de re ſcripſerunt, certè monſtrant hodiéque veſtes, olim ipſi à ſummo Pontifice datas, quibus ad S. Miſſæ ſacrificium uteretur: dein & caput ſancti & lingua, unde unde allata, aſſervantur, & peregrinis monſtrantur. Cænobiticam denique vitam hos Eremitas egiſſe, probat culina, quam Monachi hodie oſtendunt, aiúntque S. Doctorem totius orbis exulem, in hac deſudaſſe, quando *Conſtantium* Imperatorem Arrianum fugiebat. Confirmat hoc miraculum in Miraculum. hæc uſque tempora perdurans ſacra, quam vocant, culina, ubi S. Doctorem coqui munere functum eſſe, & credunt, & evulgant Monachi. Aiunt enim, S. Doctorem, cùm huc perveniſſet cum ſocijs, penè frigore enectis, ingentem rogum incendiſſe, quod etiam poſtea, quoties peregrini advenirent, factitabat, néve ſanctos cineres labore quotidiano exportare cogeretur, miraculo Deiparam ſuccurriſſe, ut lignum exu-

ſtum

ſtum modicos poſt ſe relinqueret cineres. Cùm *Ferdinandus V.* Caſtellæ rex cum conjuge Eliſabethâ ſanctuarium hoc inviſerent, audiréntque hoc miraculum, periculum fecêre. Struem ingentem lignorum, ope ſervorum comportatam in culinam, incenderunt, viderúntque modicum cineris ſuperfuiſſe. Cùm tamen in pluribus circum locis incenſa ramenta, tantum cineris relinquerent, quantum ligna etiam alibi combuſta conſuevêre. Porrò cinis ille miraculoſus aſportatur, ægris in potum datur cum fructu, quòd ſi dictus miraculoſus cinis ad tergenda candelabra cuprea, vel argentea, aut alia quæq; vaſa, aut veſtes lineas laneáſq; mundandas adhibeantur, & æs, & argentum, & linum, & lana corrumpuntur. Culina.

Multis annis Auctoritate Apoſtolicâ interdictus fuit fæminis acceſſus ad S. Ædem, & Monachi S. Benedicti, quibus initio ſui Ordinis locus fuit traditus, idem ſervavêre: donec ut pijs adventantium votis ſatisfieret, conceſſum eſt, ut per *Natæ Virginis* octiduum poſſent S. locum intrare, eâ tamen lege, ut in hoſpitium à Cænobio ſejuncto diverterent. Terrorem incuſſit omnibus mors divinitùs inflicta nonnullis, quæ aut abditæ in Cænobio divertêre, vel apertè, pænâ contemptâ, clauſtrum de die intrârunt. IESULUS, quem Virgo brachio geſtat, facie erat ad populum converſa: ſed faciem avertit extinctis repentè lampadibus: cauſa fuit par conjugum, quibus abuti jure conjugalis thori ſuaſit impia pietas, in ipſa populi turba coram altari, avertit IESULUS, vultum, & lampades repentè extinctæ ſunt; & conjugum uterque frigidiſſimâ morte repentè obriguit. Pæna.

Reges Navarræ, Aragoniæ, & Caſtellæ, donarijs & munificentiâ regiâ templum ornavêre: præcipue *Philippus II.* in Arragoniam tendens, conventum regni celebraturus, in Monaſterio *Stellæ* febri correptus, penè deſperatâ ſalute, Virginis imploravit opem, & aquâ ſacri fontis potâ ſtatim convaluit. Ita ad me R. P. Chriſtoph. Ferd. de Accevedo ex Chronico anno 574. c. 4. R. Ant. Vepe Benedictini in Monte Serrato.

D X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MILITIA:
Sicli in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Candorem veſtijt Eva magna pura mali.*

1. B. V. in equo armata.
2. Veſtigium B. V.
3 Victoria.

Novum non eſt, Virginem ſuos defendere, hoſtes urbibus arcere, fugare, occidere, novum tamen Virgini eſt, comparere in equo, & armatam, & vibratâ lanceâ ire in hoſtem, & ſtragem facere. Hæc tamen omnia in ſuam tutelam à

accederent, propere ſcelera ſua & peccata confiteri cogebantur: nec defuit pænitentia, ſiquidem pro meritis Papa ille manus & tergum pænitentis & ſic confeſſi, lapide percuſſit, juſſitque ad tempus abſtinere ſale, pipere, carne: tū enimverò ita expiatus, ad orandum Numen admittebatur. Curam templi & Statuæ tam miraculoſæ hodie habent RR. PP. Auguſtiniani.

Cerimoniæ.

Hæc *R. P. Hippolytus Marracius, è Congreg. Clericorum Regularium Matris Dei*, hanc hiſtoriam Romæ impreſſit anno *1656*. ex pluribus Auctoribus, quos citat. Vir mihi amiciſſimus, qui plures libros doctos & bene materiatos ad honorem Deiparæ ſcripſit, & impreſſit, & multa pro honore Beatæ Virginis tulit.

CDXCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE USUA.

Planchæ in Regno Navarræ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pernicies, aut malum Adam, ignorat Eva.*

1. Columba.

2. Urbs ædificata.

3. Cor Regis.

ERga ſacram Imaginem Deiparæ *de Uſua* (ſeu *de Columba*) non minor hodie celebritas eſt, quàm eo tempore fuit, quo reperta eſt. Erat is locus, ubi hodie ſitum eſt templum ad honorem ejus ædificatum, deſertus & confragoſus: quò cùm paſtor gregem deduxiſſet, non ſine admiratione notavit columbam, frequentiſſimo volatu in exeſæ rupis ſpecum ſe abdere, egreſſámque ſæpius, eundem in locum revolare. Baculo atque lapidibus columbam pluries abſterrere conatus, cùm fruſtra omnia tentaret, majus aliquid ſuſpicatus eſt. Itaque ſuperatâ loci aſperitate in ſpecum irrepſit, ſacrámque Imaginem reperit, ad cujus pedes columba immota atque imperterrita ſtabat; miratus columbæ indicium, ac loci numen veneratus paſtor, in proximum oppidum (quod *S. Maria Planchæ* vocatur) regreſſus, rem incolis nunciat. Illi actutum in ſupplicationem coacti, ad ſpecum deveniunt, ſacrámque Imaginem, & coram eâ adſtantem columbam inveniunt, & quia arbitrati ſunt, eam ſibi ſedem elegiſſe Deiparam, excīſis ferro rupibus, areáque æquata templum extruunt, quod poſtea Regum munificentiâ amplum & magnificum evaſit.

Columba.

Mox religione loci illecti, deſerto oppido ſuo (cujus ruinæ ad tertium milliarium hodie conſpiciuntur) in rupem, quamquā omni ex parte præruptam commigrant, novum-

Rupes.

novúmque oppidum condunt, cui *S. Maria de Uſua* (ſeu Columba) nomen dedêre, ipsâ voce cauſam conditi oppidi atteſtante. Templum Navarræ Reges tum ob ſanctimoniam loci & miraculorum frequentiam, tum quia ab ipſa uſque Italiâ religionis causâ à multis frequentatur, magnis muneribus auxere, oppidanóſque multis immunitatibus donârunt. *Caroli II.* Regis cor theca incluſum in templo conſpicitur: quod ipſe devoti erga Deiparam animi documentum teſtamento legavit. Filius quoque *Carolus III.* paternæ pietatis hæres quamplurima argentea vaſa, quæ hodieque videntur, templo donavit. Hæc ad me R. P. Martinus de Lecava, Provinc. S. I. Reſ.

CDXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

REGIA,

In Monte Badonico in Angliâ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Luem duri pomi neſcit vera agna amata.*

1. Rex fortis.

2. Statua ſacra cultus.

3. Prælium mirabile.

LOcum, in quo fuit honorata hæc ſacra Deiparæ Imago, nominare non poſſum: quia rabies hæretica omnia ſacra ſuſtulit. Regiam Imaginem voco: (quanquam fortè alio nomine ſit appellata) quia eam Rex *Arturus* ſuis armis inſuerat in obſidione montis *Badonici*, & nongentos hoſtium ſolus adorſus incredibili cæde profligavit, ut habet *Wilhelmus Malmesburienſis l. 1. c. 1.* de geſtis Regum Angliæ. Idem Rex aliam Deiparæ habuit Imaginem, de quâ poſtea, Imaginem hanc templo alicui illatam, & publico utilem fuiſſe, non dubito: quæ tam inaudito portento cæteris miraculis viam ſtravit, plura tamen non habeo dicere. Obſidio.

***

D.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE ASCENSU

Stellæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ea ſit munda, ac pariat Virgo Emmanuel.*

1. Stella volantes.

2. Cantus Angelicus.

3. Urbs Stella.

IN urbe *Stella* templum eſt dicatum B. Virgini, quod *de Aſcenſu* nominant, ſeu *de Pui*: nam id

id ſonat hæc antiquiſſima vox Hiſpanica. Situm eſt in colle edito urbi imminenti. Ubi S. Deiparę Virginis ſimulacrum magnâ populi frequentiâ ac religione colitur, claretque miraculis. Fama tradit conſtantiſſima, hanc Statuam inventam eſſe, quo tempore *Sanctius* Ramirij filius, Navarræ &
Rex. Aragoniæ Rex, cum *Alfonſo* Caſtellæ Rege obſidionem Toletanæ urbis auxiliaribus copijs urgebat. Paſtores è vicino oppido *Abarzuza*, indicio circumvolantium per plures noctes Stellarum & Angelici concentûs perculſi, *Lizarræ* incolas monent. Hi purgato colle, à ſentibus hactenus obſito, & inacceſſo, abditam in ſpecu hanc S. Statuā repererunt. Pervulgatâ Toletum uſque famâ, *Sanctius* Rex finito bello in honorem Deiparæ *Stellam* urbem amplam & magnificam ædificavit, multiſque privilegijs in honorem Deiparæ cives honoravit: urbi *Stellæ* nomen indidit. Hæc ad me R. P. Ioſephus Moretus Societatis IESU, Pampelonâ.

CEN-

CENTURIA VI.

D I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CLYPEO.
Londini in Anglia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Neſciunt luem Adam, ergo anima pura.*

1. *Imago B.V. in Clypeo.*
2. *Vires ex aſpectu Imaginis.*
3. *Honor benefactori debetur.*

REx Angliæ *Arturus* Deiparæ devotiſſimus præter illam B. Virginis Imaginem, quam veſtibus inſutam geſtabat, aliam habuit, in parte interiore Clypei ſui depictam. Clypeum hunc præferri agminibus voluit, cùm in prælium Clypeus. ibant phalanges, Clypei vice fuit ipſa Virgo, quæ legiones miraculosè plerúmque defendit, ipſe Rex Clypei geſtator plerúmque fuit, & inter primos: labore prælij feſſus Clypeum ſuum inſpexit, & vires recepit. Hanc quoque S. Imaginem alicubi in templo expoſitam nequidquam dubito, credunt hoc, quotquot *Arturum* non Rex. ingratum faciunt, cur enim publici honores negarent ei, quæ publicis in prælijs toties aſtitit, profuit? Londini expoſitam fuiſſe opinari libet; ne multùm à Rege abeſſet, neque enim locum alium lego apud Iacobum Philippum Bergomatem Anno Chriſti Servatoris noſtri 489.

D II.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SACRARIO.
Pampelone in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Adami maculam per juſta Eva non gerit.*

1. *Regum unctio.*
2. *Remedium neceſſitatis.*
3. *Fiducia populi.*

IN urbe Pampelona, quæ totius regni caput eſt, inſignis eſt, & religio, & populi frequentia erga Imaginem Deiparæ Aſſumptæ, quæ *de Sacrario* nomen habet, in templo magnifico & vaſto, cujus curam habent Canonici Regulares S. Auguſtini, in hoc templo conſueverunt inungi & iu-

inaugurari Reges Navarræ, qui magnis donis & cenſibus templum dotârunt, & ditârunt, vel ideo etiam, quia Regibus pro ſepulturâ eſt. In maximis quibúſque populi neceſſitatibus hæc Deiparæ Imago publicâ ſupplicatione per urbem circumfertur, & ſalutaris imprimis habetur contra imminentes grandinis tempeſtates: quod frequentiſſimis experimentis compertum eſt, nam ſi nimbo imminente in publicum proferatur, actutum cernere eſt, quaſi ſpiculo perfindi nubes, nimbúſque diſſipari. Atque jam B. Virginis tutelam inſtar perpetui miraculi celebrat populus: ſive fiducia devotæ plebis miraculi cauſa ſit, ſive miraculum frequentiùs repetitum augeat fiduciam, mutuâ, ut aiunt, cauſalitate. Hæc ad me R. P. Martinus de Lecava, Provincialis Soc. IESU.

Sepultura.

Tempeſtas.

DIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
MEXICANA.
Mexici in Regno Mexicano.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. ***Diva en purè micat, aula gemmis ornata.***

1. *Flores miraculoſi.*
2. *Imago non manufacta.*
3. *Pallium in altari.*

AUriferi Regni metropolis eſt urbs Mexicána. Ex hâc urbe Indus quiſpiam Chriſtianus, cujus nomen ad me non pervenit, in villam abijt Surburbanam viâ aſperâ & Saxoſâ. Vix ſtadium ab urbe progreſſus; obviam habet commendabilis formæ Virginem quæ eum redire in urbem juſſit, & Archiepiſcopo nunciare, velle cæli Reginam eo in veſtigio ſibi templum extrui, ſimul hoc dicto, viam aliam ingreſſa videri deſijt, ſpecies tanto imperio digna (ut cætera abeſſent) coëgit Indum relegere viam, & Archiepiſcopo viſa auditáque nunciare; ſed quis Indo crederet ſive ludenti, ſive deluſo; ſive decipienti, ſive decepto? Itaque & ipſe Indus ad ſobrietatem ſapiens, dixiſſe contentus, ad negotium pauliſper intermiſſum ſe in villam contulit, ſed eodem iterum veſtigio in Virginem incidit, non minus jucundam facilémque ut ante; niſi quod acerbiùs, templum non jam ſuadebat, ſed intentatis minis etiam imperabat.

Apparitio.

Indus.

Fecit Indus, neglectâ villâ officium, & verbis jam non ſuis, ſed obviæ Virginis, & jam bis ipſos ante oculos diſparentis, quod nuper nunciavit, nunc denunciavit, ſed quis, inquit, Epiſcopus, tot ædificet templa, quot ſibi ſimpliciſſimus quiſque vel fabricat ipſe, vel fabricari ab alijs optat? Si Deiparæ cum hoc ſermocinatio fuit, non ægrè tertium redibit. Itaque vade, inquit; & ſi iterum Virgo occurrit, pignus fidei poſtula: ſine quo ſimplicibus hodie credi non poteſt, minùs debet. Sed & tertium villam petituro Virgo adfuit, & petenti, ut juſſus erat, fidei

pignus

pignus dedit, nam abductus ab eâ eſt paucis paſſibus in hortum floribus obſitum, ex quo decerptos flores totis manibus in expanſum ab Indo pallium abiecit, hoc, inquiens, pignus eſto. Ille anhelans, relictâ viâ, urbem & palatium ingreſſus, pallium exoneravit in proximam menſam: & hoc, inquit, juſſus afferre pignus, jam quod ſemel iterúmque ſuaſi templum, etiamnum poſtulo. Hiberni temporis rigor floribus non amicus, ad hæc hortus, qui nullus illic loci erat, verbis fidem fecit, ſed ubi flores ipſi, attentiùs à peritis inſpecti ſunt, inter exoticos ſunt habiti, ut quos tota regni glebâ producere non ſoleret, & ſicciſſima loci arena non poſſet. At verò, excuſſâ pauperis Indi lacernâ, viſa inſuper Deiparæ Imago eſt venuſtiſſima, intextæ propior, quàm depictæ. — *Flores.*

Hic enimverò & Imaginem ipſâ ſui origine miraculoſam proximus quiſque veneratus eſt: ac ubi res famâ increbuit, quamprimum loco ab ipſa Virgine deſignato templum ædificatum eſt, in quo Indi hominis pallium venerationi ipſâ in arâ exponitur, quia id B. Virgo impreſſione Imaginis ſuæ dignum fecit hoc honore. Magno cultu cives & accolæ hanc Deiparæ Imaginem proſequuntur, & inter Mexicanas gazas pro theſauro habent. Hæc ad me *R. P. Alfonſus Rodriquez Soc. IESV R. P. Didacus de Moroij Procurator Mexicanæ Provinciæ.* Imaginis ectypon ſecum Romam tulit, & cupro incidi curavit. — *Imago*

D IV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VIA.
Pampelone in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Omnis lingua eam puram à reatu edicat.*

1. Fures pij.
2. B. V. furtum approbat.
3. Imaginis fuga.

HÆc Deiparæ Imago, quæ Sacellum habet in templo S. Saturnini, *de Via*, nomen habet, magnâ eam religione populus frequentat ob inſigne miraculum, quo huc deducta eſt, in ripâ Iberi amnis in oppido *Alfaro* olim colebatur. Hinc ob inſignem miraculorum famam pio furto à quibuſdam ſublata, ac *Pampelonam* allata eſt, ſed repetentibus eam *Alfarenſibus* injuriam conqueſtis, regij Navarræ Senatûs ſententiâ *Alfarum* reducta eſt. At verò poſt paucos, quàm reſtituta eſt, dies, Angelico, ut creditur, miniſterio, humano certè nullo, ad priſtinam D. Saturnini ſedē ſtupente populo Pampelonenſi redijt, Alfarenſi populo ultrà repetere non auſo. Eam adeò ſibi perpetui domicilij ſedem miraculo ipſa elegit. Pompelona beneficium agnoſcit, & miris Statuam modis honorat. Nec Virgo minùs in Pampelonenſes benefica eſt. Hæc ad me R. P. Ioſ. Moret. S. I. — *Furtum.*

Proceſſio. pompam ad ipſum uſque puteum, jam pridem arefactum defert, puteóque, altaris in formam ornato imponit.

Hic verò ad ſuos converſus, Moyſen memorat, & Clementem Papam, & omnes denique, quotquot aquas levandæ ſiti à Deo impetratas è rupibus extorſerunt. Fidem modò haberent tanto portento dignam. Finitis cum pompâ precibus, ad templum Imago relata, & puteus repentè à quærentibus ſcaturiginem dare viſus juſſu Virginis meliorem, quàm priùs ſponte dederat. Abſtulêre primi plus, quàm ſiti levandæ requirebatur, & in futuram neceſſitatem providi, quidquid aquam capere poterat, aquâ repleverunt, verentibus cæteris, ne putei modici, non perennis forte ſcaturigo deficeret. Sed dedit Virgo, ut filius ſolebat, liberaliter menſuram bonam, confertam, & coagitatam: etenim toto obſidionis tempore puteus officium ſuum fecit; & tantum aquæ deſideratum non eſt, quantum puteus ad obſequiũ Virginis inſtructus haurientibus obtulit; ſequentibus deinde annis erepta tandem Hiſpanis hæc urbs eſt: cùm inter alia hæc quoque miraculoſa Deiparæ Imago barbaro furori ſubtracta, & in civitatem *Conceptionis* delata eſt: ubi hodiéque miraculoſæ titulum continuatis ſemper beneficijs tuetur. Accepi hæc ex ipſa Hiſtoriâ Chilenſi Romæ impreſſa.

Puteus.

D V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE RONCAUALLE:

Roncavalle in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Iam Virgo patet munda ſine rea macula.*

1. Valetudinarium peregrinorum.
2. Pecunia parva par expenſis.
3. Catena prætorij votiva.

IN Diœceſi Pampelonenſi, non procul Galliæ limitibus, planities eſt altiſſimis Pirenæis montibus cincta, quam *Roncavallem* dicunt. Hoc in loco peregrinis voti causâ *Compoſtellam*, atque alia pia Hiſpanorum loca adeuntibus, & utique jam non parùm feſſis, in viæ ſolatium eſt hoc Beatiſſimæ Virginis templum, Collegio Canonicorum S. Auguſtini nobile. Hic dona peregrini vident Principum, Regúmque; & omnium propè totius Europæ gentium. Hi penè dixerim communi ſtudio templum hoc excoluerunt, atque ampliſſimis cenſibus, per Hiſpaniam, Galliam Germaniam, Angliámque dotârunt; & durârunt; hæc pietatis indicia, quamdiu veræ fidei optimæ leges durârunt. Templum.

Ut verò hæreſis omnium ſacrorum ingluvies ſupervenit, & illa quoque finem ſuum invenerunt. Magnificum hic hoſpitium eſt, ubi in honorem Deiparæ, omnium gentium peregrinis largè Chriſtiana miſericordia impenditur:

tur: & ſi qui eorum ægrotent, in valetudinarium deportantur, curantúrque perhumanitèr, nec niſi refectis omnino viribus progredi porrò ſinuntur. In ijs peregrinorum hoſpitum expenſis quotidianũ Deiparæ miraculum eminet, nam cùm redditus æquare expenſas nequeant, utiè ſupputatis rationibus conſtat, quot annis tamen ſufficere deprehenduntur. Quo tempore coli cæpta ſit ſacra Virginis Imago, propter vetuſtatem non ſatis liquet. Ex ijs una eſſe creditur, quas Chriſtiani Maurorum armis per Hiſpaniam vexati in ſpecus abdiderunt, ut barbaris ſubducerent. *Doctor Navarrus* ejus templi Canonicus Regularis S. Auguſtini, ad *Caroli Magni* ætatem refert, & Angelici concentûs indicio deprehenſam ait, quanquam Roncavallenſes *Sanctium Roſam* Epiſcopum Pampelonenſem ſub annum Chriſti 1140. *Sanctiúmque* Navarræ Regem, cognomento *Fortem*, circa annum 1200. Conditores ſuos nuncupant ob reditus legatos, templique ac domûs magnificentiorẽ extructionẽ. *Sanctius* ipſe Rex hunc ſepulturę ſuę locum delegit, ornavitque templum appenſâ ante aram Virginis catenâ ex ijs unâ, quibus vallatum *Miramammolini* prętorium ipſe perruperat, memorabili ad Navas Toloſanas cum Afris mahumetanis prælio. Hæc ad me *R. P. Ioſephus Moretus Soc. IESU* Pampelonâ, qui de miraculis plura addidit, quia tamen hæc ab alijs non diſcrepant, ne lectorem fatigarem, omiſi.

Hoſpitium. Rex.

D I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

TRAVANCORITANA,

Travancori in India.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Nude eam cano regiam puritatis aulam.*

1. Aſpectus Imaginis movet.
2. Lachrymæ IESULI lactea.
3. Ex milite Religioſus.

EA Indiarum parte, cui Travancor nomen eſt, jam olim fides Chriſtiana prædicata, & proximo ſæculo laboribus & curâ S. Xaverij aucta & confirmata eſt. Hinc quàm longo tractu hæc provincia excurrit, plurima ibi Chriſtianorum templa altis turrium apicibus conſpicua ſunt, contigit, ut miles, qui ſub Rege Luſitano merebat, templum intraret: & quia ad rem facit militis nomen, & patria, & vita, ex auctore appono.

In Inſularum una, quibus *Tercera* nomen eſt, natus hic miles nomen habuit, *Benedictus Goës*: vitam vixit planè militarem & diſſolutam. Is, inquam, templum ingreſſus cum ſocio comite, coram altari flexit genua, intuitus Statuam Deiparæ ligneam IESULUM brachio tenentis, hic apertis animæ oculis vidit, quã propè eſſet ab inferno. Flevit itaque, & tan-

Altare.

tantùm non deſperavit, vidit tamen (prô ſolatium) infantem IESUM flere, ſed lachrymas fundere lacteas. Hinc animo confortatus, ſocium militem vocat in teſtem portenti, hic cæteros; nemo fuit, quem non IESULI lachrymæ ad lacrymas permoverent, res Duci indicata eſt publico plauſu digna. Itaque B. Virgo à militiâ pedeſtri, more militari ſalutatâ eſt tribus omnino exploſionibus, etiam majorum tormentorum, & ſic hoc lætitiæ ſigno actæ gratiæ ſunt. *Benedictus Goës* tantarum lacrymarum cauſa, confeſſione generali ſe ritè purgavit, & Societatē IESU ingreſſus eſt. In hâc oblatū ſacerdotium (non enim perfunctoriè litteris imbuuts erat recuſavit, laicus permanſit, temporalis adjutor factus: tum ſocius R. P. Hieronymo Xaverio (magni Xaverij nepoti) datus, in regnum Mogor abijt, ibíque vitam pluribus annis religiosè actā religiosè finivit. Deiparæ Statua utique publicis honoribus excepta; & votis honorata eſt à poſteris, quia tamen nil de hâc re ſcribit *R. P. Daniel Bartoli* in ſuâ Chinâ *fol. 465.* unde hæc accepi, nihil ampliùs de miraculis apponere poſſum.

Lachrimæ. Statua.

D V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. MARSIACENSIS. *Marſiaci in Gallia.*

Pro̧r. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Unica gemmâ palam nivea ut roſa ridet.*

1. Remedium peſtis.
2. B. V. ſacellum imperat.
3. Concurſus peregrinorum.

Circa annum 1622. in oppido Marſiacenſi erectum eſt Deiparæ Sacellum. Intereſt ſcire originem & cauſam hujus ædificij: laborabat oppidum atrociſſimâ lue, quæ plurimos jam cives depopulata, finem tamen tantæ calamitati non dedit: cùm Deipara apparuit mulieri cuidam, dixítque, non antè ceſſaturam, quam eo loco in honorem ſuum Sacellum ædificaretur. Ædificatum eſt templum, ceſſavit Peſtilentia.

Apparitio.

Hodie totiùs provinciæ concurſu fiunt peregrinationes ad hoc Sacellum, quod non longè à ſuburbio in campo ſtat, templo, ut dixi, quàm Sacello ſimilius: fiuntque in eo frequentiſſima & illuſtriſſima miracula. Reddita ſubitâ ſanitas paralytico: Luſco alterum, quo carebat, lumen reſtitutum: aliáque id genus multa, quæ Auctoritate Archiepiſcopi Auſcitani tabulis ritè mandantur, & brevi typis mandabuntur. Hæc ad me R. Pater Iacobus Baiſſene Societatis IESU.

***

D I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
ANGOLITANA:
Angolæ in India.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Sion arca Eva nil impurum Adam tegat.*

1. Imago hoſtibus inviſibilis.
2. B. V. apparens terret hoſtes.
3. Victoria in Feſtis B. V.

HÆc S. Imago primum ſuum cultum habet à Duce quopiam Luſitano, qui eam exercitui prætulit, cùm Angolitanos oppugnaret, quotidie flexis genibus, & publicâ prece honorem ſuum à militibus accepit, & paucis Luſitanis, contra plurimos barbaros in prælijs. Hanc certè Imaginem hoſtes aliquandò, explicatis omnium Luſitanorum ſarcinis ſcrinijsque reperire nequiverunt. Denique magnâ pompâ, ut miraculoſa in arcem Angolitanam delata eſt: ubi adhuc magis prodeſt Luſitanis, ſiquidem in aëre ſupra arcis faſtigium conſpicua, duodecies centena millia Angolitanorum terruit, & paucis Luſitanis in cædem tradidit.

Proceſſio.

Et quia Societas IESU ibi ſedem habet, Virgini Congregationem erexit, titulo *de Victoria*, non vano, nam Luſitani, quæ bello proſperè illis in partibus acta ſunt, huic S. Iconi in acceptis referunt. Hic nuncupant vota ad bellum profecturi: hinc diſcedunt expiati ſacris myſterijs: Huc redeunt cum donis vota perſolventes, quin & ipſam etiam Dei Genitricis effigiem ferunt in caſtra, & quia memorant, omnes dies Deiparæ ſacros Victoriâ quapiam felices fuiſſe, vix alijs diebus ad prælia vadunt. In ſtativis ædificant Imagini ſacræ Sacellum extemporaneum, quod iterum, cum mutant locum, deſtruunt, ne ab hoſte profanetur. Ita R. P. Franciſcus Benzius noſter in Reſidentia Angolitana. Anno 1587.

Anathemata.

D X.

Imago B. V. Miraculoſa.
SARRACINA:
Sarracinæ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Terra pia ac munda à malo genuit IESUM.*

1. Bos natans ad Statuam B. V.
2. Saxea Statua B. V. natans.
3. Arbor juxta flumen immobilis.

LOcus ad Pirenæos montes in extremâ Galliâ creditur habere nomen *à Saracenis*, quos ibi *Carolus Magnus* profligavit, vallis erat ſilvis denſiſſimis obſita, adeóque ſolis paſtoribus cognita: quorum unus dum frequenter boves in

paſcua

paſcua illuc agit, animadvertit; taurum quotidie ſeſe gregi cætero ſubduxiſſe, & quo pergeret, inſcius, decrevit eum inſequi. Taurus. Taurus ad *Gavium* flumen, quod vallem interſecat, rectà contendit, quaque parte rapidiſſimus eſt fluvius, tranſit: ſuperatóque alveo in ipſâ ripâ procumbit in genua: quod tamdiu miratus eſt bubulcus, dum conſpexit Deiparæ exciſam è lapide Statuam prope ingentem ſilicem. Rem Epiſcopo indicandam prudens bubulcus ratus, quamprimum acto domum grege, id omne, quod vidit, indicat Epiſcopo, is fidem paſtori habuit, & cum toto Clero civibúſque ordinatiſſimâ ſupplicatione ad locum devenit, S. Statuam ſuſtulit, Statua. & in templum Cathedrale detulit. Excitâ undique novitate miraculi viciniâ, magno numero viſendæ Statuæ cupida, ad ædem posterâ die confluxit; ſed Statua jam locum ſuum repetiverat. Itaque Epiſcopus Sacellum eodem in loco decrevit, quod paulò pòſt ædificatum, plurimorum donis magnificè eſt ornatum & ampliatum.

Hodie curam habent RR. PP. Præmonſtratenſes, qui quadringentos & amplius annos locum obtinent. Floruit locus miraculis, è quibus hoc ſolum memoro. Fuere, qui vellent omnem loci pietatem extinctam; itaque S. Statuam loco ſuo dimotam præcipitant in vicinum fluvium. Statue. Illa tamen velut natare docta, nunquam fundum, ſemper littus petiit: ſæpius namque ab undis ad littus actam iterum magnis viribus egerunt in altum; tantæ molis erat horum ad frugem converſio. Viſo namque ſaxi portentoſa natatione, ipſi quoque meliora conſilia agitarunt. Salix, prope quem Statua ſedem fixerat, nullis rapidiſſimi fluminis vorticibus moveri loco unquam potuit; quantumvis arbores alias etiam majores nonnunquam radicibus evelleret, & domus cum fundamentis avulſas ſecum aveheret, quin, quod incolæ memorant, ſæpius à peregrinis fruſtillatim ſilex iſte tantùm non aſportatus, nihil tamen de mole ſua perdidit. Hodie adhuc miraculis claret, & peregrinationibus celebratur. Ita ad me R. P. Georgius Hokius Rector Bethun. Soc. IESU.

D X A

Imago B. V. Miraculoſa.
DE BALUANERA.
Baluaneræ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA; gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *E vi margarita penitus munda macula.*

1. Ex latrone Eremita.
2. Apes colunt B. V.
3. Cinis mirè miraculoſus.

IN montibus Pirenæis, qui totam penè Hiſpaniam ſecant, locus eſt *Baluanera* dictus, in hoc Cænobium eſt S. Benedicti, nomen loci retinens, verè vallis venarum,

narum, ob metallorum & aquarum copiam. In hoc Cænobio Statua Deiparæ eſt, quatuor ferè pedes alta, materiam nec periti quidem agnoſcunt, ante mille trecentos annos inventam aſſerunt in trunco querno, ſemper miraculoſa, & apud accolas in cultu fuit, ſi inventorem quæras, fuit

Latro. is *Mugno onne*, vir nobilitate clarus, ſed latrocinijs & cædibus notior, denique publicus latro: ad ſe tamen aliquando reverſus, pænitentiam ſcelerum inſtituit, in ſpecu rupis altiſſimæ, quam in medio montis reperit, factis laborioſâ arte gradibus, per hos cum Sacerdote ſuo contubernali ibat redibátque pluribus annis non parvæ virtutis Eremicola. *Mugnus* iam Deo charus meruit ab Angelo edoceri, quo loco hæc Deiparæ Statua lateret. Quercum, inquit, altiſſimam quære, & in cavo ejus trunco reperiès Statuam Virginis.

Hæc Angelus. ille actutum jugum montis conſcendit, viditque, quam docuerat Angelus, arborem: quam cùm per ambàges quæſitam demum inveniſſet, plura reperit, quàm Angelus nunciarat, de ſolâ Statuâ Virginis ſolicitus, ſiquidem ad pedes S. Statuæ, exa-

Apes. men apum vidit, induſtriè mellificantium, & ſub ipsâ arbore ad radicem, fontis ſcaturiginem dulciſſimam & ſalubetrimam. Stabat quoque juxta S. Statuam capſa ſacris reliquijs plena. Cæterùm ut ad hunc locum veniret, labor fuit, ſexaginta dierum pertinax, quibus ſemitam anguſtam vi ferróque, quin & igne aperuit, ſexaginta non ampliùs paſsibus longam, inventi theſauri fama protinus pagos urbéſque longè latéque pervaſit, acciti undique populi ad vota & preces incitantur, nec fruſtrà, nam vix S. Statua coli cæpta eſt; ſunt quoque videri miracula cæpta.

Id rarum fuit, ſi non omnino novum & inauditum, reperti, qui ſibi hinc inde per ſilvam cellulas ſtruerent è ramis arborum contextas, & vitam ducerent Eremiticam, non alio quàm hujus S. Statuæ ſolatio: inter quos fuit *S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus*, ſi auctoribus credimus, qui hâc de re ſcripſerunt, certè monſtrant hodiéque veſtes, olim ipſi à ſummo Pontifice datas, quibus ad S. Miſſæ ſacrificium uteretur: dein & caput ſancti & lingua, unde unde allata, aſſervantur, & peregrinis monſtrantur. Cænobiticam denique vitam hos Eremitas egiſſe, probat culina, quam Monachi hodie oſtendunt, aiúntque S. Doctorem totius orbis exulem, in hac deſudaſſe, quando *Conſtantium* Imperatorem Arrianum fugiebat. Eremitæ

Confirmat hoc miraculum in hæc uſque tempora perdurans ſacra, quam vocant, culina, ubi S. Doctorem coqui munere functum eſſe, & credunt, & evulgant Monachi. Aiunt enim, S. Doctorem, cùm huc perveniſſet cum ſocijs, penè frigore enectis, ingentem rogum incendiſſe, quod etiam poſtea, quoties peregrini advenirent, factitabat, néve ſanctos cineres labore quotidiano exportare cogeretur, miraculo Deiparam ſuccurriſſe, ut lignum exuſtum Miraculum.

ſtum modicos poſt ſe relinqueret cineres. Cùm *Ferdinandus V.* Caſtellæ rex cum conjuge Eliſabethâ ſanctuarium hoc inviſerent, audiréntque hoc miraculum, periculum fecêre. Struem ii gentem lignorum, ope ſervorum comportatam in culinam, incenderunt, viderúntque modicum cineris ſuperfuiſſe. Cùm tamen in pluribus circum locis incenſa ramenta, tantum cineris relinquerent, quantum ligna etiam alibi combuſta conſuevêre. Porrò cinis ille miraculoſus aſportatur, ægris in potum datur cum fructu, quòd ſi dictus miraculoſus cinis ad tergenda candelabra cuprea, vel argentea, aut alia quæq; vaſa, aut veſtes lineas laneaſq; mundandas adhibeantur, & æs, & argentum, & linum, & lana corrumpuntur.

Culina.

Multis annis Auctoritate Apoſtolicâ interdictus fuit fæminis acceſſus ad S. Ædem, & Monachi S. Benedicti, quibus initio ſui Ordinis locus fuit traditus, idem ſervavêre: donec ut pijs adventantium votis ſatisfieret, conceſſum eſt, ut per *Natæ Virginis* octiduum poſſent S. locum intrare, eâ tamen lege, ut in hoſpitium à Cænobio ſejuncto diverterent. Terrorem incuſſit omnibus mors divinitùs inflicta nonnullis, quæ aut abditæ in Cænobio divertêre, vel apertè, pænâ contemptâ, clauſtrum de die intrârunt. IESULUS, quem Virgo brachio geſtat, facie erat ad populum converſa: ſed faciem avertit extinctis repentè lampadibus: cauſa fuit par conjugum, quibus abûti jure conjugalis thori ſuaſit impia pietas, in ipſa populi turba coram altari, avertit IESULUS, vultum, & lampades repentè extinctæ ſunt, & conjugum uterque frigidiſſimâ morte repentè obriguit.

Pœna.

Reges Navarræ, Aragoniæ, & Caſtellæ, donarijs & munificentiâ regiâ templum ornavêre: præcipue *Philippus II.* in Arragoniam tendens, conventum regni celebraturus, in Monaſterio *Stellæ* febri correptus, penè deſperatâ ſalute, Virginis implorâvit opem, & aquâ ſacri fontis potâ ſtatim convaluit. Ita ad me R. P. Chriſtoph. Ferd. de Accevedo ex Chronico anno 574. c. 4. R. Ant. Vepe Benedictini in Monte Serrato.

DXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MILITIA:
Sicli in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Candorem veſtijt Eva magna pura mali.*

1. B. V. in equo armata.
2. Veſtigium B. V.
3 Victoria.

Novum non eſt, Virginem ſuos defendere, hoſtes urbibus arcere, fugare, occidere, novum tamen Virgini eſt, comparere in equo, & armatam, & vibratâ lanceâ ire in hoſtem, & ſtragem facere. Hæc tamen omnia in ſuam tutelam à

Virgine fieri vidit urbs Siclitana. Premebant urbē Saraceni obſidione durâ, nec civibus ampliùs ullū niſi in Virgine ſubſidium erat. Itaq; ritè invocata ad ſuorum tutelam in tempore adfuit, coronâ, quæ Reginam decet, redimita, candidis nivémq; ſuperantibus armis munita, & niveo ſublimis, equo, lanceâ deniq;, quam peritiſſimè vibrabat, tremenda, ſic in hoſtes filij, Saracenos ferebatur: ſic ſtragem ſola edebat, quam exercitus ſperare non eſt auſus. Quos permiſſa à Virgine fuga non ſervavit, omnes, quotquot reſiſtere auſi ſunt, cecidit, hæc Siclitani cives bono ſuo viderunt, verè fieri: niſi dicere quis velit, & ſpolia quoq; fuiſſe ſomnia, quibus urbem ſuam ditârunt. Cæterùm ſive Virginem ipſam hæc feciſſe credas, ſive ejus loco Angelum, Virginis, ſpecie apparentem, ut pronum in ſe animum Virginis cives certiore teſtimonio intuerentur, per me licet; veſtigium Virginis, cùm ex equo deſcenderet, terræ impreſſum Majores in ſumma veneratione habuerunt, locum veſtigij (nam oſculis deniq; attritum perijt) hodie adhuc inquilini nō minore pietate venerantur: néve memoria periret apud poſteros inuſitati & penè inauditi auxilij, templum ingens in loco extruxerunt: in quo princeps altare Virginem eo, quo dixi, habitu refert pugnantem pro Siclitanis: qui quia benefactrici ſuæ in loco grati ſunt, audent ſperare paria à Virgine auxilia; ſi par Saraceno hoſtis urbem infeſta ferit, miracula ibidem fieri, & concurſus perpetuus, & monumenta parietibus appenſa teſtantur. Hæc ad me *R. P. Paulus Caſtelleti Rect. Colleg. Siclitani Soc. IESU* qui addit in ſuis litteris, rem apud Siclitanos cives eſſe certiſſimā: & ne dubitem eam typis edere

Appari-tio. Altare.

DXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. GRAIACENSIS. *Graiaci in Burgundia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Veni pura gemma tota, ſine dira macula.*

1. *Lignum ſacrum.*
2. *Fœmina muta.*
3. *Iter felix.*

ANno 1616. vidua *Salinenſis* peregrinationem votivam inſtituit in *Belgium* ad *Montem acutum* inde fruſtum ligni ſecum tulit è quercu illa miraculoſa. Graiaci divertit ad hoſpitem hæreticum, cui uxor fuit Catholica. Inter prandendum hæretico monſtrat hoc ramentum quernum ſibi chariſſimū, ille cum riſu in proximū ignē ramentū abijcit, vociferationibus mulier domū implet, facítq;, ut hoſpita, quæ Catholica erat, forcipe ferreâ extraheret lignū, hactenus à flamma illæſū, venit vidua ad oppidū *S. Claudij*, curavítq; ab artifice ſtatuario Statuā Deiparæ ex hoc ligno fieri; quā demū Graiaci RR. PP. Capucinis dono dedit, quatuor. hic

Statua.

Inde origo tantorum miraculorum, quæ ad me fide publicâ perſcripta ſunt ab *Admodum R. P. Claudio Iobeloto Canonico Metropolitanæ Biſuntinæ*, qui fuit Examinator miraculorum. Placet addere verba, quibus Epiſtolam ſuam, in quâ plura memorat, concludit.

Teſtimonium.

Antequam ait iter illud bis mille quingentarum leucarum ingrederer ad informationes faciendas, pro prædictorum miraculorum fide adſtruenda colico morbo occupatus, ad extrema deductus adeò ſum; ut cogitationem de profectione tredecim menſium deponerem, verùm ſpe in D. Virginem erectus in viam me dedi: neque morbi quidquam in hanc uſque diem ſenſi; quod vero magis mirum videbitur, eſt, quod ſpacio tredecim menſium per tantum iter neque meus, neque Notarij, qui me comitabatur, equus ſoleam ullam amiſerit, &c. Miraculorum præter naturam editorum, uſque ad duo millia octingenta ſexaginta inveni, fidem & veritatem ipſe adſtruxi, tot alia inveni miracula inferioris generis. Hæc ad me (cum litteris citatis) R. P. Pet. Arimont, Soc. IESU.

D X I V.

Imago B. V. Miraculoſa. ÆGRORUM *Refadali in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mira Agna Dei te altè puram invocamus.*

1. Iocus importunus punitur.
2. Pictor Cornutus.
3. Lux & fons pro V. B.

REfadalium oppidum eſt Agrigentino Epiſcopo ſubjectum, hic Virginem pinxere Majores in altari Principe eo geſtu ſitúque; quo ſubjectis ægris è nubibus benè precatur, & ſalvos ſanóſque eſſe jubet. Honorem Imago accepit non vulgarem: quia Virgo non vulgaribus morbis ſe invocantes liberavit, jámque cætus coaluerat Virginem certis legibus honorantium & Sabbatinis præſertim diebus preces litaneuticas cantantium, alia tamen eſt Virginis Statua, de quâ hic loquor, in quam ſub eodem titulo Ægrorum tranſlata ſunt vota precantium. Anno ſæculi prioris octogeſimo quinto: quo quatuor viri Congregationis Marianæ pictori *Nicolao Butafuoco* Statuam è ligno ſculptam locârunt auro bracteato obducendam, fecit ille opus: cùm neſcio quis intentùm labori rogat, & quando hæc Deiparæ Statua patratura eſſet miracula? Tum pictor joco non opportuno: *Tum*, inquit, *quando capiti meo cornua ſuccreſcent.*

Litaniæ.

Cornua.

Hoc eſt ignem ſpuere, ut conveniant rebus nomina nempe ſuis, ne Virgo hominis jocularis imperio miracula diu differre cogeretur, crevêre eo temporis momento cornua ſemidigitum longa, ad calcaris gallinacei formam ille tanto frontis probro jam ſapientior, didicit moderatam Virginis in importunè joco-

ſos ſententiam: ſimúlque docuit alios, de rebus ſacris jocos mittere, & loqui modeſtiùs. Secuta deinde in quosvis ægros beneficia non indigna; quæ magnis etiam miraculis adnumerentur: maxime poſtquam deprehenſa eſt haberè vim medicam, limpidiſſimi fontis ſcaturigo, reperta ad pedem arboris, quæ truncum pro Statua dedit. Aiunt teſtes fide digni, arborem priuſquam in uſum S. Statuæ cæderetur, noctibus lucidiſſimâ face inſignem luxiſſe ignaris, quid hic fulgor portenderet. At verò ubi hoc ex trunco Statuam Virginis fieri viderunt, nemo fuit qui non miraculoſam fore ominaretur. Lux.

Hinc illæ lacrymæ pictoris, quas intempeſtivus jocus prolicuit. *Scipio Piſanus* ſodalium cœtum, in meliorem formam redegit anno ſui ſæculi undecimo, & ſcriptis legibus firmavit quæ hodiéque magno loci bono ſervantur. Miraculis plus octingentis conſcriptis, morte præventus, lucem dare non potuit. Hodie in numerato non ſunt Virginis beneficia, ita creſcente incolarum pietate, crevit quoque in eos Virginis Deiparæ beneficentia, advertant, qui ſacræ ſcripturę verba detorquere ad jocos ſolent, pro coronâ cornua habituri, niſi ſe emendent. Hæc ad me R. P. Paulus Caſtelleti Rector Collegij Siclitani Soc. IESU. Miracula.

D X V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MONTE FILERMO. *Valletæ in Inſula Melita.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Aurorâ & Lunâ magis munda emicat pia.*

1. Ruina templi Statua innoxia.
2. Dæmon mirabilis.
3. Miraculum in Græca fœmina.

Filermus mons è Rhodijs unus, duabus ferè leucis diſtat ab urbe Rhodo. Habuit mons hic Imaginem hanc Deiparæ, quamdiu, penè dixerim, Chriſtiani Rhodum habuêre. Antiquiſſima n eſſe conſtat, & concurſu Chriſtianorum propter miraculorum famam multùm celebrem, Religioſi Equites magnam ſemper theſauri hujus curam habuêre; etenim jam ab antiquo proviſum ab ijs eſt, ut quando à Turcis periculum eſſet, Imago ſacra inferretur urbi, in qua templum S. Marci velut proprium ſemper habuit. Obſidionis tempore, mortario bellico inuſitatæ magnitudinis excuſſus lapis, templi tectum afflixit, cecidit ſanè lignea tecti moles, & ante ipſam Virginis Iconem conſedit, multorum gravi, nullo tamen S. Statuæ damno. Turcæ.

Itaque ad D. Catharinæ templum deportata eſt. At verò cùm urbem factâ traditione ſuam fecêre Machometani, tum enimvero cum cæteris templi theſauris, ita permittente Turcâ, hæc quoque S. Imago avecta eſt; ac Melitenſi inſulæ, & civitati Vallettæ illata, retinet hodiéque cum titulo antiquo *de Monte Filermo*, titulum mira- Fuga.

miraculoſæ. Ex omnibus miraculis unicum pono, quod raritate ſuâ lectori non injucundum erit, præterijſſem ſane rem, quæ fidem ſuperat, ſi privatis tantum litteris ad me perſcripta eſſet. At quia juſſu magni Magiſtri per Notarium publicum è tabulis publicis excerpta eſt, & majore religionis Melitenſium equitum ſigillo munita ad me pervenit, eam ita; ut ad me perſcripta eſt, id eſt, ipſa publici inſtrumenti verba hic admetior.

Teſtimonium.

Frater Ioannes Paulus Laſcarius Caſtellor Dei gratiâ ſacræ domûs hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani, & militaris Ordinis S. ſepulchri Domini, Magiſter humilis, pauperúmque IESV Chriſti cuſtos, univerſis & ſingulis, præſentes noſtras litteras viſuris, lecturis, & audituris ſalutem. Notum facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter infra ſcriptum decretum extractum fuit ex libro Conciliorum in Cancellaria noſtra conſervato, in quo ſimilia notari & Regriſtrari ſolent, quod quidem in hanc publicam formam extrahi & redigi juſſimus, ut ubique tam in judicio, quàm extra judicium, videmplena & indubitata fides adhibeatur, cujus eſt, quod ſequitur, videlicet (hîc omitto quædam, quæ ad miraculum non pertinent, ſequitur:) *Tanto magis non impediant papalem Græcum Carpathium, qui miraculoſam gratiam accepit à B. Maria, quæ colitur in dicta Eccleſia in Monte Filerme in perſona ejus uxoris; quam liberavit a dæmonibus, quos in forma ranarum vivarum evomuit, & etiam cujuſdam alterius animalis, quod ſine ullo cibo adhuc poſt annum vivit, quare nolunt, ut in ſua devotione moleſtetur* (& poſt ea, quæ litem privatam concernunt) *& quia ita ſe habet veritas, factáque fideli cum Originali collatione concordare comperimus; ideo in hujus rei teſtimonium Bulla noſtra Magiſtratus in cera nigra præſentibus eſt impreſſa, data Melitæ in conventu noſtro, die 19. Febr. 1651.* Hæc omnia ad me perſcripſit, & Autographum miſit *R. P. Franciſcus Manthu Rector Collegij Melitenſis, Soc. IESU. Iacobus Boſius* in hiſtoria hujus Imaginis.

D X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

C Y R E N E N S I S.

Cirene in Cypro.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Unica Roſa & palma mire munda vigeat.*

1. Miracula cum Turcis.
2. Statua B. V. toto orbe venuſtiſſima.
3. Statua Turcis ſubtracta.

TRibus à Cirene millibus paſſuum eſt ad amœniſſimum collem templum, & antiquitate ſuâ venerandum, & venuſtate fabrili celeberrimum. In altari principe ſtatua erat Deiparæ inaurata, quæ miraculis tum claruit ita, ut opinio omnium eſſet, petentis vitium eſſe, ſi, quod petit non obti-

Munera. tineat. Certè ipſi Turcæ munera ſua ferebant, & gratias ſanitatis referebant, unum, quod oculatus teſtis advertit, eſt, quòd baſis Statuæ marmorea longè ipſa Statua pretioſior ſit, & venuſtiſſimi operis, fuit, qui interrogaret Patrem Baſilianum, quorum Abbatia hæc eſt, de Statuæ antiquitate. Statua, inquit, quadringentos circiter annos habet, poſitaque hìc eſt loco alterius; quæ metu Turcarum tranſportata hinc eſt in Siciliam, vel Italiam, ſi baſin conſideres curioſiùs, ejuſdem lapidis eſt, ejuſdemque artificis manum exhibet, qui Drepanitanam elaboravit; quæ omnium totius orbis creditur à plurimis venuſtiſſima. Statua. Quæ ſi vera ſunt, Templarij Equites eam non ex Rhodo, ut quidam putant, ſed ex Cypro Inſulâ, urbe Cyprene Drepanum attulêre; quod ut notatu ſcriptuque dignum, ad me ſcripſit, *R. P. Hieronymus de Laguna Soc. IESU*, ex urbe Drepanitana fide teſtium ſubſcriptorum & manu Notarij Iurati firmatum.

DXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. CASTILIONENSIS.

Caſtilione in Burgundia

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ea eſt origine pura munda, Immaculata.*

1. S. Bernardi pietas.
2. Lac ex ubere Statuæ.
3. Virgo ſingularis B. V.

Statua hæc lignea ab annis plus mille hic eſſe creditur, quod mireris, nullâ carie corrupta, ſedet Virgo, ac manu utraque IESULUM genibus ſuis inſidentem tenet. S. Bernardus olim hujus S. Statuæ cultor eximius fuit. Hic ab anno ætatis ſeptimo uſque ad vigeſimum primum creditur vixiſſe Caſtilione. Atque hæc ipſa Statua eſt, quæ precanti impensiùs S. Bernardus. Bernardo, dicentique verba illa: *Monſtra te eſſe Matrem*, manu pectori admotâ è ſacratiſſimo ubere de cælo pleno tres ei guttas lactis expreſſit; quæ in os orantis Bernardi exiliêre, ejuſque cor tantâ ſuavitate impleverunt, ut exclamaret: *Virgo ſingularis, inter omnes mitis, nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos. R. P. Stephanus le grand* noſter in hiſtoria ſancta urbis Caſtilionenſis ſcribit, & idoneis auctoribus probat. *Henriquez* in Menologio Ord. Ciſterc. die 13. Martij addit, B. Virginem ei etiam obtuliſſe filium ſuum, dicentem: Bernarde, ſuſcipe puerum meum totius mundi Redemptorem. Appoſitio. Miracula ſcripſit auctor ſupra citatus, quæ, quia ordinaria ſunt, omitto. Hæc ad me perſcripſit R. P. Thomas le Planc. Soc. IESU.

DXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
CONSOLATRIX.
Luxenburgi in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Macula pura Diva nitę ornata gemmis.*

1. Fœmina muta curata.
2. Fundatio miſſarum larga.
3. Primum Soc. IESU ſæculum.

QUidam ſacerdos è Soc. IESU Luxenburgi inductus plurium exemplo, & nixus ſibi pridem cognito civium Luxemburgenſium in Deiparam Virginem affectu, pietatíſque ſtudio, de Sacello in ejuſdem Dei matris honorem extruendo cogitavit, eo loco, ad quem Dominicis præſertim diebus, ac feſtivis, cujuſcunque ætatis & ſexûs homines ſtatis curis laboribúſque ſoluti, & ſpaciari innoxiè, & nativæ ſuæ in B. Virginem devotioni indulgere non incommodè poſſent. *Propoſitum.*

Hoc Patris conſilium probavêre quidam non de vulgo homines: & ut effectum daret, quod animo conceperat, vehementer inſtiterunt, addictâ etiam ſuâ eam in rem operâ. Igitur Deo bene favente, anno ſalutis 1625. ſub veris initium loco, quo ſuprà dictum eſt, poſita ſunt novi Sacelli fundamenta omnium, quorum intererat, voluntate, cùm nuper more conſueto ipſius loci poſſeſſio ſolenni ſupplicatione, & crucis erectione ritè adita eſſet, & quidem iſto, ac proximo ſequente anno, in ædiculæ ſubſtructione laboratum eſt perquàm ſtrenuè, *Sacellum.* jámque impoſitâ teſtudine; quando graſſante per urbem peſte, ipſe Sacelli auctor eâdem correptus eſt, ſtabat ab omnibus rebus intus & foris inſtructum *Divæ Conſolatricis* Oratorium, non ineleganti opere rotundo, habens in diametro pedes viginti & unum, & à civibus pro voto diligenter frequentabatur, unúmque illud deſiderari videbatur, ut in eo ſacro ſancta Redemptionis noſtræ myſteria celebrarentur, quapropter Statutum eſt à Soc. IESU Patribus, ut interim dum ab Epiſcopo ritè dedicaretur Sacellum, in eo ſuper ſacrato portatili lapide ſacra fierent, quorum primum anno 1627. Nonis Auguſti, feſto dedicationis *S. Mariæ ad nives* magno *Celebritas.* hominum concurſu & gaudio ſolenniter cantatum eſt: quod & deinceps factitatum ſæpius, præſertim tunc, cùm loco etiam acceſſiſſet ſolennis à Suffraganeo Trevirenſi Dedicatio, quæ facta eſt anno 1628. die decimâ Maij à quo tempore votivis ſacris precibúſque à Diva ſua conſolatrice in afflictionibus ſuis cives ſolatia quæſivêre frequentiùs, & verò etiam creberrimè impetraverunt.

Fuit Sacellum hoc uſque ad annum 1639 uni ferè Luxenburgo, & párvulis pagis notum, & non tam Divæ Imago quàm ipſe locus communiter pro aſylo, unde vulgus

gus opem in neceſſitatibus quærebat, habebatur, donec tandem menſe Septembri ejuſdem anni, id eſt, anno Societatis noſtræ Jubilæo, Virgo quædam Deo devota, ampliſſimi Domini *Adriani Goudij* Conſiliarij Luxenburgenſis, & Procuratoris Generalis filia, loquendi facultate deſtituta ab annis duodecim, ſimúlque toto inferiori corpore ad pedes uſque paralyſi ita affecta, ut movere ſe lecto niſi alieno auxilio non poſſet. Impetratâ ſubitò, ac miraculosè, ſanitate, Sacello & Imagini Virginis *Conſolatricis* famam celebritatémque addidit.

Jubilæum.

Cùm enim eſſet puella hæc, cum duabus ſororibus, Deo conſecratis, ob inſignem tolerantiam vitæque integritatem, & ab honeſtarum puellarum inſtructione, quâ eas prima ſcribendi elementa, tum acupingendi in lanâ, linóque, ac byſſo artem diu docuerat, totâ urbe, imò etiam totâ regione notiſſima, cognito illam intra octo dies in Sacello Deiparæ *Conſolatricis* duplex accepiſſe beneficium, ut nempe & loqui, & gradi poſſet; primò maximam excitavit apud omnes Luxenburgenſes in Deiparam *Conſolatricem* pijſſimi affectûs devotionem: deinde ſparsâ per totam Provinciam miraculi famâ, ita paſſim omnes movit, ut urbes, oppida, pagi ſupplicabundi certatim accurrerent, adeò ut cùm capiendis peregrinis non ſufficerent Sacelli anguſtiæ, & faciendis ex voto ſacris ara una ſatis nòn eſſet, neceſſe fuerit opere tumultuario aras plures adornare, & ſubinde ipſam S. Ædiculam in duplum ampliare.

Miraculum.

Proceſſiones.

Cæterùm hanc hominum undique concurrentium, & Virginem *Conſolatricem* honorantium ſummam frequentiam ſubſecutæ ſunt innumeræ gratiæ, favores, miracula quæ à Virgine *Conſolatrice*, velut cæleſti quodam fonte, in afflictos tam liberaliter profluxêre, ut pauciſſimi ſine conſolatione redirent, miracula à Suffraganeo Trevirenſi, loci Ordinario, ſuſtinuerunt examen, & approbationem invenêre, biſque typis edita ſunt: primùm anno 1640. deinde anno 1648. & *Sereniſſimo Leopoldo Ferd. III. Imp. Fratri*, tunc Belgij Gubernatori dedicata. Porrò brevi tempore adfuêre fundationes perpetuæ miſſarum plùs quàm ducentarum quinquaginta.

Miracula.

Cæterùm ad tres aras quovis anno circiter quinque millia miſſarum numerantur: neque hactenus pietas defecit, quod ex numero communicantium liquet, denique hoc inter primas gratias numerandum, quòd hoc Sacellum à Societate noſtrâ ædificatum, anno Jubilæo ejuſdem Societatis, tantis à Deiparâ privilegijs ſit decoratum, non exiguo indicio, ſæcularem Societatis laborem Deiparæ placuiſſe. Hæc ad me R. P. Ioannes de Viron Rector Collegij Luxenburgenſis Soc. IESU.

D X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.

LAURETANA S. I.

Vilnæ in Lithuania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Adeamus inviolatam ac purè integram.*

1. Statua Lauretanæ ſimilis.
2. Impediens cultum B. V. punitur.
3. Votum mirabile.

HÆc Imago in templo Societatis IESU colitur, anno 1647. Laureti exactè ad prototypon facta, & aliquamdiu, ut ſolet, in S. Æde Lauretana detenta, Vilnam denique curâ R. P. Rectoris illius Collegij advecta, magnâ omnium devotione coli cæpit: quam Deus inſignibus deinde beneficijs auxit, paucorum intervallo annorum anathemata argentea trecenta & ampliùs advenêre, hinc paulò pòſt Sacellum Statuæ proprium in ipſo templo extructum Lauretano, quantùm licuit, par. Notatu digna eſt vindicta divina, quæ in hominem mendacem & contumelioſum incubuit, cùm enim finito Sacello, S. Statua è Collegio ſummâ pompâ in ſuum novum Sacellum deferretur, inventus eſt, qui per populum ſpargeret, Statuam hanc non Laureto allatam, ſed in Collegio ſculptam eſſe.

Anathemata.

Detratio.

Ne hâc famâ ditâ, populus minore devotione ſe Deiparæ præberet, famæ hujus autor eodem die ſibi ſenſit repentè os fœdiſſimè obtortum: duravitque pæna per aliquot dies, voto ſe homo iſte obſtrinxit, feſto *Viſitantis Deiparæ* per omnem vitam ſe peccata confeſſurum, & ſemper hoc ipſum peccatum dictum, atq; & apud alios & delictum ennunciaturum, & beneficium prædicaturum, ſi liberaretur, tantum denique fecit, ut mater gratiarum pænam miraculo inflictam miraculo tolleret. Hæc ad me R. P. Albertus Koialowiz Rector Vilnenſis Societatis IESU.

Pœna.

D X X.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE GRATIA,

Gignaci in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Regia domus mica, inventa pura & alma.*

1. Laus vera & ſufficiens.
2. Volenti non fit injuria.
3. Remedium peſtis.

GIgnacum urbs eſt *Monſpelio* quatuor leucis diſſita nûllâ aliâ re ſinguláriter commendabilis quã antiquo in Deiparam cultu, quâ laude ſi ſapit, contenta eſſe poteſt, non procul ab urbe crux olim ſtetit, prægrandi ſaxo infixa ad quã

Cæcus. cùm identidem cæcus ab ortu ſtudio precandi adiret, ſemel eum Deipara voce clarâ eſt allocuta: vade, inquit, & Magiſtratibus Urbanis denuncia, hunc mihi locum placere, & jubere, ut quamprimum mihi hîc templum ædificent: néve vel tibi, vel Magiſtratibus dubitare liceat, aperi oculos, & vide, quæ ſim. Paruit, & aperuit oculos, viditque ex omnibus creaturis primam & præſtantiſſimam: nec dubius, poſt breves honores diſparenti exhibitos, ſe ſtitit Magiſtratibus oculatus teſtis eorum, quæ referebat. Magiſtratus quamprimùm fundamenta templo dedit, cives pecuniam apportavere non ſuffecturam in templi uſque fornicem, quid enim expectaretur ab urbe, ſi non paupere, certè non opulenta in tantam fabricam, quam pietas non computatis impenſis inchoaverat.

Cardinalis. Rogatus itaque *Cardinalis Iôannes* titulo SS. Nerei & Achillei, dignaretur venire in partem ſumptuum, motus ille miraculorum raritate & frequentiâ, quæ jam paſſim narrabantur facta, non gravatè conſenſit. Extant litteræ ejuſdem, quibus partem redditu um ſui Prioratûs in triennium attribuit fabricæ, datæ Avenione Anno 1372. 17. Iunij, indictione decimâ ſub Gregorio undecimo, Pontificatûs anno ſecundo. Templum primò à Sacerdotibus ſæcularibus ſex curatúm eſt uſque ad annum 1565. quo tempore ſub *Carolo IX,* Galliarum Rege à Calvinianis ſolo æquatum eſt: ſolo quoque æquata eſt Gignacenſium in Deiparam pietas uſque ad annum 1613. quo vocati RR. PP. Franciſcani, quos *Recollectos* vocant, & templum & pietatem reſtituerunt.

Iterum ſecundo cataclyſmo templum hoc perijt anno 1620. ab Hugonotis, qui certatim id diruerũt: duo ex ijs pervicaces cives miraculum à Deiparâ extorſerunt; nã cùm inter ludibundas blaſphemias ſpectantibus Catholicis miraculum à Maria poſcerent, obtinuêre: ſiquidem prægrande ſaxum ex alto delapſum utrique ſepulchrum dedit, neque enim inventus eſt, qui blaſphemos erueret. Paulò pòſt tamen depreſſis Hugonotis, reſtituerunt Gignacenſes templum, multa ibi digna viſu, præ omnibus tamen eſt Deiparæ Statua ex alabaſtro, in qua ars naturam ſi non ſuperavit, certè æquavit. Templum propter frequentiam miraculorum vocatur, *Sacrarium miraculorum*, adeſt adhuc ſaxum illud ingens, cui olim infixa crux erat, ad quam cæcus viſum recepit. Tertio jam ſæculo urbs Gignacenſis à peſte libera eſt, digna peſte, ſi hoc pro miraculo non haberet, maximè cùm omnis latè vicinia frequenti lue ſæpius interea ſit exhauſta, concurſus hodie eſt ingens, feſto præſertim *Aſſumptæ Virginis*, quo anno 1639. ad quatuordecim millia ſacram in ædem confluxerunt, ſubſequentibus annis ſex aut ſeptem millia ſacro epulo refecta ſunt: uti à RR. PP. Franciſcanis accepit & ad me perſcripſit R.P. Benedictus Bennefaci Societatis IESU.

Hæreſis.

Saxum.

D X X I.

D X X I.

Imago B. V. Miraculoſa. OSTROWNENSIS. *Oſtrownæ in Lithuania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *In matre imò pura Diva negate maculas.*

1. Militaris in curia.
2. Cultus B. V. non impediendus.
3. Miraculum in milite.

EST hæc S. Imago picta in tabula opere gratioſo, & miram devotionem ſpirante, licèt quo ad artem rudi & Moſcovitico. Curant eam in oppido Oſtrovvnenſi RR. PP. Dominicani. Origo ejus eſt hæc. Bello Moſcovitico cùm Polonæ cohortes prædas agerent per Moſcoviam, earum quædam inter alia è templo Ruthenico hanc Imaginem rapuit: hæc ſive tumultu militari, ſeu invadente hoſte, vel alia ex cauſa, in Boryſthenem de curru decidit, atque ſecundo flumine delata Smolenſcum eſt, & in ripa à quodam architecto reperta, Præfectóque arcis oblata: qui eam primò donavit Monachis Græci ritûs. — *Imago.*

Cùm verò videret, eam ab his non dignis modis honorari, iterum repetijt, non multùm repugnantibus Græcis, & RR. PP. Dominicanis, qui Smolenſci habitârunt. dono dedit, ubi longo tempore in Sacello B. V. ad latus Imaginis miraculoſæ collocata, retenta eſt. Accidit interea, ut Conventus eorundem Patrum Oſtrovvnenſis caſu funditus conflagraret, cum templo, & omni apparatu, itaque R. P. Prior Oſtrovvnenſis pro conſolatione ſuorum à Smolencenſibus Imaginem ſuperfluam petijt, & obtinuit, & tumultuario Sacello honoravit: in quo ſimul ac honorari à populo cœpit, quamprimum auditæ ſunt gratiæ obtentæ, inter quas una fuit ſanatio *R. P. Fratris Caroli* organædi illius loci, Ordinis Prædicatorum, à paralyſi: allatus enim à bajulis ad altare ad illa verba *monſtrate eſſe matrem*, repentè ſe ſanū ſenſit: qui, cùm hæc ad me ſcriberentur, ſanitate continuâ confirmavit miraculum. — *Incendium.* — *Miraculum.*

Anno 1654. Moſcis imminentibus, & hæc Imago cum theſauro templi ſubtracta eſt, & Leopolim deportata, ubi cùm eam publico cultui vellet exponere, expertus eſt quorundam oppoſitiones, ſed Deus decidit lites, & cùm quædam ab aliquibus gratiæ obtentæ eſſent, permittente Concilio Eccleſiaſtico, in templo expoſita eſt S. Mariæ Magdalenæ, quod eſt RR. PP. Dominicanorum, Leopoli: ubi ſtatim cœpit clarere miraculis octoginta ſex approbatis, convaluit voto facto Capitaneus globo traiectus per medium pectus. Alius Armenus natione, civis Leopolienſis, gravi vulnere in pede laborabat, & periculoſò, non ſine magnis doloribus: dum miſſæ tempore votum concipit repentè omnis dolor ceſſavit: poſt

miſſam, religatis faſcijs, vidit etiam omne vulnus evanuiſſe, cùm hæc ad me perſcriberet R.P. Koialovviz, Societatis IESU Imago erat in Aula regis.

DXXII

Imago B. V. Miraculoſa. RUTHENENSIS.

Ruthenæ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Agna mater munda tu aperis Cali viam.*

1. Statua ærea.

2. S. Capilli B. V.

3. Diſcipulus Chriſti.

COnſtans & antiquiſſima traditio eſt templum Cathedrale B. Mariæ Ruthenenſis à *S. Martiale* Apoſtolorum diſcipulo fuiſſe fundatam. Hanc autem traditionem confirmant acta, tituli, tabulæ, cæteráque inſtrumenta antiquiſſima Capituli Ruthenenſis; officium quoque particulare, & Feſtum. ſolenne feſtum, quod annis ſingulis in honorem ejuſdem S. Martialis tanquam Patroni celebratur: Inſuper verba Martyrologij Lemovienſis hæc ſunt: *S. Martialis* parvam Baſilicā in urbe Turonis fundavit in honorem S. Petri; Anuernis quoque, & Ruthenis, atque Anicio montuoſo oppido fabricavit Baſilicas ſub titulo S. Mariæ, &c. Chronicon quoque M.S. Bibliothecæ Savaroni ſic habet: *S. Martialis* miſſus à *S. Petro* multas reliquias ſecum tulit in rure Anicij, quod nunc *Podium Dominæ noſtræ* dicitur: altare in honorem ipſius Dominæ noſtræ dedicavit: Sotularem ipſius ibidem poſuit, & alterum in Ruthena, de capillis verò ejuſdem, partem in civitate Arvernia, quæ nunc clara montium dicitur & partem alteram in Mimate, ijs quatuor ſedibus in honorem Dominæ noſtræ dedicatis, &c. Hæc verò Baſilica fundata primùm à S. Martiale, reſtaurata eſt à *S. Dalmatio* Ruthenenſi Epiſcopo circa annum 519. ut conſtat ex Gregorio Turonenſi l. 5. c. 46. & ex Aimonio Monacho t. 3. c. 42. Dalmatius Eccleſiam Ruthenæ deſtruendo, dum Fabrica. perficere nititur, imperfectam reliquit, quod quidem opus, ita imperfectum relictum, promoverunt deinde Succeſſores *Dalmatij:* perfecit verò *Deusdedit* ejuſdem civitatis Epiſcopus anno ferè 600. Altare ſummum hanc inſcriptionem hodie habet: *Deusdedit Epiſcopus indignus fecit fieri hanc aram.* Porrò Sotularis ille, de quo ſuprà mentionem feci, maximâ veneratione hodieque aſſervatur in ſacello, ad quod maximus eſt concurſus populi ſingulis diebus Sabbatinis. Feſtum *Aſſumptæ Virginis* hic toto anno præcipuum eſt. Statua Deiparæ eſt ærea, de miraculis porrò ſingularibus non habeo, quod addam. Hæc ad me R. P. Iacobus Raiſſenenſis Soc. IESU.

DXXIII.

DXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
OPPAVIENSIS. SOC. IESU.
Oppaviæ in Germania S.

Progr: AVE MARIA; gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gaude Sion, en mira pura, & Immaculata.*

1. Fœmina callet artem pictoriam.
2. Cæcitas curata.
3. Manus Statuæ miraculoſa.

ICon hæc eſt in templo Societatis IESU labor eſt Virginis Polonæ, parente pictore & Polono natæ: quæ Patrem arte ſuperavit. Geſtat Deipara IESULUM brachio ſiniſtro, amabili vultu decorum. Huic S. & miraculoſæ Imagini civium plurimi ſalutem ſuam debent animæ & corporis, quorum eſt commune hîc aſylum, atque in periculis & neceſſitatibus refugium. Conſtat de duabus Virginibus, quæ oculorum luce privatæ per complures dies, caligine, Marianâ manu deterſâ, (nam oculo manui admovebant) & lucem vivacioribus quàm antè oculis aſpexerunt, Anathemata plurima. R.P. Boh. Balb. S. I. ex Annuis.

DXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
AUSTITANA.
Auſtis in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Remota es à macula tu pia mundi Regina.*

1. B. V. Patrona urbis.
2. Architectura.
3. Hæreſis nocere vetita.

BEatiſſimæ Virgini Mariæ Nativitas jam à temporibus S. Taurini Martyris colitur Auſtis. Sedebat hic Archiepiſcopus Eluſæ anno Chriſti 293. cùm brevi pòſt ſedem huc tranſtulit, cum altari Nativitati Beatiſſimæ Mariæ dicato. Ædificavit idem in Acropoli templum, & idem Deiparæ ſacravit, quin etiam Patronam urbi præfecit. Ejus Imago eſt lignea benè magna, geſtátque puerum IESUM manu ſiniſtrâ. Templum eſt Auguſtiſſimum, & à tribus maximè commendatur. I. Chori ſedilibus ligneis tam affabrè factis, ut néc ſculptura Polychletis deſideretur. II. feneſtris vitreis, in quibus colores vivaciſſimi varias figuras repræſentant. III. Arâ marmoreâ ſummi artificij & pretij. Ad Patrocinium Deiparæ ſpectat, urbem Auſtitanam ab hæreticorum Calviniſtarum impetu fuiſſe liberatam Anno 1569. cùm Mongomerius hæreticorum primipilus in Vaſconia omnia ſacra deprædaretur, majus miraculum interea non contigit. Hæc ad me R. P. Iacobus Baſſene, Societatis IESU. Feneſtra

DXXV.

Imago B. V. Miraculoſa. LAURETANA. *Glogoviæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Alma Virgo & pia mater unica munda es.*

1. Supellex argentea.
2. Miraculum in Rege.
3. Donaria argentea.

GLogovia minor eſt in ditione *Comitum de Opperſtorff.* Comes Georgius anno 1630. in templo RR. PP. Franciſcanorum Sacellum condidit ad menſuras Lauretanæ domûs, quod magno concurſu peregrinorum celebratur. Miracula fiunt magna & multa: ſupellex omnis ex argento copioſa: lampas pluribus brachijs inſtructa, & permagna, parietes denique ipſi penè argento veſtiti loquuntur gratitudinem eorum, qui beneficia miraculoſa acceperunt.

Cæterum in ſpecie nullum ad me miraculum perſcriptum eſt: quanquam id ſcriptu dignum fuiſſet, quod *Sigiſmundo tertio* Regi Poloniæ contigit: qui tabellam accepti beneficij teſtem huc miſit, quæ etiamnum ad murum pendet. Septem poſtrò ſacerdotes non ſine bonis redditibus; quotidie officium B. Virginis conſueto Eccleſiæ more decantant. Hæc ad me R.P. Bohuslaus Balbinus, Societatis IESV. Jam ſupra ſæpius monui Lauretano ſimilia Sacella ſemper miraculoſa eſſe, ita totus facile ſeptentrio aſſeret, ſiquidem ad Germaniæ & Poloniæ imitationem ſimilia Sacella ædificata coluntur.

***

DXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BONO SUCCURSU. *Nancei in Lotharingia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu purâ Agna, imò Dei mater ſine macula.*

1. Anni initium Feſtum Paſchatis.
2. Ingens clades.
3. Volumen miraculorum.

ANno 1474. uti tum temporis Lotharingi numerabant à Feſtis Paſchalibus anni initium ducentes, Nonis Ianuarij, Burgundiæ dux Carolus Audax cum octo Burgundionum millibus cæſus eſt ad internecionem, nec multò plures eo in prælio in campum educere potuit, cæſo jam numeroſiſſimo exercitu, duobus præcedentibus prælijs extra Burgundiam. Cæſus, inquam eſt & occiſus. *Renatus*, ejus cadaver diu quæſitum, vixque tandem agnitum ad S. Georgij, ſub marmorea lamina

mina, inter Ducum tumulos honorificè ſepelivit: gregarios milites in ipſo pugnæ loco, terræ mandavit, & Sacellum non inelegans adiecit, Deiparæ dedicatum, cum Sacerdote, qui quotidie S. Miſſæ ſacrificium celebraret. Neſcio tamen, quo caſu Sacelli cura ad Eremitam pauperem & laicum devenit, locus aliàs jam famâ miraculorum clarus, ſub titulo, *S. Maria de Bono Succurſu*: donec anno 1609. Henricus II. Lotharingiæ Dux, ædiculam RR. PP. Franciſcanis conceſſit, qui Sacerdotem illic collocaverunt ad normam Eremiticæ vitæ, uſque ad annum 1628. quo, bonâ veniâ *Caroli IV. Ducis*, Domicilium ibi extruxerunt, quod hoc ipſo anno auctum eſt, aucto nempe Deiparæ cultu: retento nomine, quod à Renato Duce acceperat, *S. Maria de Bono Succurſu*. Aucta quoque cum cultu ſunt miracula tantâ varietate & numero, ut venerabilis *Pater Nicolaus Julletus Franciſcanus* paucorum annorum miracula ab Ordinario poſt acuratum examen approbata colligens, volumen ſatis grande ediderit. Ita ad me R. P. Thomas le Blanc S. I.

Sepulchrum. Eremitæ.

D X X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CURIA.
Swidnicij in Boëmia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu pura Agna, imò Dei mater ſine macula.*

1. *Statua B. V. ab hæreticis honorata.*
2. *Ardens candela omni nocte.*
3. *Neglecti honoris pœna.*

Eſt hic in Curiæ Senatoriæ angulo Occidentali turricula feneſtrata versùs forum, annexa ipſi Curiæ ab eo ipſo architecto, qui Curiam olim ædificavit. In hac eſt pervetuſta Deiparæ Statua: quæ ſit autem ejus origo, quis auctor, omnium Swidnicenſium memoriam fugit. Hæreſis, quæ ſimilia monumenta odit, originem, auctorémque illius, & ſi quæ olim fortè fuere deſcripta miracula, flammis tradidit. Hoc unum in libris quibuſdam, qui evaſere flammas, legitur, Anno 1605. quo tempore maximè viguit hic loci hæreſis, & omnis Magiſtratus fuit hæreticus, ſuppreſſis Catholicis: Anno, inquam, prædicto Magiſtratus hæreticus decrevit, ut ſingulis noctibus tertio quadrante ad Nonam candela accenderetur, arſura uſque ad ortum diei: quod in hæc uſque tempora, & in hanc uſque diem quàm diligentiſſimè obſervatur. Porrò cur Magiſtratus hæreticus tempore, quo vigebat maximè Imaginum ſtatuarúmque ſacrarum perſecutio, contra fidem ſuam hanc legem ſanxerit, in illo Curiæ Senatoriæ libro non additur, unde arguo, primò olim jam à Duce *Wulkone*, qui Curiam ædificavit, Statuam quoque poſitam Deiparæ, & candelam accenſam, inde ad

Candela.

adhuc probabiliùs ſuſpicor, introductâ hæreſi, licèt Statua relicta ſit, morem tamen accendendæ candelæ abrogatum, & denique non multùm à veritate aberrabit qui dicet, poſt incendia, & alia Curiæ extraordinaria ſive incommoda, ſive ſupplicia, quæſitam in ſenatu fuiſſe, tot infortuniorum cauſam: & tum nonneminem fuiſſe, qui è monumentis Curiæ afferret Majorum fidem publicam, aſſerentium, ad candelæ hujus neglectum pluries ſecuta eſſe ſupplicia ſeu infortunia, quæ ratio etiam hæreticos movit ad reſumendum hunc antiquum morem. Hæreſis.

Hæc omnia vel ideo ſuam probabilitatem habent, quòd eo in libro, quo Magiſtratus tam ſeriò imperat poſteris ardentis candelæ cerimoniam ſub Statua Deiparæ, aliquot annis neglectam, rationem nullam nec politicam quidem addiderit, unde denique non improbabile videtur, ex voto vel Ducis, vel urbis, olim candelam hanc arſiſſe, quam metu malorum hæreſis extinguere non audet. Hæc omnia licèt probabilia tantùm ſint, auctoritatem tamen magnam inde accipiunt, quòd hæreſis cauſam non aſſignet tam exotici & inſolentis facti. Inductâ poſtea cum fide Magiſtratu Catholico, beneficia Deiparæ ampliora urbs experta eſt, nam & hodie feſto *Aſſumptæ Virginis* in aula Curiæ Hymnus Ambroſianus cantatur, ex voto ſervatæ urbis anno 1639. adductâ à templo Parochiali civium numeroſâ ſupplicatione, quæ eſt una votivæ gratitudinis pars: altera eſt peregrinatio Annua, ad Deiparam *Wartenſem*, quàm cives magno ſuo ſolatio quotannis, magnóque numero perficiunt, anno denique 1640. Statua novis coloribus renovata eſt. Hæc *R. P. Andreas Linke Rector Colleg. Swidnicenſis Soc. JESU*, & ex eo ad me *R. P. Bobuslaus Aloyſius Balbinus Soc. JESU*, & ſanè mirum, quòd ſalutem ex inimicis Deus det, cogátque ipſos ad probationē fidei noſtræ conniti. Reformatio.

D X X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. VIRDUNENSIS.

Virduni in Lotharingia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *In omni parte vera Immaculata gaudes.*

1. Concilium Calcedonenſe.
2. Feſtum miraculorum.
3. Draco calcatus.

Virduni in templo Cathedrali gemina eſt Deiparæ effigies, utraque cæleſtibus nobilitata prodigijs. Prima, de qua hîc loquor, viſitur ad latus aræ Principis, Draconem pedibus conculcans: quā à *S. Pucronio* quinto Virdunenſi Epiſcopo poſt Concilium Chalcedonenſe, cui cum alijs ducentis viginti octo Epiſcopis interfuit, poſitam fuiſſe accepimus, quæ Concilium.

tan-

Concilium. tantis, támque numeroſis miraculis effulſit; ut teſte *Vaſſebargio* in vita *Urſionis Virdunenſis Epiſcopi* XIII. Kal. Nov. inſtitutus ſit feſtus dies, nomine commemorationis miraculorum, quæ B. Virgo in ea Eccleſia ad hanc Statuam perpetravit. Horum aliqua *Laurentius Leodienſis*, & *Guilielmus Virdunenſis Decanus*, ſcriptores antiqui, retulerunt. Hæc ad me R. P. Thomas le Blanc Rec. Muſſip. S. I.

D X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.

IN TEMPLO CATHEDRALI

Virduni in Lotharingia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Arca munda nite Euge amoris Palatium.*

1. *Statua B. V. ſupra tectum.*
2. *Statua aſpectus terret hoſtem.*
3. *Spes civium.*

ALtera miraculoſa Deiparæ Statua in eodem templo, id eſt, in ipſo tecto ſupra templi tegulas in faſtigio viſitur. Hæc urbi miraculosè profuit ſub annum 1030. Quando *Reinaldus Barij Comes* avitis amicorum principum auxilijs, quos inter *Simon Lotharingiæ Moſellanica Dux* eminebat, bello Virdunenſibus indicto, magnis copijs urbem obſeſſurus, ad campum ſuburbanum pervenerat, Miraculum. cúmque circa B. Virginis effigiem templi tegulis impoſitam, tot & tanta videret prodigia, ut perſtrictis oculis, animóque religiosè perculſo ab incepto deſtiterit, ne cum ipſa Cæli Regina pugnare videretur: ut *Waſſeburgius* teſtatur, & ex eo *R. P. Franciſcus Porians* in triplici corona B. Virginis *tr. 1. l. 12. 83.* Et hæc videtur eſſe ratio, cur eam Statuam Virdunenſes ſubdio relictam honorent, nec templo inferant: ut urbis protectrix hoſtibus ſemper ſit conſpicua, & terribilis, ut caſtrorum acies ordinata, terreat.

* * *

D X X X.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE CAVADONGA.

Cavadongæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Punctum Adami almè evita, Roſa Regina.*

1. *Rex magnæ ſpei.*
2. *Auxilia B. V. prodigioſa.*
3. *Ingens victoria.*

CAvadonga ſpecus fuit montis; ſpeluncam hanc in templũ vertit *Pelagius I.* Rex Hiſpaniæ, is in Regem electus ad galeam & gladiũ reſpexit: nec ad aliud poterat, Mauris rerum potentibus, Regi præter titulum nullâ penè regni parte relictâ, confugit ille cum mille non ampliùs viris in hanc ſpeluncam,

expugnari difficilis, non tamen ſecurus, venêre Maurorum legati, & cum ijs Epiſcopus Toletanus, ſuaſurus Regi deditionem. Rex legatis, atque ipſi etiam Epiſcopo reſpondit: *Confidimus per interceſſionem glorioſæ Virginis Genitricis Domini noſtri IESU Chriſti ſalvari.* pes. His dictis clausêre portam ſpeluncæ milites, & cum Rege ſuo ad preces ſe verterunt.

Fund bularij Maurorum interea lapidibus perfringere portam conati retrorſum in ſe lapides retorqueri tanto ſuo damno viderunt; ut ab oppugnatione ſpeluncæ deſiſtere cogerentur. *Pelagius* auxilia videns Mariæ, per apertam portam in fugientes Mauros irruit, *Opum* Archiepiſcopũ Toletanum Maurorũ partibus adjunctum cæpit, Ducẽ cũ viginti millibus Maurorum interfecit: ſexaginta millia, quæ remanſerant, caſu & ruinâ montis Agſenæ, juxta quem caſtra poſuerunt, obruta ſunt. Ruina. Hæc auxilia Deipara præſtitit *Pelagio*, qui ſpeluncam memoriæ Beatiſſimæ Virginis dedicavit; vocatúrque S. Mariæ de Cavadonga.

Baron Anno 718.

D X X X I.

Imago B. V. Miraculoſa. BECHINIENSIS. *Bechinæ in Boëmia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Lactea pura cia mundo vitam germinas.*

1. Statua B. V. decollata.

2. Stultitia pœna peccati.

3. Contumacia blaſphemi.

BEchinæ, in Boëmiæ civitate, eſt Statua Deiparæ lignea, duos cubitos alta, Chriſtum de cruce depoſitum in ſinu ferentis. Hanc in rebellione hæreticorum decollavit miles, in templo RR. PP. S. Bernardi, quod tunc deſertum erat, in quo hodie eadem S. Statua ſedem habet in altari laterali præcipuo. Pœna. Decuſſo miles capite S. Statuæ quædam obſcæna & blaſphema locutus, ſtatim delirare cæpit, conciditque velut apoplexiâ tactus, deinde etiam boare ac mugire bovis inſtar auditus eſt, ſublatum à terra duxerunt viri quidam extra templum, tum catenis onuſtum rectà ad carceres; ubi Præfecto militari traditus eſt. In carcere redijt ad mentem, & ſui compos factus, adhuc peiora prioribus verba ingeminavit: rapi ſe nunc à dæmonibus ad inferos queſtus, opem circumſtantium implorabat, fatebatúrque ſe graviter deliquiſſe, alióſque hortabatur, ne Imaginem tangerent: quod & Præfectus ſtatim militibus omnibus ſub gravi pœna imperavit, quid porrò militi factum ſit, ignorant Bechinenſes; niſi quòd per intervalla frequenter deliraverit, & poſt breve tempus ad ſe redierit, vixeritque ſaltem ad diem quintum.

Fama eſt, cũ poſtea quito vel ſexto

die

Statua. die malè vitam finijſſe. Caput illud decollatum cum à terrâ tolleretur, animadverſum eſt, os quaſi locuturum aperuiſſe, imò aliqua verba prolocutum eſſe; quæ tamen à circumſtantibus intelligi non poterant. Hæc ad me R.P. Ioannes Tanner Soc. IESV.

D X X X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

BONI NUNCII.

Nancei in Lotharingia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Eluces munda io puri agni mater amata.*

1. *Famina muta curatur.*
2. *Victoria.*
3. *Bonum Nuncium mittit B.V.*

TEmplum S. Georgij, quód Nancei eſt, ante trecentos annos à *Rudolpho* Duce conſtructum, Canonicorum Collegio ornatu, & Ducum Mauſoleis nobile, Statuam Deiparæ habet, cui *de Bono Nuncio* nomen, ex hâc origine, quam *Deſiderius Iulletus* Collegij Georgiani Canonicus edito libello expoſuit. Cùm Lotharingiæ Dux contra hæreticos pugnaret, periculúmque eſſet, ne ruſtici Germani Lotharingiam confusâ multitudine ingreſſi, totam vaſtarent: *Renata Borbonia* dicti Ducis Antonij conjux mille modis Superos fatigavit in mariti auxilium, & in ejus potiſſimùm auxilio confidebat, quæ cunctas hæreſes ſola ſuperat.

Oratio. Pugnavit interea Antonius, nixus conjugis precibus. Cúm ecce ad aram ſupradictæ Statuæ puella muta, cæteris è templo digreſſis, obdormivit. Hæc in ſomnis à Diva Virgine juſſa eſt, accedere Ducissam, & ſuo nomine jubere, bono animo eſſe, nec de marito ſolicitam, aut de eventu ſuſpenſam, denique optimum belli exitum nunciare: quæ omnia quam diſertiſſimè muta antè puella executa eſt, non vacabat inſtituere otioſam diſputationem de revelationis veritate: res ipſa unà cum puella hoc loquebatur, quapropter *Duciſſa Renata* omnium prima fuit, quæ S. Statuæ titulum *Boni Nuncij* daret, augerétque cultum. Dux

Facti ſubito perēgrinorum concurſus, miraculorum etiā editorū fama paſſim increbuit, donaria allata, lampades accenſæ, altaris Sacerdotíſque ornamenta auro & gemmis cumulata, officia ſacra Concentu Muſico peracta, cantatæ quotidie Litaniæ Lauretanæ, hinc etiam miracula aucta numero & raritate *Iulletus* in ſuo libello enumerat non pavicora centenis, examinata, & ab Ordinario approbata. Hæc ad me R.P. Thomas le Planc, S. IESV.

DXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
E R E M I T I C A.
Eremi in Anglia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Nivea tutò clares pura Mamma Agni Dei.*

1. Dedicatio templi.
2. Eremita Sanctus.
3 Epiſcopus præceptum accipit à B.V.

S. Laurentius Dublinenſis in Hiberniâ Epiſcopus cùm, confectis negotijs in Angliâ, in portu expectaret ventum, quo in Hiberniam reveheretur, contigit, ut Eremitæ, in templo nuper extructo cui cuſtos aſſidebat, appareret Deipara, quærerétque, cur templum hoc omni ex parte finitum, ſibíque deſignatum, nondum eſſet ritè dedicatum, quæque moræ cauſa eſſet.

Eremita. Reſpondit Eremicola Epiſcopum extra ſuam Diæceſin eſſe, nec tam celeriter rediturum. Ego verò, inquit divina mater, meam domum ab iſto dedicari non volo. Ecce adeſt *Laurentius Dublinenſis* Antiſtes, cujus ego præſtolabar adventum, conſecret ille templum meum, neque enim priùs in ſuam Hiberniam reverſuro proſper ventus afflabit, quàm meæ ſit obſecutus voluntati. Anachoretà Fundatori viſionem exponit. Ille Laurentio in ſuum caſtrum comiter invitato, quæ ſolitarius, & notæ fidei Eremicola dixiſſet, & audiviſſet denarravit. Laurentius, Diœceſano inconſulto, ne templum hoſpes dedicaret, quantum potuit, recuſavit, ſed tamen Dei ſecutus voluntatem, quæ humanis imperijs Superior eſt, Beatiſſimæ Genitricis Dei Baſilicam magnâ pompâ dedicavit cúmque peracto Altaris ſacrificio cibum apud divitem Fundatorem parcè, more ſuo, ſumpſiſſet, conſcensâ nave proſperè in Hiberniam navigavit. Ex illo die Marianum hoc templum innumeris miraculis inclaruit, ut habet *Surius 14. Nov. in vita S. Laurentij*, quod templum ubi ſteterit, hodie neſcitur, nomen ei ab *Eremo* dedi, quia in Eremo ſtetiſſe probabile eſt, quòd Eremitam cuſtodem habeter, tum etiam, quòd Deipara Eremitæ apparens hanc dedicationem executa eſt. Dedicatio.

DXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
B U X E R I A N A.
Nancei in Lotharingia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Agna ito munda macula per merita IESU.*

1. Navis

1. Navis ſine remige.
2. Mutus miraculum proclamat.
3. Templum à Chriſto dedicatum.

BEatiſſimæ Virginis templum *de Buſſieres* intra ſecundum ab urbe Nanceiana milliare ad æſtivū ſolis ortum viâ Muſſipontânâ in colle eſt, unde amœniſſimus in ſubjectam planitiem deſpectus. Hujus declivia, quâ vites deficiunt, pagus non ignobilis occupat, in ſupercilio Cœnobium olim à Monialibus Benedictinis, nunc à Virginibus nobilibus, ſive Canoniſſis ſæcularibus, nulloque voto adſtrictis inhabitatur; unde de Buxeriam Dominarum, *Buſſiere aux dames*, vulgus appellat. Eſt templum antiqui viſendique operis, in honorem Beatiſſimæ Virginis Deo conſecratum, à S. Gancelino Tullenſi Epiſcopo fundatum legimus in antiquis ejus Aſceterij tabulis, eum, cùm Deiparæ ſacram ædem condere decreviſſet, de loco tamen ambigeret, ab ea monitum in ſomno eſſe, ut ubi ſequenti die cervam candidā preſſo videret hærere veſtigio, templum, quod mente voluebat, excitaret; vidiſſe illum, cervam candidam in illius montis faſtigio: & jeciſſe fundamenta, ſed cùm deficientibus impenſis opus lentiùs procederet, Reginam Franciæ (fortè Conſtantiam Roberti Regis conjugem) Reginæ Cæleſtis per ſomnum apparentis monitu, camelo pecuniam impoſuiſſe, ei loco applicandam, ubi pedem ille fixiſſet.

Somnium.

Pecunia

Devenit ille Camelus ad Muttam fluvium, quâ parte Buxerianum montem interfluit. Fluvius quia nondum ponte commiſſus erat, lembo traijciebatur. Lembus abſente portitore, ad ulteriorem ripam religatus cum eſſet, ſolutis ſponte funibus, flumine tranſmiſſo venientem Camelum excepit, atque in adverſa ripa conſtituit, rem geſtam mutus quidam ex editiore loco intuitus, & admiratus, accurrit ad Epiſcopum, tùm fortè fabris inſtantem, atque opus urgentem. Miraculum inclamat, ſolutiſque linguæ impedimentis, rem, prout geſta erat, denunciat.

Camelus

Quid plura? pecunia quaſi divinitus oblata recipitur, ædificium paucis diebus abſolvitur, ſtatuitùrque, ut ad perpetuam rei memoriam mutus quiſpiam Monaſterij ſumptibus alatur: quod hactenus religioſè ſervatum eſt, animadverſúmque frequenter, uno demortuo alterum velut è Machina ſuccedere. Ad templi Dedicationem Antiſtites Tricinenſis Metenſis, ac Virdunenſis ipſius Gaucelini rogatu concurrerunt; réſque erat poſterâ die per agenda: cùm mirabile quiddam accidit, nocte concubiâ ſenſit Gaucelinus interiore quodam motu ſe vehementer ad ſurgendum impelli, ut videret, an omnia ſequentis diei ſolennitati neceſſaria ritè ſint ab ædituis comparata.

Cura.

Corpus è ſtrato corripuit, vix ad ſacrarium acceſſit, tum animadvertit, in templo facibus omnia collucere. Introſpexit, vidítque Chriſtum Dominum, Auguſtâ Genitrice, magnâque Sanctorum catervâ ſtipatum, ſacras cæremonias obeuntem: & ſacro

quodam horrore perfuſus, trepidè Epiſcopos ad ſpectaculum evocavit, qui tempeſtivè ante finem Cærimoniarum Cæleſtium adfuêre, animis religioſè ſuſpenſis, ut poſt templi Dedicationem ab ipſo Domino in honorem parentis ſuæ peractam, ejuſdem benedictione fruerentur. Hæc ad me ex tabulis antiquis, R. P. Thomas le Planc Muſſipontanus, Societatis IESU.

D X X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
WALSINGHAMENSIS.
Walſinghamij in Anglia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Divina gemma ter pura ſejuncta à malo.*

1. Ludus Scacborum.
2. Regis periculum.
3. B. V. cultus.

HÆc miraculoſa Deiparæ Imago jam olim ab *Eduardo primo* Rege Angliæ honorata eſt, cauſam honoris, quem à Rege accepit (quia originem dare non poſſum) è VValſinghamenſi Hiſtorico depromam, nec dedignabor apponere ejus verba: *Cùm adhuc adoleſcens Rex eſſet, & cum quodam milite in camera teſtudinata ludo Scacharij occuparetur, ſubitò nullâ occaſione præſtitâ inter ludendum ſurgens, diſceſſit, & ecce lapis immenſæ magnitudinis cecidit in eundem locum, quo ſederat, propter quod miraculum, Beatiſſimam Virginem apud Walſingam propenſiùs honorabat, eique tribuebat, quod periculum evâſiſſet.* Hæc Thomas VValſingamius, auctor probatus. Populus Regis Exemplum ſecutus, concurſu devotionem auxit, & Deiparæ Statua miraculis claruit.

Rex.

D X X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
TAURENSIS.
In Monte Tauro in Minorica Inſ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *O Agna verè munda ac mitis & pura mali.*

1. Taurus via Dux.
2. Converſio fæminæ Turicæ.
3. Candelæ mirabiles.

MInor Inſula Balearis *Milorca* Hiſpanis, aliâs *Minorica*, in monte, qui à Tauro nomen habet, Imaginem Deiparæ colit valde miraculoſam: ejus inventio per fidam traditionem ſic ſe habet. Poſtquam *Alfonſus* Rex Aragonum Mauros è minore Balearica exegit, RR. PP. de mercede ad radicem ejus montis Cænobium excitârunt, ubi inter cæteros ejuſdem Cænobij Sacriſta, vir religioſus & pius, è regione montis céllam, & in cella feneſtram habebat, è qua ſingulis diebus Sabbatinis

tinis obſervabat, ad ſolis occaſum lumina non pauca è cælo cum dulci ſymphonia ad verticem ejus montis delabi, & conſidere: quare Cænobiarcham, & Cænobitas omnes ad prodigium ſpectandum pius Sacriſta convocavit, ſenſus omnium fuit, ſcrutari montis locum, ſiquidem fortè tanto portento dignum ibi lateret. Monachi.

Cruce prælatâ, omnes ordinatiſſimâ ſupplicatione aſcenderunt montem: cùm ecce Taurus proceritate inuſitatâ ex ſilva proſilit, ante crucem proſternitur, & erectus ſe viæ ducem viris religioſis offert. Qui crucem portavit, Taurum per omnia in via ſequitur, ſequuntur & cæteri: donec ad rupem præruptâ ventum eſt viæ terminũ. Tum Taurus impetu magno cornibus in rupem arietat, & ſaxum findit. Per apertũ itaq; iter Taurus viam arripit, & ad montis culmen Religioſos incolumes ſiſtens, ab eorum oculis evanuit. Patres tot prodigijs ad inveſtigandum exciti, dum totum montis faſtigiũ curioſè exquirunt, in ſpecum incidunt, in qua hanc Deiparæ Statuam decorè repoſitam invenêre, inventámque quamprimum debitis honoribus affecère. Ea eſt lignea, tres palmos alta formâ, quæ pietatem conciliat. In reditu in Caſtello S. Agathæ cæleſte pignus depoſuêre, quòd ſuum Cænobium deſerere ſtatuiſſent. Sed Statua die alterâ in ſpecu reperta eſt: ubi collatâ ſtipe, templum erectum, temploque adjunctæ ſunt ædes plures, in æditiorum & peregrinorum commoda. Taurus.

Quod ſi hæreticus quiſpiam miraculum à me petat, quod ibi contigerit, dabo. Accidit, ut religionis ſpecie quidam Galli hæretici montem conſcendêrent, & candelas in honorem Virginis accendendas altari offerrent; quæ tamen intus pulvere tormentario pyrobolariâ arte, repletæ erant. candelæ iſtæ ubi accenſæ ſunt, & altare & templum Virginis valde violârunt. Hactenus ad mentem Sycophantarum; quod ſequitur, ijs non placuit, Statua & munera & ſedem peroſa auſugit, nec ſine miraculo rediit. Appulerunt ad portum Fornelli Tauro monti vicinum aliquot naves, quibus nonnulli Epiſcopi Hiſpani vehebantur, finito Concilio Tridentino ad ſuas Diœceſes redituri, ex ijs navibus una oſtia portûs, quantumvis ſecundo vento flante, ſuperare tamen non potuit, ut cæteræ, id Navarcho juxtà ac cæteris vectoribus novum & mirum viſum eſt. Candelæ.

Cúmque in varias ſententias diſtraherentur, nec cauſam ſuæ detentionis certò ſcirent, quidam eorum locorum non imperitus, Dei monitu refert, à monte, qui procul eſſet, Imaginem Virginis quondam hæreticorum fraude pulſam in navi inveſtigandam eſſe. Parent vectores & nautæ, & in ſarcina cujuſdam Epiſcopi inventa S. Statua eſt. Conſulti tres inſulares, primævæ Imaginis indicia & lineamenta producunt, eiſque collatis eadem deprehenſa eſt in ſuam priſtinam ſedem remeare eorum Epiſcoporum manu, qui Tridenti contra hæreti- Imago.

cos ſententiam dixerunt, ipſi Epiſcopi, relictâ confeſtim navi, ante omnia Statuam S. ſuo templo reſtituerunt: SS. Miſſæ Sacrificium & dona quoque reliquerunt, ut fraus hæreticorum ad perpetuam rei memoriam purgaretur.

Navis. Ita navi conſcensâ cum cæteris navibus bonis ventis rediêre in Hiſpaniam, nec tacendum, quod fida traditio habet Taurum illum toto Maurorum tempore, latentis Statuæ ſpecum ita ſemper cuſtodiviſſe, ut nemo Mahometanorum unquam accedere poſſet. Anno 1618. S. Statua in urbeculam Inſulæ caput delata eſt, ad impetrandam pluviam, ibique per novem dies religiosè culta tandem in ſuum locum cum ſolenni pompa reducta, vix tribus milliaribus emenſis, Taurus coloris cærulei apparet, ei qui crucem ferebat, inhæret, nec ullis

Proceſſio. modis pelli poteſt, devenit pia pompa ad torrentem, & Taurus labenti aquæ labra admovet, & in cælum oculos erigit, mirabile dictu! ſubitò conglobantur nubes, & largiſſimus imber depluit, qui devotos peregrinos in vicinum Sacellum pepulit, ubi Taurus evanuit, & videri deſijt.

Ab hac S. Statua omnis Minoricenſium fortuna dependet: quin eadem etiam mari dominatur & ventis, plurima adſunt hujus rei exempla, inſtar omnium ſit unum, quod, cùm navis quædam è Majorica ſoluiſſet, quæ Machometanam mulierem vehebat, tamdiu exorta tempeſtas ſæviebat, ut navi immineret exitium, niſi minorem Balearem, ſeu Minoricam accederet; omnes implorant auxilium B. Virginis in monte Tauro, & more nautis Chriſtianis conſueto, peregrinum eligunt, qui Cæterorum nomine eam pedes inviſat; cecidit ſors ſuper Machometanam, de quâ dixi, fœminam, quæ cùm vitæ Fœmina. ſervandæ deſiderio rem adeò ſuæ ſuperſtitioni adverſam, ſuſcepiſſet, videt in ipſo aëre ſpeciem mulieris cælos & mare ſerenantis.

Tenet navis Inſulam, & Machometana voti rea in montem contendit, Statuam Deiparæ accuratè conſiderat, teſtatúrque, eandem eſſe, quam ipſa vidiſſet in aëre ventis & fluctibus imperantem; & ne deeſſet animæ ſuæ ſaluti, quæ corpus ſervârat, Mariæ precibus Machometum ejurat, & baptizatur, ac in Sardiniam defertur, nunquam ad ſuos reditura. Hæc ad me *R. P. Petrus Antonius Cereroli, Soc. IESU Rector Collegij Majoricenſis*, addit porrò, & jam aliunde advenire peregrinos & notiſſimam eſſe S. Statuam per Sardiniam & Siciliam.

D. X X X. V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

BEATÆ VIRGINIS LUCÆ, *Hallu in Majorica Inſ.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Munda polis mica tu verè amata Regina.* *1. Mare*

1. Mare innoxium.
2. Lex iniqua.
3. Ludentes infantes.

IN majore Paleari Inſula, ſeu Majoricâ, Imago miraculoſa Deiparæ eſt, quam incolæ non alio titulo honorant, quàm nomine proprio illius paſtoris, qui eam invenit. Ita unum idémque nomen Imagini, & inventori convenit. Hujus autem Imaginis inventionem ſicà majoribus traditam accepimus. Eſt inter montes altiores Inſulæ vallis, quam rivulus interſecat: in ejus medio eminet clivus aſper ſaxis, arboribúſque. Hanc vallem in varia prædia diviſam non paucæ ruſticanæ domus ſparſim ornant: inter quas fuit ea, quæ à Mauris cum fundo ſuo *Hallu* appellabatur. Ruſtici.

Hic adoleſcens *Lucas* gregem paſcebat, & ſæpius obſervabat diebus Sabbatinis circa veſperum, lucem miram cum cæleſti ſymphoniâ in eum clivum delabi. *Lucas* ne ſolus tantum portentum ſciret, Monacho Ciſtercienſi accuratè, quæ vidiſſet, denarrat. Monachus vir rerum divinarum gnarus, proximo Sabbato unà cum paſtore Phænomenon hoc obſervat, nil humanum portendens: quapropter manè conſcenſo colle, inter denſos frutices Imaginem Virginis IESULUM geſtantis invenit, cui poſtea à paſtore *Lucâ* nomen inditum fuit.

Statua. Eſt autem Statua hæc lapidea, colore nigro, vultu perpulchro, & læto: amictus quoque lapideus eſt, diſtinctus aureis lilijs, atque etiam aliorum colorum, quas vetuſtas penè detrivit, ſuper hunc lapideum amictum erat induta veſte Damaſcenâ ſericâ, colore viridi, quam varij limbi & faſciolæ ſericæ rubri coloris diſcriminant: quæ veſtis hodiéque integra & nitida ſervatur, Monachus cum paſtore in genua provolutus, obortis lacrymis S. Statuam veneratur, & miſſo nuncio in metropolim Inſulæ *Palmam*, de inventa Imagine utrumque Magiſtratum, Eccleſiaſticum & ſæcularem, admonet, Fama brevi totam Inſulam implet. Canonici ſedis Epiſcopalis, jurati Patres, & ex omnibus ordinibus regni viri primarij ad locum contendunt, & in ſolennem pompam diſpoſiti ad S. Statuam properant, tantoque eam affectu proſequuntur, ut in Patronam regni adoptârint, raptim igitur omnium contentione S. Ædem excitant, atque in ea S. Statuam collocant, Sacerdoti quoque & æditui ædificatæ ſunt domus. Attamen cùm Deipara hoc ex loco plurima & magna beneficia petentibus conferret, tantâ pietate & numero frequentari cœpit hæc ædicula, ut neceſſe fuerit, juſtæ magnitudinis templum, & ei adjunctum hoſpitium exædificare, mox etiam vicini, agris & prædijs Virginem locupletarunt: & ut majore auctoritate ſacra curarentur, à Calixto III. primùm, deinde ab Alexandro IV. ſummis Pontificibus Collegium Canonicorum certis legibus inſtitutum eſt, denique à Clemente VII. regimen, quod hodie durat inductum eſt, quodque prætereundum non eſt, dicti ſummi Ponti- Palma.

ficesin litteris ſuis, quas in favorem hujus S. domus dederunt, ſe moveri profitentur miraculorū multitudine & præſtantiâ, quæ à Deo per Beatiſſimam Virginem in eo loco patrantur. Ea autem miracu a vix ingenti volumine recenſeri poſſent, duo vel tria breviter perſtringam.

I. cùm vir pius cum conjuge & filiolo ex Ebusâ vicinâ Inſulâ in Majoricam navigaret, ad Deiparæ hanc S. Statuam viſitandam, filiolus octennis in mare prolapſus ante oculos parentum ſubmerſus eſt, perculit parentes filioli unici miſerabilis caſus: Tandem in S. Ædem Deiparæ delati amariſſimè conqueruntur, quòd in ipſa peregrinatione filium amiſiſſent, & cùm in templum undique oculos circumferrent, altare ſibi ad latus, filiolum, & ſe prehensâ manu compellari, vident puerum, quem antè aliquot dies à mari abſorberi viderunt, inopinato caſu attoniti parentes, inconditis clamoribus templum replent, ad rei novitatem confluunt, quotquot tunc in templo erant, obſtupeſcunt, & puerum ante omnia rogant, quis ei inter fluctus ſubveniſſet, & quomodo in terram appuliſſet, denique quo duce huc ad templum deveniſſet. Reſpondit ſe à *Virgine Lucæ* ſemper ſervatum, & fluctibus ereptum, in ejus templum huc adductum.

Miraculum.

Hinc Ebuſenſibus in Virginem *Lucæ* pietas, & ſuarum peregrinationum origo. II. in eadem Inſula Ebusâ mula, impactâ calce biennem filiolum Ioannis cujuſdam, *Deriant* nomine, extinxit, duodecim horas deploratus puer jacuerat, cùm, antequam humaretur à parentibus, & avo, implorata eſt *S. Maria Lucæ*: vovent hi peregrinationem, res mira! quaſi è placito ſomno puer evigilaret, vitæ reſtitutus eſt. Pater emenſo mari cum puero gratias acturus, in ædem Virginis proficiſcitur & 20. Febr. 1630. ritè omnibus rem, ut contigerat, præſente Notario, recenſet. Addo tertium, in Majorica neſcio quis dominus huc, devotionis causâ profectus à loci Priore minùs honorificè, quàm optabat, exceptus eſt, quapropter domum redux, ſuis ſubditis ſub pæna prohibuit, ne quis ampliùs ſacrum locum inviſeret; multò minùs dona mitteret; non tulit hoc Deipara.

Mula.

Prohibitio.

Ex duobus nepotulis parvulis dum natu major ad os putei ludit, in puteum cadit, minore clamante, & ad famulos in agrum pro auxilio currente. Accurrunt hi deſilit unus, & puerum crure prehenſum extrahit ex ipſo fundo, avus ad nuncium triſte ad montes verſus, revocat legem malè latam, & unà cum revocata lege pueri revocavit vitam, quam ille in multos annos feliciter vixit. Hæc inter approbata miracula leguntur in libro, in quo & ſimilia, & majora leguntur. Ita ad me R. P. Petrus Antonius Cereroli Rector Majoricæ Soc. IESU.

DXXXVIII.

D X X X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD ARCUS.
Londini in Anglia.

Anagr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Progr. I; ò caſta templum ignarum ruina Ada.

1. Ventorum vis ingens.
2. Tectum volans.
3. Hæreſis.

TEmpli hujus originem nuſpiam inveni. Quod verò contigerit miraculo proximum anno 1071. narrabo verbis Wilhelmi Malmesburienſis Hiſtorici illibati. Hic l. 4. de rebus geſtis Anglorum in VVilhelmo II. ſic habet. Cùm anno 1071. 16. Calend. Nov. diſcordia inter ſe pugnantium ab Euroaustro ventorum exurgens, ac Londinum impetens, ſexcentas & plures domos perfregiſſet nec ipſi templo B. Virginis pepercit: ejus namque tectum ſimili furore corripiens in altum evexit, ferebantur ligna cum trabibus per inane, ſpectaculo à longè viſentibus, timori propè ſtantibus, ne obruerentur: quorum tignorum quatuor ſex & viginti pedes longa; tanta vi in humum impacta ſunt; ut vix quatuor pedes extarent, notabile viſu, quomodo viæ publicæ duritiem perruperint, eo ibi ordine poſita, quo in tecto collocata fuerant manu artificis: quæ ob impedimenta tranſeuntium ad planitiem terræ ſunt deſecta; quòd aliter erui nequirent.

Ventus.

Hæc Deiparæ miraculoſa ædes adhuc tempore Henrici octavi latè prædicabatur, uſque dum & ipſa unà cum totius Angliæ monumentis ſacris periret. Cur autem ita malè actum cum tecto templi ſit, auctor non addit, nec natura, nec Deus faciunt aliquid fruſtrà, non improbabile eſt, in eorum ultionem id factum, qui templum non bene texerunt & protexerunt.

D X X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
ZIELENISCENSIS SOC. IESU.
Zieleniſcij in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eia nemo purus te arguat mali ac damni.*

1. Mutatio vultûs.
2. Macula rubea in facie.
3. Accurſus.

HÆc Imago exemplar eſt S. Mariæ Majoris, quæ Romæ eſt. Depicta eſt in telâ juſtæ magnitudinis id eſt, longa ferè duas ulnas, lata unã cũ dimidia, templo hujus pagi (qui pertinet ad Collegium Soc. IESU Cracovienſe) donata, ante plures annos, creditur Conſtantinopoli aut Cameneco allata.

Tantum accrevit devotio, ut ſex & ampliùs millia feſtivis Deiparæ diebus ſacro epulo reficiantur, Anathemata ſanè magnâ copiâ muros onerant, & multitudinem gratiarum teſtantur.

Anathemata.

Inter approbata miracula hoc numeratur, quod ſequitur. Ipſo Aſſumptionis Feſto cùm unus è Patribus noſtris Completorium recitaret, ſanguinea cicatrix in facie Imaginis apparuit rorida, protenſa ab oculo dextro per maxillam, propiúſque accedenti, ne fortè oculi remotiores mentirentur rei novitatem, aliquot accurrêre adſtantes, qui novi nihil eſſe aiebant: cùm frequentiùs hæc à ſe viſa ſit macula, cum mutatione vultûs. Miracula, juramentis teſtium comprobata, vidit ipſe Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Epiſcopus Cracovienſis, & ut in litteris ſuis loquitur, diligenter & maturè examinavit; approbavit & miraculoſam Imaginem. Hæc ex inquiſitione authentica ad me R. P. Urbanus Ubaldini S. I.

D X X X X.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E X E L E N S I S.

Dexelij in Germania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. ***Virgo & parens Adam Immaculata veni.***

1. Templum ſtellatum.

2. Ova ſtellata.

3. Nobilis pietas.

PAgus *Adlzhuſianus* in Bavaria ſitus, diſtat Auguſtâ Sueviæ urbe non ampliùs duabus leucis. Ab Arce hujus pagi quartâ horæ parte venitur ad locum à vetere ſilvula & fruteto *Dexel*, dictum: ibi in ipſo loci umbilico caſa erat ruſtica, quæ quia ſub Dominio prænobilis ac ſtrenui Domini *Ioannis Wilhelmi Hundij de Lauterbach*, ab eodem in quoddam Tuſculum verſa eſt, aviario & Vivario aucta, ſtatuit quoque juxtà apponere Sacellum B. Virgini; ut eadem eſſet ſedes pietati, quæ receſſus fuerat amænitati.

Sed præcipuè placuit dare formam ſtellarem, Sacellúmque ipſum vocare B. Virginis ſtellam cæpta eſt ædificatio anno 1618. Porrò & fundamentum, & tectum, & parietes, & feneſtræ, omnia in ſtellæ modum ſunt ædificata, abſolutáque anno 1619. quo anno, feſto Nativitatis Deiparæ, ſolenni ritu eſt dedicatum. Dum autem ædificaretur, ſub ipſa initia, id eſt, anno 1618. repertum eſt in corte gallinaria, ſeu ſirpiculo gallinarum, ovum impreſsâ ſtellâ, ſeu limbo radioſo notatum, atque decimo quarto pòſt die alterum: cui poſtea complura ſimilia in vicinis locis reperta: & nonnulla eorum velut ſigillo in ceram, aut mollem gypſum adacto impreſſa, & eminentiùs conſpicua: alia verò velut penicillo lineolis radioliſque in eandem figuram ductis ſtriata, quæ partim miri causâ, partim muneris loco, ad

Stella.

Ova.

ad Sacellum oblata, multiſque jam annis nihil grave redolentia aſſervantur, ſed quia vacua ova inſpexi, minùs mirum videri poteſt: vidi ego ipſe, qui has de Deipara miraculoſas Hiſtorias ſcribo, plura talia ova, monſtrante R. P. Priore Ord. Erem. S. Aug. reformati, recenter allata: nec ſuſpicari potui, quomodo per ſimplices ruſticos fraus aliqua intervenire poſſet.

Porrò Sacellum ſatis capax eſt, & plura altaria habet, frequentes è pagis ſupplicationes, & frequentia Anathemata miraculorum famam latè ſpargunt. R. P. Prior magno numero notata tenet, approbanda poſt examen ab ijs, quorum intereſt, & typis edenda. Hæc ad me *R. P. Chriſtoph. Camerer Soc. IESU*, Auguſtâ anno 1655. 18. Sept. Cæterû hæc ipſa ego quoq; accepi ab ipſo R. P. Priore. Acceſſus

D X X X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
G I D L E N S I S.
Gidlæ in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Sacro munita igne purâ metû mali Adâ.*

1. Statua B. V. à bobus culta.

2. Cæcitas neglectæ Statuæ pæna.

3. Quadraginta mortui ſuſcitati.

PAgus eſt ad ripam fluvij *Varta* dicti, *Gidle*, quatuor leuci *Czeſtekoviâ*, octodecim *Cracoviâ* diſtans. Hujus pagi colonus *Ioannes Cirbek* dictus, anno 1515. cùm fortè ad ſubigendum aratro agrum cum bobus exiſſet, poſt aliquot ſulcos vomere proſciſſos, boves inſperatò immobiles conſtiterunt, mirari primùm colonus, cur boves hærerent, adeò poſt brevem laborem fatigati; ut viribus defeciſſe credi poſſerit: mox adjutore adhibito, flagellis ac ſtimulis urgere jumenta inſtantiùs, ſed non aliud obtinuit, quàm ut boves in genua procumberent. Obſtupefactus adhuc magis ruſticus, & conſilij inops, antrorſum vadit, viam bobus facturus. Ruſticus.

Tum enimverò & ipſe, quam boves venerabantur, Statuam Deiparæ videt, jacentem inter glebas, luce tamen inſolitâ circumfuſam: quâ perſtrictus, ipſe quoque boum exemplo in genua procumbit, & religioſè veneratur pulcherrimam Statuam Deiparæ filium geſtantis, digito non altiorem è lapide vulgari, arte tamen viſendâ elaboratam: finitâ oratione, auſus eſt S. Statuam de terra levare: tum neglecto ulteriore per eum diem labore, domum reverſus, conjugi eam muneris loco fert, & ſervandam tradit, fæmina telâ mundâ involuit Statuam, & in arcam reponit, jacuit iſtic aliquanto tempore Statua, non magis rerum eò congeſtarum tenebris, quàm oblivione oppreſſa. Pietas.

Cùm maritus repentè incipit oculorum morbo laborare, ut denique omnem lucis uſuram

Cæcitas. perdiderit. Idem morbus exercuit poſtea conjugem, prolem denique, ac familiam omnino omnem; inſolitum mali genus, non parùm mirantibus vicinis: quòd malum ultra illam domum non ſerperet, tum commiſeratione moti, conduxerunt pretio fæminam, quæ miſeris inſerviret. Hæc igitur fæmina cùm arcam, de qua dixi, aperuiſſet, lucem in arca obſervavit inſolitam, nec ab igne provenientem: ejectis retrimentis, quæ arcam impleverunt, lux viſa eſt telæ involutæ & complicatæ inhærere, & ab ea ſpargi: quâ apertâ Statuam reperit, cúmque ad miraculum exclamaret, quæreretque, quam Deiparæ Statuam hîc conjuges repoſuiſſent: re-
Statua. dijt in mentem cæcis, Statua neglectim habita, non ſine juſto dolore admiſſæ oblivionis. Res Parocho nunciata eſt, qui maturo conſilio re perpensâ, cum honorifico deducentium numero S. ſtatuam templo intulit, vix egreſsâ domo Statuâ, omnes viſum recepêre uno miraculo Statua tamen in tabernaculo, cui recluſa fuit, diu non manſit; ſed in agrum redijt, ubi more conſueto quæſita & inventa, non ampliùs reportata in templum eſt; ne iterum redire cogeretur: ſed pientiores Columnam erexêre, & in Columna
Altare. locum Statuæ decentem dedêre, excavato in formam hemicycli ſpacio: vulgatâ per omnem latè viciniam famâ facti ſunt concurſus petentium à Deipara, quæ quiſque optabat, auxilia: Obſervata ſunt quamprimùm auxilia, & quidem miraculoſa. Hinc ſtatim ædificatum Sacellum eſt, ſed ligneum ab *Adam Giziellſcbi*; quomodo poſt aliquot tempus ex Sacello ligneo factum ſit juſtæ magnitudinis templum, accipe.

Martinus filius *Adami* in Sileſia innocenter comprehenſus, atque in carcerem conjectus, non ſine præſentiſſimo vitæ periculo, promiſit nuncupato voto, ſe templum majus exædificaturum, ſi eo periculo eximeretur, ſubſecuto deinde ſopore, per ſomnium viſus eſt ſibi videre Deiparam, quæ amæno vultu libertatem promittebat, votíque memorem eſſe jubebat. Eventus ſomnium confirmavit: nam expergefactus ſolutos compedes vidit, & apertam carceris portam, domum itaque, nemine perſequente, profectus: ante omnia templum majus fecit, ſed ut opes ferebant, ligneum, donec demum, creſcente miraculorum famâ, *Stanislaus Stobieski* Pagi Dominus templum, quod nunc eſt è lateribus, ſtruxit, & anno 1615. RR. PP. Dominicanis dono dedit. Somnium.

Adſunt miracula ritè ab Epiſcopo approbata: inter hæc quadraginta mortuorum excitationes ad vitam, varijs caſibus extinctorum. In his nullum ad me pervenit: cæterùm inquiſitio facta eſt auctoritate *Alberti Baranovvski Archiepiſcopi Cheſnenſis* per *Ioannem Skirmievviz Canoncium*, & *Officialem Lovicienſem*, & alios ad id deputatos.

D X L I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
NEUSTIFFTANA SOC. IESU.
Petovij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Tu ſana tu pura Cæli meridiana Gemma.*

1. Statua B. V. ſaxea ingens.
2. Nemo ex pers beneficij.
3. Captivus liberatus.

NEuſtifft oppidum Styriæ inferioris, & Croatiæ contermi-num, Petovio Styriæ inferioris civitate uno milliari diſtans, quà vicinis quà remotis famoſum eſt, ob ædem ſacram, quæ mole magnificâ Reginæ Cælorum ibi viſitur, Societatis IESU Collegio Leobienſi ſubeſt, & ejus curæ commiſſa magnam peregrinis præſtat operam. Origo latet, libro, quo annales ſacri loci continebantur, igni abſumpto. Statua Deiparæ eſt è ſacro, ſtaturâ ultra conſuetam altâ: IESULUM tenet ſiniſtrâ, dextrâ pallium extendit, quod item è ſaxo tam amplè dilatatur, ut ſub eo ſexaginta Statuæ ex eodem ſaxo locum habeant, omnes hominum tam ſacros quàm profanos ſtatus repræſentantes, ſunt quoque ſeptem Angeli ex ſeptem Angelorum choris, varios ad Deiparæ honores adaptati, & duo ex reliquis choris, qui ei coronam imponunt ex eodem ſaxo, paſſim vocatur *Mons gratiarum*. Feſta per annum maxima ſunt quinq; Deiparæ feſta.

Statuæ.

Feſtum quoque S. Bartholomæi, & è Dominicis Dominica Pentecoſtes, & Dominica *Exaudi:* quibus populum videre eſt è Germania, Croatia, Sclavonia, Hungaria, atque ex ipſis Turciæ finibus collectum, ſine gratia redire neminem, opinio eſt, illos quoque, qui cùm corpore non poſſunt, ſolo voto præſentes ſe ſiſtunt. Miles certè, qui ante paucos annos à Turcis captus, & in vincula datus, in carcere detinebatur, poſt biennium in pædoribus exactum, huc ſe devovit, quamvis hæreticus, promiſitque ſe futurum Catholicum, & quamprimùm ſe advolaturum auditæ preces, ſolutæ ſupernâ vi compedes, viam viro dederunt per apertas ſponte portas, docuerúntque fidei Catholicæ veritatem. Non unum hoc eſt, ſed è multis unum miraculum. Hæc ad me R.P. Adamus Aboed Rect. Leobienſis S. I.

Gratia.

D X L I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PIETATE SOC. IESU.
Ioraslaviæ in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eva prius Immaculata, dein mater Agno.*

1. Pirus

1. Pirus felix.
2. Templum ab igne illæſum.
3. Concentus Angelicus.

IAroslavia urbs viginti leucis Cracoviâ diſtans, propugnaculum totius Ruſſiæ, Virginis Deiparæ Imaginem colit, Angelicis manibus extra urbem in campo ſupra amænum collem collocatam. De cruce depoſitum filium Virgo Beata ulnis tenet: unde & *Pietatis* tenet nomen, opus rude eſt, & ligneum, ſed per quod Deus gratias largitur maximas Anno 1368. in colle hoc, quo nunc ſita eſt, tunc arboribus obſito, luce circumfuſa, accinentibus Angelis, Paſtores. in piro ſilveſtria paſtoribus inventa eſt, tum ſolenni ritu à Clero & populo civitati illata, ſed quia bis ad pirum rediit, bis civitati illata demum in colle ligneo primùm Sacello honorata eſt, mox templo lapideo, quod hodie viſitur. A vicinis Scythis ignis ſuppoſitus virtute divinâ ſopitus templum præſtitit illæſum, memorantur ſuſcitationes hominum mortuorum non paucæ, quin & jumentorum, concurſus eſt è Pruſſia, Ruſſia, & Polonia, donaria aurea, gemmea, præter alia, quæ numerum excedunt. Locus per litteras Apoſtolicas Soc. IESU conceſſus anno 1629. incrementum accepit, certè accurſus auctus, ac pietas tanta; ut ingens confitentium & communicantium numerus ab annuis litteris numeretur. Miracula nunc colliguntur, & typo parantur. Ita R. P. Urbanus Ubaldini Soc. IESU.

D X L I V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SION.
In Monte Sion in Lotharingia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Cautè animata à Deo nil impurum geras.*

1. Corona Ducalis.
2. Icon B. V. in pectore.
3. Feſtum quindeim dierum.

IN comitatu *Vaudemontano* mons eſt pulcherrimus, quatuor non ampliùs paſſuum millibus ab ortu porrectus in occaſum: *Montem Sion* appellant. Juga vitibus conſita habet, in vertice planities eſt non inelegans, ſoli orienti templum Deiparæ dedicatum, occidenti antiquum oppidum obvertitur, Toparchiæ totius caput, quod à VVandalis conditum, dictúmque *Vaudemontium* ſeu *Wandalorum mons*. Templum anno 1330. ab *Eliſabethâ* Friderici III. Lotharingiæ Ducis filia ædificatum, eadem Deiparæ caput coronâ Ducali ornavit, palliúmque Ducum more dedit è pellibus muris pontici.

Claret miraculis locus, Sodalitate fulget, in quam non niſi Illuſtres cooptantur, Iconem Deiparæ ad collum geſtant in pectore, quindecim diebus, id eſt, ſeptem ante, & totidem poſt Feſtum Aſ- Cultus. ſumptionis hîc ad ſervitia Deiparæ morantur. Et hæc denique peregrino-

grinorum pietas elanguit: dum *Franciſcus II.* Lotharingiæ Dux S. Ædem tradidit RR. PP. Franciſcanis, ædificato Monaſterio, rediјt loco pietas, rediêre peregrini rediêre miracula. Ita ad me R. P. Thomas Le Blanc Soc. IESU.

D X L V.

Imago B. V. Miraculoſa.
PERNEGGENSIS.
Perneggij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Vuapergis Immaculata ò una Dei Mater.*

1. Mutatio vultus.

2. Miraculum Univerſale.

3. Odor amænus miraculoſus.

PErneggum Superioris Stiriæ pagus, à Miraponto civitate, unâ horâ diſtat. Hic Deiparæ miraculoſa Statua colitur, Feſto præſertim Aſſumptionis. Origo Statuæ ignoratur, in feneſtris annus legitur 1461. in pariete inter picta miracula; legitur annus 1476. Statua eſt Vultus. lignea, IESUlúmque brachio geſtat, uni eidémque templum ingredienti alia nonnunquam facies apparet, & ut ad me perſcriptum eſt, contingit hoc omnibus, videtur nunc pallida triſtíſque, nunc rubicunda & læta, nunc plorans, nunc ſevera: quò tamen diutiùs eam peregrini intuentur, eò magis eam inveniunt gratioſam. Fuere qui coloribus inductis formarent, qualem ipſi optabant, eventu nullo. Teſtes adſunt idonei, nullos ad eſſe odores, ſentitur tamen à multis odor amænus, quem artifices nec facere nec nominare poſſunt, quo totum corpus refocillatur. Fuit, qui ejus Statuæ capiti coronam argenteam imponere tentaret: tamdiu non potuit, dum contritione ritè elicita, ſe dignum redderet. Hæc R. P. Adamus Aboed Rector Leobienſis Soc. IESU.

D X L V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
MISLENICENSIS.
Mislenicij in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Mei puri agni ò mater caſta vale.*

1. Sanguis è cibo.

2. Converſio hæretici mirabilis.

3. Cura pro dentium dolore.

HÆc ſacra Imago Deiparæ nomen habet ab oppido, in quo eſt, diſtátque quatuor omnino leucis Cracoviâ, picta eſt in tabula quernà è tribus minoribus compacta, longa cubitum unum, & ſeſqui quadrantem cubiti: latitudo eadem eſt, opus eſt Italicum, & artificium exactum, Imago hæc advecta eſt Venetijs in Poloniam à Duce *Georgio Ebaravvſchi Caſtel-*

lano Cracovienſi, eidem donata ut res pretioſiſſima à Moniali quadã *Sixti V.* nepte, quæ eam, ut aiebat, à *Sixto V.* ſummo Pontifice acceperat, viginti plùs minùs an-
Dux. nis Dux Imaginem tenuit, nullo cultu inſignem, nullo miraculo illuſtrem anno 1624. graſſante peſtiferâ lue, in urbe maximè Cracovienſi, Dux ſe ſuóſque domeſticos eadem lue infectos videns, paucis exceptis, omnem domûs ſupellectilem abſumi flammis juſſit, commiſſum hoc eſt aliquod famulis hæreticis: quapropter omnia confusè congeſta in villam abduxêre jam jam flammis tradenda. *Martinus Grabiſſa*, villæ æconomus Catholicus, conſpectam tabulam ſibi petijt, & facilè obtinuit, eámque in hypocauſto
Sabbatum. ad parietem ſuſpendit. Sabbato proximo inter cænandum his aulicis allatum eſt ferculum è pultibus duriuſculè coctum: hos inter unus fuit Dominus *Goypchi* Hæreticus, is arrepto cultro pultibus uſus pro chartâ, deſignare apice cultri cæpit Imaginem Deiparæ ex obiecto pariete pendentem, ſed quocúnq; cultri apicem ducebat, exibat è pultibus cruor: quod tamen ille tum primùm advertit, poſtquam manus rigore córrepta cultrum amiſit.

Sanguinem tamen illũ nemine alio advertente præter ipſum, licèt eũ oſtendere niteretur ſocijs duobus, in eadem menſa ſedentibus. Suaſu Catholicorum, qui aderant, vovit ſe fore Catholicum, & repentè brachij manúſq; rigorem ab ijſſe, ſeq; ſanatum ſenſit, quapropter alterâ ſtatim die Calvariã (oppidum eſt) profectus, hæreſin è juravit, deinde etiam Carmelitarũ Ordinem ingreſſus eſt. Nondum Converſio. ſuffecerunt hæc, ut Imagini honor exhiberetur: quinquennio integro in domo Æconomi in villa relicta eſt, & à Duce neglecta. Æconomus Mislenicũ eam ſecum avexit, non alio honore, quàm quòd eam è villa in oppidum, è casâ in domũ tranſtulerit. Et ſanè merebatur reverentiã cultúmq; majorẽ, non ſolùm propter miraculũ ſanguinis, & converſum hæreticum, unum ſed etiam propter frequentem vultûs mutationem, quam quidem videbant plurimi, è pluribus tamen nemo fuit, qui quâ debebat, æſtimatione rem per penderet. Anno 1633. 1. Maij Dominicâ Dominica. ante veſperas utraque facies in tuentibus viſa, tanquam telâ tenui obducta, clarere cæpit inuſitato miraculo ſiquidem poſt mediam circiter horam guttæ magnitudine ſeminis cannabini, ad inſtar olei pingues, & frequentes in capillis Deiparæ comparuerunt, duraverúntque per ſemi horam, ſequenti, die tam ante, quàm poſt meridiem in fronte & genis Deiparæ iterum guttæ prioribus majores viſæ ſunt, etiam defluentes ad mediam uſque Imaginem, nec ampliùs horâ unâ durârunt. Tertiâ Maij feriâ tertiâ, Feſto inventionis S. Crucis, mane, meridie, & ſub ſolis occaſum S. Imago copioſè ſudavit, facie Virginis Roſæ inſtar rubente. Tum enim verò domeſticos omnes timor invaſit, qui & omnem ſomnum arceret, & faſtidium prandij cænæque faceret, nec finis.

Quar-

Sudor. Quartâ enim feriâ iterum ſudare viſa eſt, bis ante, ſemel poſt meridiem, non minùs integrâ horâ; ſi tria hæc tempora conjungas: nunquàm tamen copioſior antè viſus eſt ſudor. Ipſo feſto Aſcenſionis, feriâ quintâ, quinto Maij, prandium præ terrore deſervêre omnes domeſtici: nam copioſiſſimè ſudare Imago viſa eſt, qui ſudor poſt meridiem quatuor diſtinctis vicibus rediit, currebant rivuli tres guttarum per faciem & capillos, è quibus tres illi in faciem IESULI derivabantur: qui tamen omnes denique in tres rivulos copioſiſſimos coaluêre, ad infimam uſque partem tabulæ defluentes. Continuatus hic ſudor eſt etiam ſexto Maij, ter ante meridiem, & quater à meridie, ſub veſperum cùm cantarentur Litaniæ, rediit ſudor octavus illius diei; præſertim cùm ad illa verba deventum fuit: *Maria Mater gratiæ, &c.* guttæ plùs quàm triginta viſæ ſunt ſolito majores piſarum magnitudine, copioſus ita hujus diei ſudor fuit, ut tota penè tabula ſit madefacta, & guttæ ad limbos defluerent. Septimo die Maij bis ſudavit, manè cùm ſignum in templo daretur ad miſſam Deiparæ votivam; alterâ vice circa meridiem. Sudor hic ſemper fuit pinguis, ſplendeſcens, inſtar olei nitidus, guttatim oriens inſtar roris, & magnitudine ſeminis cannabini, aliquando ad magnitudinem piſi, coloris albicantis, nonnunquam flavi aut rubei, ſemel ſpeciatim una rubea inter albas viſa eſt. Odor etiam ſentiebatur valde gratus. Octavo demũ die Maij delata in templum eſt, & ad ulteriorem inquiſitionẽ recluſa in ſacrario, Maij die duodecimâ, ipſâ Aſcenſionis Octavâ, à Sacerdotibus reviſa, novos ſudores exhibuit; non tamen plus ſex guttis; ſive reliquæ interea exaruerint more ſolito, ſive ſudor ceſſaverit. Odor.

Inſtitutâ demum ritu Eccleſiaſtico feriâ & rigidâ inquiſitione, pro miraculoſa habita eſt, & ut talis cum pompâ templo parochiali illata, menſis Iulij die ſecundâ. Miracula ſtatim illo die cœperunt, quo ſudor cœpit, unum è primis eſt, candelæ particulam noctù S. Imagini accenſam ad ipſum manè ſuffeciſſe uxor Præfecti oppidani exoſculata S. Iconem, repentè dentium dolore liberata eſt. Herus domûs *Grabyſſa*, annis aliquot dolore oculorum laboravit, ut vix legere poſſet: ſed intincto ſtrophiolo in S. ſudorem, oculos lavit, & vidit. *Ioannes Lippa* manum habens aridam, & laboribus inhabilem, cùm diceret: quid ego faciam miſer, ſi manum meam ſanaverit? vix verba effatus eſt, cùm ſanum ſe vidit, plura & majora facta ſunt, poſtquam publico expoſita eſt, Hæc ad me *R. P. Albertus Coialovviz Rector Vilnenſis Soc. IESU.* libro Polonico Cracoviæ impreſſo anno 1642. conſcripto à *R. D. Adalberto* Præpoſito, & concionatore Miſlenicenſi, & Decano Dolechicenſi cum approbatione Ordinarij. Miracula.

DXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
SIEPRCENSIS.
Sieprcij in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Aperi mea lumina Virgo caſta & munda.*

1. Fæmina bis viva.
2. Votum negligens malè moritur.
3. Mirabilis ſubmerſio

PAlatinatus Plocenſis oppidum habet, quod linguâ Polonicâ *Siepre* appellatur. Hic B. Virgo colitur, porrò cultus origo eſt iſta. Clericus Diæceſis Plocenſis Anno 1483. lue peſtiferâ correptus, ad capiendam ſalubrem auram extra mœnia oppidi ambulationem inſtituit eo in colle, in quo nunc templum ſtat & nova civitas, quæ Deiparæ Imaginem pro inſignibus habet. Cùm ecce obviam habet admirabilis formæ Virginem, è quacùm rogâſſet, ecquid illic tam periculoſo tempore ageret; Apparitio. reſponſum ab ea accepit in hæc verba: ſum Mater Redemptoris: miſeret me peccatorum & afflictorum, quare mando tibi, ut Magiſtratui dicas tam Eccleſiaſtico quàm ſæculari, ut hic templum mihi ædificent, ſi ceſſare velint luem peſtiferam. His dictis videri deſijt.

Fecit quidem imperata Clericus, ſed nemo, quod imperatum erat, templum fecit, ſequente Anno 1484. venit è Palatinatu Culmenſi Parochus Berzazenſis, viſurus locum apparitionis, quam per omnem latè Poloniam jam fama ſparſerat, quin & ipſam Deiparam ſuo ſuorúmque nomine ſub dio precari, ut peſti finem faceret, quo facto Parochus Magiſtratum Sieprеçenſem adit, refértque ſimplicem fæminam ſuæ Parochiæ verè mortuam, horâ à morte elapsâ, revixiſſe; naraſséque aſtantibus, vidiſſe ſe Deum optimum maximum cinctum innumeris ſanctis Beatiſſimam quoque Virginem orantem pro peccatoribus, quæ ſibi dixiſſet: meâ oratione obtinui tibi vitam apud filium, ut vides: cùm ad corpus redieris, ito *Sieprcum*, oſtende locum neglectum, quem ego elegi; & dic, ut illic ad honorem Aſſumptionis meæ templum ædificetur.

Hæc dum Parochus Magiſtratui utrique in verbo veritatis, tacto pectore, enarrat: cum ecce Miraculum. ipſa fæmina cum marito adeſt bis viva, & verba Sacerdotis confirmat. Moti tam præclaris oſtentis Sieprcenſes, Sacellum in loco quamprimum ædificant, quod creſcente miraculorum numero in templum excrevit multitudinis capax. Cæterùm in altari principe Deiparæ Imago colitur, quæ IESULUM dexterâ tenet. Ab anno 1601. extant plura monumenta in ſignium miraculorum, illud non omittendum propter hæreticos noſtræ ætatis Anno 1614. die 26. Maij venit huc *Barbara Arabska*

ka ex urbe Culmenſi, viduâ filio *Alberto*, quem domi in abſentia ſua, cùm rediret, ſubmerſum & mortuum invenerat, quémque ſuaſu alterius fœminæ huc devoverat, quem denique huc ſecum adduxerat voti reum. His narratis ſubjunxit hæc mulier aliud: conſulis Culmenſis uxor hæretica cùm puerum videret mortuum, méque orantem: peream, inquit, niſi Catholica fiam, ſi puer hic ad vitam redeat, vix utraque promiſſum finierat, cùm puer velut è ſomno evigilans revixit.

Redivivus.

Ego puerum hic ex voto ſiſto: illa promiſſam converſionem negligens intra paucas hebdomades malè mortua eſt, quod è Culmenſibus civibus plurimi juramento confirmarunt. Mirabilius eſt, quod de alio puero ſubmerſo ſcribunt, cecidit in puteum templo vicinum, quem *Deipara puteum* vocant, & voto facto in alio puteo montis ejuſdem emerſit, & vivus ſanúſque aquis innatavit. Porrò puteus hic ab altero tribus non minùs jugeris diſtat. Puteus, qui à B. Virgine nomen habet, uſui eſt ægris, è quibus plurimi convaleſcunt, Epiſcopus Plocenſis *Albertus*, neſcio quas ſuperſtitiones veritus, curavit deijci crucem juxta puteum erectam. Id ubi audivit *Cleophas* hæreticus quiſpiam, currum miſit, quo crux derelicta & primi occupantis deveheretur in domum ſuam, futura ignis pabulum, non ſine cachinnis, & fidei Romanæ contemptu, ſed cùm loco currus appropinquaret, equo pes mirando caſu ruptus eſt: unde nemo crucem loco auferre auſus eſt.

Puteus.

Anno 1613, 27. Martij *Sbigneus Pilniki*, Mareſcallus Exercitûs rebellis Hæreticus gravem ægritudinem potu hujus aquæ pepulit, & cum ægritudine hæreſin. Alij dolores capitis intenſiſſimos hac aquâ eluerunt, anno 1616. *Sophia Arciſzevvska* nobilis fœmina, aliquot annis cæca, oculos lavit, & vidit. Hæc ex civitatis Sieprcenſis antiquis monnumentis excerpſit, & typo vulgavit *R. P. Lucas Peprocki Soc. IESU* anno 1652. & ad me miſit R. P. Albertus Koialovviz Societatis IESU Rector Collegij Vilnenſis in Lithuania.

DXLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
TULLENSIS.
Tullis in Lotharingia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vige ornata palmis èmica munda reatu.*

1. *Matutinum noctu cantatum aperto templo.*
2. *Pes argenteus.*
3. *B. V. monet adeſſe hoſtes.*

ANno 1284. Conrado Savorum Epiſcopo, gravis inter Clerum Tullenſem & cives Tullenſes ſimultas exarſerat. Hanc occaſionem arripiens *Theobaldus Comes Barrenſis*, Clero & urbi alias etiã ob

ob cauſas infenſus, nempe quòd conſanguineum ſuum *Thomam*, Primicerium Virdunenſis Eccleſiæ, & Tullenſem Scholaſticum, ad Tullenſem Infulam nuper vocantem non extulerunt, urbem ferro flammâque devaſtare decrevit. Et jam pervigilium S. Matthæi Apoſtoli tam ſacro facinori deſtinata erat. Centum armatos ipſe Thomas velut primam aciem duxit: his imperatum, ut varijs, quæ attulerunt, inſtrumentis murum urbis, quà templum & Epiſcopi palatium ſpectat, perrumperent, & ſecuturis mox copijs viam ſternerent in urbem. Cùm ecce mulier demortui nuper mariti luctu afflicta mediâ nocte templum adit, matutino cantato intereſt, & poſtquam diu precata eſſet, ante Deiparæ Statuam jam um prodigijs celebrem obdormivit, viſa ſib eſt, Deiparam jubere expreſſis verbis, ut quam primùm *Reinbertum* portæ carnalis (à vicino macello nomen eſt) cuſtodem, moneret, juberétque cives ad arma, & ad urbem defendendam excitari, ad hoſtes eijciendos, qui jam jam urbem per apertos muros ingreſſuri erant.

Ruinæ.

Matutinum.

Illa Reinbertum adit, Imperata exequitur eò feliciùs, quòd & ipſe jam eâdem de re per B. Virginem in ſomno monitus eſſet, addidit Reinberto Deipara: ſi dubitas, in viſionis hujus veritatem videbis Statuam meam in altari pedem ultra veſtem produxiſſe, Reinbertus cum vidua, alijſque, ad templum properant, ad pedem Statuæ ſenſim oculis ſuis vident protrudi ultra ſex uncias. Actis Deiparæ gratijs, omnis civitas ad arma capeſſenda excitatur. Ex opificibus primi advolarunt laniones ad Epiſcopale palatium, in quo jam quinquaginta novem cladem, quam daturi advenerant, à lanionibus accepêre, alij quadraginta ad muros occiſi, cæteri fugerunt: è quibus ſeptuaginta in foſſas delapſi in aquis perierunt. Exercitus ubi detectas inſidias vidit, ſine prælio domum redijt. Ita urbs Tullenſis Deiparæ beneficio incolumis ſtetit.

Apparitio.

In beneficij memoriam pes miraculosè protenſus argenteâ laminâ obductus eſt, & nomen Statuæ datùm *de pede Argenteo*. Ipſa verò Statua ex ara templi infima ad ſummum altare cum pompa deportata eſt ad ſedem ſibi poſt Princeps altare ſummo artificio paratum. Ejus cultus hodiéque magnus eſt, in neceſſitatibus publicis Magiſtratus à Clero ſuppliciter petit, & obtinet, ut per urbem S. Statua deportetur, quòd cùm fit, omnia urbis Collegia, tam ſacra quàm profana, conveniunt, & ſupplicationem præſentiâ ſuâ cohoneſtant. Hęc ex monumentis excerpſit *R. P. Thomas le Blanc Soc. IESU, Rector Muſſipontanus*: quæ monumenta accepit à Clariſſimo viro Domino *Valerio*, Tullenſis Epiſcopatûs Vicario in ſpiritualibus, & tunc Adminiſtratore in temporalibus.

Pes.

DXLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CRYPTA,
Pragæ in Boëmia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eugè ò ſancta mater i pura i munda mali.*

1. Ignis debilitas.
2. Statua B. V. aulam fugit.
3. Miraculi proba.

INter alias urbes etiam civitatem Roteburgenſem ad Neccarum hæretica rabies occupavit, & omnia mala ſacris intulit, Statuis præcipuè: quarum una, quæ Deiparæ erat, in rogum eam ob rem excitatum, abiecta eſt. Hæc lignea licèt ſit, tamen ignis quantumvis per intervalla aucti qualemcúnq; vim ſuſtinuit per duodecim omnino horas, nullâ vel fumi maculâ. Aderat miraculo ex aula Imperatoris *Dominus de Perlemont* Catholicus, caſu hac tranſiens, is ne ſibi fineret aliquid Deiparæ honorificum elabi, ſedulò cavit, &, Truncus. cedite mihi hunc truncum, inquit, Quirites, & quia linguâ quâ apud hos intelligeretur, locutus eſt, id eſt, jocosâ; quam petijt, obtinuit Statuam, eam ille ſecrètò, ſed honorificè Pragam uſque ſecum tulit, & in loco domûs ſuæ ſolitario honeſtè collocavit, magna ſubitò domeſticorum viſa pietas eſt, per commodè tunc in vicinia ſtructum eſt RR. PP. Capucinis cum Cænobio templum, viſa homini eſt, Statua majore digna honore, & gratum fore donum novis civibus S. Franciſci.

RR. PP. Capucini Statuam in Crypta Subterranea collocârunt: ubi quamprimum miraculis coruſcare cæpit, res ad *Rudolphum II.* Imperatorem pervenit, ille Statuam ſacram è propinquo veneraturus, eam in aulam deportari juſſit, & in Sacello aulico decorè collocari, ſed proxima nocte dum matutinas in choro canerent Capucini, ad templi portam inſoliti pulſus auditi, intrare volentium, ſed apertis portis præter ſacram Statuam nemo inventus, qui Statua. vellet ingredi, hanc itaque cum gaudio in altari ſuo repoſuerunt. Non defuit ſuſpicio, aulicũ quempiam Patribus benevolum ſurripuiſſe Statuam, & ficto miraculo huc deportâſſe; ut Angelorum officio huc deveniſſe crederetur; Statua certè ſecundò in aulam reportata, & accuratiùs cuſtodita; tamen iterum ſub matutinis precibus, & eodem modo redijt, neque enim Patres, audito pulſu, aliud cogitârunt, quàm adeſſe Statuam, & quidem ſolam.

Tertiùm quoque tentatum eſt, & Statua in aulam reportata, neque defuit forte, qui viris diceret: ite, cuſtodite, ſicut ſcitis. Statua tamen etiam tertiò redijt, eodem & tempore; & modo neque fuit qui quartùm aſportare Statuam non metueret. Ita S. Statua loco ſuo firma hodiéque ſtat, & miraculis coruſcat: quæ an edita ſint,

non

non habeo dicere, plurima ab ipſis RR. PP. accepta eſſe beneficia, aſſerit Conventus, à quo hæc accepit, & ad me miſit R. P. Bohuſlaus Balbinus Societatis IESU.

D L.

Imago B. V. Miraculoſa. IMPERATRICIS. *Viennæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Memento mei agna pura luti ſacra Diva.*

1. Liberatio Principis.

2. Regina ſancta.

3. Preces pro mortuis.

MOnaſterium ſanctimonialium eſt Viennæ in Auſtria, quod titulum *à Regina* habet, vel ab *Imperatrice Eleonora:* in quo *Maximilianus Archiducis* Pientiſſima ſoror vixit, & obijt. Hæc in cella ſua Imaginem S. Mariæ Majoris impensè coluit, & fratrem ſuum Maximilianum, cùm in itinere Polonico in magna mala incidiſſet, ad hanc Imaginem precibus liberavit, contigit enim, ut inter orandum Imago protenderet dextram & in hæc verba linguam ſolueret: *Confide filia, frater tuus liberabitur à malis, in quibus eſt, & ſalvus domum redibit.* Illa Fratri *Petro Lucbio* Franciſcano Confeſſario ſuo rem omnem detexit, nullâ dæmonis illuſione maculatam: rogavítque, ne etiam poſt mortem ulli hoc ſecretum revelaret, nec rationem tacuit, cur hoc ſilentium exigeret: cogitabunt, inquit, ſorores, me ſanctam eſſe, & pro me non orabunt.

Miraculum.

Poſtquam ſalvus & incolumis Maximilianus Viennam redijt, illa S. Imaginem opulentè ornavit, & publicam fecit, miracula plurima ad hanc S. Imaginem facta ſunt, quorum pleráque ſcripta habentur, & volentibus oſtenduntur: juſtis tamen de cauſis non imprimuntur. Hæc ad me R. P. Wolffgangus Förgh Societatis IESU.

D L I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE OLEO. *Sozopoli in Oriente.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Rogata veni dilecta anima ſummè pura.*

1. Oleum è picta Imagine.

3. Conjugium felicitatum.

3. Sinodus Nicæna.

IMaginis Deiparæ in tabula pictæ, quæ olim Sozopoli in Piſidia colebatur, ut miraculoſiſſima, originem dare non poſſum. Continuum per longa tempora, & inuſitatum miraculum antiqui memorant, è picta Deiparæ manu

nu fluebat guttatim oleum, in omnes morbos potens, veritatem hujus teſtatur S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſeptimâ, hoc eſt, ſecunda ſynodo Nicæna, in Epiſtola ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos his verbis: Extra omnem controverſiam eſt, in Sozopoli Piſſidiæ civitate Imago Virginis matris intemeratæ, quæ ex picta etiam manu ſua unguentorum Scaturiginem effundit, hæc Epiſtola S. Patriarchæ eſt recitata in ſynodo ſeptima, hoc eſt, ſecunda Nicæna, actione quartâ, antiquior Germano eſt Euſtachius, qui apud Surium ſexto Aprilis ait, Eutychium Epiſcopum Conſtantinopolitanum dediſſe de oleo, quod manabat Sozopoli ex Imagine B. Virginis, conjugibus, quorum filij ſtatim moriebantur: illi hoc oleo ab eo uncti filios procreârunt duos, uni nomen Petrus, alteri Ioannes datum ex præcepto Eutychij, quos Euſtachius incolumes ſpectavit. Quam verò originem habuerit hæc Imago, an fortè picta ſit à S. Luca Evangeliſta, nondum [illegible] legi.

Oleum.

D L I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD MACHABÆOS.
Coloniæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Alacris gemma i, purè tota nivea munda.*
1. Opificum pietas.
2. Virgines bajulæ S. Imaginis.
3. Sculptura laborioſa.

STatua hæc ſculptoris opus eſt laborioſiſſimum, nam non Deiparæ ſolùm formam refert, ſed Angelorum choros novem cum multis ſcripturis, nec deeſt artificium: amæna eſt figura Deiparæ, amæni Angelorum vultus, inauratæ paſſim veſtes: porrò templum titulum ſuum habet *à Machabæis*, Tribus Opificum ad hanc S. Imaginem ſua feſta celebrant, inter quæ non ultimum eſt feſtum Corporis Chriſti, quo in ſolenni proceſſione à quatuor Virginibus jam olim portabatur.

Opifices.

Traditio eſt, inter has bajulas aliquando fuiſſe unam, quæ non niſi opinione hominum Virgo erat: cúmque procedendum eſſet, ſtetiſſe S. Imaginem nec moveri ullâ vi potuiſſe, dum hujus bajulæ loco vera Virgo ſubſtitueretur. Traditionem eſſe nullis litteris poſteritati traditam, ſcribit ad me R. P. Ioannes Bilſtein, Societatis IESU.

D L I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

LAUTERBACENSIS.

Lauterbaci in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. Agna Mater purè nivea maculam odiſti.

1. Hæreſis.
2. Catholicorum pietas.
3. Templum ſumptuoſum.

LAuterbacum pagus tribus leucus diſtat urbe Badenâ Diœceſeos Argentoratenſis. Templum illic eſt è quadro & ſecto lapide, tum ſoliditate operis, tum concinnitate & elegantiâ viſendum, ab Abbate Præmonſtratenſi anno 1320. ædificatum, Statua Deiparæ magno artificio ſculpta in ſummo altari ſtat: olim valde miraculoſa, quia & hodie, ſed antiqua monumenta delevit hæreſis, & nova quæ ſunt, ſupprimit, interim Catholici beneficijs gaudent. R.P. Philippus Fónle Soc. IESU.

D L I V.

Imago B. V. Miraculoſa.

KIRCHWALDENSIS.

In Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. Geris panem cor vitæ munda alma.

1. Hæretici materiales.
2. Vera converſio.
3. Fons ſalubris.

MIſeram eſſe conditionem hæreticorum nemo Catholicorum eſt qui neſciat, ſunt tamen nonnulli Catholicorum, qui cum neſciant diſtinguere malitiam ab ignorantia, ſevero & nimis præcipiti judicio omnes ad orcum ablegant quotquot hæretici- (Hæretici.) cis naſcuntur atque ab eis etiam ad annos viriles educantur, quaſi vero ignorare hi non poſſint ad ſalutem neceſſaria quæ tot Catholici malitioſè ignorant, negari nõ poteſt quin multi inter eos vivant ſine Dei graviore offenſâ ſola & inculpabili ignorantia infelices, quique ad primam Catholicæ veritatis lucem, non gravatè in partes noſtras tranſeunt. (Converſio.)

Horum unus fuit Michaël quidam Iglaviæ in Moravia hæreticis parentibus natus is cum anno 1644. 25. Martij Feſto Annunciatæ Virginis facta rite fidei profeſſione ad fidem Catholicam tranſijſſet, altiora quam credi poterat mente conſilia volvit in Bavariã, ante omnia abijt ut ritibus Catholicis adhuc magis imbueretur, atq; Salisburgum delatus obtinuit licentiam vivendi vitam Eremiticam, locúmque invenit non longè ab oppido Nusdorffio ubi fontem aquæ invenit hactenus nemini utilem, quod ex eo qui biberent nunquam non malè haberent & ægrotarent. Mi-

Fons. Michaël ante omnia indefeſſo labore Scaturiginem altius rimari inſtituit, inventámque muro cinxit, nec amplius quidquam bibentibus aqua nocuit, quod nec à me nec ab alijs miraculo adſcribitur. At verò ubi eremitorium ſuum prope fontem extruxit, & Deiparæ una cum fonte dedicavit, Miracula. fluere, è fonte cæperunt miraculoſæ morborum curæ, neve hominem vana gloria perverteret, ereptus ex hac vita eſt SS. Sacramentis ritè munitus anno 1667. 18. Ianuarij.

Succeſſit Michaëli non tam eremitorij quam pietatis hæres corrogatis Eleemoſynis è ligneo Sacello lapideum fecit magno pietatis incremento. Legi miracula digna ſcriptu niſi eſſent ſimilia ijs quæ alibi paſſim fiunt.

Ex Authentico ad me miſſo.

D L V.

Imago B. V. Miraculoſa.
CONSOLATRIX.
Geldriæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Regia palma veni, tu, & Roſa munda mica.*

1. Luxenburgi felicitas.

2. Columna in via.

3. Uxor contraria marito.

NOn poſtrema Statuæ Luxemburgenſis gloria eſt, quòd ſe, ut de æterna ſapientia loquitur S. Scriptura, ſine invidia multis locis communicavit, ſiquidem Statuæ vel Imagines Luxemburgenſi ſimiles ubique gratias operantur; videre hoc eſt Duaci, Valencenis, Cameraci, Montibus, Leodij, Armenteriæ, Namurci, &c. Geldrenſem Statuam hic expono. Sub annum 1641. mulier quædam ex urbe Geldriæ Luxenburgum famâ miraculorum excita peregrinatum abijt: Et more conſueto in teſtimonium perſolutæ peregrinationis ſecum tulit, Imaginem Imago. papyraceam ejus S. Statuæ, quam parieti affixam ſtatis deinde precibus honorare ſtatuit. Igitur cùm nocte quadam, perſoluto domeſtici laboris penſo, coram Imagine, priuſquam cubitum iret, flexis genibus pro more preces funderet.

Ecce tibi! Auguſtâ ſpecie, multâ luce coruſcans Virgo ſpectabilis, eo habitu quo Luxemburgi videtur, ſe videndam præbet. Mulier viſo inſolito turbata, & maritum jam dormientem inclamat, interea Virgo ad clamorem fœminæ diſparet, dum reſumptis viribus iterum ad orationem convertitur: en Virgo vice alterâ ut prius obſtat, monétque, ne marito reluctetur, promittátque erigere in via ſibi Columnam: quod hactenus ob rei familiaris tenuitatem marito diſſuaſerat: licèt maritus vocem ſibi hoc imperantem audierit.

Rem hanc Deipara cum hac muliere in obſcuro non tractavit; Lux. ſiquidem cæleſtes radij ſupra do-

mum venère, in eandem cum fæmina viſum referente pietatem delapſi, ante omnia flexis genibus S. Imaginem venerati ſunt: tum etiam paſſim in compitis hæ Imagines pictæ, & etiam decantatis Litanijs honoratæ ſunt, ſed iſtà interea præcipuam habuit venerationem, dum extructa in campo pila, & adornato decenti loculo, ſolenni indictâ ſupplicatione, ſingulari pompa ex urbe, illata eſt, ubi, paucis interiectis diebus, & hominum frequentiâ & miraculis clarere cæpit: eóque celebritatis tandem venit, ut ſpacio annorum ſex capax multitudinis templum & RR. PP. de Oratorio domicilium ſit ædificatum, dicti RR. PP. S. Philippi Nerij templum, curam, devotionem augent, faciúntque, ut Deipara quoque ſupplicibus benefacere non deſinat. Hæc ad me R. P. Ioannes de Viron Rector Luxemburg Soc. IESU.

D L V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DERCHEENSIS.
Derche in Gallia.

Anagr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Progr. Amans electa Amati pueri Virgo munda.

1. Statua Sacellum ſuum petens.
2. Paſtores felices.
3. Miraculum in pede.

IN Diœceſi Albienſi, una leucâ ab urbe Albia, colitur B. Virgo in Sacello quopiam ſupra collis aſperi verticem ædificato: vocatúrque ideo vulgari idiomate *Derche* ſive *Aſper collis*, quòd aſperiore ſit aſcenſu. Antiquus eſt is cultus, nec non conſtans traditio, effigiem, quæ ibi colitur, à paſtoribus inventam, & à vertice illius collis in ſubjectam planitiem delatam ad Eccleſiam parochialem, cujus adhuc ſuperſunt veſtigia. Collis. Zelo tamen fidelium in colle fuit ædicula exſtructa: in quam, cùm eſſet finita ſine hominum manibus, fuit delata: unde pietas & accurſus major, quanquam hic ipſe frequens reditus ad locum inventionis, cauſam dedit ſtruendi Sacelli. Feſto Nativitatis Deiparæ maximus eſt accurſus, quibus vix nundinis major.

Ex omnibus miraculis unum & domeſticum appono, Anno 1640. *R. P. Franciſco Laucontre* Societatis noſtræ ob nervum fœdè corruptum, propter cauterium imperitè poſitum, & integro trimeſtri neglectum, Medicus indixit non inciſionem, ſed abſciſſionem pedis, altero die faciendam, ſi vivere vellet, ille voto ſub veſperam facto unius miſſæ in hoc Sacello dicendæ, licèt trimeſtri integro lecto affixus, altero manè integerrimè ſanatus, pedes per urbem ad Sacellum properavit, & voto ſe liberavit. Ita ad me R. P. Iacobus Baiſſenk Soc. IESU, qui addit, jam plenam ſcribi Hiſtoriam à R. Patre Ioanne Baiolio.

D L V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
R V N X P U T E N S I S.
Heiloæ in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu pia ac munda Regina, tu jamſolare me.*

1. Hæreſis pietati infenſa.
2. Conſtans pietas Catholicorum.
3. Cultus B. V. in medio inimicorum.

SI Leonem ex ungue noſcimus, credere quoque poſſumus ex pietatis reliquijs, quanta in hoc templo olim fuerit hominum pietas, & Deiparæ beneficentia: quando ab hæreticis non templum modò dirutum, ſed cùm nihilominùs devotio non ceſſaret, inter Harlemium & Almariam locus eſt, ſub gravi pæna prohibitus Catholicis: ad quem tamen quotidie ringentibus hæreticis peregrini veniunt, locum circumeunt, quia templum, quod dirutum eſt, non poſſunt: & beneficia, quæ petunt, impetrant, tantò graviore Virgini pietate, quantò difficiliore.

Fama eſt, inter ruinas muri, Deiparam apparuiſſe, inde primùm opinio futurarum gratiarum, poſtea etiam experientia, quæ ibi olim Statua fuerit, vel Imago, ignoramus: quia hæreſis hæc omnia abſtulit. Cæterùm ex miraculis, quæ ibi fiunt, nullum perſcripſit R. P. Ægidius Meeſe S. I.

D L V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
L I G N I E N S I S.
Lignij in Lotharingia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ito pura gemma clara nitens adjuva me.*

1. B. V. diſplicet aurum.
2. Statua pretioſior ſine auro.
3. Quod Superis pretioſum, nobis eſt vile.

LIgnium oppidum eſt Lotharingiæ, in quo colitur Deiparæ Statua jam ab antiquo miraculoſa. Hæc lignea cùm ſit & vetuſta, fortaſſis etiam à carie non parùm invenuſta, non ſemel tentârunt eam auro bracteato reddere pulchriorem, non placuiſſe Virgini inofficioſum obſequium, argumento fuit, quòd & ipſa Statua aurum reſpuerit: & verò dum obduceretur, pictoris manum, & dentem tuliſſe patienter; altero tamen die omne aurum bracteatim & ſtillatim à S. Statua decidiſſe. Ita adhuc pretioſior incolis eſt facta. R. P. Thomas le Blanc Societat. IESU.

DLIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LIBERCOURT.

Libercourti in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Agni Dei tu Mater alumna emitas ò pura.*

1. Sagitta infelix.

2. Statua dat ſanguinem.

3. Baptiſmi gloria.

Simulacrum hoc Deiparæ inſolitus caſu reddidit illuſtre, ſteterat Statua decorè quercui inſerta, ad tranſeuntium pietatem. Tranſijt hac ſagittator, petiturus aves, non Statuas; is ſagittam per inane cæli direxit in volucrem: ſed ſagitta nullo ſagittatoris vitio incidit in frontem S. Statuæ, & ſanguinem è vulnere elicuit, quod adhuc cum ſanguinis notis in fronte videtur. Homo non malus nullius ſibi ſaltem gravis culpæ conſcius, ipſe ſe rem indicavit. Hinc populus conceptâ pietate frequentare locum, & paulò pòſt ex congeſtis pecunijs Sacellum ſtruere inſtituit, in quo decentiùs coleretur. Miraculoſa eſt in hodiernum diem, gratiam præcipuam experiuntur infantes ſine baptiſmo defuncti, qui aliquamdiu per idoneos teſtes ſuper altari poſiti ſigna dant vitæ, & confeſtim baptizantur. Ita ad me R. P. Ægidius Meeſe Societatis IESU. Valent.

DLX.

Imago B. V. Miraculoſa. AD PINUM.

Höglingæ in Germania Sup. Bavariæ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Palam evadis integra à communi reatu.*

1. Titulus de Pinu.

2. Senium B. V. devotum.

3. Nova peregrinatio.

Höglinga pagus eſt Bavariæ Superioris, jam dudum propter vicinam Deiparæ & miraculoſam Imaginem celebris, quæ *Weibelindana* appellatur de qua ſuo loco diximus cum ſuo elogio, ad finem tamen ejuſdem pagi alia quoque eſt quæ *de Pinu* ſuum titulum habet quia ad pinum fabrica eſt erecta initium & progreſſum afTeum. fero. Balthaſarus quiſpiam opificio textor vir antiquæ probitatis & probatæ in Deiparam pietatis, & ſeptuagenarius Deiparam Weihelindenſe ſolitus accedere id juxta querebatur quod fatigati ſenio pedes officium ſuum non bene facerent, quapropter ſtatuit quod olim Eremita ut in vitis Patrum eſt, viciniorem, ſibi procurare domum, cum firmo propoſito ſingulis ſaltem ferijs ſextis ſacram Virginis ædem accedendi, non difficile fuiſſet Deiparæ, oſſa & plantas optimo ſeni ita firmare, ut huic

huic cætera non longæ peregrinationi ſufficerent, ſed aliter Deiparæ viſum eſt nempe majora ſunt ejus beneficia quam noſtra deſideria.

Somnium. Itaque homini per ſomnium apparet anno 1647. & placent inquit deſideria tua, ſed quia tibi vires negat decrepita ſenectus tam longam à te peregrinationem non exigo, ubi ad finem pagi perveneris ad notam tibi pinum ſubſiſte, ibique quas mihi dicturus in templo eras laudes, provolutus in genua exequere. Nihil homini jucundius Virginis imperio accidit, quo nil arduum aut aſperum jubebatur fecit itaque quamprimum imperata arborem acceſſit affixáque Virginis Icone ſacram fecit, & ne cæli injuriæ preces inturbarent, ex coagmentatis aſ-

Oratio. ſeribus tectum fecit & parietes. Frequenter in hoc tugurio orantem ſecuti ſunt, ita nempe vera virtus ſemper invenit imitatores, ſive quod os nimis patulum habuerit, dixeritque hic ſe Virginem coli à ſe velle, ſive quod altiore & ſecreto inſtinctu huc tracti ſint, certè & vota hic facta ſunt, & allata cum pecunijs munera, quæ teſtarentur miraculoſa beneficia.

Auſi ſunt itaque anno 1649. incolæ pagi petere à Sereniſſimo Principe, & Epiſcopo Friſingenſi veniam, ædificandi in loco Deiparæ Sacellum muratum, nec difficilem ſe pius Princeps præbuit, annuit petitis, hinc brevi quod hodie ſtat Sacellum erectum eſt; Deiparæ acceptum quod beneficia teſtantur, quæ legi digna ſanè quæ accurſu vicinorum celebrentur, quia tamen nullam adhuc ab Ordinario approbationem habent, omitto. Ex authentico ad me miſſo.

***

D L X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CUNICULIS.
Aveſnæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Luce ſumma redimita i, agna pura notæ.*

1. Statua B. V. obvia hoſtibus.
2. Armorum loco Virga.
3. Dulcedo memoriam juvat.

AVeſnenſium in Hannonia traditio eſt, Statuam B. Virginis, quæ ad minus templi veſtibulum colitur, ſuo loco obſidionis tempore motam, obviam iviſſe hoſtibus jam jam in urbem irrumpentibus, eóſque non alijs armis, quàm Virgâ longâ decorticatâ & candidâ ita terruiſſe, ut pedem referre coacti fuerint, & obſidionem ſoluere. Hæc traditio fidem Traditio. eò majorem meretur, quòd non ſolâ narratione firmetur, ſed etiam publico feſto & perpetuo, ſingulari cæremoniâ à majoribus inſtituto, unde nomen *de Cuniculis* Deiparæ hæc S. Statua acquiſivit, nam feſto Deiparæ Præſentatæ, quo commemoratio hujus liberationis

Solum. nis miraculoſæ celebratur, ſive iſto, ſive uno è proximis diebus, gratia urbi obvenerit, diſtribuuntur tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, atque etiam pueris puelliſque liba candida oblonga, quæ illic iterum terrarum: *Cunioles* appellantur. Hinc Deipara *de Cuniòles* appellatur, inventione vel ideo duraturâ in ævum, quia populus ejus abrogatione non ferret ſe privari dulcibus libis. Hæc ad me R. P. Ægidius Meeſe Societatis IESU.

D L X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
ZARMASICENSIS.
Zarmaſcij in Polonia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Eſto munda viva ac integerrima palma.*

1. Vexilla ad pedes Deiparæ.

2. Omen cladis.

3. Candela in altari ordinata.

DE hac S. Icone Deiparæ id certum habeo, miraculoſam ab antiquo eſſe, novi & ferventioris cultûs initium afferre poſſum, non originem primæ pietatis. Morabatur hic Rex *Ladislaus* tempore belli Suecici, quibus cum etiam prælio tunc decertavit, vicítque, victoriæ argumenta vexilla pluri-Prælium. ma ſunt Regi allata, qui ea omnia publicâ cæremoniâ inter ſolennem gratiarum actionem ad pedes Deiparæ abiecit, illi non ſibi victoriam contra tam acres Eccleſiæ hoſtes adſcribens. Cùm ecce in ara Deiparæ una ex candelis repentè extincta eſt, contrà quàm candelæ extingui ſolent. Hæc res cùm nonparùm præſentes, atque etiam ipſum Regem conturbâſſet, nemo candelam reaccendit, nemo tetigit omnibus omen ſiniſtrum non ſine metu facturi inter hæc gaudia interpretantibus, & fortè cladem, ſed parvam, quæ poſtea ſecuta fuit, ſignificare potuit.

Certè omnibus rediijt lætitia, & priore major, cùm ſub ultimam orationem, quam Sacerdos ad finem feſtivæ gratulationis cecinit, candela iterum repentè accenſa, pleniſſimâ flammâ ut antè luxit. Hoc ſive omen fuerit, ſive caſus, ſive miraculum, accurſum auxit, accurſus beneficia Deiparæ, & hæc populi in eam fiduciam. R. P. Lamparter Provincialis Boëmiæ, Soc. IESU.

D L X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
MUSSIPONTANA.
Muſſiponti in Lotharingia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Noli timere amata pura ac munda viges.*

1. Statua

1. Statua B. V. in porta urbis.
2. Gratitudo Nobilis.
3. Urbs devota B. Virgini.

CIvitatem Muſſipontanam jure Parthenopolim nominare poſſis. Portas habet quatuor in ſingularum propylæo lapideam Deiparæ Statuam. Illa omnium præcipua eſt, quæ ſub titulo *Pietatis*, ſeu *Doloroſæ* colitur in Eccleſia Collegiata S. Crucis: ubi præter alia Anathemata Illuſtriſſimi Baronis *de Firmiaco* è Tyrolenſi nobilitate, tabula pendet, cum hac inſcriptióne: varijs procellis agitatus, & inter acutos maris ſcopulos ſæpe periclitatus, tandem ad portum ſemper deductus feliciter, Deo Déiparæque & SS. Apoſtolis Philippo & Iacobo Patronis ſuis gratus, hanc tabulam pingi, & præſens renovari altare curavit, anno 1516. Ita ad me R. P. Thomas le Blanc, Soc. IESU.

Anathemata.

D L X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE BONA QUIETE,
Marciliaci in Burgundia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Amoris Dei templum tu agna cara nivea.*

1. Maritus impius.
2. Æconomia felix.
3. Mirabile B. V. factum.

REm miram ſcripſit annis ab hinc quadringentis *Iacobus de Voragine*, ex Dominicano Archiepiſcopus Genuenſis, in ſua legenda aurea, capite 14. cui titulus de Aſſumptione B. Virginis, de pia quadam Matrona, cujus ſpecie Deipara ipſa à tergo mariti equitis conſidens, & maritum & conjugem à poteſtate dæmonis exemit, nutabat iſtius narrationis tanquam nimis portentoſæ fides: quòd à loci, temporis, perſonarum, alijſque rei adjunctis deſtituta eſſet, nunc igitur redeat tandem graviſſimi viri teſtimonio ſua quaſi poſtliminio auctoritas.

Veins. Totius rei ſumma eſt, quam exhibet membranâ vetus ad ædis Marciliacenſis parietem appenſa, cui fidem conciliat majorum fides, loci tabulæ, perpetua & conſtans traditio, aliáque monumenta, quòd plures non habeat ſcriptores, parùm refert: quando unus pro multis eſt tanti nominis Archiepiſcopus *Iacobus de Voragine*. Rem omnem his præmiſſis aggredior. Rex erat Francorum *Philippus Auguſtus*, à Deodatus Dux Burgundiæ *Odo* hoc nomine tertius. *Innocentius Papa III.* Romanam ſedem obtinebat, annus volvebatur à Chriſto milleſimus ducenteſimus; cùm *Gaufridus le Brun* miles, egregius, æconomi Regij officio aliquamdiu præfuit, poſtea per aliorum invidiam dejectus, ſpem

quoque &, ipſe abiecit ſalutis æternæ: ne ſemper eſſet miſer, ab humani generis hoſte calamitati ſuæ remedium quærere apud ſe ſtatuit.

Deſperatio.

Ergo dum ſilvam *de Arvios* Maciliaco vicinam deſperabundus oberrat, cacodæmoni, poſt multa ultro citróque petita, & promiſſa; Chirographo, quod proprio ſanguine exaraverat, ſpopondit, ſe ſuam illi uxorem ad diem menſis Auguſti quartam decimam, eo ipſo, quo tunc ſtabant loco traditurum. Cùm itaque eà dies pervigilium Aſſumptæ Virginis illuxiſſet, Gaufridus aſſidentem ſibi à tergo conjugem in equo avehit; neſcientem quò duceretur. Marciliacum venitur: & cùm fortè præterirent militis cujuſdam domum, ſignum æris campani domeſticos ad miſſæ Sacrificium accibat.

Sacellum.

Juvat pij militis nomen non ignorare *Hugò de Precijs* vocabatur, & in Sacello ſuo domeſtico, ſeſquicubitalem Virginis Statuam cum familia venerabatur; fæmina igitur precibus ab infido marito extorſit brevem moram, quâ Virginem liceret ſalutare, ſtabat interim præ foribus infelix maritus moræ impatiens. Illa conſuetam Eccleſiæ ſalutationem, *Ave Regina Cælorum*, cùm decurriſſet, ſomno correpta in Sacello eſt. Interim ipſa Deipara dormientis vicem ſubijt, & ad virum ſpecie conjugis egreſſa, equo inſidere, & in ſilvam uſque progredi ſuſtinuit. Ad locum venit, ubi dæmon promiſſam prædam expectabat. At ubi non conjugem adduci, ſed Virginem, & Virginem ſibi infenſiſſimam ab ignaro Gaufrido vidit, multa dixit, quibus fractam Gaufredo fidem exprobrabat, quæque Gaufredus refutabat; aſſerebatque, nec in tempore, nec in loco, nec in perſona errorem è ſe commiſſum: præſtaret ille quoque tam fideliter ſuam, ut ipſe ſuam probâſſet.

Sed dæmonem multa expoſtulantem Virgo compeſcuit, & nutu non ampliùs uno chirographum à Gaufrido datum extorſit, & in fugam egit. Interea Gaufridus facti pænitens, & non parùm de piæ uxoris (ut crediderat) glorioſà victoria gratulatus, iterum conſcenſo equo cum ficta conjuge revertitur, quæ interea marito multa de gravitate peccati, de dignis pænitentiæ fructibus dixit, jámque hominem omnino alium comitata Marciliacum eſt, ubi ad ædem militis ventum eſt, popoſcit veniam accedendi Sacellum non abnuente Gaufrido, Virgo conjugis ſpecie equo deſcendit, domum intrat, & in Sacello dormientem Gaufridi conjugem excitat è ſomno, atque his compellat verbis: En dilecta Syngrapham, qua tuus te maritus pro caducis vitæ hujus bonis cacodæmoni devoverat, ſed quia tu meis obſequijs piè & religioſè fuiſti addicta, ego te ac tuum maritum ab ejus faucibus eripui, & utriúſque ſalutem à Deo impetravi. His dictis Virgo ex ejus oculis evanuit.

Syngrapha.

Uxorem, Gaufredi domi fuiſſe, teſtes fuêre domeſtici: chirographum

phum

phum maritò ritè exhibitum & Virginis Deiparæ comitatum, non perfunctoriè probavit mente revoluenti & cordata Virginis loquentis verba, & dæmonis panicos timores, quin etiam facti pænitudinem, quem in via non longis ſermonibus perſuaſiſſet. Hinc utriúſque gratus animus enituit, quòd quæſito in vicinia domicilio vitam omnem ad hoc Sacellum egêre, ſepulchro quoque ipſo in Sacello ad pedes altaris maturè delecto: in quo demum poſt ſanctam vitam ſanctiorémque obitum ambo in hodiernum uſque diem quieſcunt.

Ex hujus fama miraculi uſque adeò increvit loci religio: ut in Ciſtercienſium Virginum Cœnobium verteretur cum Sacello ipſa militis domus anno Chriſti milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono: quod deinde *Philippus* Dux & Comes Burgundiæ de conſenſu Abbatis & Generalis Capituli Ciſtercienſis in viros tranſtulit, dato diplomate Bruxellis 18. Decemb. 1460. ad ſacram hanc Deiparæ Imaginem frequens eſt etiamnum è remotis Provincijs concurſus, multáque etiam hodie miraculoſa dat ſuis Virgo beneficia, ex ægris illi præcipuè opem experiuntur, qui longâ inſomniâ torquentur cum vitæ periculo. Hanc narrationem ad me miſit, R. P. Pet. Chifletius Divione, S. I.

Monaſterium.

D L X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
T U N G R E N S I S.
Tungri in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Dei agnum lactas niveâ imò pura Mater.*

1. S. Maternus bis redivivus.
2. Templum B. V. in Germania primum.
3. Filius lacrymarum.

QUanta olim fuerit Tungrorum Germanorum potentia, & quàm latè per Germaniam inferiorem imperij ſui limites extenderint, plus hiſtoricis credimus, quàm oculis noſtris videmus. De horum in Deiparam pietate ut meliùs ſcribam, juvat per omnem retro antiquitatem ad ipſos uſque Apoſtolos, imò ad ipſum Servatorem Chriſtum redire, & inde ordiri ſermonem. Scis, optime lector, quid ad portam urbis Naim contigerit. Efferebatur filius unicus matris ſuæ, properantibus bajulis, & nuſpiam ſtaturis, dum ad foſſam deferrent juvenem, propter quem foſſam pridie fecerant. Jam enim ultra fidem noſtram deploratus à Matre, à populo ultimos honores acceperat.

Naim.

Cùm non temerè obvius cum lacrymis inter gemitus luctantem vidit, vidit quoque filium tantarum lachrymarum perire non poſſe, certè non debere, quapropter pergere porrò vetuit geſtatores, & ſtare juſſit, & ipſum juve-

nem redire in vitam, è qua tantiſper exierat, tanto portento; ut ejus admirationi urbs Naim, quæ tota extra ſe ad portam adſtabat, non ſufficeret. Erat juvenis hic ex eo ligno, ex quo diſcipulos IESUS facere conſuevit, nec difficulter ſecuturus relictis omnibus erat, ſi ut ſurgere, ita & ſequi juſſus fuiſſet, nec IESUS juvenem non amare poterat, cujus Germana, id eſt, vera virtus etiã poſt fata vivere meruiſſet, ſed Matri conſulendum erat, de qua incertum fuit, an orbitatem ſuam plus ipſo filio, ut fit, deplorârit: quem perinde abſentem ac mortuum deploratura iterum eſſet. Ita nempe nos ipſos etiam in proximo amamus. Virtus.

Dedit itaque IESUS filium Matri ſuæ, & quem habere tunc diſcipulum non potuit, ut ſaltem diſcipuli ſui diſcipulus olim fieret, divinâ deſtinatione conſtituit, ſed nec nomen, quod ei poſt hanc ſecundam Nativitatem inditum eſt, à IESU originem traxit, ſed à Matre: nam quia Matri à IESU datus eſt, *Maternum* dixêre. Tanta nominibus ineſſe myſteria voluit antiquitas. Dediſſe filium Matri non ſuffecerat: Petro paſtori ovium inter agnos etiam commendari debebat. Senſit juvenis cum ſpiraculo vitæ, quod ei IESUS inſpiravit, etiam virtutem adveniſſe, quæ à IESU exierat. Itaque ſive eum defuncta Mater reliquit, ſive ipſe Matrem jam liber, ne ſine duce eſſet, inter primos fideles D. Petro Apoſtolo ſe junxit, quod Doctiſſimus R. P. Petrus Caniſius noſter 14. Septemb. in Martyrologio ſuo memorat: quem ubi ſine dolo diſcipulum vidit orbis Magiſter, & virtutem afferre cum fide ſinceram, Germaniæ hominem deberi docente cælo didicit, quæ virtutem non ſub alia quàm candoris veſte veneratur. Vita.

Huic credituros qui fidem hactenus, ſi non veram, certè ſinceram coluiſſent. Miſſus itaque in Germaniam à D. Petro Maternus, jam totus Marianus, ut quem Chriſtus Matri ſuæ redivivum tradidiſſet: totus jam ſanctus: jam Apoſtolus, ad Tungros inferiores Germanos venit; ibique cum religionis Chriſtianæ fundamentis jecit quoque fundamenta pietatis Marianæ, nam templum ei (incertum, an vivæ, ut plures alij) apud Tungros ſtatuit, cum Imagine utique miraculoſa: quando & ipſe totus quantus miraculum erat, ter mortuus, bis miraculosè redivivus, primùm à Chriſto, deinde à S. Petro Germanis Apoſtolum ſuum ſuſcitante, nec ideo hanc miraculoſam, & fortè omnium primam in Germaniâ Imaginem Marianam præterire debui, quòd Hunnorum ferocia Tungrenſem urbem ampliſſimam ita vaſtaverit, ut hodie, ubi ſteterit, quæratur. Tungrum. Hunni.

Sunt (apud Locrium) qui centum templorum veſtigia etiamnum deprehendi memorent: quot putem fuiſſe inter hæc Deiparæ dedicata, & miraculis Clara? ſed ſic prima religionis incunabula in Germania interiêre. R. P. Petrus Caniſius 14. Septemb. in Martyrolog. Ferreolus Locrius in Mariâ Auguſtâ in officio proprio Diœ-

cæſis

cæſis Leodienſis die 19. Sept. in Feſto S. Materni primi illius ſedis Epiſcopi à B. Petro Apoſtolo illuc tranſmiſſi in ſexta lectione de eo ſic legitur. *Primus Tungris, Trajecti ad Moſam, Hoy, Dionanti, Walcuria, & diverſis circum locis Deo in honorem ſanctæ Dei Genitricis ſemper Virginis Mariæ conſtruxiſſe Eccleſias, anniſque quadraginta, Tungrenſis Epiſcopus ſediſſe, ac ad ſummam ſenectutem perveniſſe apud ſcriptores traditur.*

D L X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
N A Y U M E N S I S,
Nayumi in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *O agni Mater ſummè pura ac nitida valè.*

1. Statua locum mutans.
2. Hircus infernalis.
3. Peccator miſerè punitus.

NAyum urbs Pearniæ Statuam Deiparæ habet jam ab antiquo miraculoſam, & peregrinationibus celebrem. Origo ex ſcriptis haberi non poteſt, ex quo hæreſis omnia ſacra ferro & flammâ vaſtavit. Cæterùm fida traditio in totum perire non ſinit S. Statuæ inventionem. Paſtoribus ſiquidem, ut aiunt, etiam hujus S. S. Statuæ inventio attribuitur, qui interdum eta ignes inſolitos non ſemel conſpexêre, hinc piâ curioſitate moti, flammáſque ſecuti, in hanc Statuam inciderunt. Statim itaque ad Stellates (vicini pagi incolas, cui nomen *Stella*) nuncius properavit, vix ille inventæ Statuæ lætitiam agricolis denarravit, totus ſimul pagus (quæ illorum temporum pietas fuit) ad locum ordine ſupplicantium devenit, ſtatuámque in alteram Gavij fluminis ripam deportavit, atque in exiguo, quod ibi erat, Sacello decorè collocavit. Diſplicuit ſedes hæc Deiparæ: quapropter nocte proximâ ad dumos & teſqua redijt; ubi alterâ die inventa eſt, de re tota moniti Stellates, eâ ſignificatione denunciatum ſibi putaverunt, loco honorificentiore eſſe collocandam Imaginem.

Lux.

Ergo non ſine ſolenni cantu, & vicinorum concurſu, eam in pagum ſuum deferunt, & in templi ſui ſummo altari collocant, foréſque claudunt, ne fraudibus & furibus acceſſus pateret, ſed iterum alterâ die reperta ibi eſt, ubi inventa. Ædes igitur loco quanquam incommodo ſtrui cæpta: quâ necdum finitâ, miraculoſa beneficia accurrentes miſeri recepêre, donec Calviniſtæ templum, ut ſuprà dixi, incenderunt. Inſtaurationis memoriâ quia recentior, ideo & certior. Anno 1613. Epiſcopus Laſſurenſis Sacerdotes miſit, qui extinctum Deiparæ cultum in Pearnia reſtaurarent, res periculi plena videbatur, inter nefaria Sectariorum arma verſari, ſed vicit metum fiducia in Deipa- Stel-las.

ram, corúmque adventus concurſu Catholicorum celebratus eſt, primùm omnium fuit ſupplicatio inſtituta ad templi rudera, cui quinque hominum millia interfuêre, non parvus numerus; ſi quadraginta ſex annos bene numeres, quibus Catholici, nullo defenſore, exagitati à Sectarijs ſunt.

Hæreſis. Cæptum deinde reſtaurari templum: cæpta quoque ſunt distribui pro fide cujuſque à Virgine beneficia. Fuit, qui puellam deperiret, invocatâ dæmonis ope: apparuit is ſanè, ſed aliâ, quàm expectabatur, fronte. Hirci formâ ſe videndum dedit, hominémque cornibus ita in altum excuſſit, ut in terram miſerandâ colliſione membrorum deciderit. Quatuordecim integros annos ſine remedio lecto affixus, non minùs animæ, quàm corporis damna deploravit, demum anno 1627. 12. Martij hìc opem invenit, & ſanus ſalvúſque domum redijt, duabus quoque fæminis reſtitutus eſt oculorum uſus: quarum altera ſeptem, altera duodecim annis cæca fuit. Cætera, quia vulgaria ſunt, omitto. Hæc ad me R. P. Claudius Herbedau Rector Soc. IESU.

DLXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
TEUXBURIENSIS.
Teuxburiæ in Anglia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Magna munda omni re creata tu pia vale.*
1. Peccatum mirabile.
2. Pœna mirabilis.
3. Hæreſis inſana.

TEuxburia oppidum eſt in comitatu Claudioceſtrenſi ad Sabrinam fluvium. Hic per omnem hæreticorum furorem perſtitit Imago quædam Deiparæ, quam ante paucos annos hæreticus quidam frequenter à Magiſtratu ſibi donari petijt: tandem ſæpius negatam dono accepit. Hanc ille primò abjectam conculcat pedibus: deinde excavatam, in vaſculum format, quod ſordidis aquis non ſemel implevit, nonnunquam etiam porcos inde bibere fecit, audi vindictam, lector; non multò Vindicta. pòſt porcelli, quotquot inde biberant, interiêre omnes, ſerpſit à porcis malum in liberos, quorum nullus fuit, qui non vel claudus, vel cæcus, vel aliâ quapiam ſimili deformitate audendum nefas lueret.

Ipſe ſceleſtus ad gravius ſupplicium ſervatus eſt: ut poſteri ſcirent, etiamnum per hæc impios puniri, per quæ peccant. Lapis etenim in vaſculum excavatus, qui antea potandis procellis ſerviebat, ad meliores uſus adhibitus eſt: utique poſtquam huic obſequio ſucceſſit Deiparæ Statua, lapis hic, Lapis. inquam, puteo appoſitus eſt; ne quem vel funis, vel veſtigij lapſus falleret, non inutili officio, ſi ipſum Dominum, & tam ſagacis fabri-

fabricæ architectum admonuiſſet officij, is aliquando in rabiem actus vehementiſſimo curſu lapidem tranſilit, ſeque in puteum præcipitat. Hoc eſt, per aquam tranſire ad ignes, & ignes ſempiternos. Contigit hoc in Anglia circa annum 1625. ſatis miraculorum hæc Statua fecit, digna quæ templo honoretur. Ita ad me ex Anglia ſcriptum.

DLXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE SUCCURSU AFFLICTORUM S. I.

Bethuniæ in Gallia.

Progr. AVEMARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ingens væ Adami amarum, it procul à te.*

1. Exemplum bonum.
2. Magiſtratus pius.
3. Miracula à Medicis approbata.

Celeberrimæ hujus Imaginis origo ad me perſcripta non eſt, eámque ob cauſam, ut plurimas alias licèt miraculoſiſſimas, omiſiſſem, niſi omnium ſtatuum pietas hic videretur; ipſius ante omnia Magiſtratus pietas exemplo ſuo populum concitat ad parem devotionem, qui, ut par eſt, Magiſtratum præeuntem preſſo veſtigio ſequitur. Miracula Medicorum judicium paſſim habent, ut vere *Refugium Afflictorum* vocetur: quando pauci, vel nulli ſine precum effectu aliquo diſcedunt. Colitur in templo Societatis IESU: ut ad me perſcripſit R. P. Georgius Hockius Rector Bethunienſis Soc. IESU. Miracula

DLXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE PARO.

Pari in Oriente.

Anagr. AVEMARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Progr. Non geres avitam maculam, uti Deipara.

1. Monialis pia fortuna.
2. Veſtium inopia.
3. Felix venator.

FUit in Inſula Lesbô, in civitate Methymna, puella nomine Theoctiſta. Hæc poſt obitum parentum Cœnobium ingreſſa ſanctimonialium, cum ijs pari virtute non pari veſtitu vixit, octodecim, cū ingrederetur, annos nata fuit, cùm ſororem viſitatura marito junctam, diſcederet prædones Duce *Piſirio* Cretenſi, qui inter alios etiam Theoctiſtam avexêre in Inſulam Parum. Theoctiſta non poſt multos dies, cùm nemo è prædonibus domi eſſet, in ſilvam aufugit, nec multùm à prædonibus quæſita, ut qui aliò jam cum captivis navigâſſent, non ſine grandi animi lætitia quæſivit ſedem in ſilva perpetuam, & inve- Cret.

ve-

venit templum perantiquum & deſertum, ſed olim B. Virgini ſacrum; quin & olim pulchrum: ſiquidem totum erat è marmore, tunc tamen non ampliùs integrum. In hoc triginta quinque annis habitavit Theoctiſta, ſi de cibo quæris, herbæ non deerant: ſi de ſiti, fontibus abundans Inſula etiam in ſilvis neminem ſitire permiſit.

Veſtis tamen omnino attrita poſt paucos annos nudam incedere coëgit, nullo ſcandalo, nemine uno ſilvam per triginta quinque annos ingreſſo: uſque dum venator ex Eubæna Inſula in hanc Inſulam Parum, cum ſocijs traiecit, is ſilvam omnem perluſtrans, ad templum pervenit: & quia Chriſtianus erat, in genua provolutus, templi rudera, & conculcatum Deiparæ honorem, non ſine dolore intuitus eſt, non dubius tamen Sanctum quempiam illic ſedem poſuiſſe, propiùs deinde ſingula inſpecturus, altaríque vicinior factus, vocem audijt, quæ ſiſtere gradum juſſit: [illegible] fæmina, inquit, ſum, nudam cave ne conſpicias: ſi me alloqui lubet, pallium proijce, quo tegeris, & pauliſper ſecede fecit juſſa Venator, & abjecto pallio tempus locúmque conceſſit fæminæ, quo ſe honeſtiùs tegeret, inde redux loci incolam reverenter, ſed demiſſis oculis ſalutavit.

Tum Theoctiſta formato in fronte ſalutiferæ crucis ſigno; omnem vitæ ſuæ curſum homini attonito denarravit, & unum, inquit, à te peto: cùm redieris, (redibis autem brevi) in mundo vaſculo Dominici Corporis particulam ad me defer, Venator relicto pallio, quæ petita erant, promiſit, & promiſſis ſtetit: viditque non ſine admiratione, quo pietatis ſenſu S. Synaxin acceperit, (nihil de more illorum temporum hic diſputo) & iterum acceptâ benedictione domum redijt. Redijt tamen neſcio quo ſtimulo actus, tum Deiparæ ſacrum locum viſendi, tum etiam videndi, qui Theoctiſta valeret venit, & mortuam reperit.

Itaque veneratus ut ſanctam, terræ mandavit, abſciſsâ prius manu dexterâ, quam ſecum tulit ad meliores cultus: ſed tempeſtatibus Marianis redire coactus, jámque non dubius manum, non ſe peti, manum eruderato cadaveri appoſuit, quæ ſtatim brachio ſuo mirabiliter coaluit, inde Venator terram S. Corpori ſuper ingeſtam juſſit eſſe levem, & S. Deiparæ Iconem religiosè veneratus, ad Eubenam Inſulam propitijs ventis ſe contulit, quæ vidiſſet, quæque audiſſet, prædicaturus. An verò locus iſte tanto miraculo inſignis poſtea ſit inſtauratus, & acceſſionibus peregrinorum celebratus, Metaphraſtes, ex quo hæc 10. Nove, accepi, non memorat. [illegible]

D L X X.

Imago B. V. Miraculoſa.
F O I E N S I S.
Ambiani in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Velut munda margarita en emicas o pia.*

1. Principium exiguum.
2. Velox augmentum.
3. Opes magnæ.

DE Fojenſi quercu Statua hæc volæ manûs magnitudinem non excedit, patris cujuſdam è Societate IESU privatâ pietate diu culta: quam ille Ordinis S. Auguſtini Eremitarum Priori dono dedit eò libentiùs, quòd ille publico expoſitam honoribus celebrare cogitaret. Factum: & ſubitò Deipara miraculis clarere ita cæpit, ut undique peregrini magno numero, turmatim accurrerent; quibus Deipara miraculoſa beneficia rependit: quæ domi narrata, etiam alios accirent. Regina Galliæ, & Eminentiſſimi Caridinalis *Richelij* munificentiſſimâ beneficentiâ & regijs donis adeò locus increvit; ut in toto Ambianenſi tractu Auguſtius templum non inveniatur. Ita ad me R. P. Simon de Leſleau Societatis IESU.

Statua.

D L X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
D E M I R A C U L I S.
Audomari in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Superna Regina, imò tu Dea Immaculata.*

1. Pietas veſpertina.
2. Fabrorum pietas.
3. Puerperæ devota.

DOmina noſtra *à Miraculis* in Statuâ ligneâ, variâ veſte decorata, colitur in antiquo & magnifico Sacello, in foro urbis majore, ad illud multis gradibus aſcenditur ab utroque latere frontis. Multa ſunt per omne templum Anathemata, multæ lampades argenteæ diu noctúque lucentes, ſummus totâ die concurſus, atque inprimis ſub ſeram veſperam. Pars civium maxima ducit ſibi religioni, ſi diem præterireſinat, quo iſto in Sacello Virginem Matrem non ſalutaverit. Pietas.

Originem Sacelli non accepi; ſed pietatis tantæ ingens augmentum ad me perſcriptum eſt. Obſidio fuit graviſſima, quæ urbi ruinam minabatur, & alium Dominum: voto hîc ad Deiparam facto, quamprimùm urbs obſidione & metu liberata eſt.

Hinc novus civium in Deiparam affectus, Certè diem illum annis ſingulis ſolenni ſupplicatione honorant, & S. Statuam ingenti apparatu per urbem deferunt. Quod etiam in alijs publicis neceſſitatibus cum fructu facere ſolent. Die Dedicationis explicatu difficile eſt, quantis ſumptibus & magnificentiâ, quámque diverſis inventis annuatim, Statua, ara, templum adornetur, mercatores ultro claudunt officinas: gemmas, monilia, pannos, ſericos, argenteos, coccineos, aliáqꝫ feſto adornando afferunt.

Cultus.

Puerperæ ubi primùm è domo efferunt pedem, prolem deferunt ad magnam Matrem, eíque ritè conſecrant: quod faciunt etiam nobiliſſimæ, etiam è caſtellis remotis. Fabrorum ſingularis pietas: quisquis enim puer artis addiſcendæ gratiâ à Magiſtro admittitur, libram argenti, ſeu duos florenos Flandricos Dominæ noſtræ *à Miraculis* donare legibus tenetur. Ita ad me R. P. Ioannes Adriani Rector Collegij Audomar: Societatis IESU.

DLXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE RUBO.
Onnatæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Tu palam ignorâſti væ crimenue Adam.*

1. Allata ab Angelis Statua.
2. Rubus felix.
3. Paſtor bonus.

RODericus à Balzaregni Cantaber, & Paſtor, & quod caput eſt, juvenis, dignus Deiparæ viſus eſt, qui Statuæ ſuæ inventor deſtinaretur. Invenit eam ad radices montis Aloiæ in Rubo. Venuſtas, quam artifex operi inſculpſit, arguit non in Hiſpania factam: unde verò allata ſit, & à quo, quis dicat? quando utcúnque certum eſt, ab homine huc allatam non eſſe, nec afferri potuiſſe? Miracula quoque loquunrur, non invitos Angelos huc eam depoſuiſſe. Inventam Rodericus flexo primùm genu veneratus eſt: tum è frondibus ei ſedem decoram concinnavit, reverſus Onnatam, quæ ſex inde millibus paſſuum diſtat, novo hoc nuncio cives implevit: qui alterâ die effuſi, Sanctiſſimæ Virgini poſt exhibitos primos honores ædiculam in loco conſtruxerunt, cum titulo, *S. Maria de Rubo.* Miraculis inde creſcentibus, & numerus quoque peregrinorum crevit, & munerum: è quibus Cœnobiũ ædificatũ eſt, quod initio Ordo SS. Trinitatis incoluit: deinde venit ad Tertiarios S. Franciſci, poſt hos id inhabitârunt RR. PP. Sancti Dominici: & demum his ſucceſsêre iterum RR. PP. Franciſcani. Gonzaga 3. p. c. 4.

Statua.

DLXXIII.

D L X X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE FERRO.
Altorffij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Euge pura à nota mali, ritè munda micas.*

1. Miraculum naturæ.
2. Ferrum ſaltans.
3. Ignis reverentia in B. V.

NAturæ miraculum nobis attulit anno 1659. Helvetia; non procul Altorfio in Cantone Urienſi die 23. Decembris in ferri fodina cum latomi conſueto more moles incocti ferri grandes ad ignem protruderent, inter cætera æris ingentia fruſta unum malleo ſubjectum eſt ducentas quinquaginta & amplius libras ponderans, ignibus præparandum. Cætera non longâ morâ paucis ictibus in partes ruptâ ſunt: hoc, de quo loquor, tanti ponderis ferrum fefellit malleum, & innoxiè exilijt: iterum iterúmque illæſum ab incude proſilijt. Fuit, qui doctiùs miraretur hos ferri non conſuetos ſaltus, inſpiceretque propinquiùs: cùm ecce figuram Deiparæ glorioſæ radijs cinctam tam doctè expreſſam videt; ut naturam feciſſe, ex aſpectu ſcires, non artem. Ferrum.

Natura hoc miraculo adjuta, miraculoſam & eſſe, & fore ſatis ſuperque probavit, & dignam quæ templo & arâ honoretur, res non Catholicis modò, ſed hæreticis nota, à quibus non ſine admiratione videtur, non incongruo documento linguas hæreticorum quantumvis malleis decumanis ferociores, Mariæ tamen Imagines conterere non poſſe. Cùm hæc ad me perſcripta ſunt, à *R. P. Wolffgango Lieb*, res nondum ad Magiſtratum Eccleſiaſticum delata eſt; ingens tamen Orthodoxorum pietas jam in Virginem pruriebat, paratam, templum & aras ſuo ære ponere Ignis.

D L X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.
SS. XYSTI ET DOMINICI.
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Caput averni metis Virgo almè amanda.*

1. Imago diu ſub terra incorrupta.
2. Cerimonia luminum.
3. Honor deſtinatus.

MVltæ virtutis, ac religionis vir in effodiendo agro, magni ſervi Dei ante centum & ampliùs annos defuncti cadaver invenit, & juxta cor ejus Mariæ Virginis figuram, Carmelitano habitu elaboratam, omnino inte-

tegram atque incorruptam. Hanc telâ mundâ coopertam pectori ſuo appendit Inventor, & nunquam ſine accenſis luminibus videre volentibus oſtendit. Porrò gratias nararbat miraculoſas, quas ſibi alijſque impetrârat. Hæc Deiparæ figura poſtquam per diverſorium ſive hæredum, ſive amicorum manus Sanctimonialis *Hyacinthæ* Ordinis Minorum Viterbij in Monaſterio S. Bernardi: quæ Imaginem Romam miſit Cryſtallo includendam!, & publico exponendam apud Moniales S. Dominici ad S. Xyſtum: id enixè rogans, ne unquam eam ulli ſine accenſis luminibus oſtenderent, porrò quis ultrà cultus S. Statuæ exhibitus ſit, quæque exinde miraculoſa Deiparæ beneficia in ſupplices ſparſa ſint, non ſcribit *Franciſcus Maria de Amatis* in vita Hyacinthæ, ex qua hæc accepi, & hic ponere volui.

Cerimonia.

Imago.

D L X X V.

Imago B. V. Miraculoſa. KESSELENSIS. *Lovanij in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Virgo pia intacta mere munda ſalva me.*

1. Imago B. V. ante domum.

2. Candelarum uſus.

3. Lupus innoxius.

MIrabilis eſt urbium quarundam pietas, quæ civium in Virginem affectum, publicâ teſtificatione prodit, ut alias, quas vidi, taceam, duas præ cæteris inveni in hac publica proteſtatione ſingulares, prima eſt Ænipontana in Tyroli, quæ domos ſuas ornat imaginibus Deiparæ, paucas reperire eſt domos, quæ ſi non pictam in muro, certè chartaceam in porta domûs Deiparæ *Dreſdenſis* Imaginem habeat. Eſt hæc Æniponti valde miraculoſa, ut ſuo loco dico. Altera urbs eſt *Monachium* Metropolis Bavariæ, in qua hæc ſcribo. Hic Sereniſſimi Electoris Maximiliani Exemplum civibus multùm profuit. Habet palatium ejus coloſſum æreum ſanè altum Deiparæ glorioſæ cum filio, Statuam hanc quiſquis videt, non negat, nullam reperiri in publico Deiparæ Statuam aut majore artificio factam, aut magis ſumptuoſam in hac æris vaſtitate: ut taceam de lampade grandi, & marmoris mole Statuam lampademque ambientis. Adeſt etiam Columna in foro marmorea, cui item inſiſtit Deiparæ Statua etiam ærea, de qua ſuo loco.

Domus.

Hæc, inquam, ſecuti exempla cives paſſim Deiparæ Imaginem ſuis domibus appinxerunt, maximè anno 1668. quo omnes penè domus totius urbis, certè paucis exceptis, hoc ornatu ſplendent, ſunt nonnullæ ære fuſæ: plures è ligno ſculptæ, & in ſuis hemicyclis non ſine ornamentis muro inſertæ. Pleræque diverſâ formâ muro

Imago.

muro appictæ: nonnullæ in tela muris affixæ, tectis tamen ſuis defenſæ ab injurijs cæli: quædam in tabulis ligneis pictę cùm ſint, tamen proſtant innoxiè, ſuis quæque modis defenſæ, pauperiores ad portam domûs affigunt chartaceas: aliæ ex argilla decorè formatæ, ſuiſque hemicyclis muro inſeruntur, plurimæ lampades ſuas habent, quæ Sabbatinis noctibus lucent, ut & in pervigilijs Feſtorum Deiparæ. Jam de Imagine Lovanienſi loquar, *ſeu* Keſſelenſi, quia parùm Lovanio diſtat. Fuit hic fæmina, quæ vulgò *Maria in Imagine* vocabatur, non aliam ob cauſam, quàm quòd ſupra portam domûs ſuæ Imaginem Deiparæ teneret, cæterùm & fæmina ruſtica erat, & Imago alta unum pedem cum dimidio. Porrò fæmina hanc Statuam in honore habuit: ſiquidem continuo lumine honoratam ſemper eſſe voluit: ut preces taceam, quas frequentiſſimè coram ea fundebat.

Pietas.

Contigit, ut filiam Lovanio (nam tunc ibi habitabat) mitteret cum candelis ad locum S. Statuæ accendendis. Hæc in itinere obvium habuit lupum, quem ipſa canem rata, nihil ab eo territa, illæſaque pertranſijt. Admirabundi vicini, & miniſterium filiæ intelligentes, apparet, inquiunt, te pro pia cauſa miſſam, cùm feram illam illæſa pertranſieris. Et quam feram? interrogat puella, an canis ita mihi timendus? majus eſt, quòd ſequitur, ſecuta eſt paulò pòſt incuria vicinorum totius domûs conflagratio, Statua tamen ſalvâ & integerrimâ. *Anna* poſt mortem Matris Monaſterium in *Valle liliorum* ingreſſa S. Statuam jure paterno ſecum tulit, & conſenſu majorum publico expoſuit jam Prioriſſa Conventûs, obijt deniquè 1629. ætatis anno ſeptuageſimo primo, profeſſionis Monaſterium quinquageſimo ſecundo, officij Prioriſſæ vigeſimo octavo. Cæterùm Statua Deiparam repræſentat doloroſam, filium de cruce depoſitum genibus ſuſtinentem. Hodie inter miraculoſas numeratur, & etſi in *Valle liliorum* ſit, à loco tamen, unde accepta eſt, nomen habet. Hippolitus Maravius in lilijs Mart.

Lupus.

D L X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa. SCHIEDAMENSIS.

Schiedamij in Germania Inf.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Mater agni micas I, ò pura, & munda vale.*

1. *Navis remora Imago B. V.*
2. *Statua arridens ſupplici.*
3. *Velum mirabile.*

LIdvvina Schliedami in Holandia nata, mirâ pietate ferebatur in Imagines B. Virginis. Fuit, cùm mercator Deiparæ Imaginem Schiedamum afferret, venditurus eam in nundinis Antuerpienſibus, ſed navi impoſita navim ſiſtit:

nec amoveri loco ſuſtinuit, omnibus alijs cauſam inſoliti casûs ignorantibus, prudentior quispiam, fallor, inquit, ſi alia remora navim detinet, quàm hæc Deiparæ Imago, nec aberravit prudens divinator, etenim expoſitâ S. Imagine navis tenuit liberum curſum, Navis. rogant itaque, ut commodo pretio eam permitteret conciliari templo D. Ioannis Baptiſtæ: quod tunc à fundamentis erigebatur, factum, ſtetitque in templo decorè collocata S. Imago, quin & nova ſtatim Confraternitas erecta, quæ honorem primo hoc miraculo adeptum tueretur, & propagaret.

Lidvvinæ ſeptenni hæc Imago ſæpe arriſit, miſſa foras à matre, cùm tardiùs rediret, in hæc verba ſe excuſare ſolita erat: O bona Mater! ne iraſcere: ſalutavi ſpecioſiſſimam dominam noſtram, & illa mihi blandiſſimè arriſit, quievit ad hæc mater, filiam ſilentio venerata; ſemel ab Angelo in cælum ducta, Deiparam vidit, & in ejus manibus velum: quin etiã interrogantem audivit, an hoc capiti ſuo imponi vellet. Tergiverſata Lidvvina, demum hortante Angelo, conſenſit. Tum ei Deipara velum impoſuit: &; En, inquit, ego nunc tibi velum impono: at verò cum è cælo venerit, tu non ampliùs ſeptem horis eris in terra: dabis id Confeſſario tuo, monebiſque, ut fidem habeat donis Dei, & ut hoc velum imponat capiti Imaginis meæ, quibus dictis evanuit, Lidvvina poſt actas gratias, vocato Confeſſario velum oſtendit, & quæ Deipara imperâſſet, edixit. Stupuit ad miracula Confeſſarius: nam & cæleſti odore repletá domus eſt, Velum. & erat texturæ incompertæ labor, ſed nec materiam qui verè cognoſceret, repertus eſt. Dum hæc moroſiùs conſiderat Confeſſarius, Virgo rogat, quamprimum juſſa exequatur & Imaginis capiti imponat, cauſante illo, templum clauſum, & ſitum Statuæ, ad quam niſi per ſcalas accedi non poſſet, Dominus, inquit illa, providebit.

Egredienti itaque domo Sacerdoti, obvius ſtatim occurrit æditutus, & ſcala ad borealem templi partem, ut etiam Lidvvina dixit, reperta eſt, impoſitum capiti Statuæ velum ſtatim ab Angelo oblatum eſt. Hæc apud Surium 14. April. Cæterùm S. Statua coli cœpta eſt: concurſus peregrinorum facti, & miracula per omnem latè Hollandiam vicinúmque Belgium notiſſima, an autem hæc miraculoſa Statua furorem hæreticorum effugerit, atq; ubi hodie ſit, nō legi.

D L X X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

S. CATHARINA:

Eremi in Oriente.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Monile tu Diva meara & agna paramitas.*

1. Spon-

1. Sponſus Princeps ſpretus.
2. Chriſtus dat annulum.
3. Eremita Sanctus.

RArum eſt, quod apud *Petrum de Natalibus* auctorem graviſſimum legimus de S. Catharina, in ejus vita, circa annum trecenteſimum ſeptimum. Hæc nullo adhuc fidei lumine illuſtrata, cùm à Principe quodam ambiretur in conjugē, & Principis & Matris contempſit preces, diſertè teſtata, ſe non niſi æq; nobilem, ſpecioſum divitem, ſapientémque accepturam, quàm ipſa eſſet. Felix ambulatio fuit, quæ matrem unà cum filia felici caſu duxit ad Eremicolæ cellam. Hominem divinum paganæ habuerint in veneratione, & ſuavius, quàm credidiſſent, ab eo ſunt ſalutatæ. Conſuluit Mater, quid ſponſo, & ſponſo Principi reſpondendum, quem filia ita ſperneret. Eremita.

Eremita, de Principe, inquit, vos videritis: ego tibi, ô Virgo, ſponſum dabo meliorem, quàm ipſa optas, videre illum cùm Virgo optaret, tabulam protulit, quæ Deiparam cum IESULO referebat Hic, inquit, ſponſus eſt, hæc mater ſponſi, & ſi eum rogas, videri ſe ſinet, ſimul aliqua fidei noſtræ fundamenta Virgini inſtillat, illa domi coram tabula orationes quas didicerat, recitat, ſimúlque obdormit: cum in ſomno Chriſtum cum matre vidit, non jam picturæ ſimilem, ſed ut eſt, ſpecioſiſſimum. Et ſanè Deipara IESULO ſponſam obtulit, non abnuentem, abnuit tamen IESULUS, reſpicítque non ſatis pulchram, quæ ſibi nuberet. Evigilat Catharina, & jam amore ſponſi non ampliùs, ſua matri viſa narrat, & utraque ſe Eremitæ ſiſtit, ille audito viſo; Ego te, inquit, faciam pulchriorem: & fide Chriſtianâ pleniùs inſtructam, ſacris baptiſmi aquis abluit, ita jam pulchrior domum redux, iterum coram Imagine Deiparæ proſtrata amoribus cæleſtibus induſiſit. Tum obrepente ſomno, majore quàm antè majeſtate, & pompâ Angelorum, Deipara Catharinæ ſe ſiſtit, iterúmque filio ſponſam Catharinam offert: quam IESUS in ſponſam accepit, annulóque dato promiſſa firmavit. Somnium non fuit. Nam Catharina Annulum in digito reperit, matríque cum gaudio oſtendit: atque deinde amore Chriſti ſuccenſa, mundi pompas ſprevit, Deiparæ illam Imaginem apud Chriſtianos in honore fuiſſe, & ut fit, non uno hoc beneficio celebrem, qui dubitat, næ ille ignarus eſt hiſtoriarum, errant ſanè, qui putant rem novam eſſe, honorare Imagines, fecère id primi Chriſtiani, & tanto ferventiùs nobis; quòd etiam propter cultum SS. Imaginum quamplurimi Martyrium ſuſtinuerint. Vide Petrum de Natalibus. Sponſa. Annulus.

DLXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ. *Ieroſolymis in Palæſtina.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Micas æternum tu pura mali ò Dei agna.*

1. Aſpectus felix Statuæ B. V.
2. Pænitentia mira.
3. Peccatrix grandis.

MAria, quæ à Patria dicitur *Ægyptiaca*, Peccatrix fuit & Pænitentiæ ſpeculum. Quæ ipſa narravit Abbati Zoſimo de vita ſua malè acta quæ nefanda ſunt, omitto quæ eidem narravit de acta Pænitentia in Eremo etiam, omitto, tum quia vitam ejus non ſcribo, tum quia ad rem meam non pertinent, illa ſolùm memoro, quæ ad S. Statuæ Marianæ honorem pertinent, quæ tantæ pænitentiæ origo fuit. Placet ipſius Mariæ verba, quæ ad nos, auctore Sophronio Epiſcopo Hieroſolymitano, Paulo Diacono, Latino interprete, pervenerunt, apponere. Quando, inquit, venit Sanctæ Exaltationis festivitas pretioſæ crucis, ego quidem ſicut & priùs præibam, juvenum illaqueans & capiens animas, vidi autem primo diluculo omnes ad Eccleſiam unanimiter currentes (templum montis Calvariæ.) Abij & ego currens cum currentibus, & veni cum illis in atrium templi. Et cùm veniſſet hora Exaltationis divinæ crucis, impingebam & impingebar, repellébarque quodam modo, feſtinans ingredi cum populo, coarctor uſque ad januam templi cum his, qui ingrediebantur cum magna tribulatione appropinquans & ego infelix, quando autem ingredi volebam, illi quidem omnes ſine impedimento ingrediebantur: me autem divina aliqua virtus prohibebat, non indulgens introitum, mox igitur repulſa, ejiciebar foras, & ejecta inveniebar ſola in atrio ſtans. Conſiderans autem per muliebrem infirmitatem hæc mihi accidere, iterum alijs me immiſcendo, vim mihi quodammodo faciebam introeundi: ſed enim laborabam in vacuum, ut enim limina veſtigio contingebam, omnes interiùs recipiebantur, nullum habentes impedimentum: me autem ſolam non recipiebat, ſed quaſi militaris multitudo eſſet taxata, ut mihi ingredienti aditum clauderet, ita ad me repentina aliqua prohibebat virtus, & iterum inveniebar in atrio.

S. Crux. — Templum.

Hoc ter & quater paſſa, & facere conans, nihilque proficiens, deſperans de cætero, & ampliùs nuſquam progredi valens, (factum quippe fuerat corpus meum à vi comprimentium valde confractum) recedens diſceſſi, & ſtatim in quodam angulo atrij templi, & vix aliquando, ob quam cauſam prohibebar videre vivificum lignum, in cogitationem reduxi: tetigit enim mentem &

cordis mei, oculos intellectus ſalutis, recogitans, quia ſqualida actuum meorum ſcelera mihi introeundi aditũ obſerabant. Cœpi itaque flens nimiùm conturbari, & pectus tundere, atque ſuſpiria de profundo cordis proferens, & gemens, ejulánſque proſpexi in loco, in quo ſtabam, ſurſum Imaginem S. Dei Genitricis ſtantem: &aio ad eam intendens,& indeclinanter attendens: Domina Virgo, quæ Deum genuiſti ſecundùm carnem, ſcio quia nec condecens nec opportunum ſit, me ſic horridam, adorare Imaginem tuam, vel contemplari oculis, tantis ſordibus pollutus, quæ eſſe Virgo dignoſceris & caſta, quæ corpus & animam habes Immaculatam: juſtum eſt, me luxurioſam à tua puriſſima caſtitatis munditie abominari & proijci. Statua.

Tamen quoniam, ut audivi, ob hoc effectus eſt Deus homo, quem ipſa digna genuiſti, ut peccatores vocaret ad pænitentiam, adjuva me ſolitariam & nullum habentem adjutorium, percipe confeſſionem meam, & mihi licentiam tribue, Eccleſiæ patefactum ingredi aditum, & non efficior aliena à viſione pretioſiſſimi ligni, in quo affixus Deus homo, quem concipiens ipſa Virgo peperiſti, & proprium ſanguinem dedit pro mea liberatione, jube, ô Domina, & mihi indignæ, ob divinæ crucis ſalutationem januam patefieri: & te ex te genito Chriſti digniſſimam de fidejuſſorem, quia nunquam ultrà meam carnem coinquinabo per horrida immixtionum ludibria; ſed mox ut filij tui, Virgo ſancta, videro lignum, ſæculo & actibus ejus, & omnibus, quæ in eo ſunt, renuntio, & continuò egredior, ubicùnque ipſa ut fidejuſſor me duxeris. Hæc dicens, & quaſi aliquam ſatisfactionem recipiens, fidei ſuccenſa calore, & de pietatis viſceribus Dei Genitricis præſumens, movi me de eodem loco, in quo ſtans feci orationem, & veniens, iterum ingredientibus me miſcui: & ultrà non erat, qui me repelleret, neque qui me prohiberet appropinquare janius, quibus in templum introibant. Accepit ergo me tremor validus & extaſis, & tota ex omnibus tremebunda turbabar: itaque conjungens me ad januam, cujus mihi primò aditus claudebatur (quaſi omnis virtus, quæ priùs ingredi me prohibebat, pòſt autem viam ingrediendi pararet) ita abſque impedimenti labore introivi: & ſic intra Sancta Sanctorum reperta ſum, & pretioſi ac vivifici crucis ligni adorare myſterium digna habita ſum. Fides.

Et tunc vidi Dei Sacramenta, & qualiter eſt paratus ſuſcipere pænitentes. Tum proijciens me coràm in terram, & ſanctum illud exoſculans pavimentum, exibam. Currens autem ad illam, quæ me fide dixit veni reſtans, conjunxi igitur me in illum locum, ubi fidedictionis conſcriptum erat Chyrographum & genu curuans coram vultu S. Virginis Dei Genitricis, his imprecata ſum verbis: Tu quidem ſemper, ô benigniſſima Domina, tuam oſtendiſti pietatis miſericordiam, Oratio.

tu non indignam ſupplicationem proieciſti: vidi gloriam, quam peccatores merito non videmus, gloriam omnipotentis Dei, quiper te ſuſcipit peccatorum pænitentiam.

Quid ampliùs peccatrix & miſera valeo recordari aut enarrare? Tempus eſt jam implere, quæ fide dixi, fide dilectionis tuæ placitâ. Nunc ubi tibi complacet, dirige me. Eſto mihi ſalutis ducatrix & veritatis Magiſtra, præcedens me in viam, quæ ducit ad pænitentiam. Et hæc dicens, audivi vocem alicuius à longe clamantis: Jordanem ſi tranſieris, bonam habebis requiem. Ego autem hanc vocem audiens, & pro me factam credens, lacrymans exclamavi, & ad Dei Genitricis Imaginem proſpiciens vociferavi: Domina! Domina! Regina totius orbis, per quam humano generi ſalus advenit, noli me derelinquere. Et hæc dicens, de atrio templi ſum egreſſa; & feſtinanter ambulabam. Hæc ex Hieronymo: quæ ſequuntur de ejus vita, quia ad rem meam non pertinent, omitto, id ſine obſervatione præterire non poſſum, Imaginem illam Deiparæ utique poſtea in majore fuiſſe honore; propter tam nobilem converſionem, potuit hæc miraculoſa converſio illis innoteſcere, qui clamantem & vociferantem viderunt & audierunt, qui priùs eam noverant. Hæc in atrio templi omnibus inſpectantibus contigêre.

DLXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

LEOPOLDINA;

Viennæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Agna Diva in utero Immaculata ſemper.*

1. Principes pij.

2. Pium colloquium.

2 Velum capitis occaſio Monaſterij.

AB urbe Viennenſi non procùl Deiparæ miraculoſa eſt Imago. Originem accipe. Sanctitate clarus habebatur *Leopoldus* Auſtriæ Marchio, qui *Agnetem* Imperatoris filiam in uxorem duxerat. Hi inter alia, quæ paſſim ad Dei Deiparæq; gloriam faciebant, templum hoc conſtruxêre, contigit, ut ambo de Deipara, de templo & Monaſterio ei condendo in campis colloquerentur, nec niſi de loco quæſtio ſuper eſſet, cùm ventus exoriens velum Agnetis de capite auferret, & quâ longiſſimè aſportaret, conjux uterq; altius quid ſuſpicati, locum illûm Monaſterio Virginis templóq; deſtinârunt, in quo hoc velû reperiretur, novem anni abiêre, & quæſitum ubiq; velû à nemine conſpectû eſt, cùm ecce cùm relaxandi animi gratiâ proſperiorem auram ſequerentur, Viennâ pauliſper relictâ conſpectum ſuper frutice aliquo velû eſt, itaq; ibi templû cum Monaſterio extructum & Deiparæ dedicatum, non multò pòſt peregrinationibus cultum eſt, hodieque Imago illa inter miraculoſas habetur. Vide Surium 15. Novemb. in vita S. Leopoldi.

S. Leopoldus.

DLXXX.

D L X X X.

Imago B. V. Miraculoſa.

G E N O F E V Æ.

Ad S. Genofevam in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Semper munda a vitio tu Regina ac alma.*

1. Innocentia accuſata.
2. Cerva pro matre.
3. Venatio Feſto Epiphaniæ.

GEnoveſa Ducis Brabantiæ filia à Sifridi Romani imperij Palatino juſto conjugio maſculum concepit. Porrò antequam is contra infideles & Barbaros in ſubſidium terræ Sanctæ proficiſceretur cum exercitu, Goloni militi fortiſſimo conjugem commendavit. Hic fictis de morte mariti litteris, alijſque modis Genovefæ pudicitiam fruſtrà ſolicitavit, & marito revertenti conjugem pudicam ut adulteram accuſavit, ſententia mariti & judicis, Golonis inſtinctu, Genoveſam cum prole aquis deſtinavit; quod famulis in deſerto quopiam lacu exequendum reliquit. Geno-veſa.

Illi Dominam in ſilva abire juſſam; domi hero nunciàrunt aquis hauſtam cum prole, non pauca congerentes, quàm duro mortis genere obijſſet. Illa interim Deiparæ ſeſe identidem commendans, aquâ vixit & herbis, filiolo cerva quotidie adveniens pro matre fuit, lac de uberibus non invita porrigens. Sex annis menſibuſque tribus hæc ſilveſtris vita duravit: cùm maritus inter venandum die Epiphaniæ ſacro, uxorem cum prole reperit, & juſtis ſignis agnovit.

Precatus veniam tanti ſceleris, eam domum reduxit, conjugem tamen habere ſibi conſentientem non potuit, priuſquam ſponderet, eo loci templum Deiparæ ædificare, cujus ope ſervata eſſet, quod non invitus Sifridus fecit: in hoc templo & ipſa ſepulchrum elegit, locus etiam poſtea miraculis inclaruit. Cæterùm Golo pœnas dedit, à quatuor indomitis bobus diſcerptus. Ita Molanus Balinghem 2. April. alij. Conju-gium.

D L X X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.

C L U N I A C E N S I S.

Cluniaci in Gallia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Alma Regina, munda capies utero vitam.*

1. Manica B. V. fugantur dæmones.
2. Mors nunciata.
3. B. V. morienti aſſiſtit.

S. Hugo Abbas Cluniacenſis, Deiparæ devotiſsimus, moneri de morte ſua meruit. Etenim

S. Dionyſius Bernardo Narbonenſi apparuit morituro, is aſtanti ſibi Pontio Abbati ait: S. Dionyſius mihi apparuit, & ita præcepit: vade Cluniacum: videbis Abbatem tuum Hugonem quantociùs obiturùm, venit ille, ſed tardiùs: jam enim in Oratorio B. Mariæ Virginis matris Domini; ubi S. Hugo à Fratribus delatus objit expirârat.

Erat ibi ipſa Dei Genitrix (ita, qui hæc ſcripſit, Deum teſtatur) obvia obeunti: aderat Sanctorum Chorus, qui dùm ſuſciperent animam morientis Patris, irruerunt eminus quidam ſagittarij; contra quos miſericordiæ Mater manicam ſuam elevavit, & egredientem animam protexit: quâ cognitâ ſagittarij illico fugerunt territi & confuſi, ut ait *Chronicon Cluniacenſe.* Cæterùm Oratorium illud in majori poſthac veneratione habitum eſt, plura ſupplicibus beneficia dante Virgine. Apparitio.

D L X X X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

GRANDIMONTENSIS.

Grandimonti in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Vitam paries ò munda macula; integra.*

1. Translatio mirabilis.

2. Liberatio captivi.

3. Æconomus felix.

S. Stephanus Ordinis Grandimontenſis Inſtitutor Sacellum Deiparæ, quod in Monaſterio erat, celebre fecit, miraculiſque clarum: quia primi miraculi auctor, vir quidam honeſtus, nec pauper, Æconomum Monaſterij egit, plus pietatis gratiâ, quam lucri, is ad mercatum profectus ſub noctem ab hoſpite duobus latronibus proditus eſt, qui vinctum in profundiſſimam vallem duxerunt, ſpoliârunt, quin etiam vulneratum reliquerunt. Stephanus non parùm de Æconomo ſolicitus, fratres ita ſolatus eſt: novi, inquit, quendam, qui nobis Æconomum noſtrum, ubicúnque ſit ſalvum & incolumem ſiſtere poteſt. Eamus nudis pedibus ad Sacellum Beatæ Virginis: nam non eſt tam occultus & tenebroſus carcer, nec terra tam longinqua, unde eum non poſſit, extrahere & ad nos mittere glorioſa Virgo. Spes.

Fecerunt ergo fratres, quod præcepit S. Abbas: & ſequenti die dum fratres conſueto more ad virtutem hortaretur, ante portam Monaſterij ſalvus & incolumis adſtitit Æconomus: hoſpes verò cum duobus latronibus ligatus funibus. S. Stephanus Æconomum cum lætitia ſuſcepit: reliquos acriter reprehenſos faceſſere juſſit, Sacellum Deiparæ porrò tâ in privatis, quàm publicis neceſſitatibus frequentari cæptum. Ribadeneira in vita S. Steph. Grandimont.

DLXXXIII.

D L X X X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

SUESSIONENSIS.

Sueſſioni in Gallia.

Anagr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Progr. Integra mira Eva placato munda IESUM.

1. Proceſſio utilis.
2. Morbus ignotus.
3. Sanitas repentina.

TEmplum Deiparæ Sueſſionenſe antiquiſſimum eſt: & nunc quidem ejus originem dare non poſſum, miraculoſam illic Deiparæ Statuam fuiſſe, inde certum eſt, quòd anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſeptimo ſolenniſſimâ ſupplicatione viſitatum fuerit, & novo & inaudito miraculo Morbus. inclaruerit, cùm enim univerſæ ætatis & ſexûs incolæ intolerabili cruciatu arderent, plurimíque eo ardore, incognito Medicis, morerentur; ad hanc Deiparæ Eccleſiam pedibus nudis ſexto Septembris è pluribus templis ad hoc inſtituta ſupplicatio eſt, in quo durantibus ſacris myſterijs quotquot erant ægri, erant autem pæne omnes, ſalvi ſaníque domum rediêre. Breviarium Sueſſionenſe.

D L X X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.

S. DIONYSII.

Pariſijs in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *IESUM Adam nutri electa, imò pura agna.*

1. S. Dionyſius Areopagita.
3. Imago antiquiſſima.
3. Reliquiæ.

TRaditio eſt antiquiſſima Eccleſiæ Pariſienſis, ut quidam volunt, S. Dionyſium Areopagitam miſſum fuiſſe anno circiter centeſimo à Clemente Papa in Galliam ad prædicandam fidem, venit ille Lutetiam Pariſiorum, & fidei Chriſtianæ aptos cives invenit. Itaque cùm prædicationis ſuæ inſperatos progreſſus cerneret, Deiparæ templum ædificavit mole non magnum; in quo, ut aiunt, Deiparæ Imaginem collocavit, tantâ felicitate; ut & templum, & in eo S. Imago Virginis per tot ſæcula in hodiernum diem extent, Imago, inquam; quæ ſi non hodie (quod ipſum non ſcio) certè S. Dionyſius. per tot ſæcula non potuit non eſſe aliquando miraculoſa. Cæterùm de Corpore Sancti; ubi nam nunc ſit, an Pariſijs in Gallia, an verò Ratiſponæ in Bavaria, diſputationem non inſtituo. Habent pro ſe rationes, & literas, qui pro urbe Pariſienſi pugnant: habent pro ſe Bullam

fontem extruxit, miraculorum ibi ad fontem factorum ſcripſiſſe ſe librum, aſſerit loco citato Nicephorus.

DLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. BERNENSIS. *Bernæ in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Lac & merum vita paris, iò agna munda.*

1. Equus fortis.
2. B. V. in equo.
3. E Comite Monachus.

CIrca Annum milleſimum centeſimum trigeſimũ quartum *Focoldus* Comes, ampliſſimæ ditionis & caſtri *Bernæ* Dominus, incidit in hoſtes: quos tamen fideliſſimi equi curſu fortiſſimè ſequentes uſque ad Moſam fluvium effugit. Ibi dubius, an ab aquis vel ſanguine mortem præoptaret, ad Deiparam brevi ſuſpirio ſe convertit, & ! ô bona, inquit, ſi me aquis ereptum ſervas, templum & Monaſterium tibi Statuam, ſimúlque equum concuſſo fræno roboris admonet: qui ſe præcipiti ſaltu aquis committit, & herum in altera ripa ſalvum & incolumem ſiſtit. Tradunt, viſam Deiparam tergo equi, quo ipſe vehebatur, inſidentem. Periculum.

Focoldus tanto defunctus periculo, Bernam caſtrum ſuum in Monaſterium convertit, adjuncto Deiparæ templo, & Præmonſtratenſibus ex Inſula B. Mariæ advocatis tradidit: quos inter & ipſe Fundator frater Laicus, quos *Converſos* vocant, quindecim annis piè vixit, & ſanctè obijt, neve uxor *Beſſela* obſtaret, ipſi quoque ſuaſit, & perſuaſit, ut ſeptuaginta ejuſdem Ordinis virginibus aliud inter Moſam & Wahalim Cænobium ſtrueret: in quo ipſa Abbatiſſa laudatiſſimè præfuit, & ſanctiſſimè obijt. Ita Myræus in Chronic. Ordinis Præmonſtratenſis. Monaſterium.

DLXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. PICTAVIENSIS. *Pictavis in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Munda ergo ac intemerata palam vivis.*

1. Proditor Paſchalis.
2. Claves urbis in Statua B. V.
3. Urbis ſecuritas.

ORiginem hujus miraculoſæ Imaginis non inveni augmentum tamen ingens accepit ab urbe poſt inſigne miraculum, quod *Ioannes Bauherius* ſcribit. Cùm anno 1200. Pictavienſis civitas nollet ſe tradere *Ioanni* Angliæ Regi, ad fraudes converſi Angli ſervum Conſulis Pictavienſis, tunc fortè

Petra-

Proditio. Petragoricam ad negotia heri profectum, pretio conduxêre, & ſuum fecerunt. Ille centum libris Gallicis ditior diem Paſchæ, & horam mediæ noctis pactus, aperiendis portis aptam, diſceſſit, advenit nox illa ſacerrima, advenêre quoque Angli fidem proditoris probaturi, nec ille promiſſis defuit, lectum dormientis heri accedit, clavéſque ſub pulvinari ejuſdem cervicalis quæſitas cùm non reperiret, omnes luſtravit angulos: denique ad muros abijt, Angliſque renunciat, expectandum uſque ad horam poſt mediam noctem quartam.

Illi proditoris fidem experti, jámque ſpe capiendæ urbis tumidi durârunt inter nives. Quarta auditur, ſervus Dominum excitat, adeſſe præ foribus urbis, qui properaret ad Philippum Regem Galliæ, nec moram ferre, negavit Conſul tempus eſſe: ſervo perſeverante, quærit ſub cervicali claves, ſed cùm eas non invenerit, proditionem ſuſpicatus, quamprimum Primores urbis convocatos ad mœnia miſit, urbem defenſuros, ſi fortè hoſtis ingrueret. Interim Conſul ad templum & Deiparæ S. Statuam ſe contulit, quæſiturus amiſſas claves, & urbis periculum. Statua. Ita ſolicitè precanti non ſine pijs quibuſdam civibus, qui Conſulem in tanto urbis periculo ad templum ſecuti ſunt, res ſe obtulit nuſpiam antè, nec unquam, ut opinior poſt audita. Claves urbis conſpexêre è brachio S. Statuæ pendentes, quas utique Virgo ipſa de cervicali ſublatas in ſuam cuſtodiam accepit. Ita nempe bene urbibus conſulitur, quando à Conſulibus Deiparæ commendantur.

Dum hæc cives lætitia in templo obruit, non minor ijs contigit, qui ad mœnia cucurrêre, illi ſiquidem Anglos mutuis vulneribus ſe trucidantes conſpexêre. Hoc nempe paſcha ijs debebatur, erupêre inſuper per apertas portas Pictaviæ cives, & ſuperſtites interemêre, paucis exceptis, quos captivos intulêre urbi, qui omnem proditionis telam detexêre: nec tacuêre, ipsâ horâ quartâ viſam Deiparam cum Patronis urbis exire, & hoſtes terrere. Hinc non Apparitio. nullos in deſperationem actos, ſe ipſos interemiſſe, alios mutuis vulneribus concidiſſe, paucos fugâ elapſos. His omnibus ante ſolis ortum geſtis, cives eò majore pietate ad S. menſam acceſsêre, quòd duplici miraculo vidiſſent, Deiparam urbis ſuæ curam gerere. Proditor diſparuit, & ut opinio erat, vel præcipitem ſe in foſſam dedit, vel à dæmone raptus eſt; ut ereptus pœnis levioribus, delicti pares lueret in inferno, ne miraculi memoria periret, feriâ ſecundâ Paſchatis ſupplicatio ſolennis inſtituitur intra urbem ad mœnia ſpacio unius leucæ cum dimidia. Hæc *Ioannes Boucherius.* Res apud alios paulò aliter habetur: hanc tamen præ cæteris, ut veriorem, afferre volui.

DLXXXVIII.

D L X X X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN CALCOPRETIIS.
Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vivit magna, imò & munda & præclara.*

1. Loco Synagogæ templum B. V.
2. Mentis deliquium.
3. Intervallum felix.

IUſtinus Imperator junior anno quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo regibus exemplum dedit, quibus auxilijs contra hoſtes eundum ſit. Perſæ imperium vaſtabant: Ille ad Deiparam confugit, eique templum ſtruere exorſus eſt. Synagogam Iudæorum, quæ erat in Calcopretijs, diruit, ibique Deiparæ ſedem eſſe & templum voluit, ut in medio inimicorum ſuorum dominaretur, ſitvirentque inimici ejus pro ſcabello pedum ejus. Inter exotica miracula non pono victoriam de Perſis relatam: quanquam & hæc, & quidem ſola potuiſſet nomen Miraculoſæ tribuere huic ſacræ Imagini; majus aliquid affero. Deliquio mentis laborabat Imperator, (nam quo alio honeſtiore nomine deſtructæ ſanitatis malum appellē?) eámque ob mentis ægritudinem laborabat Imperium univerſum, non ſine diſcrimine. Tantum ei Deipara præſtitit ſanitatis, ut dilucido intervallo potitus, cunctis rectè diſpoſitis, ſtatum rei publicæ in tuto collocaret, adſcito ſibi in collegam Tiberio. Quod Hiſtoriæ Miſcellæ auctor ſingulari Deiparæ beneficio adſcribit, & ut miraculum grande refert, ſine quo Imperium bella inteſtina non evaſiſſet.

Imperator.

D L X X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE NAIARA.
Naiaræ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Præclara tu una, imò ſine gemitu Adam.*

1. B. V. in lilio.
2. Ordo equeſtris.
3. Sanitas regis miraculoſa.

SUb annum circiter 1048. *Garcia* Navarræ Rex inſtituit Ordinem Equeſtrem *B. Mariæ de Lilio*, origo hujus eſt Imago Deiparæ, quæ apud Naiaram anno prædicto reperta eſt, quæ ex lilio albo progrediebatur, filiúmque IESUM geſtabat in ulnis: hæc Deiparæ Imago primum miraculum in ipſo Rege operata eſt, ſiquidem æger Rex ut primùm templum vovit eo loco extruendum, ubi hæc Imago inventa erat, convaluit, votiq; reus templum magnificum extruxit, & Ordinem hunc Milita-

Lilium.

rem inſtituit: quadraginta non amplius Equites nobiles admittit, ſi ijs ipſum Regem adnumeres. Plura de hoc templo Andreas Favin. lib. 3. Hiſt. Navar.

DXC.

Imago B. V. Miraculoſa. ANGELORUM. *Bononiæ in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Adam maculatum en! ignoraſti, verè pia.*

1. Pugna Regum pro Imagine B. V.
2. Illæſa in igne Statua B. V.
3. Statua in puteum abjecta.

HAnc S. Imaginem ideo voco Angelorum, ut ab alijs diſtinguatur: quantumvis fortè hoc nomen non habeat. Ab Angelis in navi allatam ajunt anno 633. quam cives non ſine lætiſſima pompa exceperunt. Ita miraculis clara fuit, ut eam ſecum abſtulerit *Henricus VIII.* Angliæ Rex anno 1544. inter cætera urbis direptæ ſpolia. Cæterùm iterum receptâ urbe ab *Henrico XI.* Gallorum Rege anno 1550. coactus eſt, etiam S. Imaginem reddere *Henricus* Rex Angliæ: quæ ſedi ſuæ reſtituta, ut priùs, miraculis clarere cœpit.

Hæreſis. Tandem hæreſi invaleſcente, S. Statua ab hoſtibus fidei in ignem conjecta licèt fuerit, comburi tamen nunquam potuit, elemento reverentiam compenſante, quam homines negabant: conati ſecuribus eam aſſulatim diſijcere, nec hoc valuerunt. Itaque in puteum vicini caſtelli abjecta eſt, ſed cùm caſtri Domina eſſet Catholica, ſub noctem extracta, atque in occulto loco, honeſto tamen, repoſita, velut in templo honores accepit ab hera, quæ identidem mariti ſalutem optabat, converſus ille ad veram fidem, probavit, adhuc Deiparā in hac Statua ſuis propitiam eſſe. Quadraginta annis hoc in caſtro S. Statua manſit, privato cultu contenta: dum anno 1609. operâ *Veſpaſiani in Fonte*, non vulgaris probitatis Eremitæ, tertiâ vice urbi Bononienſi reddita eſt: ubi etiamnum inter civium delicias numeratur. Ita R. P. Franc. Poyræus in Corona tripl. t. 1. c. 12.

DXCI.

Imago B. V. Miraculoſa. AD GRADUS. *Viterbij in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pia, maculâ munda, ô integra IESU Mater!*

1. Somnium Sanctum Cardinalis.
2. Templum deſignat B. V.
3. B. V. Candela accendit arbores.

TEmplum Deiparæ in urbe Viterbienſi magnificum erexit *Cardinalis Cappocius* circa annum 1220. quod ideo *ad Gradus* nominatur; quia per gradus plures ad id aſcenditur: novo utique illic tunc more. Origo hæc eſt. Cardinalis iſte noctu in oratione ſomno oppreſſus obdormivit, in ſomno Matrona apparuit, quæ candelam accenſam manu tenens, cum manu prehenſum ducere videbatur ad nemus, & cereo illo dumetum comburere. Expergefactus, de viſo nil dubitavit, quin è cælo eſſet, ignarus tamen, quid à ſe per id peteretur. quæque eſſet illa Matrona. Quapropter Eremitam vicinum notæ ſanctitatis virum accedit, conſilium accepturus, more ſibi jam antè in gravioribus negotijs conſueto. Eremita, audito viſo: Ne dubita, inquit, mulier illa Deipara fuit, quæ à te illo loco templum petit. Placuit Cardinali interpretatio: quæ non parùm confirmata eſt, cùm locum ipſum viſeret in reditu, viderétque in arbuſtis incendij veſtigia, quæ omnem templi formam obſcurè deſignabant.

Somnium. Jámq; ſatis de Deiparæ voluntate certus, pedem loco antè non movit, quàm, accitis fabris murarijs, Clero & populo Viterbienſi adſtantibus, & gaudentibus, primum templo lapidem poneret: urſit opus Cardinalis feſtinatio, brevíque ſtetit templum Virgini ſacrum: quod ſummâ pompâ dedicatum, approbante ſenatu populóque Viterbienſi, RR. PP. Dominicanis ampliſſimâ donatione conſignavit: ſtatim miraculis clarere cæpit, & in hodiernum diem inter miraculoſas Statuas numeratur. Azovius 1220. Cardinalis.

D X C I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

A N A T O L I A N A.

Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mater Virgo pia una altè munda emicas.*

1. Chriſtianus fictus.
2. Populus pro juſtitia contra judices.
3. Reverentia Sardonia.

ANatolius vir plebeius per dolos ad Magiſtratum venit, & Antiochiæ, ubi non inutiliter publico ſerviebat, in Gregorij Patriarchæ familiaritatem ſe inſinuavit, non parùm auctâ apud populum & prudentes tanti amici auctoritate ſuâ, famâque. Hic Anatolius de Chriſtianiſmo nil niſi pellem habuit, intus & in cute gentilis & idololatra. Infelix hora, quæ viros adduxit omni exceptione majores, qui viderent hominem ſacrificium facientem idolo; vocatus in quæſtionem vir, deprehenſus eſt & alijs ſceleribus fœdatus, junctus ſocijs ſibi non imparibus, qui & ipſi in carcerem conjecti, atque ido-

idolorum rei non parùm conſultavere cum Anatolio, quâ viâ in libertatem aſſererentur. Anatolius amicorum grandium favore potens, per munera, per artes, per dolos, in aula egit, ut propediem ſententia expectaretur, quâ innocentes hi rei declararentur, & priſtinis officijs reſtituerentur. Populus hanc ſententiam averſatus, coitionem fecit, & pro juſtitia contra judices tumultum minatus eſt, & judicum cædem, nec Gregorio Patriarchæ Antiocheno bene fuit, ut qui conſcius ſcelerum Anatolij, ſi non complex eſſet, ipſe Imperator Tiberius hac ſuper re Anatolium audire voluit, miſsâ militum manu, quæ eum ex carcere Antiocheno in Conſtantinopolitanum adduceret. Ille, auditâ ſententiâ, ad preces confugit & Superos, ſed quæ Superos poſſent provocare ad vindictam: Statua Deiparæ fuit, quæ IESULUM tenebat brachio ſune ſublimis ad captivorum ſubſidium; huic ita ſupplex factus eſt, ut manibus à tergo complicatis ludibundus retrorſum accederet, in eas reverentiæ honoriſque ſignificationes compoſitus, quæ ſine contumelia Virgini exhiberi nequirent.

Anatolius.

Captivi.

Illa velut ſacrilegum deteſtata, vultum avertit, nemine non inſpectante, quin quòd Deipara & alijs apparuit, queſta, Anatolium contumelijs affeciſſe filium ſuum, Anatolius Conſtantinopolim à præſidiarijs ductus, verberibúſque cæſus, nil contra Gregorium Patriarcham edixit. Iterum Anatolius per artes aulicorum in libertatem aſſertus eſſet, niſi populus fidei Chriſtianæ tenaciſſimus obſtitiſſet. Data ſententia eſt, ut aliquiè ſocijs Anatolij in exilium deportarentur, út liqueret, an populus Anatolij libertatem ferre poſſet.

Exilium.

Hi quamprimum à furente populo è manibus ſatellitum rapti, navíque igniariæ impoſiti, in mare protruſi ſunt, & in cineres redacti, non ſine vociferationibus, tam Imperatorem Tiberium, quàm Patriarcham Conſtantinopolitanum Eutychium omnéſque, quibus Anatolij cauſa commiſſa erat, fidei Chriſtianæ violatæ reos eſſe clamantium; nec intra verba ſeditio ſtetit: obſeſſum ab irata plebe palatium eſt, obſeſſum Patriarchíum, obſeſſæ judicum per urbem domus, jámque nihil ſupererat, quàm ut urbis capita plebeiâ manu caderent; niſi divina providentia ita tumultum ſedaviſſet, ut nullum atrox facinus populi manu adiretur.

Ita tamen judices ad juſtam ſententiam coacti, Anatolium in Amphitheatro primùm beſtijs expoſuere, tum diſcerptum in crucem egerunt, non inutili exemplo, quandoque à Superis per populum rebellem urgeri judices ad juſtitiam faciendam. Neque ſupplicium Anatolij in furca finem accepit; miſſi à Superis lupi ſunt, incertum an infernales, qui cadaver jam antè fruſtillatim diſcerptum è cruce dejecerunt; &, quod illic terrarum nunquam viſum, inſpectante populo, & Dei judicia extollente, decorticârunt. Vir Illuſtris palatio Præpoſitus, cùm in

Pœna.

cauſæ cognitione plurimùm Anatolio faveret, à Deiparâ in hæc verba per quietem monitus eſt: Quouſque defendis cauſam Anatolij, qui & me & filium meum tantis onerat contumelijs? Statua, quæ in carcere contumeliam paſſa eſt, utique in templum quodpiam delata honores accepit, & reverentiùs culta ſuavioribus miraculis propitia fuit, quod tamen apud Evagrium. lib. 5. cap. 17 & Nicephorum lib. 18. cap. 3. non legi.

DXCIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

IUDÆORUM PATRONA.

Sevilliæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Emicas æternùm pia, munda, alta Virgo.*

1. Infans loquens.
2. Infans redivivus.
3. Mirabiles Converſiones.

Rem prorſus inauditam aſſero ab Hiſpania ex *Gonono*, qui ait, ſe in quodam antiquo codice, quæ ſequuntur, legiſſe: quam fere *Gehoni* verbis, ſed breviùs hîc appono. Judæa fœmina anno 930. in partu laborans certiſſimam mortem expectabat; vicinæ mulieres Christianæ viſis cruciatibus ſuadebant, ut ſe Deiparæ commendaret. Paruit Judæa ſuadentibus, &, O Domina, inquit, Maria! licet non ſim digna rogare te, cùm ſim de genere eorum, qui occiderunt filium tuum: tamen audio, quòd Clementia tua ſe extendit etiam ad peccatores. Si ergo liberaveris me, promitto unà cum prole Baptiſmum ſuſcipere: his ſimul dictis filium peperit. Puerpera.

Ita mulier, quamprimùm potuit, è lecto ſurrexit, & rite baptizata eſt, unà cum filio. Hæc marito abſente geſta ſunt. Is domum redux violatam fidem interemptâ gladio prole vindicavit, Mater clàmoribus vicinos accivit, & maritum in fugam egit: ſed fugæ viam non dabant portæ urbis clauſæ, ſolæ plateæ, ſola compita fugientem tenebant, nemine Christiano vel audente, vel volente tantum reum ſuſcipere in tutelam. Oratorium Deiparæ, quod commodùm in platea apertum reperit, homini pro Aſylo fuit: illud ingreſſus apparitores expectavit; ad carceres & necem ducturos: interea, conſpectâ Virginis Imagine, in hæc verba prorupit: Heu Domina Maria! verè miſericordia tua magna, quæ me canem peſſimum, qui occidi filium meû, permittis ſtare in domo tua, & in præſentia tua: audivi de magnitudine bonitatis tuæ, fac ergò propter te mecum miſericordiam: nam veraciter credo, IESUM Chriſtum ex te natum ſine Virginitatis tuæ detrimento, & ipſum factorem Deum verum & hominem, in Imago.

lege noſtra promiſſum. Flentem, & plura dicturum, miſſi lictores ligatum abduxere. Ille Baptiſmum inclamans, ad riſum & ſarcaſmos concitavit ſatellites: Ne, inquit, videar amore vitæ, & mortis timore Baptiſmum petere, non deprecor ſupplicium, quod merui? ad mortem ducite; non moror: Baptiſmum tamen, ſi Chriſtiani eſtis, non negate.

Stupefacti lictores promiſere Baptiſmum, & in carcerem conjecere. Redivivus. Interea Mater jugulati filij cadaver, quod in ſanguine ſuo natabat, funeri paratura, & vel ideo minùs triſtis, quod Baptiſmo ablutus jam cælo illatus eſſet, videt filium vivere, nec niſi exiguâ cicatrice invenuſtum; gaudio tantùm non ſuccubuit: plus periculi fuit, cùm alterius gaudij nuncius advenit, memorans & maritum rite baptizatum, verè Chriſtianum eſſe. Itaque unà cum filiolo ad carceres properavit, datura vitam marito; Reus. quid enim judices poſſent in reum, quem Deipara abſoluiſſet tanto miraculo; & quæ filium paucorum dierum loqui feciſſet hæc verba: Mater Miſericordiarum & totius conſolationis, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo poſt partum, Mater Chriſti filij Dei intacta, me in ſuum ſervum adoptavit? Nec plura addidit, iterúmque infantiæ ſuæ redditus puer eſt.

Familia tota in fide conſtans permanſit: parens multa etiam contra Hebræorum perfidiam ſcripſit; puer in virum bonum excrevit, & Miſericodiæ Marianæ unà cum parentibus exemplum fuit. Porrò Statuam illam in Oratorio majore cultu affectam, pluribúſque fuiſſe propitiam, nullus dubito, cur enim dubitarent Chriſtiani ibi quærere gratiam, ubi invenit Judæus? Judæus. Cæterum hac vice veniam Lector dabit, quòd Hiſpalim urbem ponam pro eo loco, ubi contigit, cujus nomen Auctor non poſuit, nec ideo tam nobilem Hiſtoriam & Comœdiæ aptam omittere decuit. Hiſpali igitur, id eſt, in Hiſpania contigiſſe ſatis ſit.

DXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.

DIVITENSIS.

Diviti in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virgo Eva ac Mater, i, palam mundanites.*

1. Locus idolorum B. V. aptatus.
2. Deſideria juvantur oratione.
3. Somnium felix.

QUomodo caſtrum Divitenſe converſum ſit in Monaſterium; res memoratu digna eſt. Caſtrum hoc Divitenſe circa annum 1021. locus fuit à Deipara parùm laudatus

tus: in eo olim abundâſſe peccatum, & cultum dæmonum ipſa aſſeruit. Etenim S. Heribertus Colonienſis Epiſcopus impenſas facere cogitabat in Monaſterio quopiam ad Deiparæ honorem à fundamentis extruendo; atque id unum animo volvebat, quo id loco commodiùs exequeretur, quóque Deipara ſe magis ſupplicibus propitiam eſſet præbitura: cogitatio ſanè gravis & ipſo Ioanne Patritio digna. Adjunxit deſiderio orationes, orationibus jejunia, è cælo detracturus conſilium, quod à nemine in terra expectare poſſet.

Zelus.

Tandem ei Virginum Regina in ſomnis aſtitit, quæque eſſet, edixit; denunciavitque, exauditas orationes: inſuper & locum nominavit. Vade, inquit, ad Divitenſe Caſtrum, & in eo mihi templum ſtatue: ut, ubi olim abundavit peccatum, & cultus dæmonum, ibi juſtitia regnet: ibi me ſupplices propitiam ſentient. Archiepiſcopus tanto lætus nuncio imperata fecit, & templo Monaſterium addidit. Hinc tanta Deiparæ beneficia.

Surius in vita.

***

D X C V.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE OLEO.

Anaſtaſiopoli in Oriente.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Nites Agna, imo Diva ter macula pura.*

1. Ex Eremita Epiſcopus.

2. Oleum ex Imagine B. V.

3. Signum mirabile favoris Mariani.

THeodorus Siceotes Eremiticam vitam diù duxit, nemini invidens civitatum gaudia; neque ſilvas & nemora deſeruiſſet, niſi raptus potiùs quàm electus in Epiſcopum eſſet Anaſtaſiopolitanum; vir ſanctitate illuſtris circa annum 597. floruit. Hic cùm ſemel celeberrimam Deiparæ Virginis ædem, & jam miraculis claram intrâſſet; manibus in crucis figuram expanſis preces ſacroſanctæ Virgini offerebat; cúmque oculos irretortos fixiſſet in Deiparæ objectâ Imaginem, repentè omnibus inſpectantibus oleum efferreſcens ex Imagine, in Theodori oculos exilijt, orantíſque faciem conſperſit, ijs, qui viderant, acclamantibus, magnum Dei ſervum eſſe Theodorum. Inde cultus Deiparæ, licèt jam per ſe magnus, augmentum accepit. Evagrius.

Templum.

***

DXCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
MARCIACENSIS.
Marciaci in Gallia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pura animata à ſummo Rege lucida nite.*

1. Lumen Caleſte.

2. Porta ſponte aperta.

3. Feſtum Aſſumptionis B. V. honoratum.

HUjus miraculoſæ Imaginis originem nondum legi, ejus ingens augmentum affero ex *S. Gregorio Turonenſi*, teſte omni exceptione majore: In Oratorio, inquit, Marciacenſis Domûs Reliquię Deiparæ continentur, advehiente feſtivitate menſis Auguſti (id eſt Aſſumptæ Virginis) ego ad celebrandas vigilias acceſſi: cúmque per obſcuram noctem properarem ad Oratorium, ſuſpicio à longè per feneſtras ita immenſam claritatem effulgere, ut putaretur ibi multitudo cereorum eſſe accenſa; credens igitur, quòd aliqui devotorum jam nos ad celebrandas vigilias præceſſiſſent, accedo ad oſtium, pulſo, nec quenquam invenio, ſed repertum oſtiū clave munitum cunctáque ſilentio data deprehendo. Quid plura? tranſmittimus ad cuſtodem, cui tunc erat obſervandi cura, ut ſcilicet oſtium clave exhibitâ reſeraret, dum autem ille venit, nos accendimus à foris cereum, intereà aperitur ſponte & oſtium, ingreſſiſque nobis (credo à caligine peccatorum meorum effugata claritas, quam admirabamur) apparente noſtro cereo diſceſſit, nihil tamen præter virtutem glorioſæ Virginis aliud penitus videre potuimus; unde claritas illa fuiſſet exorta. Hæc ubi per Pontificem populo innotuêre, aucta pietas eſt Marciacenſium, & Deiparæ beneficia. Hęc ad honorem Sancti ad verbū deſcripſi ex lib. de Glo. Mart. Claris.

DXCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CRUCE.
Eruordiæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Nite amata Dea, ara cali; ſignum purum.*

1. B. V. in ſpecie Columba.

2. Probatio viſionis.

3. Miraculum in aqua & ferro.

ITerum à Deipara pauper eligitur, qui divitibus nunciet Virginis voluntatem ipſis Virginibus, quin & S. Epiſcopo. Circa annum milleſimum à Chriſto nato Sanctimonialium Monaſterium, quod Eruordiæ eſt, templo caruit; quia id funditus deſtructum erat: ſive id Hungari vaſtârint, ſive *Thietmarus*

marus Saxoniæ Ducis frater; non inferiora Ungaris hoſtis; itaque piæ Virgines in omnem occaſionem intentæ, id unum agitabant animo, quomodo iterum templum Deiparæ ſtruerent, etiã antiquo magnificentius, ut verò has Monialium curas mitigaret, dignata eſt Deipara, fame & nuditate afflicto pauperi Feſto Sanctorum Gervaſij & Protaſij facie ad faciem apparere, & primum terrorem ſuavi affatu pellere: Vade, inquit, & Abbatiſſæ meo nomine nuncia, cùram ædificij deponant: eam mihi curæ futuram; locus, in quo me vides, ille eſt, quem elegi, in quo, quod quiſque juſtè petiturus eſt, obtinebit. Paupere verò ad hanc viſionem adhuc trepidante, & ad ſuæ legationis veritatem confirmandam ſignum aliquod ſuppliciter expetente.

Apparitio.

Hoc erit tibi ſignum, ait Virgo pijſſima, quòd nullus illatæ pœnæ (ſi quam tibi inferent) dolor ne cicatricis quidem ullius te contingat aliquã moleſtiâ. Quo ad majus veritatis indicium aliud adhuc expetente ſignum: Præcide, ait Dei Genitrix, baculum, & facto inde crucis ſigno pone in veſtigijs meis: & ſi non credent verbo ſigni prioris, credent oſtenſioni ſigni ſequentis: quia quocunque tempore ad locum hunc venerint, me in columbæ ſpecie ſuper eandem ſedere videbunt. *Godeſti* Abbatiſſa (hoc enim ei nomen) accepto nuncio, advocat Epiſcopum Meinuercum cum vicinis proximorum Cœnobiorum Clericis. Inter preces communes Deus conſulitur, nuncius indicio aquæ ferventis & ferri candentis examinatus, ſecurus declaratur; Columba in loco inquiſita ſuper crucem ſedere invenitur: & maximâ omnium devotione & veneratione Baſilica fabricatur, & nomen *à Cruce* ſortitur. Hæc ex vita *S. Meinuerci 5. Iunij*. De probatione aquæ ferventis, & ferri candentis, quæ tunc etiam apud Sanctos in uſu erat, alibi, cùm opus erit, loquar.

Columba.

DXCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

HEISTERBACENSIS.

Heiſterbaci in Germania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Purum Dei vas, iò! nite, nata clara gemma.*

1. *Carcer durus.*
2. *Canes inſequuntur fugientem.*
3. *Liberatio captivi.*

HEiſterbacenſe Templum Deiparæ ædificatum, jam à ſæculis pluribus nomen miraculorum habuit: reſtauratæ, vel certæ auctæ pietatis occaſionem deſcribit *Cæſarius lib. 7.* quæ in annum ferè milleſimum ducenteſimum decimum nonum incidit. Bellum, quod Engelbertus Archiepiſcopus contra

contra Gerardum Bimpacenſem geſſit, quia obſcuris prælijs geſtum eſt, non attinet referre. Captus de Gerardi exercitu juvenis miles, diu maceratus eſt; cùm verò pro ſua liberatione pecuniam ſpopondiſſet; extractus de carcere, in vinculis ſub cuſtodia militari detentus eſt in domo ſuperiore. Porrò circa pedes annulos habebat ferreos, nec minorem in brachio geſtabat circulum: his annulis adhærens catena parieti juncta erat ſerâ fortiſſimâ, ita ut vix unum paſſum pro ambulatione haberet.

Vincula.

Contigit, ut poſt preces, quas dormiturus Deiparæ aliiſque Patronis ſolvere conſueverat, ſe ad ſomnum componeret inter ſex ſatellites cuſtodes ſuos. Felix ſomnium, quòd eum ſtitit in Monaſterio Heiſterbacenſi: ubi duos ſibi cognatos Monachos alloqui ſibi viſus eſt, qui ei Mariæ Heiſterbacenſis certum auxilium promiſere. Excuſſo ſomno, ſe in vinculis reperit: ſpe tamen plenus, & identidem ſe Deiparæ Heiſterbacenſi commendans, tentavit vincula, & unum pedem ſine difficultate extraxit: ſimili facilitate etiam manum liberavit: non ita res ſucceſſit, cùm pedem alterum tentaret.

Vinculorum concuſſio unum è cuſtodibus excitavit; ille territus, ne deprehenderetur, circulum induere pedi conatus eſt: non tamen ulloniſu potuit, jámque miraculorum Deiparæ Virginis intelligens, ad majora animum reſumpſit: milite itaque iterum in ſomnum relapſo ſolenniter ſurrexit, lanceóque, ut aiunt, pede ita catenatus ad feneſtram ſe contulit, ac per faſcias & lecti linteamina è feneſtra ſe demiſit, & fugit. Deprehenſa quidem maturè eſt fuga captivi, miſsíque, qui eum etiam canibus inſequerentur, ſed eum manus humana capere non potuit, quem virtus Deiparæ protexit. Ad Monaſterium ubi venit, ante omnia fabri ope circulum exuit, qui pedem tenebat, tum catenam cum tribus circulis ſuper altare Virginis cum gratiarum actione depoſuit, demum Monachis omnem rei peractæ ſeriem ex ordine recenſuit; auctus inde eſt S. Statuæ cultus, honórque Deiparæ incrementum accepit.

Vincula.

DXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa. CALCATA. *Conſtantinopoli in Græcia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Gemma inviolata paries, tu carè munda.*

1. *Imago B. V. Calcata.*
2. *Panajuſta.*
3. *Homo malus, miles bonus.*

Iterum honores Virginis veniunt è contemptu, ut *Theophanes* auctor eſt. Conſtantinus quidam

dam ſtrator (Artabaſidi, homo malus & miles bonus, videns Deiparæ Imaginem, apprehenſum lapidem in eam proiecit, & contrivit: & cùm cecidiſſet, calcavit, non impunè: nam ſe dormienti ſtitit Virgo, &; Noſti, inquit, quid Statuæ meæ feceris? verùm contra caput tuum hoc feciſti. Dixit, & diſparuit: non multò pòſt ad arma conclamatum eſt, & hoſtis Saracenus habere muros timebatur, in turba etiam hic Conſtantinus muris non defuit: víxque capulo manum appoſuit, cùm è machina lapis excuſſus, eum in terram dejecit, capútque contrivit. Laudatus à conſcijs Deus, & Imago coli cæpta: ut Deiparæ ademptus honor novis honoribus compenſaretur. Quæ tamen alia miracula Virgo per hanc Imaginem operata ſit, *Theophanes* non memorat.

Apparitio.

D C.

Imago B. V. Miraculoſa.

VULNERATA.

Avenone in Gallia.

Progr. AVEMARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Munda Regina, jamjam tota eluces pura.*

1. Statua ſitum mutat.
2. Contemptus punitus.
3. Mulierum pietas.

ERat circa annum 897. quoddam municipium (nunc verò intra muros civitatis) quod *Avenon* dicitur: ubi templum Deiparæ ædificârunt cives. Fuit, cùm hoſtis urbem obſideret, & jam haberet portas. Mulieres cum parvulis ad templum confugêre, S. Statuam Virginis ad portam detulêre, & hoſtibus jamjam intraturis appoſuêre: cùm hoſticus quiſpiam miles ad unum è fortioribus propugnatoribus: Mortem, inquit, non effugies, nec jam tibi ſubvenire poterit effigies, ſimul cum dicto jaculum in civem illum vibrat, certiſſimo ictu hominem intercmpturus; niſi ſacra Virginis lignea Statua genu erexiſſet, & jaculo ſe obieciſſet, nunquam audito miraculo: æternùm jaculum infixum Statuæ hæſit. Ita nempe Deipara ſuos protegit. Porrò hac tutelâ animoſior civis factus, ſagittam in hoſtem direxit, & hominem nullo negotio interemit. S. Statua in templum reportata honoribus aucta eſt, & civibus plùs quàm antè chara facta, miraculis claruit. Vincentius Beluac.

Cerimonia.

A01 1171624

Digitized by Google

Digitized by Google

G 15.

Digitized by Google